JULII CAPONI
INSTITUTIONES CANONICÆ
IN DUOS TOMOS DISTRIBUTÆ.

Digitized by Google

Digitized by Google

JULII CAPONI,

JURISC. NEAPOLITANI, THEOLOGI, PHILOSOPHI, AC COMITIS PALATINI;

INSTITUTIONES CANONICÆ,

JUXTA

FAMILIAREM TRACTANDI JURIS CANONICI Rationem & Methodum, ac vulgarem ipsius in plurimos tùm TITULOS, tùm PARAGRAPHOS distributionem ordinatæ.

IN QUIBUS

QUIDQUID AD NATURAM, ESSENTIAM, VARIASQUE JURIS ejusdem Proprietates atque Divisiones refertur, sedulò tractatur & abundè cumulatèque discutitur.

Opus in QUATUOR LIBROS, TOMOS *verò* DUOS *distributum, omnibusque* JURIS CANONICI *Studiosis nedùm satis utile, sed etiam omninò necessarium.*

Cum Duplici INDICE locupletissimo tam SUMMARIORUM, quàm RERUM in Corpore descriptarum.

EDITIO NOVA DENUO REVISA, EMENDATA, ATQUE AUCTA.

TOMUS PRIMUS.





COLONIÆ ALLOBROGUM,

Sumptibus MARCI-MICHAELIS BOUSQUET & Soc. Bibliop. & Typograph.

M D C C X X X I V.

BIBLIOPOLÆ AD LECTOREM.



UONIAM superioribus annis, quæ jam in lucem edita fuerant, aliquorum Eximii Viri JULII CAPONI magnæ prorsùs existimationis Operum Editio Nova nostris ex Typis iterùm prodiit; & ab omnibus, quotquot sunt, Hominibus delicatioris ac subtilioris palati, fuit summo cum plausu suscepta: Operæ pretium facturos nos esse confidimus, si, qui superetant, de JURE CANONICO nonnisi prælis antiquioribus jampridem submissos ejusdem Ingenii partus eruditiores Typorum eorumdem nostrorum ope Publici Juris rursùm efficeremus. Quod quidem Propositum nostrum non sola, quæ plurima est in Autore, Commendatio Nominis excitavit; verùm etiam animos addidit tùm ipsius INSTITUTIONUM CANONICARUM excellentia, tùm ipsa, quam profitemur, assidua de Viris Studiosis optimè merendi propensio. Neque enim futura res est, ut speramus, ingrata, quin immò omninò perutilis ac summoperè necessaria, ut quæ de JURE PONTIFICIO CAPONUS noster adeò feliciter elucubravit, lucem iterùm aspiciant, & eorum inserviant utilitati, quibus Studium Juris ejusdem familiare est. Atque ita futurum eò magis autumamus, quòd propter Priores eorumdem Operum Editiones ferè penitùs exhaustas, ipsa ad eam penuriam redacta sint, quæ vix ac ne vix quidem sinat, ut jam valeant hodiè reperiri.

Quamobrem in istam Novam CANONICARUM INSTITUTIONUM Editionem, quantùm pro virili parte licuit, incubuimus, & easdem in *Quatuor Libros* partitas in DUOS TOMOS distribuimus, adhibitâ, ut par erat, eâ diligentiâ, quæ & Autoris promerito, & ipsius Operis præstantiæ responderet. Prodit igitur hæc nostra recens Editio nitore tam Carthæ, quàm Litterarum omninò decorata, & ab omnibus aut saltem notabilioribus, quibus Eximium istud Opus fuerat anteà conspurcatum

purcatum, nævis expurgata penitùs atque defecata; adeò ut nullus ſit profectò quiſquam futurus, qui fidem in eâ re noſtram arguere meritò poſſit, atque ire inficias, quin totius Operis ſumma ſit omnibus, quales in ipſius primâ fronte promittimus, dotibus inſtructa. Jam ſupereſt, ut Labores qualeſcumque noſtros offerendo, Tibi, BENEVOLE LECTOR, uſum eorumdem ad annos multos adprecemur. *Vale.*

APPROBATIONES

TAM COMMISSARII S. OFFICII VENETIARUM, QUAM REVISORIS.

Die 8. Septembris 1731. *Visto e approvato* quoad Catholicam Religionem.

F. PIUS THOMAS MANUELLI,
Commiſſarius Sancti Officii Venetiarum.

In quanto ai Principi, e buoni coſtumi.

F. CARLO LODOLI, *Reviſore.*



INDEX

INDEX TITULORUM,


Qui in DUOBUS LIBRIS Prioribus hujuſce TOMI PRIMI continentur:

LIBER PRIMUS.

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS.

INSTI-



INSTITUTIONUM CANONICARUM

AUCTORE

JULIO CAPONE,

JURISCONSULTO NEAPOLITANO.

LIBER PRIMUS.

PRÆFATIO.



URIS CANONICI INSTITUTIONES repetiturus, cùm turpe sit de al qua re tractationem sumere, suis non repetitis natalibus, ut *l.* 1. *&* 2. *ff. orig. jur.* breviter exponere oportet plura: quod quidem jus nostrum Pontificium, sive Canonicum suam originem habuit à S. Petro, cæterisque Apostolis, ut observat *Abb. cap. firmiter de summ. Trin. & fid. Cathol.* quod quidem in anno Christi 44. constitui cœpit; constituerunt enim Apostoli plures Canones, prout in tota *dist.* 16. ex quibus Apostolis fuerunt conditi solum 30. secundùm *Card. Baron. tom.* 2. *ann. Christi* 102. *num.* 16. Dicunt alii 70. Canones fuisse per Apostolos constitutos, prout colligitur ex quâdam *epist. Pontificis Zefer.* de quo *Card. Bellarm. lib.* 3. *cap.* 2. Quapropter omnes alii Canones sunt Apochryphi, sive non Apostolorum. Dicuntur autem Apochryphi, non ut malè putat *Gloss. in can.* 4. *dist.* 16. scilicet sine certo Authore, quam *Gloss.* sequitur *Covarr. lib.* 4. *var. cap.* 17. sed dicuntur Apochryphi, quia non est certum, utrum sint Canonici, quamvis satis constet, nullos in illis inveniri errores, quia si Apochryphi dicerentur, quia sunt sine certo Authore, tunc sequeretur, quòd liber Judicum, sive Judith, Job, Machabeorum-ve, cæterique similes, quorum authores ignorantur, dicerentur Apochryphi, quod falsum est, *tex. Baron. ubi sup.* licèt igitur cæteri Canones usque in numerum 60. sint authentici, sive Pontificiam auctoritatem habeant, *cap.* 3. *cap. placuit* 16. *dist.* non tamen sunt sacri, sive Divinæ Scripturæ pars, ut patet ex *Trident. decr. de Canon. scriptoribus* ubi omnes numerans, de istis Canonibus nullam mentionem facit, prout dicunt D D., cùm *Bellar. lib.* 2. sunt igitur Apochryphi propter illam causam, quia certum non est, utrum sint libri sacri, sive Canonici, sicut *liber* 3. *cum* 4. *Propheta Æsdr.* 3. *cum* 4. *Machab.* cæterique alii, ut ex *Bellar. sup.*

Post Canones Apostolorum fuerunt facti quidam alii Canones, tùm à S. Lino, tùm à Clemente, tùm à Cleto, cæterisque Pontificibus, dè quibus D D. supra.

Postea verò *Gratianus Monachus S. Fælicis Bononiensis Religionis S. Benedicti*, compilavit Decretum, quod collegit ex diversis Sanctorum Patrum dictis (fuit enim vir Religiosissimus, prout in ejus vita habetur, in volumine Decreti inserta) qui etiam fuit circà Sanctorum Patrum dicta, referenda diligentissimus *Covarr. par.* 2. *cap.* 6. §. 11. *de sponsal.* de quo *Gratiano* plura tribuit *Baron. tom.* 12. *annal. ann.* 1122. scilicet, quòd Decretum compilavit ex pluribus Sanctorum Patrum dictis, sive consiliis sparsim existentibus tempore Eugen. Tertii, anno 1150. prout dicunt D D. citati, quod quidem fecit *Bononiens. in Monast. S. Fælicis*, ut notat *Glos. cap. post appellationem* 2. *q.* 6. quod notant etiam D D. cum *Marant. par.* 3. *num.* 39.

De authoritate verò Decreti sunt locuti diversimodè D D. putant plures, quòd Decretum non sit authenticum, cùm non habuerit *Gratian.* potestatem condendi legem, consequitur quòd sua dicta interdum improbantur, prout dicta cujuscumque Doctoris; sic dicunt *Anton. de Butr. proëm. Dec.* 3. *num.* 3. *cum Bellarm. de Rom. Pontif. lib.* 2. *cap. ult. cum Menol. disp* 4. *de legib. cap.* 4. *dub.* 11. sic plusquam 40. errores contineri in Decreto tradit *Fral. c.* 2. *de rescrip. num.* 43. quos notat *Capol. de cognit. lib. civil. num.* 18. Putant tamen alii, quòd volumen Decreti fuit approbatum, sic dicit *Abb. in d. cap.* 2. quia cùm tale volumen sit per multos annos publicè in Universitatibus per D D. declaratum, consequenter per extrinsecam autoritatem censetur appprobatum: immò dicunt plures cum *Molf. in sum. tom.* 1. *tract.* 9. *cap.* 5. *num.* 13. quòd fuerit approbatum per *Eugen.* 3. sive ut alii volunt fuit approbatum per *Gelas. Pont.* ut dicit *glos. in cap. noli* 16. *dist.*

Putant tamen Theologi. quòd tale Decretum nullam habet approbationem; ita *Sanch.* cæterique; videtur cum *Diana tom.* 5. *tract.* 14. *resol.* 68. quia non benè loquuntur cum plures Summi Pontifices jusserint, quòd Decretum legatur, sic præceptum fuit per plures, quòd corrigeretur, prout Greg. XIII. fecit, qui collatione facta cum originali suo sic postea correptum jussit imprimi; consequenter in præsenti dicendum est, quòd propter continuatam approbationem saltem tacitam per extrinsecam autoritatem potest dici lex.

Putant alii tamen, quòd in Decreto sunt quatuor autoritatum species, circà quas possunt omnes reduci, ad quas posuit *Sebast. Medic. par.* 3. *de leg. q.* 3. *num.* 13. Prima autoritas est Sanctorum Patrum, quorum verba licèt in se vim Canonum non habeant pro decisionibus causarum, consuetudine tamen Ecclesiæ existente, sic accipientis, sive publicè volumen Decreti præcipientis declarari, dicitur, quòd habent vim legis, dummodò tamen contrarium non appareat, sic videmus Concilia generalia, sive summorum Pontificum Decreta per *Gratianum* relata servanda esse, quia sunt condita per illos, qui potestatem habent condendi Canones, consequenter in Decreto posita, sunt authentica documenta.

Secunda authoritas est ipsius *Gratiani* compilatoris, qui cum à nullo Pontifice approbatus inveniatur pro sua autoritate, consequenter non est authentica. Tertia authoritas est cujusdam Paleæ, de quo sunt diversæ opiniones, putant quidam, quòd illa Capitula, in quibus continentur res parvæ utilitatis, sint dicta Paleæ, sed alii dicunt, quòd quidam Prothopaleon, quem *Jas. in rubr. Inst. de act.* Cardinalem dicit fuisse, qui lectioni *Gratiani* multa capita adjunxit, quæ quidem capitula cum *Gratian.* vidisset, agnovit quòd illa capitula sua non essent, sed Paleæ, quem Cardinalem Prothopaleon fuisse dicunt discipulum *Gratiani.* Quarta authoritas est Jureconsultorum, sive Imperatorum sæcularium, qu a sunt multæ leges civiles in volumine Decreti insertæ, quæ tamen vim juris Canonici non habent, ut dicit *Sanch. in summ. tom.* 1. *disp.* 4. *& lib.* 7. *de matr. disp.* 12. sunt tamen sæculares illæ leges solum in foro sæculari servandæ, quòd si sint clericis favorabiles, tunc non ligant ipsos propter potestatis defectum, prout in *cap. Ecclesia S. Mariæ de Const.* ubi *Abb. num.* 15. quod si illæ leges sint confirmatæ per Pontifices, tunc ut jura canonica ligant Clericos, sic dicit *Glos. cap.* 1. *dist.* 18. *cum Suar. lib.* 3. *cap.* 24. *cum Baronio tom.* 3. *ann. Christi* 165.

Dividitur Decretum in tres partes, quarum una continet 101. distinctiones, secunda continet quæstiones, & causas, ultima continet duos tractatus, quorum prim us est de pœnitentia, secundus est de consecratione, qui continet quinque distinctiones, ubi not at, quòd tertia pars Decreti duos tantum tractatus continet, solet autem prima pars sic citari, *cap. denique* 4. *dist.* Secunda pars solet citari hoc modo, *cap. nemo* 11. *q.* 3. Tertia pars solet citari hoc modo, *cap. quem pœnitet de pœnit.* 1. *dist. cap. Sacrificium de consecr. dist.* 2.

Post Decretum sequitur volumen Decretale, dicitur autem Decretalis, vel ab Epistola facta à Papa cum consensu Cardinalium pro consultatione alterius, quod quidem volumen fuit compilatum per Greg. IX. qui in locum Petri successit in anno Christi 1227. post Honorium Tertium, quod Decretum fuit compositum per F. Raimundum; qui erat Monachus Ord Prædicatorum Capellanus Greg. IX. simulque Magist Generalis suæ Religionis, qui per Clement.

Octa-

Octavum fuit collocatus in numerum Sanctorum in anno Christi 161. ut notat *Quaranta summ. Bull. verb. canonizatio S. Raimundi, &c.* Quod Decretale dividitur in quinque libros, qui allegantur tùm per titulos, tùm per capita tali pacto, *cap. praeterea de cleric. non resid.* ubi primo invenies titulum, postea capita, cum autem dicitur extra, tunc recurrendum est extra Decretale, quia illa dictio significat, quòd extra Decretalia sunt Epistolæ quædam, scilicet, quæ non sunt in Decreto.

Post Decretale sequitur tertium volumen Juris Canonici 5. liber 6. quia post compilationem factam à Greg. IX. fuerunt factæ constitutiones diversæ Summorum Pontificum pro tempore Gregor. IX. usque ad Bonifacium Octavum, cùm igitur constitutiones prædictæ fuerunt extra volumina vagantes, consequenter Bonif. VIII. jussit, quòd in unum colligerentur, quod volumen dicitur sextus liber Decretalium, quod quidem Bonif. fecit per Gulielmum, cæterosque Patres, prout restatur *Plat. in vit. Bonif.* 8. citatur verò liber iste per titulos, sive capita, sicut citatur liber Decretal. sed additur particula in 6. id est in lib. 6. prout si dicatur *cap.* 1. *de homic. in* 6.

Post Decretale, & sextum, fuit factus quartus liber Juris Canonici, scilicet Clementinarum, in quo libro continentur constitutiones factæ per Clementem, ubi nota, quòd allegantur, tùm per titulos, tùm per capita, prædicta *Clement. dudum de sepult.* quas Clementinas cum morte prævenrus esset Clemenr. præd. tunc in unum posuit Joannes XXII. qui successit Clementi.

Post Clementinas sequitur quintus liber Juris Canonici, continens extravagantes, quarum quædam sunt communes, sed quædam aliæ sunt extravagantes Joannis 22. quæ sunt numero 29. communes sic allegantur prædicta in *extravag. ambitiosæ de reb. Eccles. non alien.* Sed extravagantes Joannis 22. sic citantur in extravag. 22. incipiente *Cum Sacrosanct. sub tit. de praebend.*

Quibus omnibus libris fuerunt postea adjunctæ institutiones, quas sumus explicaturi sub divinis auspiciis, quæ institutiones fuerunt factæ per Paulum Lancellotum Jureconsultum Perusinum jussu Pauli Quarti, qui hoc fecit propter difficilima tempora negotiandi cum Pontifice, in quibus institutionibus fuit causa finalis studiosorum utilitas, fuit causa formalis rota distributio operis, fuit causa materialis illi libri Canonici, ex quibus compositæ fuerunt, quòd totum Corpus in quatuor dividitur libros. In primo agitur de personis Ecclesiasticis, suarumque officiis, sive Beneficiis, qui quidem liber titulos continet triginta cum §§. 256. In secundo libro tractatur de rebus Ecclesiasticis tùm Spiritualibus, tùm temporalibus tùm Spiritualitati adnexis, prædicta, Juspatronatus, qui liber titulos continet 28. §§. 307. In tertio libro agitur de Judiciis Civilibus, qui continet titulos 18. sed §§. 102 In quarto libro agitur de Judiciis criminalibus, sive censuris Ecclesiasticis, titulos continet 15. sed §§. 254. Salvo tamen omni meliori calculo.

TITULUS PRIMUS.

De Jure Canonico.

CUM certissimum sit in jure nostro illud Logicorum axioma, scilicet qoòd ad cognitionem speciei præcedere debeat cognitio omnis, ut in *§. fin. de Sacramen.* infra consequenter cum *Lancellott.* suisset gesturus de speciebus Juris Canonici primo locu titulum ponit. de Jure Canonico in genere, quod de pluribus suis speciebus prædicatur, & sic rubrica nostra, cum sequentibus continuatur, pro cujus intelligentia.

Primo sciendum cum *Abb. in cap.* 1. *de summ. Trinit. & fid. Cath.* quòd in universo considerari possint tres ætates. Prima quarum fuit ante legem, quæ duravit usque ad tempos Moysis. Secunda ætas fuit post legem, scil. incæpit à Moyse usque ad Adventum Christi. Ultima ætas fuit sub lege, scilicet à Christo Domino duratura usque ad finem. In primo tempore fuit jus naturale primarium, sicut etiam jus gentium. In secundo tempore fuit jus Mosayeum, *cap. Moyses* 7. *dist.* In ultimo tempore fuit etiam tria jura. primum Evangelii, quod proprio ore Christi Domini fuit conditum, secundum dicitor Apostolicum, tertium Jus Canonicum, quod etiam Summi Pontifices condiderunt, sicut in præsenti condit Sanctiss. Dominus noster Innocentius X. conficiendo novas Bullas, dicuntur autem Bullæ a Bullis plumbea illis apposita, quia Bullæ tunc dicuntur expeditæ cum sunt signatæ, sicut etiam dantur brevia, quia talia dicuntur propter ipsam formam scribendi, cùm in forma brevi scribi soleant, ut dicit *Duar in Bulla Cœna lib.* 1. *cap.* 2. *q.* 4.

Secundo sciendum est, quòd Jus Canonicum dici etiam solet Jus Divinum, *cap* 1. *cum glos.* 23. *q.* 5. quia Lex divina in hoc jure continetur. Secundo appellatur jus Ecclesiasticum cum contineat materiam circa personas Ecclesiasticas; sic tertio loco dici solet jus Pontificium, cum à Pontificibus sit constitutum, ut dicunt DD. cum *Card. Tusco in lit. T. conclus.* 553.

Tertio sciendum est, quod Jus Canonicum dicitur tanquam à Canone verbo Græco, quod Latinè significat jus quoddam regulare, ut in *cap. Canon cum cap. sequenti dist.* 3. sic dicunt DD. cum *Rodriq. tom.* 1. *q.* 66. *art.* 2.

Quarto sic est, quòd Jus Canonicum definitur, ut sit id, quod civium actiones dirigit, in finem æternæ beatitudinis.

Dices, quia hæc definitio competit alteri, consequenter non est bona. Consequentia patet per *tex. in l.* 1. *§. dolum, ff. de dolo*; probatur anteced. quia competit Sacræ Theologiæ, cujus finis est, ut hominem dirigat circa supernaturalia, sive pro consequenda beatitudine.

Respondeo, quòd licèt conveniat Theologiæ; nihilominus in se non est mala, cum lex Cannonica sit praxis Sac. Theologiæ, sicut est Theologis maximè necessaria, ut dicit *S. Antoninus par.* 3. *in summa cap.* 2. quia sicut Sac. Theologiæ Doctor Canonistæ præfertur, sic Canonista Civilistæ præfertur, ut dicunt DD. cùm *Rebuff. in tract. de novationibus q.* 2.

Secundo loco definitur jus canonicum, ut sit quædam regula dirigens, & constringens civium christianorum actiones, ut consequantur justitiam, tùm in foro externo, tùm interno.

Dicitur quædam regula loco generis cùm in hoc conveniat cum sac. Theologia, ubi nota quòd est regula desumpta à SS. PP. sive Pontificum decretis, sive Conciliis.

Dicitur civium christianorum, quia homo considerari potest quatuor modis. Primo, quidem in genere, ut animal. Secundo in specie ut homo. Tertio, ut subditus Romano Imperio. Quarto, ut subditus Ecclesiæ Romanæ; si primo modo consideretur, tunc utitur jure naturali, si secundo modo, tunc utitur jure gen. si tertio modo, tunc utitur jure civili Roma. si quarto modo tunc utitur jure canoni. quod si quinto loco consideretur, ut Neapolitanus, & utitur jure municipali.

Dicitur etiam civium christianorum actiones, ut excludantur Judæi, sive infideles, qui non ligantur legibus canonicis, cùm de his, quòd foris sunt nihil ad nos, *cap multi 2. q.1.* Quando verò sumus in legibus civilibus, tunc Judæi ligantur ab illis communiter DD. cum *Ricciull. lib. 2. cap.* 14

Dicitur dirigens, sive constringens in utroque foro, in quo à jure civili differt, qui non constringere solet in foro animæ, sed in foro externo DD. communiter *in cap. 1. de consu.* Intellige regulariter. in quo à sac. Theologia differt, cùm sacra Theologia non possit dici constitui per modum legis. sive ligare populum, quod in jure canonico secus est cum mediante jurisdictione pontificia constituantur canones. qui cogant subditos, tùm in foro externo, tùm interno, & que licèt Theologicæ res cum sacris canonibus sint conformes in hoc, scilicet quòd omnes sint dirigentes cùm tamen sacri canones cogant, consequenter in hoc constituitur differentia inter Theologicas res cum canonicis sanctionibus.

Explicantur Corollaria definitionis.

COlligitur primo ex supra traditis, quòd lex humana constitui, sive fieri potest, si Ecclesiastica sit, tùm ab Apostolo, sicut fuit facta, ut patet *Jo.* 20. *Sicut misit me pater, sic mitto vos.* quam facultatem habuerunt Apostoli immediatè à Christo cum differentia tamen à Petro, quia cæteri Apostoli jure suo delegationis constituendi legem potestatem habuerunt, cùm tamen Petrus suo ordinario jure, sicut patet per illa verba *Pasce oves meas*, sic dicitur *Joan.* 20. consequenter nota, quòd poterat Petrus cum legibus suis cæteros ligare Apostolos, quod illi non poterant cum Petro, quod patet cùm fuissent pares, tùm in Apostolatu, tùm in facultate Imperii, sic poterat Petrus cæteris Apostolis leges cum suo Imperio auferre, ut dicunt Theologi cùm communi teste, *Suarez cap.* 3. *de legib.* immò nec S. Paulus constituendi legem facultatem habuit cùm jure ordinario non haberit tantùm tanquam inferior Petro, ut dicunt novissimè *Diana tractatu de primatu S. Petri sup. S. Paulum, P. de Beli. eod. tract. cap.* 5.

Diximus, quòd omnes Apostoli facultatem habuerunt constituendi leges Ecclesiasticas, cùm non excludatur S. Matthias, quòd licèt non fuisset Apostolus, tunc temporis cùm Christus dixit illa verba, nihilominus facultatem accepit cum modo invisibili, scilicet cum in Apostolia fuit electus, ut dicit opinio Theologorum, teste *Suarez tom.* 1. 3. *par. sect.* 2. putat tamen *S. Thom.* quòd licèt tunc fuerit absens cum Christus dixit talia verba nihilominus potuit Christus cum sua potentia illam authoritatem conferre in absentem, ut dicunt cum *Baron. tom.* 1. *anno Christi* 34. *num.* 29. sive cum Apostolis postea loquutus fuit, scilicet post dies octo, quòd tunc tribuerit potestatem condendi legem, sive per verba similia, sive signo aliquo invisibili; sicut diximus in Matthia.

Summus Pontifex in toto Orbe christiano potest condere legem, sic dicunt Theologi cum *Bonac. disp.* 1. *quis* 1 *num.* 3. qui *num.* 39. dicit Pontificem non posse istam facultatem delegare alteri cùm sit connexa pontificatui. Sicut non potest Summus Pontifex constituere leges civiles pro toto Orbe christiano, immò solùm pro terris sibi immediatè subjectis, ut Theologi cum *P. Baldello lib.* 5. *disp.* 11. sic potest constituere leges pontificias pro tota sua Provincia Pontificis Delegatus, sic Episcopus in sua Diæcesi, *ut in cap. finit. de offic. deleg. DD. cum Bonac. ubi supra*, colligitur. *ex tex. in cap.* 1. *de consecr. dist.* 3. *cum cap.* 2. *de constitut.* ubi tamen nota, quòd istam facultatem habent Episcopi, sive immediatè à Christo, ut patet *Vasq. in summ.* 3. *par. ubi supra*, sive immediatè à Summo Pontifice, ut dicunt multi alii cum *Bellar. lib.* 4. *de Summ. Pontif. cap.* 24. ubi tamen nota, quòd non possunt facere leges indifferenter cùm habeant limitatam facultatem, ut in *cap.* 1. *citat.* sic non possunt statuere aliquid contra jus commune, *cap.* 2. *de locat.* sic in gravioribus causis constituere nihil possunt, Dicuntur autem graviores causæ, si scilicet concernunt statum universalem Ecclesiæ, sicut in *cap.* 2. *cit.* sic dicunt Theologi cum *Meroll. disp.* 4. *in cap.* 4 *dub.* 3.

Possunt etiam leges Ecclesiasticas condere Cardinales in Ecclesiis suorum titulorum, 2. idem *Meroll.* dicit, *ubi sup. nu.* 4. cum communi omnium sententia, teste *Sang. lib.* 3. *disp.* 28. quod idem dicas in Abbate regulari, sive in exempto, si scilicet jura Episcopalia possideat. Concilium generale sine Papæ præsentia constituere non potest leges, si non fuerint confirmatæ per Papam, ut dicunt DD. teste *Suar. lib.* 4. *cap.* 6. sic possunt Monachi constituere leges si non sint contrariæ omnibus dispositionibus sacrorum canonum, cum capitulo generali tamen, possunt generales constituere leges obligantes suos subditos circà arctiorem vitam, sic dicunt DD. ubi sup. ubi nota, quòd non potest Summus Pontifex cogere monachos, ut observent regulam arctiorem, quam priùs, quod procedit sine Pontificia confirmatione, ubi nota quòd si illa regula sit in parte destructa, sive in collapsum perfecta, tunc per majorem partem capituli in pristinum statum potest collocari, scilicet cogendo subditos, ut observent, sic restrictam, ut dicunt DD. citati.

Secundo notandum est, quòd Abbatissæ, sive Priorissæ potestatem non habent spiritualem cum monialibus suis, scilicet condendi leges cùm tantum habent potestatem domesticam, sicut habet Magister familias cum filiabus suis, ideòque non potest spiritualia precepta facere, licèt possint fœminæ potestatem laicalem habere, ut in *cap. dilecta de excess. prælator.* licèt in largo modo interdum dicatur, quòd Abbatissa imposuit pœnam in monialibus cujusdam suspensionis. ut in *cap. dilecta cit.* scilicet in quantum prohibitionem fecerat, ut aliquod non faceret monialis, DD. cum *Suar. de censur. disp.* 2. *sect.* 3. sic Prælatus monialium non potest permittere Abbatissæ, ut talia præcepta spiritualia imponat, quòd tamen posset Summus Pontifex facere DD. ubi supra.

Capitulum Ecclesiæ Cathedralis statuta condere potest cùm vacat sedes Episcopalis, ubi nota quòd ista statuta sunt duratura quousque ab Episcopo successore fuerint sublata, DD. cum *Bonac. disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 3. *num.* 29. sic, possunt in administratione tùm spiritualium, tùm temporalium constituere aliquam personam, *cap. unico de sed. vacant. in* 6. sic potest capitulum tùm statuta, tùm leges per prædecessorem facta cum suo imperio auferre, quod sanè non potest Collegium Cardinalium in legibus factis per Summum Pontificem necesso-

cessorem, quia jurisdictio prælati cùm ille moritur tunc in capitulum sede vacante transit, quod secus est in jurisdictione Papæ, cum ad Collegium Cardinalium Pontifice mortuo non transeat; sic dicunt DD. ubi sup.

Notandum etiam est, quòd declarationes Sacræ Congregationis non habent vim legis, ut dicit *Bonac. ubi sup. pun. 8. cap. 4. Garz. de benef. par. 1. cap. 5. num. 138.* probatur quia, ut lex suos subditos obliget inter alia, quæ requiruntur est, scilicet, quòd promulgetur; igitur cùm declarationes Sac. Congregationis non solùm non promulgentur; immò expressè prohibeantur per consequens dicendum est, quòd non sunt leges, sunt tamen maximi ponderis, cùm sine ratione ab illis non possumus ullo modo recedere, sic dicunt DD. cum *Diana par. 1. tract. 10. resol. 29.* si tamen dicere volueris cum *Meroll. ubi sup.* quòd scilicet tunc declaratio sit lex, cum sit consulto Pontifice; quia si inconsulto Papa tunc nullo modo est talis, tunc dico, quòd benè dicis; Cognoscitur autem fuisse factam declarationem consulto Papa per tenorem ipsius cum soleant apponi illa verba, scilicet, quam Congregationis sententiam Sanctissimus Dominus noster approbavit.

Quòd si petas utrum liceat explicare, sive interpretari Concilium Tridentinum. Respondetur affirmativè intelligendo tamen de interpretatione facta, non quidem authoritativè, sed doctrinaliter quia *Pius V. in Bulla incip. Benedictus Deus*, quam ducit *Suar. lib. 3. de censur. cap. 25. num. 21.* prohibuit sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ, tùm prælatis, tùm cæteris inferioribus; immò sub pæna excommunicationis, qui sive commentarios, sive glossas, sive adnotationes fecerint in Trid. Pontifice inconsulto, quæ quidem Bulla intelligitur si commentarios fecerint ex professo, sive per se, sive per alios, quod si quis tantummodo doctrinas adduxerit, sive incidenter explicaverit Concilii Trident. locos tunc non incurrit in pœnas prædictas, sic Sixtus Quartus in Bulla incip. *Immensa Æterni Dei Congregationem Cardinalium* instituit pro interpretatione Concilii, scilicet, ut dubia contingentia in concilio interpretaretur, illa autem dubia tangentia fidem catholicam sibi Pontifex in tali Bulla reservavit; intellige tamen, ut dicebamus scilicet si ex professo commentaria, sive Glos. Trid. fecerint.

Secundum Corollarium definitionis.

COlligitur secundo, quòd Imperator, qui legitimè fuit electus in aliquo Regno constituere potest, tùm in illo Regno, tùm in cæteris provinciis sibi subjectis civilia jura, non autem in toto Orbe, *l. 2. C. de jur. enucl.* Quod secus est si non fuerit sic constitutus, *l. 1. de const. princ. l. 2. §. novissimè de orig. Jur.* sic dicunt Theologi cum *Bellar. lib. 7. de leg. cap. 3.* qui asserunt, quòd Imperator nusquam habuit facultatem condendi leges in toto Orbe. Quod si dicas fuisse factum Edictum, scilicet, ut describeretur universus Orbis tempore Christi, tunc dico, quòd ibi accipitur pars pro toto, cum usitata sit phrasis in scriptura, scilicet ut pars pro toto sumatur, sic *Matth. cap. 2.* dicitur: *Commota est universa Civitas*, cum tamen non fuerit tota Civitas commota, sic cùm dicitur in Sacra Scriptura, quòd tota Jerosolyma fuit commota, sic intelligitur. Potest quilibet Princeps, sive Rex in suo Regno constituere leges, *Bart. in l. unic. C. de legib.* quod idem dicas in Baronibus circà Territoria. *Card. Tusc. tom. 1. lit. T. conclus.* 28. sic dicit *Tap. dec. 7.* sicut Episcopi in suis Territoriis possunt facere statuta, quæ quidem statuta firma remanent, quousque non tollerentur per Episcopos Successores. ità *Meroll. de legib. cap. 3. disp. 4. dub. 4. num. 31.* sic in Reginà dicimus, quæ est Domina Regni, quia potest facere leges, cùm sit capax jurisdictionis; quippè quæ dignitatem regiam habet, *cap. ex parte de privil. cap. dilecti de arb.* sic dicunt DD. *cum Laym. lib. 4. tract. 4. cap. 8.* quia licèt fæminæ sint incapaces dignitatis, sicque judicare non possint, *l. fæmina de reg. juris*; tamen hoc intelligitur quando ordinariæ sunt fæminæ, sic dicunt Theologi cum *Salas disp. 7. de leg. sect. 11. num. 64.* immo etiamsi Regina nubat, potest facere leges, cum administrationem teneat Imperii, sic dicit *Bald. cap. significavit de rescrip. Tiraquell. de nobil. cap. 18.* licèt enim maritus sit caput, cui uxor tenetur obedire, ut dicit *S. Paulus 2. Corinth. 11.* tamen hoc intelligitur circà usum mariti, sed non quoad administrationem Regni.

Tertium Corollarium.

COlligitur tertio, quòd ad valorem legis requiritur, ut formetur ad bonum commune; quia lex est ordinatio rationis ad bonum commune promulgata ab eo, qui potestatem habet communitatis, sive ab eo, qui potestatem habet obligandi communiter *DD.* cum *S. Thom. 1. 2. q. 1. art. 4.*

Dicitur verò ordinatio rationis, quia ut docent Thomistæ, consistit lex in actu intellectûs, cùm sit quædam regula. Scotistæ tamen dicunt, quòd sit quidam actus voluntatis; putant verò alii recentiores, consistere tàm in Actu intellectûs, quàm voluntatis, quia per utrumque legislator disponit, sive ordinat hominem in bonum Reipub. qua de re *Suar. lib. 1. de legib. cap. 1 Meroll. disp. 4. cap. 1. dub. 1. num. 15.*

Debet etiam lex promulgari, quia ut leges instituantur promulgatio requiritur, *cap. in istis 4 dist.* Quæ promulgatio requiritur etiam in privilegiis, cùm debeant intimari Judicibus, ut observari faciant, secundum *tex. l. pen. C. de decurionib. lib. 10.*

Quòd si dicas obstare *tex in cap. 1. de postulat. prælator.* ubi dicitur, quòd ad essentiam legis sufficit, ut solemniter fiat, sivè publicè promulgetur, igitur cum utatur disjunctiva, per consequens non requiritur publicatio, quia respondeo, quòd in multis juribus illa particula disjunctiva stat copulativè sive ut alii dicunt particula ibi posita, cum sit inter sinonima, per consequens sumitur pro particula copulativa, sicuti fieri solet in sacris canonibus, teste *Duard. Bull. Cœn. lib. 1. cap. 4. q. 8.* Ubi nota, quòd hæc promulgatio facienda est si lex sit Imperialis in singulis provinciis, quòd sit per Episcopum fiat, sive per alium Principem inferiorem, tunc debet publicatio fieri in populo, simulque in curia Principis, sive in curia Episcopi, quòd si lex sit pontificia, tunc facienda est in curia Romana, undè mortaliter peccant subditi sedis Apostolicæ, si non observant legem promulgatam in curia Romana, si notitiam habeant legis; putant tamen alii, quòd promulgatio sit facienda in unaquaque Diœcesi, ut dicunt plures cum *Dian. 1. par. tract. 10. resol. 8.*

Requiritur etiam in lege certum tempus, sive termini præfixi per legislatorem, quia legislator præscripsit tempus duorum mensium in lege, ità ut durante tali tempore, non obligentur subditi; sicque nota, quòd tempus duorum mensium in legibus pontificiis constituitur, ut obligent. Putant tamen alii oppositum circa pontificias Bullas, quia authenticorum titulus incipiens, ut factæ novæ constitutiones, qui præscribit tempus duorum mensium; intelligitur tantùm in lege laicali, cum ad Ecclesiast. nullo modo recipiantur *DD. cum Dian. ubi sub resol. 9.*

Consensus populi, sive acceptatio illius in lege non requiritur, cùm non esset populum obligari à lege, sed à sua voluntate, sive consensu Theol. cum

Basil. Pont. lib. 5. cap. 7. contra plures DD. quos sequitur *Diana resol.* 1. semper tamen præsumitur, quod ipsa lex sit usu acceptata, quia præsumptio stat pro lege, ubi nota, quòd cessat lex si non usu contrarium fiat, puta si fierent actus contrarii in numero arbitrio boni viri, sic nota quòd non requiritur tempus decem annorum pro obligatione legis, ut dicunt Theologi cum *Diana resol.* 7. quòd si patiente sive Principe sciente fiant duo actus contra legem, tunc ipsa lex censetur abrogata, quod patet, quia ut inducatur consuetudo sufficerent duo actus, ut dicunt DD. in *§. Pavonum de rerum divisione.*

Quartum Corollarium.

Colligitur quarto Principes condentes leges illas teneri servare circà jurisdictionem directivam, ut conforment se cum suis subditis, igitur tenentur Principes sua vi directiva illas servare leges, quibus soliti videntur: ubi nota, quòd ista vis directiva Principem obligat ad peccatum mortale, juxtà unam opinionem DD. cujus contrariam tenent alii cum *Filiuccio tract. 21. cap. ult. num. 446. cum Barbosa in cap. 1. de const tit.* quod si sumus in Monachis, tune non isti tenentur servare leges synodales factas per Episcopos, nisi tamen scandalum sequatur, quod intellige si sumus in legibus, quas faciunt Episcopi circa materiam festorum, sive similium, cum citra istas causas non tenentur Monachi Episcoporum statuta servare; sic dicunt *DD. cum Andrea Portellio in verb. dies festi*; sic in conscientia Monachi non tenentur servare jejunia constituta per Episcopos; si tamen non adsit scandalum. Sunt tamen plures casus, in quibus Monachi subjiciuntur Episcopis, quos ponit *Barb. in alleg.* 103.

Notandum tamen est, quòd Clerici (præciso scandalo) servare non tenentur constitutiones sæculares, sed solùm indirectè ratione scandali vitandi: itaque non peccat clericus si non observat statuta sæcularia, sic communiter cum *Diana par. 1. tract. 10. resol. 12.* quia habent potestatem, sive jurisdictionem in eas tenentur tamen clerici directè vendere, vel pretio taxato à principe sæculari. quia jure naturæ tenetur unusquisque sua bona vendere cum pretio justo, igitur quia justum pretium dicitur, quod à Principe taxatum est, consequenter tali pretio tenentur vendere; immò contrarium facientes peccant mortaliter cum obligatione restituendi; sed non possunt puniri cum pœnis impositis per Principes sæculares, sic dicit *Francus dec. 9. cum Carolo de Graffis in effectu 1. num. 103.*

Tenentur etiam observare leges invincibiliter ignorantes sive illi, qui dormientes sunt tempore publicationis sive absentes, cum per accidens sit, quòd non intellexerint, igitur per se tenentur illas servare. ideòque non peccant mortaliter amentes si in amentiæ tempore comedant carnes, sicuti non peccant; neque porrigentes illis, quia melancholicus humor ex cibis quadragesimalibus crescit, consequenter amentia, qui verò tempore jejunii porrigent carnes illis, qui ebrii sunt, peccant mortaliter, quia licèt ebrii non peccent cùm propter illud defectum, utpote non advertentes sint excusati, quia tamen habent obligationem, ut pontificias leges servent. consequenter sunt obligati per se; ideòque qui præbent carnes, peccant mortaliter, ut dicunt *DD. cum Sanchez in summa lib. 1. cap. 12. num. 4.*

Pueri ante usum rationis non ligantur legibus Ecclesiasticis. undè poterunt vesci carnibus in diebus prohibitis, & ingredientes in clausuras monialium, sive puellæ, quæ in Monasteria Monachorum non incurrent excommunicationem, ità *Trid. sess. 25. de regular. cap. 2.* sic dicit *Barb. in Trid. ubi sup.* qui quidem usus rationis stante septennio præsumitur.

Cardinales ligantur etiam legibus pontificiis, si speciali privilegio non eximantur, quia sunt subditi, in odiosis verò non comprehenduntur: undè si lex ferat contra Archiepiscopos, cæterosque Episcopos pœnam quandam tunc non comprehendit Cardinales, si non fiat specialis mentio illorum, ità *Bonac. ubi sup.* Peregrini præciso scandalo non tenentur servare leges illorum locorum, ubi reperiuntur si non habeant animum permanendi pro majori parte anni; sic dicit *Sanchez lib. 3. de matrim. disp.* 18. sicuti à fortiori peregrini si per duos sive tres dies sint in aliquo loco non tenentur, quod intellige si tales leges non concernant contractûs solemnitates, quia in illis, quæ tangunt solemnitatem contractûs, tàm peregrini, quàm quilibet alii tenentur servare; quod si quis sit in aliquo loco tanquam Accola, sive vagus, tunc non tenetur servare leges illius loci, ubi reperitur: ità *Diana par. 1. tractat. 10. resol.* 14. Quod si dicas obstare *tex. in cap. illa 12. dist.* ubi *S. Augustinus* scripsit, licens, quòd in quamcumque Ecclesiam venerit, teneatur servare consuetudinem loci ubi stetit. In quo *tex. glossa* notat illud proverbium. *Cùm Roma fueris tunc Romano vivito more, quod si alibi sis, tunc vivito sicut ibi.* Tunc respondeo quòd ille *textus* intelligitur tantùm in illis, qui sunt permansuri ibi pro majori parte anni, sive loquitur *textus* ille solum de consilio, sive ratione scandali, ut dicunt DD. ibi.

Ex quo infertur, quòd si quis discedat ab uno loco ubi servatur festum, sed data opera se transferat in alium locum, ubi non servatur festum, tunc non peccat mortaliter, quia utitur jure suo, in quo casu nullam committitur fraus, sed fuga quædam præcepti, quæ quidem fuga licèt per se non sit bona, tamen non est mala; immò si quis discedat à loco, ubi est dies festus, transferendo se in alium locum, ubi non est dies festus, tunc neque tenetur missam audire in illo loco, in quo discedit, cùm non teneatur audire sacrum, nisi usque in meridiem, consequenter si priùs talem locum deserat sine auditione missæ, tunc non peccat mortaliter, sic dicit *Sanchez ubi supra.*

Quintum Corollarium.

Collige quinto, quòd lex humana Ecclesiastica in conscientia obligat, ut patet *Luca* 10. *Qui vos spernit, me spernit*, sic *Matth.* 18. *Si Ecclesiam non audierit, &c.* quod idem dicas in lege civili cùm ista obliget in conscientia, ut dicitur 1. *Petri cap.* 2. ibi *Subditi estote creaturæ cuicumque*, sic dicitur *Proverb.* 8. Quòd si lex sit pœnalis, tunc non obligat in conscientia, tùm quia in dubio sit interpretatio favorabilior, scilicet, quòd non obliget, cùm quia in dubio cùm quis potest duo dicere, si unum dicat, tunc censetur, quòd alterum non dicat, ut habetur in *l. cùm Prætor de judiciis, cum cap. nonne de præsumpt.* Igitur in casu nostro cùm potuerit Princeps, tàm pœnam corporalem, quàm pœnam æternam subditis imponere, si solam temporalem imposuit, tunc videtur, quòd æternam suo subdito imponere noluerit, ut dicunt communiter *DD. cum Azorio, Filiuccio*, cæterisque communiter teste *Diana par. 1. tract. 10. resol.* 17. qui infert, quòd pragmatica si prohibeat, quòd nullus ducat arma sub pœna supplicii, tunc in conscientia sub peccato mortali nullo modo censetur obligare, cùm hic talis suam habeat pœnam sibi impositam, puta corporalem, quòd si dicas hunc talem se exponere periculo mortis, tunc dic, quòd hoc per accidens est, cum possit uti tanta cautela, sive legem violare cum tanta cautela, ut non incurrat in pœnam.

Ex quo principio infertur, quòd ille, qui frandat gabellas, sive quæcumque pedagia, nullum peccatum mortale

mortale committit, sive sint gabellæ justæ, sive injustæ, quia legislatores imponunt alias pœnas in eorum legibus; sed solum tenentur fraudantes illam pœnam pati, quæ imposita fuit, sic fuisse judicatum Bononiæ, testantur *DD. cum Ludovic. Beia cas.* 13. *par.* 1. *cum Dian. resol.* 19. tùm quia lex humana pœnalis in conscientia non obligat, ut supra probavimus: tùm quia videmus passim fraudari sine ullo scrupulo, tùm quia se exponunt periculo perdendi res, si in fraude inveniantur.

Quòd si dicas: subditos teneri suis Principibus congruum subsidium dare, quod quidem per vectigalia habetur, igitur qui fraudat gabellas contra Principem facit, congruum stipendium fraudando, igitur mortaliter peccat.

Pro resolutione difficultatis dico, quòd licèt jure naturali attento Principi tributum solvere teneamur; in presenti tamen omninò falsum est, quòd talia tributa per gabellas solvere teneamur, sic falsum est, quòd ille, qui fraudat gabellas, cum ista intentione faciat, scilicet ut fraudet, tùm quia sumus in lege pœnali, sic in eorum arbitrium constitutum est, scilicet utrum voluerint stipendia solvere Principi cum gabellarum solutione, sive potiùs cum amissione bonorum suorum, quorum gabellas fraudant sive exponere se periculo cum notabili lucro Principis.

Quòd si dicas secundo, quòd fraudatio gabellarum sit contra illos, qui gabellas titulo emptionis possident, tunc dico, quòd sibi imputare debent, si non invigilent, quia sub tali conditione illas habent, ut si cum uno casu perdiderint, lucrentur in alio ut benè dicunt *DD. cum Emmanuel Sà, verb. Gabella num.* 6. qui ait, quòd fraudantes gabellas non sunt urgendi per Confessarios, ut restituant, ut dicunt cum *Duardo ubi supra*, neque in conscientia obligat lex pœnalis Ecclesiastica puta excommunicationis, suspensionis, sive interdicti quia lex pœnalis est, nisi tamen apponeretur pœna excommunicationis latæ sententiæ, ut dicunt *DD. cum Dian resol.* 21. Quod tamen limitatur in decreto Cardinalium facto contra Religiosos, qui accedunt ad loquendum cum Monialibus, quia licèt ista lex sit pœnalis, imponens privationem officii, sive vocis, tùm activæ, tùm passivæ, tamen cùm dicerent viri doctissimi, quòd tale decretum non obligaret sub mortali, tunc Cardinales dixerunt, quòd obliget ad mortale, ut dicunt *DD. cit.*

Quòd si ista lex pœnalis imponeret ipso facto pœnam, tunc non teneretur quis illam pati, si non fuerit condemnatus, ut dicunt *DD. cum Paul. Laim. tract.* 4. *cap.* 15. quia pœna non debetur ante Judicis sententiam quod procedit etiamsi sit pœna conventionalis, puta apposita in contractu per partium conventionem, sic dicit *Sanch. in summ. lib.* 1. *cap.* 24. sic dicimus in illo, cui fuit imposita pœna privationis, tùm vocis activæ, tùm passivæ, cùm privari non debeant, nisi per sententiam.

Cum autem dubitatur, utrum aliqua lex sit obligatoria sub peccato mortali, sive sub peccato veniali, tunc putant communiter, quòd sit judicandum, ut non obliget ad peccatum mortale, cùm in dubio sit conditio ipsius possidentis suam libertatem favorabilior, ut dicunt *DD. cum Mol. disp.* 674.

Si lex fundata sit in præsumptione, tunc non obligat in conscientia, si in aliquo particulari casu cesset, sic dicunt cum *Valer. in verb. lex. diff.* 12. Unde heres, qui non fecit inventarium nullo modo ultra hæreditarias vires tenetur in foro conscientiæ solvere legata, sive debita defuncti, si scilicet ista sint facta ultra vires, communiter cum *Sanch. in summ. lib.* 4. *c.* 15. *num.* 37. *cum Suar. lib.* 3. *de legib. cap* 23. sic decretum *Trident sess.* 25. *cap.* 19. *de regul.* Quod negat audientiam professis, qui transacto quinquennio reclamante volunt contra professionem dicentes fuisse nullam, cum fundetur in præsumptione, quòd ratificata sit in quinquennio prædicto, si in foro conscientiæ sumatur, tunc non procedit, ut dicit *Sanch. lib.* 7. *de matrim. disp.* 37. *Grat. cap.* 413. sic in simili *Bull. Sixti V. contra Astrologos*, cum sint fundamenta in præsumptione, scilicet, quòd pactum sit factum cum dæmone, sive quocumque simili, si in foro conscientiæ constiterit, quòd nullum est tale pactum, tunc non obligat, ut dicunt *DD. cum Diana par.* 1. *tract.* 10. *resol.* 27.

Sextum Corollarium.

Colligitur sexto, quòd potest quis tum legem, tùm præceptum implere, cum aliqua circumstantia mala, sic dicit *D Thom. in* 2. 2. *qu.* 100. *art.* 9. ubi *Thomistæ cum Paul. Laym cap.* 4. *tractat.* 4. Sic patet, quod si quis intemperate comedit in die jejunii, sive missam audierit in contemptum festi sive si jejunat propter vanam gloriam, tunc peccat, sed satisfacit. Quòd si modus sit in præcepto substantialis, tunc non potest impleri præceptum sine modo, puta si quis dicat officium divinum, cùm teneatur dicere cum debita attentione, si illa non sit, tunc non satisfacit, sic si missam audiat quis dùm dormit, tunc cùm ille modus sit in præcepto substantialis, consequenter non satisfacit.

Potest etiam quis unico actu præcepti satisfacere pluribus præceptis; unde qui vovit jejunium in vigilia alicujus Sancti, eodem jejunio, voto, & præcepto satisfacit, sic qui tenetur recitare divinum officium ratione ordinis, & beneficii, eadem recitatione satisfacit utrique obligationi, ille verò, qui ex duplici titulo justitiæ tenetur alicui duos aureos erogare, unum ratione liberalis promissionis alterum ratione contractûs onerosi, non satisfaceret obligationi, solutione unius tantummodo aurei, sic ille, cui à Confessario est injunctum onus audiendi missam singulis diebus, satisfaceret præcepto Ecclesiæ, & præcepto Confessarii unicam audiendo missam in diebus festis, quia hæc præsumetur intentio Confessarii, sic ille, qui tempore missæ recitat horas canonicas, satisfaceret præcepto missæ, & præcepto divini officii, nam eodem tempore præstat diversos actus præceptos, quorum unus non impedit alium, *Sanchez in summ lib.* 1. *cap.* 14.

Ut lex, seu præceptum adimpleatur requiritur intentio faciendi opus, quod præcipitur, unde ut quis adimpleat pœnitentiam recitandi Rosarium requiritur intentio recitandi Rosarium, & ut quis satisfaciat præcepto audiendi missam in die festo requiritur intentio audiendi missam: ratio est, quia opus, quod præcipitur, debet humano modo fieri, sed non fit humano modo, nisi adsit voluntas, & intentio illud præstandi, ergo: ità *Layman d. lib.* 1. *tract* 4. *cap.* 4. *Sanchez ubi supra lib.* 1. *cap.* 13.

Unde ebrius in die festo, vel dormiens assistens missæ, vel recitans orationem ex voto, vel præcepto, non satisfaceret præcepto audiendi missam, vel recitandi orationem, quia non exercet actum humano modo, cum nesciat quid agit: sic si quis accedat ad Capellam aliquam, vel altare, dans operam meditationi rerum divinarum non satisfacit præcepto audiendi missam, si Sacerdos interim adeat altare ad celebrandum, quia non habet intentionem audiendi sacrum, sed solum dandi operam meditationi, *Sanchez, & alii ubi supra*; sic ille, qui attentissimè recitat horas canonicas, sola legendi, vel addiscendi voluntate, non satisfacit præcepto Ecclesiastico, sed tenetur iterùm recitare, quia cum orandi voluntas defuerit, id non est orare, ut Ecclesia præcipit. Pueri verò, qui metu pædagogi intersunt sacro, aliàs non audituri, satisfaciunt præcepto, quia metus non tollit libertatem, licèt minuat, *Bonacina disp.* 1. *de legib. par.* 1. *pun.* 2.

num. 5. *Sanchez lib.* 1. *cap.* 13. *Merolla cap.* 3. *de legibus dub.* 31. *nu.* 345. Peccant verò pueri non aliter audituri peccato contra legem Ecclesiæ, à qua præcipitur actum fieri liberum, *Merolla ubi supra*. Ille verò, qui omninò invitus interesset sacro, ut si vinctus ibi detineretur non impleret præceptum Ecclesiæ DD. ubi supra, licèt oppositum, & malè putet *Merolla num.* 345. latè *Avendanus de metu lib.* 2. *cap.* 42.

Dices. qui invitus solvit debitum, non tenetur amplius solvere, ergo satisfacit obligationi, & præcepto solvendi.

Respondetur non teneri amplius solvere, non quia præcepto satisfecit, sed quia præceptum postea non obligat, quia fuit extinctum debitum, & ideò quia fuit ablata materia præcepti, ideò non amplius obligat, latè *Merolla num.* 348. *cum seq.*

In præceptis negativis potest quis satisfacere, etiamsi omissio actus præcepti non sit libera. Undè si quis in die Veneris carnes non comedat, quia eas non habet, satisfacit præcepto, ideò omittit carnes edere, non liberè, sed necessariò, ideò etiam si habeat intentionem comedendi si haberet, adhùc satisfaceret præcepto, DD. communiter apud *Merollam ubi supra num.* 352.

Si verò petas an ad satisfaciendum præcepto, & legi, requiratur ut actus fiat cum intentione satisfaciendi præcepto.

Respondeo negativè undè qui missam audit cum intentione audiendi missam, sed sine intentione satisfaciendi præcepto, adhuc ipsi satisfaceret. Idem die de eo, qui missam audit, nesciens esse diem festum, nec opus est, ut postquam cognoverit esse diem festum intendat præcepto satisfacere auditione missæ jam prateritæ, sic vovens accedere ad aliquam Ecclesiam satisfacit voto visitans eam sine intentione adimplendi votum, etiamsi dùm visitat oblitus sit voti, nam adhuc adimplet opus præscriptum humano modo, dummodò tamen talem actum visitandi non applicaret pro pœnitentia, nam cùm quis, v. g. ex pœnitentia, & voto tenetur Rosarium dicere non satisfacit obligationi voti si semel tantùm illud dixerit DD. *citati*, & alii, quos sequitur *Merolla disp.* 4. *cap.* 3. *dub.* 31.

Immò satisfacit quis præcepto etiamsi actum impositum faciat cum expressa intentione non satisfaciendi, ut si quis in die festo audiat missam cum expressa intentione non satisfaciendi præcepto, hic enim verè præceptum implet, ità ut aliam missam audire non teneatur, ità *Sanchez lib. primo summæ cap.* 13. *Salas disput.* 9. *de legibus, sect.* 2. *num.* 33. *Bonacina disput.* 1. *de legibus. quæstione prima, par.* 10. *num.* 19. *Merolla disput.* 4. *cap.* 3. *dub.* 33. *num.* 364. Probatur, quia superior non præcipit opus fieri intentione adimplendi præceptum, vel absque intentione, sed simpliciter præcipit tale opus, ergo, qui tale opus præceptum facit sufficienter adimplet præceptum, quamvis illud faciat intentione non implendi præceptum. In illis enim rebus, quæ dependent ab intentione agentium actus agentium non operatur ultra eorum intentionem, *l. non omnis, ff. si certum petatur.* Sed respectu illarum rerum, quæ non dependent ab ipsorum agentium intentione, tunc potest operatio se extendere ultra agentium intentionem, prout est in casu nostro. Idem puto de voto. Si enim quit votum adimpleat cum expressa intentione non satisfaciendi illi adhuc satisfacit. *Suarez lib.* 4. *de Religione cap.* 26. *Coninch. tom.* 1. *de Sacramentis quæst.* 83. *ar.* 6. *num.* 310. *Layman lib.* 1. *tractat.* 4. *cap.* 4. quicquid dicat *Merolla dicto cap.* 3. *dub.* 33. *num.* 372. Peccant verò mortaliter, qui implent tale præceptum tum intentione non satisfaciendi illi, & quidem contra præceptum Ecclesiæ, ut latè *Merolla disput.* 4. *dub.* 33. *in fine.*

Si enim quæras quid dicendum, cùm quis debet præstare opus ex pluribus causis, cuinam obligationi censeatur satisfacere, v. g. si quis ex pœnitentia, & ex voto teneatur recitare Rosarium, &c. cuinam obligationi censeatur in dubio satisfecisse.

Respondeo plures distinguendo casus, primus est cùm quis decrevit alicui obligationi satisfacere, & tunc censetur illi satisfecisse, *l. cum pluribus, ff. de solutionibus.*

Secundus casus est cùm quis decrevit omnibus obligationibus satisfacere, & præstat opus divisibile, ut est eleemosyna, aut Rosarium, quod tribus partibus constat, & tunc si præstans tale opus divisibile habeat intentionem satisfaciendi omnibus obligationibus, satisfacere pro omnibus ad ratam, pro quibus satisfacere potest, ut si ex voto. & pœnitentia debeat decem aureos titulo eleemosynæ erogare, & in pauperes, & unica solutione decem aureorum intendat satisfacere utrique obligationi, tunc satisfacit utrique pro rata, manente adhuc onere adimplendi aliam utriusque obligationis partem; ratio est, quia quod non valet, ut agitur valere debet eo meliori modo, quo potest, *cap. unico, §. idem quoque, ff. de desponsat. impub. in* 6. ergo cùm quis non sit sufficiens pro omnibus obligationibus, sed tantùm pro rata, ità debet intelligi factum.

Tertius casus est, cùm quis volens satisfacere pluribus obligationibus præstat opus indivisibile, ut jejunium, missam, &c. & tunc videtur satisfacere urgentiori, & graviori obligationi, cui etiam satisfacere si nulli obligationum decrevisset satisfacere, nam quod non valet, ut ago, valere debet omni modo meliori, & sic expressè colligitur, *ex l. cum pluribus, ff. de solut.* & ideò si quis ex voto, & pœnitentia tenetur duas missas audire, aut bis jejunare, satisfaceret obligationi voti semel audiendo missam, aut semel jejunando, si nihil cogitaverit de obligationibus, quia hoc opus est indivisibile, & strictior est obligatio voti: sic si quis uni a auditione missæ putat satisfacere obligationi voti præcepti Ecclesiæ, & pœnitentiæ, satisfaceret tantùm obligationi ortæ ex præcepto Ecclesiæ unicam missam audiendo, quia est gravior obligatio ei, quæ oritur ex præcepto Ecclesiæ, quàm orta ex propria voluntate, aut ex intentione Confessarii inferioris, & opus quod præstatur, censetur indivisibile.

Septimum Corollarium.

Septimo colligitur esse necessarium jus Canonicum ad ritè, tectèque gubernandam Ecclesiam Dei, ob ignorantiam enim hujus juris in varios errores inciderunt homines, *cap. ignorantia* 26. *dist.* licèt enim in Sac. Scriptura plenissimè habeatur, quicquid credendum sit in Sacra Theologia plenissimè exponatur quomodo sint intelligenda, tamen quia protervi homines nolunt amplecti ea, quæ benè exposita sunt, ideò necessarii fuerunt sacri Canones decisivi, & constringentes homines ad amplectendas Theologicas veritates. Et per jus Canonicum distinguuntur dignitates, & ordines Ecclesiastici, & unusquisque scit, quæ pertinent ad suum proprium munus, propter quam utilitatem Juris Canonici præcipitur nulli Sacerdotum licere Canones ignorare, *cap. nulli* 38. *dist.* & per Jus Canonicum cognoscuntur impedimenta matrimonii, & gradus prohibiti, tàm de jure divino, quàm humano, & per Jus Canonicum de facili descenditur ad regimina Ecclesiarum; undè Episcopi Canonistæ habent rectam rationem regendi, & si fiant Theologi, non possunt judicare, nisi habeant Canonistas assessores, & Vicarius Theologus habere debet Canonistam consultorem, ut latè probat, *Sbrozzius de officio Vicarii lib.* 1. *q.* 36.

TITU-

TITULUS II.

DE JURE DIVINO, CONSUETUDINE, ET CONSTITUTIONIBUS.

DIxerat *Paulus in §. fin.* tituli præcedentis jus canonicum constare ex jure divino, consuetudine & constitutionibus; verùm quia dubitari potest de unoquoque ipsorum, meritò ponitur hic titulus, qui in tres dividitur partes. In prima ponitur de jure divino, in secunda de consuetudine, in tertia de constitutionibus. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd lex, seu jus secundùm *S. Thom.* 1. 2. *q.* 9. dividitur in legem æternam, divinam, humanam, & naturalem.

Lex æterna largo modo accepta est ipsa mens divina, quæ ab æterno omnia ordinavit. *Proverb. 8. Ab aterno ordinata sum.* Strictè verò accepta est mens seu ratio Dei bona præcipiens, à malo prohibens, & ideò peccatum definitur dictum factum, vel concupitum contra legem Dei æternam, *S. Thom.* 1. 2. *q.* 91. *art.* 1. *& 93. per totam*, ubi *Cajetanus*, *Sotus*, & alii, & ab hac lege æterna omnes aliæ leges habent vim obligandi *S. Thom.* d. *q.* 93. *ar.* 3. *S. Augustinus de vera Religione cap.* 31. *& de libero arbitrio cap.* 6. *& in Exod q.* 67. *Suarez lib.* 2. *de legib. per totum.*

Lex divina, seu jus divinum est illud, quod legibus veteris & novi testamenti continetur, *cap. qualiter de accus.* veteris testamenti fuit illa, quæ data fuit Moysi, ut laté *Suarius lib.* 9. *de legibus cap.* 2. neque mala præcepta continebat, & culpam, sed materiam bonam, & sanctam. & dicebantur non bona *Ezech.* 20. quia erant onerosa, quæ vix poterant portari, *Suarez ubi supra cap.* 4. Illa verò lex, quæ in novo continetur testamento est longè perfectior lege veteri *S. Thom.* 1. 2. *q.* 106. *ar.* 2. laté *Suarez lib.* 10. *cap.* 8. *per totum.*

Neque dicas, quòd leges divinæ etiam dicuntur illæ, quæ sunt in corpore civili, *l. fin. C.* de *sacros. Eccl.*

Respondeo enim cum *Bart. in d. l. fin. Archidiacono, in cap. humanum genus* 1. *dist. &* Card. *Tusc. pract. concl. lit. I. concl.* 588. quòd jus divinum duobus modis dici potest, uno modo authoritate, altero modo ab effectu, seu materia, super qua fit dispositio: si primo modo sumatur, tunc jus canonicum & civile non dicitur divinum: si secundo modo, tunc divinum nuncupatur, quia leges civiles, & canonicæ, loquentes de materia possunt appellari divinæ leges.

Dividitur etiam jus divinum, ut aliud sit jus divinum naturale, aliud positivum: Jus divinum naturale est, quod præcipit illud idem, quod jus naturale præcipit, ut sunt omnia, quæ continentur in præceptis Decalogi, & definitur esse illud, quod natura omnia animalia docuit, teste *Ulpiano in l.* 1. *ff. de just. & jure* de quo jure naturali dicitur, quòd omnia erant communia, intelligendo de stabilibus, non mobilibus, ut dicemus cùm de furtis. Jus verò divinum positivum est illud, quod præcipit id, quod à lege naturali non est dispositum, ut est præceptum præmittendæ confessionis ante sumptionem Eucharistiæ, ab eo, qui habet conscientiam peccati mortalis, quod præceptum dicitur divinum positivum, quia jure naturæ non præcipitur confessio ante sumptionem Eucharistiæ. Huic juri divino naturali, & positivo, additur jus humanum, quod est illud, quod auctoritate humana fertur, prout est omne id, quod in *ff. C. Authen. & Instit.* continetur, vel quod in corpore canonico, & primum dicitur jus humanum civile, secundum canonicum.

Sciendum secundo est, quòd præcepta legis veteris, aut erant moralia, aut judicialia, aut cæremonialia, *Deuter. cap.* 6. *S. Thom.* 1. 2. *q.* 99. *art.* 1. *Sotus de just. & jure lib.* 2. *q.* 2. *ar.* 2. *Covarr. lib.* 1. *var. cap.* 17. & per cæremonialia instituebantur homines in ordine ad cultum Dei, per judicialia ad justitiam, & æqualitatem cum proximo, per moralia ad actiones proprias in ordine ad seipsum componendas. Moralia adhuc durant, & sunt immutabilia, quia scilicèt naturalia erant, & hodie etiam obligant. Judicialia verò, & cæremonialia, per adventum Christi Domini omninò cessarunt; juxtà *cap.* 1. *de purificatione post partum. cap. translato de constit. S. Thom.* 1. 2. *q.* 103. *art.* 4. *juncta q.* 104. *ar.* 3. sunt tamen judicialia præcepta, quæ scilicèt pœnas determinabant pro delictis, quæ sunt mortua, quia non obligant, non tamen sunt mortifera, quia per legem humanam suscitari possunt, ut est præceptum de decimis solvendis; at verò cæremonialia, & mortua sunt, quia non obligant, & mortifera, quia suscitari non possunt, nam cùm fuerint instituta ad figurandum Christi adventum, ejusque mysteria, meritò non possunt suscitari, & ideò tales ceremonias observantes, ut hæretici puniuntur. *cap.* 3. *cap. contra Christianos de hæret. in* 6. *Augustinus Barbos. in collect. ad decretum dist.* 6. *cap. fin.* Cæperunt autem cæremonialia præcepta esse mortifera post sufficientem promulgationem Evangelii, *Suarez tom.* 3. *in* 3. *par. disp.* 27. *sec.* 4. *Trid. sess.* 6. *cap.* 4. *Card. Baronius tom.* 1. *anno Christi* 51. *cap.* 23. quod Evangelium fuit sufficienter promulgatum anno 40. post Christi passionem, quo tempore mortui erant omnes Apostoli, & etiam ultimus Joannes, ità post alios *Barb. ubi sup.*

Sublata lege veteri venit lex Evangelica dicitur verò Evangelium verbo græco, quasi bonum nuncium, quo anunciatur filium Dei, procurandæ salutis nostræ causa hominem factum, *Candelabrum aureum par.* 4. *cap.* 7. *à num.* 2. & hæc lex nova dicitur scripta, non quod in lapideis tabulis, ut vetus, aut atramento, sed in cordibus hominum *Paulus* 2. ad *Corinth. cap.* 3. *&* ad *Hebr. cap.* 8. *Hierem. cap.* 31. *Dabo legem meam in visceribus eorum*, *S. Thom.* 1. 2. *quæst.* 106. *art.* 1. *Sotus lib.* 2. *de just. & jure quæst.* 7. *art.* 1. & plures etiam differentias inter legem veterem, & Evangelicam ponit *Barb. ubi sup.*

Sciendum est tertio jus naturale à Canonistis, & Theologis accipi pro ipsa convenientia, & disconvenientia rei cum recta ratione, undè illa disconvenientia, quam habet mendacium cum recta ratione, vel adulterium, & convenientia, quam habet conservatio famæ proximi cum recta ratione est lex naturalis, dictans servandam esse famam. Alii Theologi definiunt jus naturale, ut sit dictamen, seu lumen nostræ rationis, quo cognoscimus, quæ facienda sunt, & quæ vitanda, quæ quidem definitio, non à priori est, ut Logici vocant, sed à posteriori, nam ex naturalibus à priori videt ipsamet convenientia, vel disconvenientia, quam lumine naturæ cognoscimus, *S. Thom.* 1. 2. *quæst.* 94. *art.* 1. *&* 2. *Sotus d. q.* 4. *ar.* 1. *Suarez de legib. lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 6.

Est enim jus naturale duplex, aliud enim est per se notum, & indemonstrabile, ut sunt illa principia prima legis naturæ, bonum amplectendum, malum fugiendum, Deum colendum, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, &c.* Secundum est illud, quod non est per se notum, ut pollutionem voluntariam esse peccaminosam, mendacium pro liberatione innocentis à morte dici minimè posse, &c. ut benè *Barb. in collect. ad decretum dist.* 1. *in c. Jus naturale*

Ex

Ex quo resolves quæstionem an dari possit ignorantia invincibilis juris naturalis.

Pro intelligentia suppono ignorantiam aliam esse probabilem, seu invincibilem, aliam culpabilem invincibilem, quæ inculpabilis dicitur ea est, quæ vinci non potuit, & contingit quando quis nihil unquam dubitavit, vel cogitavit de aliqua lege, vel nunquam in mentem venit Lex. Ignorantia vincibilis est illa, quæ vinci potuit ob præcedentem aliquam cogitationem, de ipsa, & obligationem sciendi: ità communiter DD. apud *Filiuc. tract.* 21. *cap.* 11. *q.* 5. *nu.* 407. Quæ quidem vincibilis alia dicitur affectata, alia crassa, & alia supina; affectata illa dicitur, qua quis eligit nescire præceptum, ut liberius peccet: Ignorantia verò crassa, & supina dicitur, quæ procedit ex culpa lata ignorantis, seu ex summa negligentia, ut accidit cùm quis habitâ jam aliquâ cogitatione ignorantiæ, & obligatione sciendi, nullam, aut valdè modicam adhibuit diligentiam ad cognoscendum id, quod scire tenetur, quam ignorantiam crassam, & supinam non distinguit *Suarez* ab ignorantia vincibili, quem impugnat *Sanchez in lib.* 9. *de matrim. disp.* 32. *num.* 73. Hoc posito.

Respondeo, quòd si sermo sit, an dari possit ignorantia invincibilis eorum principiorum naturalium, quæ sunt evidentia, prout sunt, bonum esse amplectendum, Deum esse colendum, &c. & tunc dari non potest ignorantia invincibilis. Si verò loquamur de jure naturali, prout consistit in illis conclusionibus, & dari potest ignorantia, quia tales conclusiones deducuntur quidem evidenter ex illis principiis, sed maxima cum difficultate, studio, labore, &c. & ità discurrit *Salas disput.* 5. *de legibus, sect.* 6. *num.* 28. *& disp.* 15. *sect.* 9. *Coninch. de pœnit. disp.* 8. *dub.* 17. *num.* 135. *Sanchez in summa lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 33. *Layman lib.* 1. *tract.* 2. *cap.* 4. *Filiuc. tract.* 21. *cap.* 11. *quæst.* 5. *num.* 405. *Bonacina de peccatis disp.* 2. *quæst.* 8. *par.* 3. *prop.* 2. *num.* 11. Ratio primæ partis est, quia intellectus noster suis viribus expeditus ignorare habitualiter non potest, quæ evidentissima sunt ex ipsis terminis, vel quæ facillimè deducuntur ex illis, quia sui proprium est inclinare in evidentissimas veritates: sed ità sunt illa principia, de quibus diximus; ergo.

Dixi si suis viribus sit expeditus, quia si impeditus sit, ut accidit in fatuis, hoc est per accidens, & non sumus in casu. Dixi habitualiter, quia actualiter cognitione actuali non semper cognoscuntur, neque semper actu advertere debemus, sed sufficit impotentia, poterit ergo dari ignorantia actualis, non habitualis.

Ratio secundæ partis, quòd scilicet possit dari ignorantia invincibilis circà illas conclusiones, ea est, quia ad cognoscendum jura secundi generis requiruntur labor, studium, ingenii acumen, doctrina, &c. Sed plerique hominum ea non habent, ergo plerique hominum invincibiliter possunt ea ignorare, undè nonnulli putant licitum esse mendacium ad liberandum innocentem à morte; aliqui etiam pueri invincibiliter ignorant pollutionem voluntariam illicitam esse; ergo poterit harum conclusionum dari ignorantia invincibilis.

Sciendum est quarto jus naturale per se loquendo esse immutabile, *§. sed & naturalia, institut. de jure naturali, gent. & civili, cap. ultimo 6. dist. & Gratianus in princ. 5. distinct.* & sic intelligitur *Augustini locus lib.* 2. *confessionum cap.* 4. hæc Lex scripta est in cordibus hominum, quam nec ulla tollere debet iniquitas, *S. Thom.* 1. 2. *q.* 64. *art.* 5. *Covarr. de sponsal. par.* 2. *par.* 6. *§.* 9. *num.* 3. quæ doctrina, quoad prima principia est indubitabilis, nullo enim casu deficere possunt, vel variari; circà alia verò præcepta, seu conclusiones, quæ ex illis primis proximè deducuntur etiam constat, quia rectum est in communi, quod Lex naturalis præcipit, *ut benè Cicero lib.* 3. *de Repub.* possunt tamen mutari in particulari ob speciales circumstantias talia præcepta, secundum *textum* sic intelligendum *in l. jus civile, ff. de just. & jure*: exempla possunt esse *in l. bona fides ff. depositi*, ubi *J. C.* aliquas adducit rationes, in quibus depositum de jure naturali restituendum, non restituitur, & addunt DD. aliud de eo, qui gladium deposuit, & factus furiosus illum repetit: recta enim ratio exigit, ne reddatur in ipsius deponentis evidens periculum: ex justa etiam circumstantia rerum divisio facta fuit post naturæ humanæ corruptionem. *Petrus Gregorius lib.* 4. *Synthagm. cap.* 14. *cap. dilectissimis* 12. *q.* 1. ibi per iniquitatem, ubi probatur, quòd iniquitas causam dedit divisioni, non tamen ex jure purè humano descendit talis divisio, quicquid dicat *textus in cap. quo jure* 8. *dist.* qui tamen intelligitur de jure humano fuisse introductam divisionem, scilicet de jure gentium primario solis hominibus competenti ut post alios *Barb. in collect. decreti dist.* 1. *cap. jus naturale.*

De jure naturali debetur legitima filiis successio, licèt quoad quotam sit legitima juris positivi secundum jura sic intelligenda *in cap. Raynutius*, ibi *portio jure naturæ debita, cap. Raynal.* ibi *partem debitam de jure natura de testamentis cap.* 1. *eod. tit. in* 6. *& in l. nam & si parentus, ff.* de *inofficios. testam. & in l. cum ratio ff. de bonis damnat. Auth. hoc amplius, C. de fideicommissis*, & alia jura de quibus *Barb. ubi supra.*

Sciendum est quinto, Deum non posse dispensare in jure naturali, quoad ea, quæ sunt intrinsecè mala, circà ea verò, quæ non sunt intrinsecè mala dispensare potest, unde dispensavit Deus cum Hebræis in pluralitate uxorum, quæ tamen pluralitas uxorum, est contra jus naturæ, in odio verò sui ipsius non potest Deus dispensare, vel in mendacio, aut similibus, nam hæc ideò sunt mala quia intrinsecè sunt talia, non verò quia prohibita DD. citati.

De jure naturali est introductus cultus Dei, si sumatur cultus quoad substantiam, ut patet in primo præcepto decalogi, & etiam Gentiles habuerunt cognitionem cultûs Dei, *l. veluti, ff. de just. & jure*: ceremoniæ tamen, & ritus, qui ad ornatum, & ministerium pertinent, sunt de jure positivo, *S. Thomas* 2. 2. *q.* 122. *art.* 5. *Covarr. l.* 4. *var. cap.* 18. est autem cultus, seu adoratio exhibitio reverentiæ propter excellentiam illius, cui exhibetur *S. Thom.* 2. 2. *q.* 84. *art.* 1. alii definiunt adorationem, quòd sit actus, quo unus alteri se submittit, seu alterum honorat in recognitionem ipsius excellentiæ: ità *Valentia tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 3. *pun.* 1. & sic quia ratio excellentiæ est fundamentum adorationis, quæ non est eadem in Deo, & creaturis; ideò non est eadem adoratio in Deo, & creaturis; adoratio enim Deo debita dicitur latriæ significans supremum cultum proprium Dei: Actus adorationis, quo Beatam Virginem adoramus dicitur Hiperdulia; actus, quo cæteri Sancti, dicitur dulia, *S. Thom* 2. 2. *q.* 103. *art.* 3. *&* 4. Illa verò adoratio, qua Sanctos adoramus, dicitur Duliæ, quia eis debetur ob personam creatam: possumus etiam nos unam personam Sanctissimæ Trinitatis adorare distinctè ab aliis, quia sicut unam personam possumus concipere ab aliis distinctam, modò alias personas, explicitè non excludamus: impium enim esset, atque nefarium alias personas excludere, quia licèt tres personæ sint, unus tamen est Deus, unaque essentia, & ità possumus adorare unam alia non adorata, *Azorius par.* 1. *lib.* 9. *cap* 5. *q.* 7. *in fine.*

Est etiam adoratio alia absoluta, alia respectiva, absoluta convenit rei intellectuali, quæ per se honorabilis est, respectiva convenit rebus ratione carentibus, quæ non per se, sed propter alium adorantur, ut in adoratione imaginum, quæ non consistit

in

in imaginibus, sed refertur ad exemplar, id est ad eum, cujus imago est *S. Tham. 2.2. q. 103. art. 3. & 4.*

Si verò quæras, quibus debeatur adoratio? Respondeo deberi Sanctis in Cœlo regnantibus. *Trid. sess. 25. in tit. de invocatione. & venerat. & reliquiis Sanctorum, S. Them. 3. par. q. 25. art. 6. Cassaneus par. 3. in Cathaloga glor. mundi, consider 22. & 43. Molfesius cons. 46. Sanchez lib. 2. summæ cap. 44. Fagundez lib. 1 præcepto 1. cap. 4. & alii apud Barb. in collect. ad lib. 3. decretalium in tit de reliquiis, & vener. Sanctor.* colligitur etiam ex *lib 4. Reg. cap. 2.* ubi filii Prophetarum adorarunt Eliseum, *& 4. Reg. 18.* Abdias adoravit Heliam, tùm quia honor est tribuendus homini operanti bonum, ad *Rom. 2.* Sed Sancti bonum opus operati sunt, ergo debent adorari, & honorari. Imò si Angelus appareret in forma Dei esset adorandus adoratione latriæ, quia tunc repræsentat Deum, & ille honor refertur Deo, non Angelo, ità *Filuccius tract. 23. cap. 1. q. 9 num. 31.* eos verò quos non adhuc Romanus Pontifex in numerum Beatorum vel Sanctorum retulit non possumus adorare, licèt faciant miracula, *cap. 1. de reliq. & venerat. Sanctor.* etenim solus Romanus Pontifex potest Sanctos canonizare, *cap. 1. cit. & cap. 2, eodem titu lo in 6. & in Clementinis eodem titulo, & in Extravagantibus eodem titulo.* Imò neque Concilium universale per se solum, potest Sanctos canonizare, nisi Summi Pontificis accedente authoritate, & à fortiori, neque Episcopus; imò neque Legatus à latere ex commissione Pontificis potest Sanctos canonizare, quia Papa non potest delegare potestatem definiendi res fidei alteri, latè *Barb. in collect. ad textum in d. cap. 1. de reliquiis & vener Sanctorum.*

Ex quo infertur posse nos aliquos viros Sanctos apud nos tales communiter reputatos, non publicè, sed privatim adorare, eosque invocare Sanctos, à quo tamen abstinendum est in publicis concionibus, *&c. Barb. in collect. ad d. cap. fin. de reliq. & vener. Sanctor. num. 5 gloss. & DD. in cap. unita de reliq. & venerat. Sanctorum*, sicut etiam advertere debent Sacerdotes, quòd quando aliquis beatificatus est, & fuit concessa facultas, ut Sacerdotes certæ Religionis possint de illo missam celebrare, tali casu cæteri Sacerdotes tàm regulares, quàm sæculares non poterunt dicere missam in Ecclesia assignata in decreto beatificationis, *Molfesius in summa tract. 11. cap. 6. num 51.* quia *in d. cap. 1. de reliquiis, & venerat. Sanctorum*, habetur, non posse nos colere publico cultu aliquem sine Sedis Apostolicæ facultate, sed talis facultas celebrandi non fuit omnibus Sacerdotibus concessa, ergo. Probatur, quia per facultatem restrictam intelligitur, inclusio unius tantùm, *argum. l. cum Prætor, ff. de Judiciis, & l. maritus, C. de procurat.* & ità declaratum fuit in Sacra Congregatione Rituum die 19. Novembris 1622. ut refert *P Gavantus in commentariis ad rubricas missalis tom. 1 par. 3. tit. 10. num. 16.* qui etiam *par. 4. tit. 25. nu. 11.* notat, quòd ubi celebratur festum Sanctissimi Rosarii, ex *Gregario 13.* non debet diei ea missa, quæ nomine Rosarii circumfertur, quia fuit concessa solùm Ordini Prædicatorum, à Sacra Rituum Congregatione die 25. Junii 1622. sed debet fieri missa, ut in festo S. Mariæ ad Nives, vel in Nativitate, mutato nomine festivitatis, ità *Gavantus.*

Infertur secundò imaginem Sancti non adhuc canonizati posse in domibus nostris depingi, retineri, & coli; hic enim est cultus privatus, non tamen licet eam in Ecclesia, vel in altari, ubi aliorum Sanctorum reliquiæ conservantur poni, nisi fortè causa ornatûs in templo cum aliis imaginibus ponantur *DD. cit.*

Sic etiam licitum est pedes, & manus Sancti viri nondùm relati in numerum Sanctorum osculari, ipsorum capillos, aut vestes accipere, sive alii videant, sive non, modò desit scandalum, quia hic est cultus privatus, *DD. ubi sup.* Sic etiam licitum est in natali Sancti, nondùm in Sanctorum numerum relati ab Ecclesia, dare operam rebus spiritualibus omissis servilibus in ipsius memoriam, aut jejunare, aut et votum offerre, quia hic est cultus privatus, quantumvis alii sciant, non tamen licebit instituere publicum diem festum, aut publicum jejunium, vel votum, quia hic censetur publicus cultus *DD. ubi supra.*

Infertur tertio cum *Sanchez in summa lib 2. cap. 43.* non posse Episcopum diem festum Instituere in honorem Sancti non adhuc canonizati, quia cultus Sancti nondùm canonizati reservatus est Summo Pontifici, *cap. 1. de reliquiis, & vener. Sanctorum*, potest tamen Episcopus festum aliorum Sanctorum canonizatorum indicere, & in sua Diœcesi venerari pro Sancto eum, quem voluerit pro Sancto venerari, ut malè *Cassaneus consid. 47. p. 2.* & in illis Sanctis potest Episcopus id facere, qui sunt authoritate Pontificis in Sanctorum numerum redacti, *Sanchez lib. 2. cap. 43. Fagundez præcepto 1. lib. 1. cap. 3. à num. 5. Suarius tom. 1. de religione lib. 2. de diebus festis cap. 11. num. 4.* requiritur verò consensus populi, & cleri, ut colligitur ex d. *cap. fin. de feriis*, ad hoc, ut possit Episcopus dies festos instituere, non quidem ut cum Episcopo statuat, sed ut videatur an multiplicitate festorum oneretur populus, *Petrus Gregorius lib. 1. par. tit. Juris canonici tit. 19. cap 4. Barb. de potest. Episcopi par. 3. alleg. 105. num. 36. Filinccius tractat. 38. cap. 6. à num. 83. Suarez lib. 2. de legib. cap. 11.* De consuetudine verò populo minimè vocato dies festi ab Episcopo in Diœcesi instituuntur, adhibito clericorum consilio, *Azorius lib. 1. cap. 26. quæst. 1. & 2.* quidquid dicat *Genuensis in praxi cap. 51.* qui nimis offendens litteram dicti *textus* ait eum non probare, quòd Episcopus debeat festa indicere cum clero, & populo, sed quòd festa, quæ duxerint Episcopi veneranda celebrentur à populo, & Clero.

Infertur quarto, reliquias antiquas extra capsam, & locum decentem nullatenus debere ostendi, nec venales exponi, eas verò, quæ sunt de novo inventæ, nemo eas præsumat venerari, nisi priùs fuerint per Pontificem approbatæ, *cap. fin. de reliq. & vener. Sanctor. Sanchez d. lib. 2. c. 43. Rodriquez tom. 3. quæst. reg. quæst. 55. art. 1.* Reddit *Abbas* rationem *in d. cap. fin.* quia cùm ostenduntur extrà capsam ossa nuda, & vetera, & antiqua, multorum devotio tepescit, & datur detractoribus causa obloquendi; nec nova miracula sunt admittenda, nisi approbante Episcopo, *Trid. sess. 25. de invocatione, & veneratione Sanctor. Barb. par. 3. alleg. 97. de potestate Episcopi.*

Qui Episcopus potest etiam examinare miracula alicujus Sancti nondum canonizati, nec beatificati, & publicare, atque approbare, absque Summi Pontificis authoritate, ut decisum per Sacram Congregationem, refert *Barb. de anno 1626. in collect. ad d. cap. fin. de reliquiis, & veneratione Sanctor.*

Infertur quinto, imaginem defuncti viri, cum opinione sanctitatis, non posse pingi cum diademate, nec templa, vel altaria erigi, nec ejus imaginem, in templo, Sacristia, vel alio loco affigi, aut venerari, *Cardin. Bellarm. de Sanctor. Beatitudine contr. 7. generali lib. 1. cap. 10.* Neque in loco ubi corpus defuncti sepultum est, affigi possunt votivæ tabellæ, & alia hujusmodi in signum gratiæ receptæ, ut in anno 1625. de mense Octobris in generali Congregatione sanctissimæ Inquisitionis fuit decretum sub Urbano VIII. in qua tamen determinatione nón prohibetur recipi tabellas prædictas, easque conservare in futurum in ali-

quo

quo loco seorsum ab Ecclesia, ut pro beatificatione & canonizatione deserviant, ut in Bulla Urbani VIII. 22. aliàs 132. in appendice fol. 38. cujus meminit *Barb.* in d. *cap. fin. de reliquiis, & vener. Sanctor. in fine.*

Quòd si quis imagines, & tabulas votivas recepetit, potest excommunicari, vel suspendi per Episcopum, vel Vicarium Generalem, aut alium Prælatum habentem jura Episcopalia, ut latè *Bonacina de præceptis decalogi disp.* 3.

Potest etiam per Episcopum institui festum alicujus Sancti, qui per antiquam traditionem, vel universalem Ecclesiæ consensum probatus fuit Sanctus, quia talis probatio æquivalet canonizationi, & antiquitùs non requirebatur forma cannonizationis, quæ nunc est in usu, *can.* 1. *ubi DD. de consecratione* 1. *distinct. Suarez* 3. *par. disput.* 55. *sect.* 1. *Sanchez ubi supra.*

Est legendus *textus in cap. unico de reliquiis, & veneratione Sanctorum in sexto*, obi præcipitur celebrari festivitates Sancti Gregorii, Augustini, Ambrosii, & Hieronymi, Divus Hieronymus an fuerit Cardinalis, *Gasar. Baronius tomo quarto anno Christi* 342. *Barbos. in dicto cap.* 1. *de reliquiis in* 6. est etiam notandus *textus in clement, prima de reliquiis, & veneratione Sanctorum*, ubi præcipitur celebrari festum Sanctissimi Corporis Christi feria quinta post octavam Pentecostes, centum dies, & indulgentiæ conceduntur illis, qui in festo, vel infra octavam officio, vel horis interveniunt, de cujus festivitatis institutione latè *Azorius par. secunda lib. primo cap.* 14. *Filiuccius tractat.* 27. *cap.* 3. *num.* 45. non tamen sufficit interesse horis extra Ecclesiam, ut benè *Glossa* ibi, *& Barbos. in dicta clement. & Suarez tom.* 5. *de pœnitentia disp.* 52. *sect. prima* Notat, quòd si dicatur si quis consequi voluerit indulgentiam Ecclesiam visitet, & oret in ea, sufficit si quis extra januas existit, ibique oret, sequitur *Bonacina de Sacramentis disput* 6. *quæstione prima, puncto* 5 *num.* 26. eandem indulgentiam centum dierum illi consequuntur, qui Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis festum celebraverint, vel illius horis canonicis interfuerint: *extravagant.* 1. *de reliquiis, & veneratione Sanctorum*, ubi *Barbos. in collect.* 4. *tom. & in extravaganti secunda, ejusdem tituli* excommunicantur illi, qui dixerint non licere fidelibus celebrare festum prædictum Conceptionis, quam excommunicationem latè explicat *Bonacina de censuris extra Bullam Cœnæ, disput.* 2. *quæst.* 3. *puncto* 14. *Barbos. de potestate Episcopi allegat.* 50. *num.* 109. cum qua dispositione concordat *Trident. sess.* 5. *de peccato originali*, & decretum Congregationis coram Paulo Quinto, de quo *Campanilis in diversorio juris canonici rubrica* 12. *cap.* 13. *num.* 140. ubi fuit determinatum non licere in publicis concionibus, vel lectionibus asserere Beatam Virginem esse conceptam in peccato originali, & etiam, quòd illi, qui negativam tenent sententiam, quòd non fuerit concepta, non audeant impugnare contrariam opinionem, nec de ea aliquo modo agant, & postea eadem Sacra Congregatio anno 1622. sub Gregorio Decimo quinto, prædictum decretum ampliavit, etiam ad colloquia privata. Denique idem Gregorius Decimus quintus per Bullam, quæ incipit *eximii*, die 20. Julii 1622. concessit in favorem Fratrum Prædicatorum, ut de cætero in quibuscumque privatis eorum colloquiis, seu conferentiis inter se tantùm de materia Conceptionis tractare possint, absque ulla pœna, quam Bullam refert *Flavius Cherubinus in compendio Bullarum in fine.*

Infertur sexto, Christum Dominum esse adorandum adoratione latriæ, quia adoratur Deus, & singulæ personæ Sanctissimæ Trinitatis, quia Christus Dominus est verus Deus æqualis Patri, ergo æqualiter adorandus est, & eodem modo, quia corpus & anima Christi, dùm in sepulchro, & in Lymbo existebant, adhùc erant unita Verbo, quia *Quod Deus assumpsit, nunquam dimisit*, consequenter adhuc erant adoranda adoratione latriæ, *Sanctus Thomas* 3. *par. quæst.* 25. *artic.* 1. *Azorius par.* 1. *lib.* 9. *cap.* 5. *quæst.* 7. Idem dic de sanguine Christi Domini in triduo mortis separato à Christi corpore, ità *Azorius ubi supra*. Naturam verò humanam Christi Domini adorandam esse adoratione non latriæ, sed hyperduliæ, docet *Pater Suarez tom.* 3. *de incarnatione disput.* 53. & alii apud ipsum: ratio est, quòd non sit adoranda adoratione latriæ, quia non habet increatam excellentiam, quòd verò sit adoranda adoratione hiperduliæ, patet, quia habet excellentiam creatam super omnes alias creaturas: Verùm in praxi semper Christus Dominus est adorandus adoratione latriæ, quia adoratur humanitas conjuncta verbo, & idem dic de Sacramento Eucharistiæ, quod est adorandum adoratione latriæ, nam continet verum Corpus Christi, *Valentia tom.* 3. *disput.* 6. *quæst.* 11. *par.* 4. & quidem Sacramentum prædictum est adorandum absolutè, quia prudenter credere possumus consecrationem factam fuisse, at qui prudenter credit non peccat, ergo, sufficit tamen adorantem, ità affectum esse, ut non adoret si panis non esset consecratus, *Cajetanus* 2.2. *quæstione prima, artic.* 3. *Azorius dicta par.* 1. *lib.* 9. *cap.* 9. *quæst.* 10.

Quòd si appareret in Sacramento caro, vel sanguis miraculosè, esset adoranda cultu latriæ, quia vel est caro, vel Sanguis Christi, aut illum saltem repræsentat *DD. cit.*

Infertur septimo sacras imagines esse adorandas adoratione respectiva, quia adorantur non ob propriam, sed ob alienam excellentiam, *Triden. dicta sess.* 25. *S. Thom.* 3. *par. quæstione* 25. *artic.* 3. 4. *&* 5. *Layman lib.* 4. *tractat.* 7. *cap.* 5, *num.* 9. *Filiuccius tractat.* 21. *cap.* 1. *num.* 28. & etiam Crux Christi adoranda est adoratione latriæ, sicuti ipse Christus; eadem adoratione sunt adorandæ spinæ, lancea, clavi, præsepe, & aliæ reliquiæ, quæ Christum tetigerunt; sic adorandi essent capilli capitis Christi, aut aliqua sanguinis portio si fortè extaret, quæ non fuisset assumpta à Christo redivivo, *S. Thomas* 2.2. *quæst.* 84. *art.* 1. *& alii citati.*

Dissentiunt verò Theologi, an extet aliqua potio sanguinis, quæ à Christo non fuerit reassumpta; nam *Sanctus Thomas* 3. *par. quæst.* 54. *artic.* 2. *ad* 3. putat Christum reassumpsisse totum sanguinem, quem in passione effuderat, juxtà *Damasceni* axioma, *quod semel assumpsit nunquam dimisit*, & dicit quòd sanguis ille, qui in aliquibus Ecclesiis hodie conservatur, non est verus Christi sanguis, neque à Christi corpore fluxisse, sed ex quadam imagine Christi percussa.

Alii verò Theologi putant aliquam sanguinis portionem è Christi latere emanasse, & reassumptam non fuisse, quæ nihilominus nunc adoratur ob præcedentem unionem. Neque obstat illud dictum *Damasceni*, nam intelligitur de præcipuis corporis partibus; videlicet anima, & corpore, *Suarez de incarnatione par.* 3. *tom.* 2. *disp.* 47. *sect.* 3. *Layman lib.* 4. *tractat.* 7. *cap.* 5. *num.* 11.

Neque dicas, quòd si lignum Crucis ex eo quòd Christum tetigit, est adorandum adoratione latriæ, sequeretur etiam maxum illam impiam, quæ Christum Dominum tetigit, esse adorandam adoratione latriæ, quod tamen absurdum est.

Respondeo enim cum *Suarez*, quòd licèt causa sufficiens adorationis sit interdum contactus Christi, tamen interdum non expedit, vel non decet, ut omnia, quæ Christum tetigerunt, adorentur, undè Asi-

na,

Digitized by Google

na, quæ Christum detulit non esset adoranda si viveret, quia non decet, ut Christus adoretur in Asina, *Azorius par. 1. lib. 9. cap. 3.* & sic de manu illa impia dicendum est.

Neque etiam dicas, quòd si hoc esset, sequeretur etiam Beatissimam Virginem, & Apostolos, quia Christum tetigerunt, adorandos esse adoratione latriæ.

Respondeo enim Beatissimam Virginem & Apostolos non esse adorandos adoratione latriæ, quia possunt per se adorari, quod non est in aliis instrumentis, ordinatis ad Christum, *S. Th. 3. par. q. 25. art. 5.*

Infertur octavo, reliquias traditas tibi à viro probo, posse adorari adoratione privata, nam illius testimonium est fide dignum, *Emmanuel Sà, in verb. reliquiæ. Sanchez in summa lib. 2. cap. 43. num. 12.* quæ reliquiæ sunt approbandæ per Episcopum, *Trid. d. sess. 25.* ubi *Barb. & Farinacius*: quando tamen sunt reliquiæ alicujus sancti canonizati, *Sanchez ubi suprà, Suarez in 3. p. tom. 1. disp. 55.* Aliæ verò reliquiæ sunt per Pontificem approbandæ, d. *cap. fin. de reliq. & vener. sanctor. Layman. lib. 4. tract. 7. cap. 5. num. 15.* Putant verò DD. citati, Crucem, quæ variis reliquiis ornata in altari proponitur adoranda, non esse approbandam ab Episcopo, vel Pontifice, quoties illæ reliquiæ nondùm fuerunt approbatæ, quia illæ reliquiæ non exponuntur, tunc ut adorentur, sed ad ornatum Crucis, sed quoties unum proponitur propter aliud, id solum, propter quod est consideratur. *l. & si non sunt 21. §. perveniamus, ff. de auro, & argento legato, Bonacina* verò *in 1. præcepto Decalogi, quæst. 1. par. 4. nu. 5.* contrarium putat, quando adesset periculum publicè adorandi a populo reliquias illas, quo casu non propter alios, sed propter se reliquiæ illæ considerarentur, quòd si tale periculum non adesset, concordat cum *Sanchez Bonacina.*

Potest verò Episcopus non solùm in Diœcesi, sed etiam extrà approbare reliquias, & licentiam concedere, ut exponantur publicè; ratio est, quia hic est actus jurisdictionis voluntariæ, qui exerceri potest ab Episcopo extra Diœcesim, etiam sine licentia Episcopi illius loci, in quo exercens jurisdictionem reperitur. In qua tamen approbatione debet Episcopus adhibere Theologos, quorum tamen non erit decidere, sed consulere, DD. *ubi suprà.*

Infertur nono, posse nos absolutè adorare ea corpora Sanctorum, quæ dicuntur esse in uno loco, aliis dicentibus esse in alio loco, quia adorans illa corpora non errat circa substantiam, cùm verè supponantur ibi esse: errat tamen in eo, quòd ipse putet esse unius Sancti, cùm verè sint alterius. supponitur tamen approbatio Pontificis, vel Episcopi. Si verò de tali approbatione non constaret, adorari non debent, quia exponeret se quis periculo adorandi falsas reliquias, *Sanchez, & Layman ubi supra.*

Infertur decimo, peccare mortaliter peccato sacrilegii, & furti eos, qui surripiunt, vel extrahunt aliquod de reliquiis alterius, nisi tamen hoc faciant de licentia Domini: immò extrahentes reliquias ex Cemeteriis Romæ, aliisvè locis sacris absque licentia Summi Pontificis, sunt excommunicati excommunicatione reservata Pontifici, imposita per Paulum V. die 24. Augusti 1613. ubi etiam excommunicantur eorum Consultores, & fautores, *Bonacina de censuris in particulari, disp. 2. quæst. 3. punct. 11. §. incidens* quod etiam de jure communi prohibebatur, nam *in cap. corpora de consecrat. dist. 1. ex Concilio Moguntinensi 1. cap. 15.* statuitur nullum corpora Sanctorum de loco ad locum transferre posse absque Concilio Principis, vel Episcoporum hodie requiritur sollus Episcopi. *Navarrus cons. 5. de sepulturis in antiquis aliàs cons. 9. eodem tit. in noviss.* qui consuluit, neque posse de una Ecclesia ad aliam transferri sine legitima auctoritate, neque reliquiæ, & partes Sanctorum, quæ sunt legitimè altaribus ad illorum consecrationem inclusæ sine licentia de illis ad alia mutari, explicant latè *Rodriquez tom. 3. quæst. regularium quæst. 55. art. 2. & quæst. 62. art. 1. & 11. Sanchez lib. 2. c. 40. num. 27. & cap. 43. num. 25. Barb. in collecta. textum in d. cap. corpora.*

De jure Gentium, & Civili.

Ultra jus naturale, & ejus effectus datur jus gentium, & civile. Jus gentium est, quod omnes homines naturali ratione moti constituunt, *l. omnes populi, ff. de just. & jure*, quale est illud, possessiones esse dividendas &c. quamvis enim ab initio omnia bona essent communia, processu tamen temporis, omnes homines ratione moti judicarunt possessiones esse dividendas ad vitam in pace traducendam, & ad discordias evitandas, quia communio parit discordiam, *l. cum pater, §. dulcissimis, ff. de leg. 2.* quod jus gentium duplex est secundùm communem opinionem DD. aliud propriè naturale dicitur, quod scilicèt naturalis ratio absque aliqua constitutione apud omnes gentes constituit, diciturque jus gentium eo quòd solis gentibus proprium est, *l. 1. in fine cum legibus sequentibus, ff.* de *just. & jure*: aliud verò dicitur propriè humanum, quod scilicet non naturalis ratio constituit inter homines, sed homines ipsi usu exigente, & humanis necessitatibus postulantibus, *§. Jus autem gentium, Instit. de jure naturali gentium, & civili, §. Jus autem civile eod. tit. §. Jus gentium dist. 1.* Alii putant, & melius non esse duplex realiter distinctum primarium, & secundarium, sed unicum duplicis tamen intentionis. *Connanus lib. 1. comment. cap. 5. Velascbus de jure emph. quæst. 3. à num. 6.* & alii, quos impugnat *Barb. in collect. ad decretum in cap. Jus gentium 1. dist.* & verè, quæ sunt juris gentium, late explicat *Suarius lib. 2. de legibus, cap. 18. Decianus lib. 2. criminalium cap. 10. Vasquez 1. 2. disput. 157. cap. 3. & 4. Azorius par. 1. [illegible] 5. cap 1. Salas de legib. disp. 2. sect. 3.* est etiam notanda *glossa*: *in* d. *cap. Jus gentium 1. in verb. sedium*, ubi dicit licere furati rem propriam, cùm aliter eam quis consequi non potest; quod explicat *Covarr. lib. 1. var. cap. 2. num. 15. Zerola in praxi Episcopali par. 1. in verb. compensatio, Barbosa in collect. ad textum prædictum in d. cap. Jus gentium.* Secundo est notanda *glossa in verb. servitutes*, in eo quòd dicit servum, vel captivum fugientem à Domino suo, cum furtum sui ipsius faciat teneri in conscientia, *Covarr. lib. 1. var. cap. 2. num. 10. Molina de just. & jure tractat. 2. disp. 37.* ego tamen puto probabilius, quod capti in bello etiam justo ex parte capientium, injusto verò ex parte adversariorum, posse ad suos fugere absque peccato. *Valerus in differ. utriusque fori in verb. peccatum diff. 5.* & alii apud *Barb. ubi sup.*

Jus civile est illud, quod simpliciter authoritate hominum constituitur, & dividitur in duas partes in scriptum, & non scriptum, hoc in quinque partes, *l. jus autem, ff. de just. & jure*, scilicet in leges Plebiscita, Senatus consulta, Constitutiones Principum,

& responsa prudentum, *§. constat, instit. de jure naturali, Gratianus in distin. 2. Connan. lib. 1. comment. cap. 13. Sayrus in clavi Regia lib. 3. cap. 4. S. Tho. 2. 2. quæst. 95. art. 4. Sotus lib. 1. de just. & jure quæst. 5. art. 3. ad 2. Azorius par. 1. lib. 5. cap. 19. quæst. 5.*

Lex est constitutio scripta, *cap. lex 1. dist.* non quod ad essentiam legis requiratur scriptura, cùm possit voce, vel alio signo communitati denunciari, *cap. constitutiones 25. quæst. 1. Arist. lib. 10. & Liu. cap. 9.* sed dicitur scripta, quià ut plurimum, & regulariter loquendo in scripturam redigitur, ut perpetua memoria inviolata perseveret, *Bonacina disp. 2. de legibus quæst. 1. par. 4. num. 51. Layman tract. 4. de legibus cap. 2. Salas disp. 1. Sect. 9. num. 64. Suarius lib. 1. de legib. cap. 11. num. 9. & lib. 6. cap. 13.* plures laodati per *Barbosam in collect. ad textum in d. cap. lex. 1. dist.* & sic etiam explicatur *textus in §. constat, instit. de jure naturali, gentium, & civili.* Immò neque ad essentiam, privilegii requiritur, ut sit scriptum per Bullam, aut Breve, sed sufficiunt verba *Clem. dudum, vers. hoc etenim de sepulturis,* ubi *glossa 1. per textum in d. cap. institutionis, Navarrus cons. 1. de privilegiis: Ascanius Tamburrinus de jure Abbatum tom. 1. disp. 16. quæst. 2. Bonacina d. par 4. num. 51. Rodriquez quæst. regul. tom. 1. quæst. 7. art. 5.* licèt quoad probationem privilegii requiratur scriptura, secundum *textum sic intelligendum in cap. 1. de censibus in 6. in verb. in scriptis. argum. tex. in cap. contra morem 100. dist.* ibi, *scriptis privilegiis, Molina de primogen. lib. 2. cap. 8. à num. 8.*

Plebiscita dicuntur illæ leges, quas sola plebs scivit, & sola plebs constituebat, *Connanus lib. 1. comment. cap. 13. Pichardus in §. plebiscitum num. 1. & 2. instit. de jure naturali,* quæ plebiscita à lege *Horatia & Valeria* latis anno ab Urbe condita 304. vim legis habere cæperunt, deinde lege *Hortensia* lata anno 467 idem clarius fuit statutum, sicut refert *Decianus lib. 2. criminalium cap. 27. num. 5. & 6.*

Senatus consulta dicuntur illa, quæ à Senatoribus, centum scilicet viris, constituebantur pro regimine populi Romani deputatis, qui quoties lex aliqua nova facienda erat, in unum congregabantur ad casum propositum decidendum, & deciso per illos facta erat lex, quæ vocabatur Senatus consultum, *Modicius in §. Senatus consultum, Instit. de jure naturali dub. 1. Vasquez 1. 2. d*[illegible] *157. cap. 5. num. 36. Connanus lib. 1. commen.* [illegible] *14.*

Constitutiones Principum sunt quas Rex, vel Imperator constituebat *Gratianus in cap Constitutiones Principum:* quodcumque enim Princeps per epistolam constituit, vel cognoscens decrevit, vel Edicto præcepit, legem esse constat, ex traditis per *Connanum lib. 1. commentar. juris cap. 16. Goveanus lib. 2. var. cap. 30. Decianus lib. 2. criminalium cap. 30. Corrasius lib. 6. miscell. cap. 8. Duarenus lib. 2. disputationum cap. 19. Pichardus in §. sed & quod Principi, instit. de jure naturali, Salas disp. 2. de legibus. sect. 8. num. 42.*

Responsa prudentum erant eorum responsiones, quibus datum fuit de jure respondere, nam nemini licebat de jure consulentibus respondere, nisi quibus ipse Princeps permisisset: & plures fuerunt illi, quibus datum fuit publicè de jure respondere, quos connumerat *Pomponius in l. 2. §. juris civilis, ff. de orig. juris, Connanus d. lib. 1. commen. cap. 15.* & alii apud *Barb. in collect. ad textum in dicto cap. responsa prudentum.*

Ultra has leges erant lex Papia, & Poppea continens patrum præmia pro suscipiendis liberis; fuerunt enim suffecti consules in locum aliorum, scilicet Papius, & Poppeus, qui legem tulerunt, quæ à nominibus eorum appellatur Papia, & Poppea, de qua *Covar. de sponsalib. par. 2. cap. 8. in principio num. 4.* & quidem plura erant capita legis Papiæ, & Poppeæ, quorum unum erat, ut si vir, & uxor filios non haberent, quos alter alteri reliquisset, decima pars fisco applicaretur, qua in parte prædicta lex fuit sublata per *tex. in l. fin. C. de infirmandis pœnis celibatûs.* In eadem lege Papia sancitum erat ad puniendos celibes, ut qui vigesimo quinto anno uxorem non haberent nihil ex testamento lucrarentur, nisi ipsi testanti proximi essent, qua de re *Covarr. loco citato:* De hac eadem lege Papia, & Poppea, latè *Connanus lib. 8. commen. cap. 1. à num. 50. Lipsius in comment. ad tertium annalium Cornelii Taciti pag. 136. Barb. in collect. ad decretum cap. quædam 1. dist.*

Erat etiam lex Satyra, de qua *in cap. Satyra 7. dist.* ubi *Barb.* remissivè.

Dividitur etiam jus in affirmativum, & negativum: affirmativum est, quod præcipitur ad aliquod faciendum, quale est illud Psalmi. *Declina à malo, & fac bonum:* ad cognoscendum verò an aliqua lex sit affirmativa, an negativa non est attendenda verborum forma, sed spectandum est id, quod præcipitur, vel prohibetur, quia fieri potest, ut aliquod præceptum affirmativum concipiatur, & feratur per verba negativa; negativum verò per verba affirmativa, ut est præceptum restitutionis, quod est affirmativum, licèt reducatur ad præceptum Decalogi non furaberis, quod per negativa verba concipitur. Igitur est inspicienda res præcepta; nam si inspiciatur aliqua actio præstanda, dicitur præceptum affirmativum; si verò aliqua actio prohibeatur, censetur præceptum negativum *DD. ubi sup.*

Ultimo loco est notandum *ex textu* nostro, ibi Evangelium, quod nomen Evangelii, pluribus modis accipitur; primo enim accipitur pro præmio, quod dari solet lætum afferenti nuncium, *l. falsus creditor, ff. de furtis Lexicon juris in verb. Evangelium:* apud Græcos verò significat bonum nuncium, *Lexicon juris ubi supra & Lexicon Theologicum, in verb. Evangelium.* In materia verò nostra sumitur pro nuncio redemptionis, & salutis nostræ; undè definiri solet, est nuncium Christi pro redemptione, & salute nostra æterna traditum ab Apostolis scriptum, & in toto Orbe terrarum prædicatum.

Pinguntur verò Evangelistæ cum quatuor animalibus, Matthæo enim attribuitur homo, nam Evangelium ipsius versatur ad scribendam humanitatem Christi; & ideò ejus liber incipit. Liber generationis Jesu. Secundo Marco attribuitur Leo, quia ejus Evangelium continet Christi resurrectionem, nam sicut Leo suo rugitu tertia die suos catulos excitat, ità etiam Christus tertia die resurrexit à mortuis, undè ejus Evangelium ab exclamatione incipit, *Vox clamantis in deserto.* Tertio Lucæ attribuitur Vitulus, quia ipse passionem Christi scribit, & sic fuit Vitulus io moriendo. Quartu Joanni attribuitur Aquila, quia sicut ipsa præ cæteris animalibus volatilibus volitat altiùs, ita Joannes præ cæteris ad scribendam Christi divinitatem præfertur, & sic hæc quatuor animalia optimè conveniunt Christo. Primo, quia fuit homo descendendo. Secundo, quia fuit Vitulus moriendo. Tertio Leo resurgendo. Quarto Aquila ascendendo in cœlum, ità *Sebastianus Medices de legibus par 2. quæst. 4. num. 10.*

Digitized by Google

In §. Jus conſuetudinis cum ſequenti.

Agitur hîc de conſuetudine. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum eſt primo, quòd conſuetudo eſt jus quoddam moribus inſtitutum, quod pro lege ſervatur cùm deficit lex Canonica *c. conſuetudo* 1. *diſt. can. mos eſt* eadem *diſt.* & mos dicitur frequentia actuum, ſeu conſuetudo. uſus verò in uno actu conſiſtit, *Barb. in collect. ad textum in d. cap. mos, & cap. conſuetudo, Bart. & alii in l. de quibus cum octo ſequentibus, ff. de legibus l.* 1. *ff. de aqua pluv. arcenda.* Dicitur loco generis (*Jus*) prout ſignificat regulam, *cap. Jus generale* 1. *diſtinct.* ibi. Jus autem dictum eſt, quia juſtum eſt, dicitur (moribus introductum,) quia mores hominum componunt conſuetudinem, & illam efficiunt, & ideò conſuetudo dependet à moribus tanquam effectus à cauſa, ſed interdum confunduntur mos, uſus, ſtylus, & obſervantia. *Barb. in cap.* 1. *de conſuetud.* Item mos animalibus brutis competit, undè ſcriptura dicit homines operari more brutorum, juxtà illud *Eſdræ cap.* 8. *qui mores pecudum habuerunt, &* 2. *Machab.* 11. *Leonum more impetu irruentes in hoſtes, Avendanus lib.* 2. *de meiu cap.* 37.

Neque dicas obſtare *textum in l.* 2. *C. quæ ſit longa conſuetudo*, ubi conſuetudo legem non vincit, *& in l.* 3. *§. Divus Adrianus, ff. de ſepulchro violato*, ubi probatur conſuetudinem municipalem ſepeliendi mortuum in Civitate non poſſe Principis reſcripta vincere, quæ generalia erant.

Reſpondetur enim ad primum, quòd conſuetudo tollit legem, non quia conſuetudo, vel lex eſt, nam ſic parem habet vim, ſed quia poſterius eſt jus. Ad ſecundum dico in *d. §. Divus*. quòd ideò ibi conſuetudo non tenuit, nec vincit legem, quia erat contra publicam utilitatem inducta, eo quòd apud veteres mortuos in Urbe ſepeliri funeſtum reputabatur, *Alexander lib.* 3. *dierum cap.* 2. *& lib.* 5. *cap.* 13.

Sciendum eſt ſecundo, quòd conſuetudo duobus actibus introducitur, vel ſaltem ex uno habente tractum ſucceſſivum, *Molina lib.* 2. *de primogenitur. cap.* 6. *Gamma deciſ. Luſitana* 193. *Gabedus dec. Luſitana* 521. *num.* 3. & eſt duplex, una contra legem, altera præter legem, de qua *textus* agit in *l. de quibus* 32. *& l. diutina cum ſequentibus ff.* de *legibus*: altera contra jus appellatur, de qua agit *textus in d. l. de quibus, & in l.* 2. *C. quæ ſit longa conſuetudo* cujus doctrinæ meminit *gloſſa in cap. fin.* de *conſuetud. & in cap. ne litigantibus de officio ordinarii in* 6. Addunt alii conſuetudinem ſecundùm legem. & eſt illa, quæ declarat, ſeu interpretatur legem, & conſiſtit in frequentatione actuum per legem præceptorum, per quam conſuetudinem lex dicitur confirmari, *Abbas in cap. fin. de conſuetud. Azorius par.* 1. *lib.* 5. *cap.* 17. Si tamen eodem momento reiterentur plures actus, per hoc non dicitur inducta conſuetudo, ſed requiritur intervallum temporis inter unum actum, & alium, *l. ſi triennio, ff. de ſtatu liberis, gloſſa in cap. Lotharius. in verb. appellavit* 31. *quæſt.* 2. *Carolus* de *Craſſis except.* 14. *num.* 68.

Inter conſuetudinem præter legem, & contra legem illud eſt diſcrimen, quòd prior per decem annos conſtituitur. non ſic quando eſt contra legem, *gloſſa in d. verb. legitimè, & in d. verb. ſtatuimus, & verb. conſuetudo in cap. fin. de conſuetud. in* 6. in quacumque verò conſuetudine, neque bona fides neceſſaria eſt, neque ad illam introducendam eſt neceſſarius titulus, ut advertunt communiter *DD. in d. cap. fin.* quicquid contrarium putet *gloſſa in cap. non eſt de conſuetud. in* 6. *in verb. canonica*; quæ communiter reprobatur.

Sciendum tertio eſt, quòd conſuetudo non poteſt introduci contra jus divinum licèt poſſit contra jus humanum, *cap. fin.* de *conſuetud.* quia primum eſt immutabile, ſicut immutabilis eſt author illius, *cap.* 1. ibi *incommutabilis*; de *ſumma Trinit. & fide Catholica.* Secus ſecundum latè *Barb. in collect. ad titulum de conſuet.*

Ex quibus infertur primo, conſuetudinem, quæ infert damnum Eccleſiis, debere tolli officio Judiciis, *cap.* 1. *de conſuetud.* qui *textus deſumptus eſt ex S. Gregorio lib.* 1. *epiſtolarum epiſt.* 64. *ad Felicem Epiſcopum Meſſanenſem*, verùm ſi ſit immemorabilis in odium Eccleſiæ, valet per viam præſcriptionis, undè ſi conſuetudine induceretur eum, qui non ſolvit Canonem Eccleſiæ per biennium non cadere in commiſſum, valida eſſet, *Covarr. lib.* 3. *var. cap.* 7. poſt alios *Barb. in cap.* 8. *de re judicata, & in cap.* 1. *de conſuetud.*

Infertur ſecundo conſuetudinem, per quam Eccleſia, vel locus pius, & religioſus acquirit dominium, & poſſeſſionem rei ſine ſolemnitate legali valere, *cap.* 2. ubi *Innocentius Tertius* id determinat, qui *textus* deſervit pro argumento ad hoc quòd ex Principis poteſtate poteſt dari vera. & poſſeſſio abſque actu aliquo corporeo, ſeu vera, aut interpretativa detentione, ad quod etiam probandum facit *textus in cap. contingit de dolo*, ubi miſſus in poſſeſſionem ex primo decreto, elapſo anno efficitur ſtatim verus poſſeſſor ex legis imperio, facit etiam *textus in l. quod meo* 38. *ff. de acqu. poſſeſſ.* ubi poſſeſſio transfertur per ſolam clauſulam conſtituti, & per reſervationem uſûsfructûs, *l. quiſquis*; *ff. de donat.* & in Monaſterium per profeſſionem Monachi, *Authen. ingreſſi, C. de ſacroſ. Eccleſ.* per quæ jura tradunt *Faber de errorib. pragm. decade* 75. *errore* 1. *Card. Mant. lib.* 12. *de tacit. tit.* 20. *Peregrinus lib.* 4. *var. nu.* 48. *Tiraquell. in tract. de mor. par.* 5. *declarat.* 1. *à num.* 4. *Rebuffus ad leges Gallicas tom.* 3. *tit. de materiis poſſeſſoriis in præfatione à num* 38. *Molin. de primogen. lib.* 3. *cap.* 14. *à num.* 19. & etiam lege, & conſuetudine poteſt introduci, ut poſſeſſio tranſeat in hæredem ſine corporali apprehenſione, ut in Regno Franciæ eſt, de qua re *Tiraquell. de mor. par.* 1. *declar.* 6. *&* 7. *Bellonus lib.* 4. *ſupputationum cap.* 14. & decidit *Rota Romana apud Marcheſanum de commiſſ. par.* 1. *pag.* 137. qui habentes miniſterio legis poſſeſſionem ſibi tranſlatam, habent etiam remedia tam retinendæ, quàm recuperandæ; poſt alios *Menoch. de recuper. remed.* 1. *nu.* 397. Alii putant per legem ſine corporali apprehenſione non transferri veram poſſeſſionem, ſed effectus civiles ipſius communicari poſſeſſori, *Gilkennius de præſcript. par.* 2. *membr.* 3. *cap.* 11. *à num.* 5. eſt etiam notanda *gloſſa in d. cap.* 2. *de conſuetud.* ibi. *Item cum quis*, quæ notatur ad hoc. quòd per clauſulam conſtituti transfertur vera poſſeſſio in conſtitutarium, ac ſi vera traditio interveniſſet, *d. l. quod meo, ff. de acquir. poſſeſſ. Tiraquell. de jure conſtit. par.* 1. *nu.* 2. *& par.* 2. *ampliat.* 1. *Gratianus cap.* 175. *num.* 3.

Infertur tertio conſuetudinem, ex quâ populus fert ſententiam in cauſis Eccleſiaſticis non valere, ſed Epiſcopum auditis partibus fere debere ſententiam in ſubditos ſuos, *cap.* 3. *de conſuetudine*, qui etiam *textus* notatur ad hoc, quòd ſententia à non ſuo Judice lata eſt nulla, *Rota dec.* 121. 1. *par. noviſſ.* alias *par.* 4. *diverſorum, Riccius collect.* 1480. Verùm poteſt ſententia lata à Judice incompetenti ex eiſdem actis approbari quando juſtè lata eſt, *Bart. & Paulus in l. ſi ut proprius, C. quomodo, &*

quando Judex, *Gamma decis.* 219. *Vivius decis.* 331. *Velascus consult.* 65. *Costa de facti scientia*, *& ignorantia cent.* 1. *dist.* 100. *num.* 78. *Borrellus in summa dec. tit.* 41. *num.* 9.

Infertur quarto consuetudinem non posse operari, ut simplices Sacerdotes conferant illa Sacramenta, quæ ad solum Episcopum spectant, ut confirmatio, ordines, &c. *cap.* 4. de *consuetud.* Sunt enim ista ordinis Episcopalis solis Pontificibus reservata, *Azorius par* 1. *lib.* 5. *cap.* 19. ut est Sacramentum ordinis conferre, *Trid. sess.* 23. *de Sacram. ordinis can.* 4. *S. Thomas* 3. *par. quæst.* 63. *art.*3. *Vasquez in* 3 *partem.tom.*3.*disp.*243. *&* 245. *Bonacina disp.*8. *de Sacram. ordinis quæst. unica par.* 5. *num.* 8. Etenim licèt ordines minores possint ex delegatione Pontificis à simplici Sacerdote conferri, *Covar. lib.* 1. *var. cap.* 10. *num.* 9. Card. *Bellarminus lib.* 1. de *clericis cap.* 27. *Azorius par.* 2. *lib.* 5. *quæst.* 12. Majores verò neque vigore delegationis factæ à Papa, possunt ab aliis conferri quàm ab Episcopis, *S. Thom. in supplem. ad* 3. *partem*, *quæst.* 38. *art.* 1. *ad* 3. *Rodriq. tom.* 1. *quæstionum regularium quæst.* 18. *art.* 3. *Barb. par.* 2. *de potestate Episcopi alleg.* 3. quidquid dicat *Abbas in d. cap.* 4. *de consuetudine.* De Sacerdotio id admittunt communiter non posse fieri. De Subdiaconatu, & Diaconatu putant posse Pontificem delegare facultatem conferendi simplici Sacerdoti, ita post alios *Barb. in collect.* ad *d. cap.* 4. *de consuetud. & de potestate Episcopi alleg.* 3. *num.* 4. Ego tamen puto probabiliter posse simplicem Sacerdotem ex potestate Papæ conferre diaconatum, & subdiaconatum, tùm quia potest ex ejusdem commissione conferre confirmationis Sacramentum, & de facto plures Sacerdotes id fecisse de potestate Papæ scribit *S. Gregorius lib.* 3. *epist. cap.* 26. & alii de quibus *Marchinus de ordine par.* 2. *cap.* 13. *num.* 6. Tùm quia plures Abbates Cistercienses tale privilegium habuerunt, quod in Bullis Pontificiis, præsertim Innocentii Octavi testatur se vidisse *Rodriquez d. quæst.* 18. *art.* 3. *&* 4. & inter privilegia Ordinis Cisterciensis refert se vidisse *Marchinus ubi supra num.* 9.

Addo posse simplicem Sacerdotem ex facultate Papæ conferre Sacerdotium, cùm non sit major ratio cur possit ordines minores, & cur subdiaconatum, & diaconatum, & non sacerdotium? immò ex ejusdem Pontificis delegatione potest subdiaconus ordinare subdiaconum, diaconus diaconum, &c. *glossa in cap. quanto de consuetudine*, quia potestatem exercet, non ex vi sui ordinis, sed ex potestate sibi commissa à Papa: Hoc tamen non potest facere Episcopus in Diœcesi, & delegare facultatem, quia ad delegandam ordinandi facultatem, quæ est inter omnes suprema, requiritur plenitudo potestatis, qualis in solo Pontifice reperitur.

Non tamen potest Sacerdos à Diacono etiam ex Papæ concessione ordinari, tùm quia major à minori ordinari, & benedici non potest, ut ait *Paulus ad Hebræos cap.* 7. Sed Sacerdos est major Diacono, ergo: tùm quia sequeretur etiam laicum ex mandato Papæ posse ordinare, tùm quia ità tenet communis Canonistarum, & Theologorum sententia, ut benè *Marchinus de ordine par.* 2. *cap.* 13. *in fine.*

Neque dicas conferre tales ordines esse de jure divino, ergo Papa non potens mutare jus divinum, nequit prædictam facultatem simplici Sacerdoti conferre.

Respondeo enim, quòd licèt Sacerdos non habeat talem potestatem ex vi sui ordinis, communicari tamen potest à Deo, per dispensationem Christi Vicarii, sicut calor ab igne, & lux à Sole dependet, & tamen potest aliqua causa naturalis ex divina dispensatione sine igne calefacere, & lumen sine Sole producere per potentiam obedientialem, ergò ità poterit simplex Sacerdos ex divina dispensatione per Vicarium Christi concessa, minores, & majores ordines conferre absque proprio ordinum principio, qui est character Episcopalis, ut benè *Philibert. Marchin. de ord. p.* 2. *cap.* 14. *in fine.*

Neque Sacramentum Confirmationis potest conferri ab alio, quàm ab Episcopo, ut in *d. cap.* 4. *de consuet.* quia minister ordinarius est Episcopus ordinatus. *Covarr. d. cap.* 10. *Trid. sess.* 7. *de confirm. cap.* 3. tamen ex delegatione Papæ potest Sacerdos conferre confirmationis Sacramentum *Card. Baron.* 8. *tom. annal. anno Christi* 194. *pag.* 54. *Coninch. de sacram. q.* 72. *art.* 11. *Bonac. disp.* 3. *q. unic. p.* 2. *num.* 3. *Barb. alleg.* 30. *& in collect. ad text. in d. cap.* 4. *de consuet. in fin.*

Infertur quinto, non valere consuetudinem, qua rumpitur nervus Ecclesiasticæ disciplinæ, vel si est contra statutum Ecclesiæ *cap. cum inter de consuet.* ubi ponitur exemplum in eo, qui habet privilegium tempore interdicti dicendi officia, quia non poterit propter consuetudinem quis pulsare campanas, neque potest aliqua dignitas in Episcopatu erigi cum præjudicio aliorum consuetudine non obstante. *cap. cum olim de consuet.* Neque potest Episcopus constituere novas dignitates in aliqua ecclesia, vel Cathedrali, sine auctoritate Apostolica, *gloss. in verb. omnes in cap.* 1. 22. *dist. Ricc. dec.* 382. *in* 2. *edit. alias* 322. *in* 1. *edit.* neque potest consuetudinis prætextu aliquis dimittere dignitatem etiamsi velit ad aliam transire sine licentia sui superioris, nam consuetudo inimica canonibus est corruptela, *c. cum venerab. de consuet.* Neque potest Capitulum sine consensu Episcopi mutare constitutiones, & consuetudines approbatas Ecclesiæ, nec novas inducere, quas si induceret sunt irritæ, *cap. cùm consuet.* 9. *consuetud.* quia non potest Episcopus statuere aliqua, qua tangunt statum generalem Ecclesiæ, vel jura Episcopi, sine ipsius consensu. Sede vero Episcopali vacante, poterit Capitulum ea, quæ ad statum Ecclesiæ pertinent constituere. *Massobrivas de Synodo Diœcesana cap.* 4. *dub.* 47. *Barb. d. cap.* 9. *de consuet.* Valet tamen consuetudo, qua Episcopus non tenetur requirere consilium sui Capituli, dùm punit excessus subditorum *cap.* 3. *de consuetud. in* 6. Vicarius tamen non potest punire subditorum excessus, nisi specialiter ab ei Episcopo committatur. *Ferrett. cons.* 214. *vol.* 1. *Sanch. lib.* 3. *de matrim. disp.* 29. *Barb. par.* 3. *alleg.* 54. *n.* 117.

Infertur sexto, non valere consuetudinem præbentem delinquendi ansam, etiamsi sit immemorabilis, unde non valet quando permitteret, ut qui dissipavit bona sua possit expendere bona uxoris, nec si uxor adultera, dimittatur habeat partem bonorum viri *cap. ex par. de consuet.* sicut nec valet lex, quæ delinquendi præbet occasionem, *Menochius lib.* 4. *de præsumption. præsumpt.* 49. *nu.* 25.

Infertur septimo, non valere consuetudinem contra jus naturale, nec etiam contra jus positivum, nisi sit rationabilis, & legitimè præscripta *cap. fin. de consuet.* etenim in consuetudine plura requiruntur, primò, ut quod introducitur per consuetudinem, possit esse materia legis, & sic consuetudo aliquid inducens contra præcepta divina est invalida, & sic homicida occidendo, murmurator murmurando, nunquam excusatur ratione consuetudinis. *Vivald. de consuet. cap.* 3. neque valet consuetudo inducens fractionem sigilli in confessario, quia est de jure divino, & quia consuetudo habet vim legis, ideò debet introduci per actus voluntarios. *Laym. lib.* 4. *Theol. moral. tract.* 4. *cap.* 14. &

per

per consequens debet etiam induci ab illis, qui legem servare tenentur, unde pueri, qui nondum usum rationis habent, legem humanam per consuetudinem non poterunt abrogare, idem dic de amentibus, peregrinis, & exteris, quos diximus ad legem non teneri, latè *Suar. de legib. lib. 7. cap.* 12. *Avendan. lib. 2. de metu cap. 36. à nu.* 47.

Requiritur etiam in consuetudine, ut adsit intentio introducendi eam, quæ colligitur ex frequentia actuum, & frequentia dicitur inducta saltem per duos actus *Card. Tuschus lit. C. concl.* 795. *num.* 107. alii dicunt judicis arbitrio remitti quot actus requirantur *Menoch. casu* 81. & testes examinari debent, & deponere de visu actus, ex quibus dicunt fuisse inductam consuetudinem, & debent esse contestes, & non singulares circà actus *Card. Tusc. ubi sup. nu.* 47. & debent deponere, quòd illi actus fuerint facti intentione consuetudinem inducendi. *Barb. in d. cap. fin. de consuet. nu.* 18.

Qui verò introduxerunt consuetudinem, si eam non servant, non peccant mortaliter, sicuti si quis non sumeret aquam lustralem in ingressu Ecclesiæ, aut si non recitaret orationem Angelic. in sero, ut docent communiter DD. cit. non peccat, & multas consuetudines, quæ non sunt leges ponit *Menoch. de arbitr. casu* 494. Quòd si sit dubium, an consuetudo sit inducta animo obligandi, an devotionis causa præsumitur inducta causa devotionis, quia in dubio melior est conditio possidentis. *Menoch. de arbitr. q.* 71.

Debet etiam consuetudo à majori parte populi esse introducta. *Card. Tuschus* & alii apud *Barb. in d. cap. fin. nu.* 19. debet etiam esse observata per decem annos, ad tollendas verò leges Canonicas debet esse observata spatio quadraginta annorum. *Laym. lib. 4. tract. 4. cap. 3. nu.* 4. alii putant sufficere tempus decem annorum *Filiuc. tract. 21. cap. 11. q.* 11. si verò sit consuetudo præter jus etiam de jure canonico decem annorum spatium requiritur, latè *Barb. d. cap. fin. à num.* 13. & hoc sibi vult verbum illud (quanto diutius) de quo in *d. cap. fin.* ubi notat *Barb.* quòd diuturnitas temporis auget peccatum quoad Deum, & in foro animæ, licèt quoad forum externum quando delictum est antiquum, scilicet commissum jam supra decem annos, eo casu non debet puniri pœna ordinaria, sed mitiori, per *text. in l. diutino ff. de pœn. Genedus ad decretale collect.* 16 *nu.* 4. *Barb. d. cap fin. n* 2. In foro conscientiæ tamen, ut quis non peccet vigore consuetudinis, sufficit si sit rationabilis, licèt præscripta non sit, ut tenet *Michael de Palatio*, relatus per *Dian. tom. 4. tract.* 14 *&* 2. *Miscell. res.* 62. contra quem tamen tenet communis sententia DD. apud eundem *Dianam*. scilicet in foro conscientiæ, etiam requiri præscriptionem prædictam.

Datur etiam consuetudo immemorabilis ut est illa cujus initii memoria non extat in contrarium, quæ habet vim tituli, & privilegii, *l. hoc jure §. ductus aquæ ff. de aqua quotid. æstiv. Gonzal. ad reg.* 8. *Cancell. gloss.* 33. *num.* 4. *Borrell. in summa decis. tit.* 14. *nu.* 49. & sublata omni consuetudine, non censetur sublata immemorabilis. *Barb. d. cap. fin. nu.* 5. habet pro sua efficacia ut legem abroget *d. cap. fin.* ibi (ut vel juri positivo) *l. de quibus ff. de legib.* peccant tamen illi, qui à principio consuetudinem contra legem introducunt, donec lapsum sit tempus ad consuetudinem requisitum *Salas de leg. disp. 19. sect. 4. §. 1. nu.* 43.

Dices consuetudo inducitur per actus contra legem, & per consequens peccaminosos. *Paulus ad Rom. 13. cap violatores* 25. *q.* 1. ergo talis lex, seu consuetudo, non est rationabilis, cùm sit nutritiva peccati.

Respondeo, quòd licèt debeat esse rationabilis, non tamen talis requiritur ratio, quæ omnino tollat culpam violatæ legis, quam incurrunt facientes contra justam legem, sed requiri rationem, quæ aliquo modo consuetudinem cohonestet; ut sic cum rationis colore incipiat, & præscribatur.

Ex quo collige differre præscriptionem à consuetudine, quia cùm per præscriptionem commodum acquiratur principaliter privato, ideo non potest cum mala fide, & cum peccato dari *cap. fin. de præscript.* consuetudine verò acquiritur jus inter subditos principaliter ob bonum publicum inventa, ut omnis alia lex, *cap. consuetudo* 1. *dist. §. ex non scripto inst. de jur. natural.* ergo sicut lex, quæ in bonum commune profertur, vera est lex, licèt malo zelo cum peccato, & dolo statuentium inducatur, & promulgetur. *l. 1. ff. de doli mali excep.* sic consuetudo, quamvis cum peccato subditorum incipiat, si reliqua omnia concurrant, vera est consuetudo, nec potest dici quòd per eam invitentur homines ad delinquendum, cùm per eam non acquiratur commodum subditis, sed jus constituitur, quod ipsi servare tenentur, latè *Barb. in tit. de consuet. cap. ult. à nu.* 10. *usq. ad* 11. plures alias differentias inter præscriptionem, & consuetudinem videas per *Card. Tusch. litt. C. concl.* 801. *Barb. in d. tit. de consuet. cap. fin. per tot.*

Infertur octavo, non valere consuetudinem, ut quis habeat in eadem Ecclesia duas dignitates, vel personatus, seu præposituras, vel administrationes, vel duo officia, etiamsi esset consuetudo immemorabilis, & jurata, quia juramentum non debet esse vinculum iniquitatis, sic colligitur ex *cap. 1. de consuet. in 6.* Neque valet consuetudo quòd appelletur a Vicario, ad Episcopum. *cap. 2. de consuetud. in 6. Maran. par. 6. de appellat. à nu.* 380. *Sbrozzius lib. 1. de offic. Vicar. q.* 33. *& lib. 3. q.* 2. *Rota dec.* 131 *par. 3. divers. & dec.* 350. *in novis*, *& decis. 3. de offic. Vic. in antiq. Sanch. lib. 9. de matrim disp.* 28. *Ricc. coll.* 1166. *Tuschus litt. V. concl* 186. *Narbona in pecul. tract. de appel. à Vic. ad Episc. Barb. p. 3. alleg.* 54. quod quomodo procedat infra lib. 3. dicamus, cum *de appellat. & tradit. Barb. in d. cap* 2. *de consuet. in 6.*

Infertur nono valere consuetudinem optandi beneficia, & dignitates in collegiata *cap. fin. de consuet. in 6.* quod jus optandi non de jure communi, sed de consuetudine introductum est *Gonzal. ad reg. 8. Cancellariæ glos.* 34. *Moneta de option. canon. cap. 2. q.* 1. per quam Canonici antiquiores possunt optare antiquiores præbendas, *Moneta de opt. cap. 4. q. 1. Bellamera decis.* 229. quæ optio fieri potest per procuratorem constitutum cum litera etiam sine speciali mandato, quæ tamen optio non habet locum quando præbendæ vacant in Curia Romana *Rota dec. 4. de consuet. in nov. Moneta de opt. cap. 3. q. 3. à nu.* 12. neque in mensibus Papæ reservatis per regulam octavam Cancellariæ habet locum optio. *Moneta d. q. 3. nu.* 78. neque habet locum in beneficiis jurispatronatus, neque in beneficiis, quæ resignantur, vel permutantur, & est facienda infrà viginti dies, quod tempus per capitulum minui potest. *Moneta in cap.* 4. sicut, & prorogari, hæc etiam consuetudo optandi est præter jus, & rationabilis, unde per spatium decem annorum introduci debet *Moneta cap. 2. q. 2. à nu.* 15. *Barb. in cap. fin. de consuet.*

Infertur decimo, non valere consuetudinem prohibentem ne legati Sedis Apostolicæ recipiantur,

Digitized by Google

ea enim non obſtante ſunt legati ab omnibus recipiendi, & eos impedientes ſunt ipſo facto excommunicati, & eorum terræ Eccleſiaſtico ſubjiciuntur interdicto, ut in *extrav.* 1. *de conſuet.* quæ excommunicatio eſt reſervata Pontifici, non prout eſt in *d. extrav.* ſed prout eſt in bulla cœnæ *Bonac. de cenſur. bullæ cœnæ diſp* 1. *q.* 72. *p.* 1. *num.* 8. *Barb. de poteſt. Epiſc. alleg* 50. *num.* 234. *& in collect. tom.* 4. *fol.* 495.

Infertur undecimò, valere conſuetudinem, qua quis in abſentia, ſeu non reſidens percipiat fructus beneficiorum ſuorum *Covarr. lib.* 3. *var. cap.* 13. *Gonzal. ad reg.* 8. *Cancell. gloſ.* 5. *num.* 107. *Moneta de diſtrib. quot. p.* 2. *q.* 12. *an.* 31. qui dicunt id procedere modo eccleſiæ cathedrales, & collegiatæ præſertim inſignes non paterentur defectus miniſtrorum, aut talis conſuetudo non præbeat occaſionem vagandi, legas *gloſ. in cap. cum omnes* 6. *de conſtit.* non tamen valet conſuetudo, quòd habeant diſtributiones quotidianas, ut probat *text. in cap. unic. de cleric. non reſidentib.* 1. *n.* 6. *innovatus per Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *de reform. verſ. diſtributiones vero Garzia de benefic. p.* 3. *cap.* 1. *num.* 430. ubi ait eſſe dandum mandatum de manutenendo, ut quis lucretur diſtributiones in abſentia *Barb. in d. cap. cum omnes in fin. de conſtit. num.* 10.

In §. Conſtitutio cum ſequenti.

EGit Auctor in ſuperioribus de jure divino, & conſuetudine. nunc agit de conſtitutionibus, ut totus titulus perfectè explicatus remaneat, ad intelligentiam hujus §. & ſequentis.

Sciendum eſt primò, quòd conſtitutio propriè accepta ſignificat eam conſtitutionem, & diſpoſitionem, quæ fit à Principe, & à Summo Pontifice, qui eſt Princeps ſupremus *cap. corpora Sanctor. de conſecr.* 1. *diſt.* Definitur verò à Lancellotto in præſenti conſtitutio, ut ſit lex ſcripta, quam definitionem accepit ex *can. lex* 1. *Diſt.* melius tamen definiri poteſt, ut ſit id, quod Princeps, ſivè eccleſiaſticus, ſivè ſæcularis per epiſtolam conſtituit, vel cognoſcens decrevit, vel Edicto præcepit ad communem omnium utilitatem, *l.* 1. *ff. de conſt. Princip. §. ſed & quod Principi placuit inſtit. de jur. natural. gent. & civil.* Quando verò Papa legem facit dicitur epiſtola decretalis, ut in corpore canonico, & quidem epiſtolæ decretales, vel canones ligant omnes, excepto Papa, eaſque debent omnes ſervare in judiciis eccleſiaſticis, & actionibus civilibus *cap.* 1. *de conſtit.* deſumpto ex Concilio *Meldenſi cap.* 51. ligant etiam S. Romanæ Eccleſiæ Cardinales; *Barb. in collect. ad d. text. in cap.* 1. *de conſtit.* qui ea in particula illa (*nemo ſuo ſenſu*) adducitur ad hoc, quòd non poteſt judex ad libitum, ſed Secundum communem judicare *Guido Pap. dec.* 277. *Ricc. in collect.* 802. & illa præſumitur verior opinio, quæ à majori DD. numero recepta eſt, *l. athletas* 4. *ibi.* & ita *generaliter omnes opinantur ff. de his qui notantur infamia l. ita vulnerat.* ibi *dicitur vulgo ff. ad l. Aquil. l. unic.* ibi *ſanè crebrior apud veteres opinio eſt ff. de offic. quæſtor. l. divi fratr.* 57. ibi *plures etiam ff. de jurepatr. princ. inſtit. de hæred. inſtit.* ibi *ſecundùm plurium ſententias*, non tamen communis opinio eſt præferenda illi, quæ nititur validioribus, & melioribus rationibus *Farinac. in praxi p.* 1. *q.* 15. *num.* 56. *Marta de juriſdict. par.* 2. *cap.* 6. *num.* 7. ubi ſubdit nullum Doctorem poſſe fundare opinionem contra eccleſiam, & quia Doctores legendo magis nituntur veritati, quam conſulendo, quia in lecturis ceſſat affectio, & cupiditas ejus, ideò ſi reperiuntur opiniones contrariæ, potius ſtandum eſt opinioni, quam Doctor in legendo ſequitur, quàm in conſulendo, tenet *Menoch. de præſump. lib.* 2. *præſump.* 71. Quando verò ſunt in aliqua re duæ opiniones, una probabilis, altera probabilior, licitum eſt tam judici, quam civi privato in foro conſcientiæ ſequi probabilem, relicta probabiliori. *Sanch. de matrim. lib* 2. *diſput.* 41. *num.* 30. *& lib.* 3. *diſp.* 20. *nu.* 4. *& lib.* 8. *diſp.* 6. *num.* 18. *& Barb. in d. collect. ad decretal. cap.* 1. *num.* 14. qui latè agit remiſſivè de opinione *Bartholi, & gloſſa*, dicens in Hiſpaniam *Bartholi* ſententiam haberi pro lege, ex lege Regia.

Sciendum ſecundo eſt conſtitutionem reſpicere futura, & non præterita, *cap* 2. *de conſtit.* niſi de eis ſpecialiter loquatur *cap. fin. de conſtit.* ubi *Barb.* notat *ex gloſſa tibi declaramus*, quòd ad eum pertinet interpretatio legis, ad quem pertinet conſtituere, *ex l. ultima C. de legibus, Mantica de tacitis lib.* 1. *tit.* 16. qui ait interpretationem dividi in quinque ſpecies nempè in declarativam, intellectivam, correctivam, extenſivam, & reſtrictivam, & pro interpretatione privilegii ad concedentem recurri poteſt. Neque obligat ignorantes, *cap.* 2. *de conſtit. in* 6. niſi ignorent ignorantia craſſa, & vincibili, latè *Barb. in collect. ad tex. in d. cap.* 2. *Riccius collect.* 158. & colligitur ex *d. cap.* 2. ibi *ignorantes*; niſi apponatur clauſula irritans, cujus natura eſt ligare etiam ignorantes quoad actus nullitatem, non quoad pœnam, *cap.* 1. *de conceſſ. præben. in* 6. *cap. ſi eo tempore de elect. in* 6. *Riccius collect.* 1276. verùm licèt habeat decretum irritans non obligat ante promulgationem, *cap. in iſto*, *§. leges diſt.* 4. *l. fin. ff. de decretis ab ordine faciendis*, *l. leges ſacratiſſimæ*, *C. de legibus*, *Rota apud Barb. in d. cap* 2. *de conſtit. num.* 7 *&* 8. non tamen præſumitur lex promulgata, niſi probetur, quia promulgatio eſt quid facti. *Menoch. lib.* 2. *de præſ. p.* 1. *& præſ.* 2. contra *Garſiam de beneficiis*, *par.* 2. *cap.* 1. *n.* 44. contrarium putantem.

Dixi quoad pœnam non ligare ignorantes, quia quod legitimè factum eſt pœnam non meretur, ut benè *gloſſa d. cap.* 1. *Tuſchus com.* 6. *lit. P. concl.* 208. nam pœna ſupponit culpam, *S. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 108. *art.* 4. & ubi non eſt culpa, non poteſt eſſe delictum, *cap. cum voluntate de ſententia excommunicationis*, & per conſequens nec pœna, *l. ſi putatur*, *ff. ad leg. Aquiliam cap. ſine culpa*, *de regul. juris in* 6.

Sciendum eſt tertio, quòd legiſlator non debet legem promulgare punientem omnia crimina, ſed quædam debet pertranſire ſub ſilentio, *Rebuffus ad leges Gallicas in proœmia*, *gloſſa* 1. *num.* 37. quia non omne illicitum punitur, ſed id tantum, quod ſtatuit lex eſſe delictum, *l.* 13. *§. non perpetua*, *ff. de ſepulchra violato*, *l. militis*, *C. de religioſ. & ſumptib. funer.* unde inter præcipuas virtutes legis permiſſio numeratur, *cap. omnis* 3. *diſtin. Suarius lib.* 1. *cap.* 15. *de legib. Salas diſp.* 3. *ſect.* 4. *num.* 15. *Vaſquez* 1. 2. *quæſt.* 92. *in* 2. quando verò lex unum malum prohibet, ſi deinde cætera orientia prohibeat bona eſt, *cap. concupiſcentiam* 4. *de conſtit* & regulariter uno prohibito cenſentur omnia prohibita, quæ ſequuntur ex illo, & omnia, per quæ pervenitur ad illud, *l. oratia*, *ff. de ſponſalibus*, *l. pupillus*, *§. ſed & ſi per interpoſitam*, *ff. de author. tutor. l. legem in fine*, *ff. de naturalibus liberis*, *cap. cum quod prohibetur de regul. juris in* 6. *Maſcar. de probat concl.* 102. *Barb. in l.* 1. *par.* 3. *num.* 57 *ff. ſol. matrim. & Auguſtinus Barb. in axiomatibus juris axiomate* 193. & extenſio fit de uno connexorum ad aliud, *cap.* 3. *de conſtit. l.* 3 *§. judicio contrario*, *ff. de contraria actione tutela*, *l. proinde ff.*

ad

ad legem Aquiliam, l. cum actum, ff. de negotiis gestis, *C. praeterea de offic. de leg. Card. Tuschus tom. 2. lit. C. conclus.* 626. praesertim ubi est eadem ratio. *l. illud C de sacros. Eccles. l. si postulaverit §. 2. ff. ad leg. Juliam de adulteriis*, *l. quidam nummularias, ff. de edendo §. pari ratione. Instit. quibus modis jus patriae potestatis solvitur. Portoles de consortibus cap. 5. num.* 15. nam ubi est eadem ratio, ibi dicitur esse eadem non extensivè, sed comprehensivè dispositio, *d. l. illud C. de sacros. Eccles. l. his solis, §. satis cautè putamus, C. de revocan. donat. Surdus dec.* 276. *num.* 8. *Barbosa de axiomatibus usu frequentibus axiomate* 197.

Sciendum est quarto, quòd constitutiones decretorum sunt singularibus opinionibus praeferendae, *cap.* 5. *de constit.* nec debet quis esse sapiens apud semetipsum, Sunt enim exequenda dicta Sanctorum Patrum eorumque exempla imitanda. *Trid. sess.* 4. paulò post principium; in decisionibus causarum major est Summus Pontifex omnibus Sanctis, qui Summi Pontifices non fuerunt. *Abbas in cap. qualiter, & quando l.* 2. *num.* 2. *de accusat. Mascardus concl.* 191. *num.* 11. & in dubiis ad finem, ut quis excusari valeat semper consulendi sunt periti, *Rubinus dec.* 99 & ideò consulens superiorem, credens illum habere sufficientem doctrinam, etiamsi erret non peccat, *Sayrus in floribus decisionum sub titulo de poenis decis.* 10.

Sciendum est quinto constitutionem collegii factam à majori parte praejudicare minori parti, *glossa in cap.* 6 *de constit. glossa in verb. sed nunquid, Verallus dec.* 192. *&* 203. *par.* 3. *Buccutonus in differ. inter judicia civilia, & criminalia differ.* 162. quia si omnes deberent concurrere non possunt de facili expediri, licèt in criminalibus omnes debeant consentire: in illis verò, quae competunt singulis, ut singulis omnes debent consentire, *Diana par.* 1. *tract.* 3. *resol.* 29. *Barb. in d. cap. cum omnes* 6. *num.* 9. qui etiam ait non posse capitulum etiam interveniente consensu Episcopi statuere aliquid contra jus commune, & decisum refert in Rota in causa cujusdam capituli, quod statuerat non admitti ad beneficia Ecclesiastica descendentes ex genere infecto: talia enim statuta sunt contra jus commune, *cap. eam te de rescriptis.*

In §. Penultimo.

Dividitur hìc constitutio: Ad cujus intelligentiam sciendum est, quòd principalis constitutionum divisio ea est, quòd alia sit generalis, alia particularis. Prima respicit omnes personas. Secunda certis quibusdam generibus personarum conceditur, quae alio vocabulo dicitur privilegium, cujus natura, ut perfectè intelligatur.

Dico primo, quòd privilegium sumitur quantum ad nomen interdum pro praerogativa, qua unus alteri praefertur, ut *in tit. ff. de privil. creditor.* ubi agitur de privilegio, quo unus creditor alteri praefertur, & sic ponitur inter actiones personales *in l. si sponsa* 77. *ff. de jure dotium*: interdum sumitur pro ipso creditore, cui competit, *l. si homines, §. quoties, ff. depositi*: interdum accipitur pro charta, ubi continetur indulgentia Principis, *cap. cum dilectu de confirm. utili*, ibi *privilegia*, quasi jam nimia vetustate consumpta, consonat *tex. in cap. ex parte, cap. quia de privil.* tandem sumitur privilegium pro indulgentia ipsa, seu Principis concessione, & in hunc sensum dupliciter, vel strictè, vel latè. Primo modo importat omnem concessionem, quae fit à Principe, vel alio superiore aliquod privilegium specialiter concedente. Secundo modo sumitur pro ea, qua aliquid contra jus commune conceditur, *gloss. in rubrica de rescriptis in* 6. omnes *in rubrica de privil. & excessib. praelatorum*, & dicuntur privilegia quasi leges privatae, quae de singulis feruntur, *cap. privilegia* 3. *dist. Gratianus in cap. ultimo, vers. neque* 25. *quaest.* 1.

Definitur privilegium in specie sumptum, ut sit lex privata, seu jus singulare contra jus commune indultum, *Hostiens. in summa tit. de privil. & excessib. privilegiatorum glossa in rubrica de rescriptis in* 6. *Barb. in collect. ad titulum de privil. in princ. num.* 5. Distinguitur jus singulare à privilegio, ut benè *Turaminus ad l. primam num.* 9. *ff. de legibus*, tanquam genus à specie, nam jus singulare dicitur, quidquid specialiter conceditur, quòd si contra jus commune sit, dicitur privilegium, *l. jus singulare, ff. de legibus*, ibi contra *tenorem rationis*. id est contra jus commune. Alii putantes privilegium non habere rationem legis, ponunt loco illius particulae (*lex privata*) placitum, alii indulgentiam, alii concessionem, quia de ratione legis est, ut in commune feratur, non in singulos. *cap. erit autem lex* 4. *dist. l.* 1. ibi commune praeceptum, *l. jura* 8. *ff. de legib.* quibus dicatur, quòd licèt privilegium certae personae concedatur, tamen semper in bonum commune ordinatur.

Dividitur privilegium ex parte causae efficientis in divinum, & humanum, primum est, quod à Deo conceditur, de quo *in cap. gaudemus, vers. nec illo de divortiis*, plura adducens exempla revelationis divinae Sanctis Patribus factae, secundum dividitur in Ecclesiasticum, & civile, & illud ab Ecclesiasticis, hoc à laicis conceditur.

Sunt etiam privilegia alia clausa in corpore juris, alia non. Prima sunt, quae in jure Caesareo, & Canonico, *ut in tit. de privil. dom. C. de privil. fisci, & in tit. ff. de milit. testam. & in tit. C. de rei uxor. actione*, quae verò peculiaribus rescriptis conceduntur, & extra juris volumina vagantur, dicuntur privilegia non inserta in corpore juris, de quibus ea est differentia, quia per clausulam derogativam non obstantibus privilegiis contrariis, non censetur derogatum iis, quae sunt inserta in corpore juris, sed aliis, nisi dicatur (etiam clausis) *glossa* 1. *per textum in l.* 3. *C. de silentiariis lib.* 12. *Barb. in l.* 1. *par.* 1. *num.* 9. *&* 12. *ff. sol. matr. Costa de facti scientia inspect.* 5. quia privilegia inserta in corpore juris, non sunt privilegia, sed jus commune, & ideò non verificantur in illis clausulae derogatoriae privilegiorum. *Menochius lib.* 6. *de praescript. praef.* 40. *num.* 25.

Dividitur privilegium ex causa subjectivè, seu materiali, ut scilicet vel sint realia, vel personalia, *l. privilegia* 157. *ff. de regul. jur.* Personalia dicuntur ea, quae in personam, realia, quae in rem diriguntur, *d. l. privilegia, l.* 1. *§. personis. ff. de jure immunit. l.* 1. *§. permittitur de aqua quotid. & aestive*; *cap. privilegia, de regul. juris in* 6. ubi *DD. Tiraquell. de jure primogen. quaest.* 59. *Barb. in l. quia talè ff. solut. matrim. Menoch. lib.* 3. *de praesumpt. praes.* 103. *Suarius lib.* 8. *de legibus cap.* 3. conveniunt realia, & personalia privilegia, quia sicut personale extinguitur persona extincta, cui conceditur, ita reale extincta re, *glossa ultima in cap. Abbate de verb. signif. est textus in cap.* 2. *de novi operis nunciat. glossa in verb. destructa per textum ibi in cap. & hoc diximus* 16. *quaest.* 7. *& in cap. privilegium de regulis juris in* 6. ubi corruptè allegat *textum in l. usufructu, ff. quando dies legati cedat*, volens allegare *l. si usufructus* 21. *ff. quibus modis ususfructus amittatur.* Differunt talia privilegia, quia realia licèt extinguatur persona, cui conceduntur, non tamen ipsa extinguuntur, sed ad haeredes transeunt, personalia non ita, *d. l. privilegia, & d. cap. privilegium.*

Huic decisioni proxima est illa alia, quòd scilicet quaedam sunt temporalia, quaedam perpetua, quam tradunt, & latè in ea explicanda insudarunt, *Rodriq.*

tom. 1. quæst. regul. quæst. 9. art. 4. Suarius lib 8. de legib. cap. 5. Salas disp. 17. de legibus sect. 2. ex num. 13. qui tamen communiter resolvunt dici temporale, quod ad certum tempus conceditur, ut v. g. per triennium; perpetuum verò dicitur, quod adhæret rei de se perpetuæ, vel sine præfixione temporis conceditur; In hoc tamen prædicti Patres decipiuntur, quatenus docent temporale esse privilegium quando conceditur personæ, quia cum personæ vitâ finitur, atque etiam illud, quod datur ad vitam concedentis, vel ejus cui conceditur, nam veritas est perpetuum esse censendum privilegium datum ad vitam concedentis, vel privilegiati, ut probat *textus in l. 1. ff. pro socio*, dum ait societas conveniri potest, vel in perpetuum, id est dùm vivunt, &c notat *Brissonius de verb signif. in verb. perpetuum in fine*, *Tiraquell. de retractu lignagier §. 1. glossa 6. num. 9.* ratio autem deducitur ex regula, *l. sufficiat ff. de condict. indeb.*

Ex causa finali dividuntur privilegia, quòd scilicet alia respiciunt bonum publicum, alia privatum, quæ respiciunt privatum commodum, possunt per partes repudiari, juxtà regulam *textus in cap. si de terra 6. de privilegiis cap. ad Apostolicam de regularib. l. si quis, C. de pactis, l. si Judex 42. ff.* de *minoribus, l. ultima. §. penul. ff. ad Trebell. l. si quis in conscribendo. C. de Episcopis, & Clericis, cap. suis, vers. nisi* de *testibus* cum aliis cumulatis à *Tiraquello de primogenit. quæst. 24. Alphano collect. 447. Card. Tuscho tom. 7. lit. R. concl. 170. Barb. in l. alia, §. eleganter à num. 12. ff. sol. matrim.* & ab altero *Barb. in tract. de axiomatibus juris axiom. 135. à Suario lib. 8. de legibus cap. 33.* Quando verò privilegium concessum est personæ, sed tamen respicit bonum communitatis, tunc renunciari non potest ab aliqua persona privata, ut de privilegio Canonis, & fori dicitur in *c. si diligenti de foro competenti, l. jus publicum, ff. de pactis, l. 2. §. sed quia veremur, C. de jure juran. propter calumniam, Covarr. in c. quamvis pactum par. 2. §. 1. à num. 5. Guttierez de juramento par. 1. c. 1. &c. 16. num. 50. Turaminus* de *legibus par. 2. c. 6. Barb. in l. 1. par. 1. num. 63. ff. sol. matrim. & in l. alia, §. eleganter num. 14. ff. sol. matrim. Suarius d. lib. 8. c. 6.*

Neque dicas malè privilegia dividi in publica, & privata, cùm omnia dicantur privatæ leges, ut supra.

Respondeo enim, quòd aut privilegium respicit utilitatem alicujus communitatis. aut ordinis, quia scilicet in favorem ordinis concessum est, ut in privilegio fori Clericis concesso, ne ad forum sæculare trahantur, *c. si diligenti, de for. corp.* & hoc dicitur publicum privilegium principaliter, & ideò non potest tali privilegio renunciari, nam particularis renunciatio toti communitati, vel tertio præjudicare non potest, argum. *cap. cùm contingat de foro competenti, & cap. quamvis pactum de pactis in 6.* & ad hoc reducuntur exempla, quæ ponit *textus in l. 1. §. hujus studii, ff. de just. & jure.*

Aut verò privilegium conceditur singularibus personis, & privatis, & tunc distinguo, aut enim principaliter respicit eorum favorem, & secundario bonum publicum, quatenus scilicet Lex, vel Princeps benè disponendo res privatorum, intendit etiam communem utilitatem, quæ resultat ex eo, quòd Civitas, seu Regnum opibus abundet, & Cives habeat locupletes, & in hoc casu potest quilibet renunciare privilegio, quia non attenditur utilitas Reipublicæ secundaria, & minus principalis, *l. 1.* ibi *prima enim ratio, ff. de author. tutor.* & in simili de præjudicio tertii minus principali notat *glossa utima in d. c. quamvis pactum*, recepta communiter ex *Covar.* in d. *cap. quamvis pactum par. 3. §. 3. num. 7. Sanchez in summa lib. 1. c. 9. num. 31. & 39.*

Quando verò Lex, aut privilegium disponendo de privatorum bonis, non respicit principaliter eorum favorem, sed publicam utilitatem, ut in juramento calumniæ, *d. §. sed quia veremur*, & in aliis, in quibus Lex principaliter litib. aut fraudibus intendit, tunc potest per partes renunciari *l. 1. ff. de usuc.* & ità post *Abbatem*, & alios *in c. si diligenti*, docet *Barb. d. l. 1. par. 1. num. 64. Card. Tuschus tom. 4. lit. 1. concl. 511. num. 28. Suarius de legib. lib. 8. cap. 6. in principio.*

Dividuntur privilegia a causa formali, ut aliud sit pro foro interiori, qui conscientiæ dicitur, aliud pro foro externo, qui contentiosus dicitur, seu forus fori solet appellari, cujus distinctionis meminit *tex. in cap. ult. ad fin.* ibi *jure fori, non jure poli 17. q. 4* quem modum loquendi accepit *glos. 1. in cap. qua in Eccle. de constit.* de utroque foro agunt *Valer. in differ. utriusq. fori in princ. Barb.* in locis communibus *argum. juris loco & in rubr.* de *foro compet. ubi nu. 9.* ait, quòd absolutus ab excommunicatione in foro pœnitentiali vigore jubilei, non censetur absolutus in foro externo, ex *Sanch. lib. 6. summæ cap. 17. n. 43. Diana par. 1. tract. 11. res. 26. & p. 5. tract 9. res. 13.* & decisum in *Rota* refert *Barb.* licèt sufficiat talis absolutio ad finem obtinendi beneficium Ecclesiasticum, ut decisum in Rota coram Clemente Octavo videre est *par. 3. divers. decis. 473.* & apud *Crescent. de probation. dec. 14.* quia tale privilegium est quid spirituale, ergò absolutus quoad Deum in foro pœnitentiali, est ipsius capax, & quoad hunc effectum statur dicto Confessarii, DD. ubi suprà.

Explicantur notabilia de Privilegiis.

PRimò nota, quòd est peculiare privilegium concessum Episcopali dignitati, ut non possit residere nisi in Civitatibus numerosis, & insignibus, ne vilescat sui multiplicatione, ità dicit *text. in cap. 1. de privil.* ubi *Abbas* undè Civitas dicitur, quæ Episcopum habet, & si non è contra, ex quo quando novus erigitur, Episcopatus, Villa, vel Oppidum, ubi erigitur fieri debet Civitas prius, ut *ex trav. salvat. vers. volentes de praben.* inter communes *Petrus Greg. de benefic. cap. 17. num. 12. Bart. in l. ult. num. 3. ff. de colleg. illi cit. Gened. in collect. ad decret. collectio 161.*

Secunda nota, quòd Ecclesia in Judiciis non vult turbare privilegia Clericorum, sed vult resistere laicis præjudicantibus Ecclesiæ, & dum laicos prædictos coarcet, non agit contra legem, sed legi fert subsidium, *cap. 2. extra de privil.* qui text. notatur ad hoc, quòd potest Ecclesia laicis violentiam, vel præjudicium inferre, volentibus Ecclesiæ, & rebus Ecclesiasticis resistere. *Card. Tusc. com. 4. lit. 1. concl. 445. & seq. Decian. lib. 8. crimin. c. 36.* qui textus dat nobis doctrinam, quòd sacrilegium puniri potest à judice Ecclesiastico, si à laico commissum sit, licèt alii, & melius putent esse mixti fori inter laicum scilicet judicem, & Ecclesiasticum, inter quos est locus præventioni *cap. proposuisti de foro competenti cap. cum sit generale de foro compet. cap. felic. de pæn. in 6. Farinac. in praxi q. 8. nu. 132. & q. 172. nu. 16. Marta de jurisd. p. 2. cap. 11. & voto 235.* post alios *Diana d. 1. tract. 2. res. 81.* licèt in Regno nostro à solo laico puniatur, si laicus sit delinquens *pragm. 1. de jurisd. ad invicem non turban.* ubi DD.

Tertio

Tertio nota, quòd religiosi etiam exempti, non debent decimas recipere de manu laicorum sine Episcopi consensu, nec debent excedere privilegia illis concessa, agendo contra autoritatem Episcopalem cum scandalo *c. 3. de priv.* ubi nota, quòd templarii, de quibus in dicto textu, erant quidam, qui votum, faciebant custodiendi iter ad visitanda loca Sancta in Hierosolymis circà annum Domini 1128. creati, postea anno 1131. à Concilio Viennensi à Clemente Quinto damnati fuère, & deleti. *Card. Tusc. lit. T. concl.* 25. *Rodriq. tom.* 1. *quæst. regul. q.* 5. *art.* 1. *Galganet. de jure pub. lib.* 3. *tit.* 44. & omnia privilegia quibus gaudebant tales templarii, gaudent hodie milites Christi in Portugallia ex Eugenio Quarto anno 1414. & fuit hic ordo fundatus anno 1316.

Ponderatur etiam *text. in* d. *cap.* 3. *in verb.* (ab illis &c.) quòd religiosi licèt exempti teneantur vitare excommunicatos, & nominatim interdictos, facit *text. in cap. nulli de sent. excomm. Covarr. in cap. alma mater part.* 1. *§.* 1. *Sayrus lib.* 2. *de censur. cap.* 11. *nu.* 32. quia obligatio vitandi excommunicatos non oritur ex jurisdictione ordinarii: à qua religiosi sunt exempti *cap. ne aliqui de præb. in* 6. Sed ex legis dispositione, à qua religiosi non eximuntur, ut benè *Barb. in collect. ad tit. de privil. cap.* 3. *nu.* 14.

Notatur etiam textus prædictus ibi in vers. (quam ab aliis omnibus &c.) per *Abbatem nu.* 1. *Decian. nu.* 5. *usq. ad* 15. quòd excommunicatus, vel interdictus in uno Episcopatu, in omnibus aliis, & ab omnibus non subditis excommunicantis, atque etiam ab exemptis vitari debet, notat *glos. in verb. substrahuntur in cap. pastoral. §. verum de appellat.* quam post alios sequitur *Covarr. in c. alma mat. p.* 2. *§.* 3. *Suar. tom.* 5. *disp.* 18. *sect.* 1. *a nu.* 4. est *glossa* similis *in cap. si quis presbyt.* 7. *quæst.* 1. *Suar. disp.* 26. *sect.* 1. *a. nu.* 9. sequitur *Bonac. de censur. disp.* 2. *q.* 2. *p. §.* 2. nu. 48. quia jam amisit talis excommunicatus jus ad famam.

Alii putant non esse vitandum in publico. sed in occulto, ità *Sylvest. Armilla*, & alii apud *Dian. p.* 5. *tract.* 9. *res. penult.*

Alii, & melius dicunt, non solum in publico sed neque in occulto vitandum esse. quos sequitur *Diana* ubi supra, quia sententia judicis, neque extra territorium, neque eos, qui subditi non sunt ligare potest, *l. ult. ff. de jurisd. omn. Judic. cap.* 2. de *constit. in* 6. *cap. à nobis* 21. de *senten. excommun. l. ex ea, vers. in ea, ff. de postulando*, & suspensus in uno loco à beneficio, potest eum habere in alio loco, *glossa in d. verb. substrahuntur*, *Suarius d. tom.* 5. *disp.* 27. *sect.* 1. *num.* 19. & bannitum (qui excommunicato æquiparatur *in c.* 1. *in fine principii hic finitur Lex in usibus feudorum*, *Gaillus de pace publica lib.* 2 *c.* 1. *num.* 26. *Card. Tuschus tom.* 1. *lit. B. concl.* 11.) licèt impunè possit occidi, tamen extrà territorium bannientis occidi non potest, *Baldus in l.* 1. *num.* 6. *C.* de *haredib. instituen. Card. Tuschus d. lit. B. concl.* 16. & legitimatio facta à Principe aliquo, non extenditur ad bona sita extra ipsius territorium, *Abbas*, *Decius*, & alii communiter, quos sequitur *Covarr.* de *sponsal. par.* 2. *c.* 8. *§.* 8. *num.* 14. *Peiera dec.* 69. *num.* 12. *par.* 2. *Facchineus lib.* 3. *contr. c.* 58.

Verùm, quia hæc sententia est contra *textum in d. nostro c.* 3. *de privil. & in c. cura* 11. *quæst.* 3. Ideò omissis variis solutionibus, dico quòd duo sunt in hoc; primum an Judex ex vi suæ jurisdictionis, potuerit excommunicatum arcere à communione fidelium extrà territorium suum: aliud, an possit alienis subditis prohibere, ne cum suo subdito communicent. Primum potest facere, licèt in dubio non censeatur facere, secundum *textum* sic intelligendum *in d. l. ex ea, ff. de postulando. argum. textus in c. si compromissarius, vers. restringitur de elect. in* 6. nisi etiam qualitas causæ id postulaverit, ut sunt sententiæ, quæ afficiunt personam, ut quando infamiam irrogant, vel ejus statum minuunt, *juxtà d. l. ex ea, & in servo pœna l.* 3. *ff. de his quæ pro non scriptis, l. qui ultimo, ff. de pœnis, Auth. Sed hodie, C. de donat. inter virum*, ut sunt etiam interdictum, suspensio ab officio, excommunicatio, &c. de quibus dicunt DD. quòd suam trahunt executionem, quæ absque hominis ministerio suos parit effectus, d. *c. pastoralis, §. verum.*

Ad aliud verò de alienis subditis scilicet de eo, quod non potuit Episcopus ex vi suæ jurisdictionis illis communionem cum suo excommunicato prohibere sed est recurrendum ad specialem Ecclesiæ institutionem, quæ præcipit, ut omnes fideles teneantur excommunicatum ab uno Episcopo, ubique locoque vitare, undè etiam exempti tenentur eum vitare; immò nec ipse Episcopus, qui excommunicationem protulit cum eo communicare, quod utique posset si suæ jurisdictioni esset tribuendum, ità communiter DD. teste *Suario disp.* 18. *sect.* 1. *num.* 4. *Barb.* in *c.* 3. *à num.* 15.

Ex eodem *textu in cap.* 3. *de privil.* de quo in 3. *notabili, in verb. ibi (nominatim)* colligitur, quòd nominatim excommunicatus, vel interdictus dicitur, quando proprium nomen exprimitur, vel aliquo indubitabili signo demonstratur, ut benè *glossa ib. in verb. nominatim*, est similis *glossa in c. constitutionem in verb. nominatim de senten. excommunic.* quas receptas communiter testatur *Covarr. in c. Alma mater par.* 1. *§.* 2. *num.* 8. *Suarius tom.* 5. *disp.* 9. *sect.* 2. & reprobant *glossam in cap. à nobis de sent. excommun.* dùm tenet nominatim excommunicatos dici posse, qui committunt furtum, vel similem actum contra Canonem, vel generalem sententiam excommunicationem, facienti talem actum imponentem, ut in forma illius *textus quisquis furtum fecerit sit excommunicatus.* Falsa enim est *glossa prædicta*, ex *tex. in l. quoties, §. si quis nomen, ff. de hæred. instit. juncto §. nominatim ff. de exhæred. liber.* quæ explicat *Covarr. in c. cum tibi uni* 5. *de testam. Gometius* 1. *tom. var. c.* 2. *num.* 6. *Menoch. lib.* 4. *de præsumpt. præs.* 19.

Ex eodem *textu in d. c.* 3. *§. in Ecclesiis vers. præsbyteros*, videtur dicendum, quòd Vicarii instituendi ab Episcopo in Ecclesiis, quæ non pleno jure Monasteriis, uniuntur, debeant esse in Sacerdotali ordine constituti, facit *textus in c. nemo* 15. de *electione in* 6. ibi ætate legitima, & Sacerdotio, *& in cap. si eo tempore* 9. *de rescriptis, cap. cum de beneficiis* de *præb. eod. lib.* Cui tamen respondeo, quòd sufficit ad validitatem collationis cujuscumque beneficii, etiam curati, quòd provisus sit prima tonsura initiatus, & ætatem habeat, ut intra annum ad Sacerdotium promoveatur. *Garsia de beneficiis par,* 3. *cap.* 4. & colligitur *ex cap.* 2. *de instit. in* 6. *& cap. ei cui* 29. *de præb. eod. lib.* & in juribus contrariis fit mentio de Sacerdotio, gratia frequentioris usûs, *arg. l. nam ad ea, ff.* de *legib.*

Qui etiam *textus in d. c.* 3. *de privil. §. in Ecclesiis, vers.* (*Episcopis repræsentent*) facit ad hoc, quòd præsentatio beneficii est personaliter Episcopo facienda, neque sufficit, quòd per litteras, vel per procuratorem absens ipsi Episcopo nominetur, tùm quia id suadet verbum ipsum præsentet, quod propriè significat præsentiam sui facere. *l. maritus §.* 1. *ff. ad leg. Jul. de adulter. & in l. consentaneum, C.* quomo-

quomodo, *& quando Judex*, cum aliis de quibus *Brixonius de verb. signif. in verb. præsentare*, unde *glossa* rectè dicit *in clem. dudum de sepulturis*, quòd repræsentare dicitur, qui præbetur sensibus corporis, *ex l. 1. ff. de verb. oblig.* undè non tenetur ordinarius admittere præsentatum, qui se personaliter non exhibet, tenet *Abbas in conf. 76. par. 2. Lambertinus de jure patron. lib. 2. p. 1. quæst. 1. art. 1. & quæst. 11. ar. 1. Lotterius de beneficiis lib. 2. quæst. 6. ex Num. 35. Gregorius 15. dec. 34.* ubi *Beltramiuus num. 4.* Neque textus *in cap. ea noscitur, de his, quæ fiunt à prælatis, &c.* aliquid probat, quia procedit quando patronus absens per litteras facit præsentationem personæ. quæ eidem Episcopo se personaliter repræsentet, quod si ri posse nemo est qui dubitet, *cap. ult. de concess. præb. clem. 1. vers. præsentatus de excessibus prælat. Rota dec. 4. de jure patron. Garsia d. cap. 1. num. 25.*

Confirmatur hoc ipsum, quia præsentari debent ab ordinario & examinari an sint idonei, tàm in Parochialibus, & curatis, quàm in simplicibus, *Trid. sess. 7. de reform. cap. 13.* quod examen cùm sit personale, & per procuratorem fieri non possit, necessariò sequitur, præsentatos teneri, se Episcopo personaliter exhibere. Verùm si absens præsentatus sit Episcopo notorius, & sufficienter idoneus nullum requiritur examen, *Barb. par. 3. alleg. 72. num. 118. Lambertinus par. 2. quæst. 11. Rota decis. 185. par. 2. divers.* plures decisum refert *Barb. in collect. ad textum in d. c. 3. de privil. num. 34.* dummodo tamen absens, infrà terminum datum, ad præsentandum per se, vel per procuratorem ad hoc specialiter constitutum præsentationem acceptet *DD.* communiter apud *Lotterium de beneficiis lib. 2. quæst. 6. num. 38.* præsumitur verò quis notus ordinario eo ipso, quòd est ejus diœcesanus, *Burattus dec. 22. nu. 30.* quam præsumptionem sufficere ad hunc effectum, ut sustineatur præsentatio de absente, dixit eadem *Rota ubi supra:* nisi tamen examen omninò, ut necessarium requiratur, ut in Parochiali, quia tunc non sufficit, quòd præsentatus sit notus ordinario, *Lambertinus d. ar. 3. num. 5. Rota coram Merlino* apud *Barb. in collect. ad tex. in d. cap. 3. de privilegiis:*

Ex eodem *tex. in c. 3. in verb. Episcopis repræsentent instituendos* deducitur, quòd institutio Ecclesiæ, quæ ad Religiosos spectat, fieri non potest, nisi præcedente ipsorum præsentatione adeò ut provisio aliter facta spreto scilicet patrono nullius momenti sit *DD. per textum* ibi *in c. Decernimus 16. quæst. 7. & in c. illud de jure patr. Abbas in c. cum Bertoldus nu. 13.* ubi *Felinus num. 8. de re judic. Rocchus Lambertinus*, & alii, de quibus *Garsia par. 5. de beneficiis c. 9. num. 231.* Si tamen patronus infra quatrimestre, vel semestre ad præsentandum sibi à jure concessum reclamaverit, aliter enim valeret provisio Episcopi, *Parisius lib. 8. de beneficiis quæst. 10. num. 10. Zerola in verb. Jus publicum num. 8. Rota d. c. 77. par. 1. divers. Garsia d. c. 9. à num. 233.* quia talis nullitas est introducta favore patroni, qui Ecclesiam fundavit, vel dotavit, ergo tacitam habet conditionem si patronus declaraverit, ut in simili circà pœnam commissi ob non solutum Canonem probat *tex. in l. 2. C. de jure emph.* & in casu excommunicationis ob non solutam pensionem, quæ non incurritur, nisi postquam pars declaraverit se ea uti velle, *Cassodor. dec. 2. & 3. de locato, Garsia d. par. 1. cap. 5. num. 581.*

Ex eodem *tex. in vers.* (*Ipsi verò pro rebus temporalibus reddant rationem*) colligitur, quod patroni de rebus temporalibus rationem exigere possunt à presbyteris, qui ad Ecclesias, quæ sunt, fuerunt instituti, notant DD. communiter *in c. Lateranensis de præb. & in cap. ex litteris in fine de jure patronatûs.* Alii verò, & melius putant non posse patronum, sive Ecclesiasticum, sive laicum à præsentato exigere rationes, quia ratione juris patron. nihil aliud potest patronus, nisi ut denunciet Episcopo, vel Judici, quæ viderit corrigenda, minimè verò, ut in temporalium, quæ pro portione Vicarii, vel fabricæ relinquuntur administratione se intromittant, ut benè deducitur *ex c. filiis, vel nepotibus 16. quæst. 7. & ex c. præterea de jure patron. & ex Trident. sess. 25. de reform. c. 9.* ubi prohibet omnibus patronis cujuscumque ordinis, ne in perceptione fructuum sui beneficii se intromittant, & *sex in d. c. 3. de privil. juncto cap. in Lateranensi*, procedunt in Ecclesiis, in quibus temporalia ad Religiosos pertinebant, patet *ex d. cap. in verb. suis, & ex d. c. sanè 16. q. 2.*

Ex d. cap. 3. de privilegiis in §. de Confratribus, colligitur confratres esse subditos Episcopo loci, prout oblati, & ideò si habeant aliquod jus patronatûs, est Ecclesiasticum, decisum refert *Barb. in collect. ad textum in d. cap. 3. in §. de confratribus*, & oblati, qui se in totum obtulerunt alicui religioni, & bona, si quæ habent nullâ reservatâ portione, neque quoad proprietatem, neque quoad usumfructum, sunt personæ Ecclesiasticæ, ut declaravit Sacra Congregatio, teste *Barb. loco cit.*

Quartò nota quòd qui non timet obviare scriptis Romanæ Ecclesiæ, suis privilegiis privandus est, *cap. dilecti 4. de privil.* qui in verbo illo, *Justitiam facere non vultis*, probat, quòd Judex, qui justitiam facere negligit, & privilegia Sedis Apostolicæ non servat, suis privilegiis est privandus, quia in eo genere, in quo deliquit, scilicet privando alios suis privilegiis, puniri debet, *argum. sex. in c. litteras 13. de sempor. ordin.* non per hoc evitat Judex alias pœnas, scilicet ut litem faciat suam, *l. si filiusfam. 15. ff. de judic.* ubi latè *Barb.* & damna teneatur resarcire, *d. l. filiusfam. l. 2. C. de pœna Judicis. qui malè judicavit l. ultima, ff. de variis, & extraordin. cognit. institut. de oblig. quæ ex quasi delicto, Paris de Puteo de Synticatu & in verb. negligentia, & in verb. Judex malè judicans, Card. Tuschus tom. 4. list. I. concl. 404. & 405. & 475.* & quoad forum conscientiæ explicat *Navarr. in manuali c. 25. num. 12. Molina tom. 3. de justitia tract. 2. disp. 710.* etiamsi pars non appellaverit, vel appellationem interpositam non prosequatur, *Barb. in d. l. si filiusfam. à num. 29. Farinac. in praxi crim. quæst. 111. à nu. 509.* immò & punitur criminaliter secundùm Judicis arbitrium *argum. tex. in d. l. ultima, Menoch. casu 359. Velascus consult. 26. Petrus Gregorius lib. 5. Syntbagm. c. 2. num. 49.* & contra Judices Ecclesiasticos de jure Canonico est pœna suspensionis per annum ab officio imposita, *c. 1. de re judic. in 6. Farinac. d. quæst. 111. num. 71.* quæ pœna suspensionis incurritur etiam ob puram negligentiam secundùm *glossam notabilem in c. excommunicamus, §. moveantur de heret. Menoch. casu 341.* alii putant requiri actum positivum ultrà negligentiam, *Farinac. d. quæst. 111. Barb. in d. cap. 4. de privileg.*

Quintò nota privilegiatos non posse sepelire excommunicatos in cœmeteriis, sed si admittant debent eos ejicere, & si nolunt facere, Episcopus exequatur, quia, quibus non communicamus vivis, non debemus communicare mortuis, *cap. sacris de sepulturis, cap. ad hæc 5. de privilegiis, cap. 1. cum sequenti 24 quæst. 2. & de jure civili facit textus in l. 2. ff. de cadaveribus puniendorum*, ubi cadavera eorum, qui in insulam condemnabantur, non poterant

post

Digitized by Google

post mortem transferri in Civitatem, quem explicat *Covarr. lib. 2. variar. cap. 1. num. 11.* ex quo *textu* notavit *Bart.* eum, cui in Civitate morari interdicitur post mortem non posse ad sepulturam in in eam reduci, & plura notat *Decius in d. cap. ad hae num.* 18. ergo cum excommunicato sit in vita prohibitus ingressus in Ecclesiam erit etiam prohibita sepultura.

Neque dicas pœnam esse ne communicemus cum homine excommunicato; sed mortuus non est homo, ergo, probatur major, quia pœna datur, ne cum eo communicemus ad hoc, ut pudore, & rubore suffultus excommunicatus resipiscat, *cap. pia de senten. excommun. in 6.* quæ ratio cessat in cadavere. Minor probatur, quia homo dicitur constare ex anima, & corpore, *clem. 1. §. Porrò de summa Trin. & fid. cathol.* post alios *Navarr. in man. prælud. 1. num. 11. Gomesius lib. 3. var. cap. 3. num. 32.*

Respondeo enim, quòd non est inconveniens propter culpam viventis remanere pœnam post mortem continuativè, ut in *d. l. 2. ff. de cadaveribus punitorum*, & videmus in illis, qui pœna mortis puniuntur, & postea secantur in partes, vel comburuntur; aut bestiis objiciuntur; *l. capitali, §. famosos ff. de pœnis, Tiraquell. l. de pœnis temperandis causa 49. num. 42. Suarius tom. 5. disp. 11. seq 4. Bonacina disp. 2. de censuris q. 2. pun. 3. §. 3.*

Quæ responsio si non placet, dicas, quòd præceptum non sepeliendi excommunicatos, cadit in fidelibus, ne communicent cum excommunicatu, *cap. sicut Apostoli 11. quæst. 3.* & secundùm hunc sensum intelligitur *textus in cap si quis Episcopus de haret. & in cap. sanè 24. q. 2.* quibus probatur posse mortuum excommunicari, intelliguntur enim non propriè, & directè, sed in hoc sensu, quatenus vivis Ecclesia imperat ne communicent cum illis, quos constat in excommunicatione decessisse non faciendo pro eis suffragia, vel sepulturæ tradendo, qua etiam ratione Ecclesia absolvit excommunicatos post mortem, *cap. à nobis 28. vers. Nec obstat. de sent. excomm.* non quod directè in eos exerceat jurisdictionem, quæ ad absolvendum est necessaria, *cap. Verbum de pœnit. 1. dist.* quæ videtur deficere respectu mortuorum, juxtà rationem, de qua Pontifex *in d. cap. à nobis*, quia Christus dedit potestatem Ecclesiæ super terram, juxtà verba illa, *Quodcumque ligaveris super terram, &c.* non autem in sepultos sub terra: sed quia per talem absolutionem, vivis facultatem tribuit communicandi cum excommunicatis, qui in excommunicatione decesserunt, ut pro eis preces fundere, & suffragia facere possint, vel etiam sepulturæ mandare, *Covarr. in cap. Alma mater par. 1. §. 11. num. 8. Navarr. in man. cap. 27. num. 171. Suarius disp. 5. sect. 1. num. 3. Sayrus lib. 1. cap. 8.*

Et ad id, quod dicitur, quòd finis censuræ cessat in mortuis, nam est in rubore suffusus, &c. dico falsum esse, nam non est hic solum finis, sed alius puta, ut censura Ecclesiastica timeatur, *d. cap. pia in princ.* licèt ergo una ex pluribus rationibus deficiat non cessat dispositio, juxtà *tex. in §. 4. affinitatis, instit. de nuptiis.*

Appellatione cemeterii, de quo *in d. c. ad hæc venit locus mortuorum*, sepulturæ destinatus authoritate Episcopi benedictus, *cap. Nemo Ecclesiam de consecr. dist. 1. Duranius de ritibus Ecclesiasticis lib. 1. c. 23. & in rationali divinorum offic. lib. 1. cap. 5.* & sic in materia nostra venit omnis locus sacer etiam intra ipsam Ecclesiam, vel locus, in quo missæ dici solent, *Suarius tom. 5. disp. 12. seq. 4. num. 6.* & fit sæpè mentio de cemeteriis in jure nostro, quia olim regulariter intrà Ecclesiam sepultura non concedebatur, nisi Episcopis, vel aliis personis insignibus, *cap. nullus 13. quæst. 2.* quòd si cemeterium auctum sit in ea parte aucta, dummodò non absit authoritas, & benedictio Episcopi, poterit corpus mortuum sepeliri, *Barb. d. c. 5. de privilegiis num. 10.*

Qui ergo communicaret cum excommunicato defuncto incurrit excommunicationem majorem *glossa in d. c. ad hæc de privil.* puta si vestiat quis lavet, aut associet excommunicatum; immò hodie *ex clem. 1. de sepulturis* pœna excommunicationis majoris puniuntur illi, qui scienter excommunicatum vitandum in loco sacro sepelierunt, *Suarius tom. 5. disp. 12. sect. 2. nu. 13, Bonacina de censuris disp. 2. quæst. 2. punct. 2. §. 3. num. 8.* & sic tales sepelientes non incurrunt hodie minorem, quæ commutata est in majorem, quicquid putet *Avila disp. 4. dub. 8.* cum aliis.

Glossa in d. cap. ad hæc in verb. ejiciunt, notat debere ossa ejici, & separari ab aliis quando excommunicatorum ossa à non excommunicatis distingui, & separari possunt, ut benè *textus in d. c. sacris*, aliàs id fieri non debet, *Suarius in disp. 14. seq. 4. num. 4.*

Absolvi potest excommunicatus, qui in articulo mortis signa dedit pœnitentiæ, *glossa in d. cap. ad hæc. vers. nisi tales fuerint*; An verò talis absolutio in foro conscientiæ data sufficiens sit, ut possit sepeliri in Ecclesia, quæstio est. Affirmat *Cappellæ Tholosana dec. 368.* quia cessante causa, cessat effectus, *cap. cum cessante de appell.* ergo quia causa cur negetur sepultura, est excommunicatio, quia hæc tollitur per absolutionem, poterit sepeliri. Sed contrarium putat *Auferius ad Cappellam Tholosanam ubi supra*, quia absolutio præstita in foro interiori quoad effectus exteriores nullum operatur effectum, sed habetur ac si præstita non esset quo ad tale forum. *Navarr. in manuali cap. 27. num. 278. & cons. 5. in tit. de privil. in antiquis. & 4. in novis in tit. de judiciis, Rodriquez, quæst. regul. tom. 1. quæst. 61. art. 10.* & in habilitato pro foro conscientiæ tenet *Sanchez lib. 8. de matr. disp. 34. à num. 43.* ergo quia usus Ecclesiasticæ sepulturæ pertinet ad forum exterius, non poterit quoad hunc effectum prodesse absolutio præstita in foro interiori pœnitentiæ, *Navarr. cons. 4. de sepult.* tu dicas cum prima opinione.

Sexto nota, quòd contra privilegium Ecclesiæ præscribitur spatio 30. annorum, quia censetur tanto tempore renunciare juri suo, *cap. si de terra 6. de privil.* ex quo probatur tempus 30. annorum sufficere, ut præscribatur privilegium, quod Religiosi, seu Monasteria habent de decimis non solvendis, cui *textui* ex diametro obstat alius *tex. in c. accedentibus 15. de privilegiis*, ubi privilegium de non solvendis decimis perscribitur spatio 40. annorum facit generalis regula, *textus in c. de quarta, &c. illud, &c. ad aures de præscript.* ubi in omnibus præscriptionibus contra quascumque Ecclesias etiam inferiores sola quadragenaria admittitur, sed responsio est facilis, si *textum in d. c. si de terra* intelligamus attento jure antiquo, quo præscriptio contra Ecclesias erat 30. annorum spatio, juxtà *tex. in c. 1. cum sequentibus 16. q. 3. textus* verò *in d. c. accedentibus*, intelligitur secundùm jus novum, de quo in *d. c. quarta*, ut benè *Abbas in d. c. accedentibus num. 4. Felinus in c. cum accessissent num. 99. de constit.*

Sed contra quia ante Alexandrum Tertium Authore *d. cap. si de terra* erat constituta quadragenaria præscriptio contra Ecclesiam à Gregor. Primo, & Urbano Secundo, *ut in cap. 1. cum sequentibus 16. q. 4.* &

sic c. 1. de constit. in 6. Mascard. concl. 1109. requiritur tamen eorum allegatio, quia eorum, quæ nota sunt, licèt non opus sit, ut probentur, requiritur tamen allegatio *l. si adul. cum incestu §. idem ff.* ad *leg. Jul. de adulc. glos. in verb. caus. in Clem. appellanti de appellat.* & est communis *Maranta par. 6. de ord. Judic.* de *appellat. nu.* 141. *Belon. lib. 2. suppur. cap. 6. Gutier. p 1. de juram. cap. 70. Barb. in l. si quis ex aliena nu. 3. ff.* de *judic.*

Ex verbo ibi (*privilegiorum servare tenorem*) colligitur privilegii tenorem esse attendendum, nec de illo judicandum, nisi prius tenore inspecto, facit *text. in c. recedimus* 8. *& in c. ult. de privil.* communiter DD. *in l. si unquam in verb. libert. nu. 8. C. de revoc. donat. Molina* de *ritu nupt. lib. 1. compar. 19. Barb. de axiomat. juris axiom.* 190. sic in feudis inspicitur tenor investituræ *c. 1.* de *duob. frat. & tenor pacti l. sancimus C. de fidejussor. &* in *l.* ad *probat. c. de probat.* & tenor majoratûs inspiciendus est *arg. l. cuncta §. in fideicommiss ff. de leg. 2. Molin. lib. 1.* de *primog. c. 2. nu 27. Castill. lib. 2. rer. quotid. c. 20. n. 4.* & facit generalis regula, quod cui verba non conveniunt, neque convenit dispositio, *l. 4. §. toties ff. de damn. infect.* nam verba sunt signa mentis *l. Labeo §. ide in Tubero ff.* de *supellect. legata* neque solum sunt attendenda verba privilegii, sed ejus tenor *c. quanto 26.* ubi *glos. de privil. Sanch. lib. 8. de matrim. dis.* 1. & facit textus in sua generalitate in *cap. intellig. de verb. signif.*

Ex verbo ib. (*quod eorum metas transgredi &c.*) notatur privilegium strictè esse interpretandum, etiamsi concessum sit à Principe, qui posset legem condere *Felin. in c. postulasti num. 9. de rescript. Tappia in l. fin. ff. de constit. Princ c. 6. nu. 12. Sanch. d. lib. 8. disp. 1. Suar. lib. 8. de legib cap. 27. nu. 5.* reprobantes *Aretin. in cap. at si cler. §. de adult. nu. 33. de judic.* qui ait privilegium a Principe concessum esse late interpretandum, quia vim legis obtinet, & ideo latam recipit interpretationem, loquitur enim *Aretinus* contra casum legis *in d. cap. porrò de privil.* & in *d. c. 1. § ult. de filiis presbyt. in 6.* ex quo etiam rejicias eos, qui dicunt privilegium concessum toti religioni, vel communitati esse favorabile, & latè interpretandum, ut docent *Suarius, Sanchez,* & alii ubi supra, quia *text. in d. cap. porrò* agit de privilegiis concessis Templariis, & hospitalariis, & sic universo eorum ordini, & tamen extendendum negat.

Neque dicas summam esse rationem, quæ favet religioni *l. sunt personæ ff. de redig. & sumpt. funer.*

Respondeo enim id solum probare favorem piæ causæ justam esse causam, ut rationabilia judicentur quæcumque etiam amplissima privilegia à Principe religioni concessa, non verò ut à privata auctoritate liceat extendere extra eorum metas, contra regulam dicti *c. porrò.*

Neque dicas secundo, quòd lex censeatur perpetuò duratura.

Respondeo enim, quòd etiam leges exorbitantes sunt perpetuæ, & non admittitur extensio, juxta *text. in reg. quæ à jure de reg. jur. in 6.* Id tamen limitatur in illis privilegiis, per quæ consuetudini, vel alteri privilegio derogatur, quia tunc per privilegia ad jus commune reducimur, & ideo sunt favorabilia, & latissimam recipiunt interpretationem *arg. text. in l. si unus in fine princ. ff. de pact. glos. in verb. memor. in c. statut. de præb. in 6. Tiraquell. de jur. primog. q. 24. Covarr. lib. 3. var. c. 6. Sanch lib. 1. disp. 12. de matrim & lib. 8. dis. 1. num.* 12.

Ex quo *Abbas*, & alii in *c. olim de verb. signif.* deducunt intellectum ad textum ibi, quatenus dicit privilegium pati latissimam interpretationem, quòd loquatur de privilegio, quod alicui conceditur, ut distributiones quotidianas percipiat, loquitur enim de Ecclesia, in qua erat consuetudo, quòd residentes non recipiant distributiones intra eorum tempus, si enim concedatur alicui privilegium, ut tanquam uni ex residentibus provideatur de fructibus beneficii, lata fit interpretario, quia fit reditus ad jus commune: & sic etiam est intelligendus *text. in c. ex parte 27. de decim.* qui agit de decimis percipiendis à Parocho intra propriam Parochiam, quæ per consuetudinem, aut præscriptionem penès alios existebant, unde extenditur privilegium ad novalia, quia fit regressus ad jus commune, secundùm quod decimæ ad Parochum pertinent in propria Parochia. *c. ult. de Parochiis.*

Alii putant privilegium Principis esse strictè interpretandum, quatenus concernit præjudicium tertii. largè verò quatenus concernit jura concedentis. *Innoc. in cap. cum dilecti de donation. Bald. cons. 456. lib. 3. Hippol. singular. 483. Cancer. lib. 3. 2. ar. cap. 3. nu. 195. Giurb. dec. 13. num. 7.*

Octavo nota quòd quis non probatur exemptus à jurisdictione Episcopi, ex eo quòd solvit censum Ecclesiæ Romanæ, quia non omnes, qui annuum censum solvunt sunt sub jurisdictione Ecclesiæ Romanæ, sicut nec omnes, qui sunt subditi Ecclesiæ Romanæ solvunt censum, est ergo considerandus tenor privilegii, an sint exempti, & utrum ad indicium libertatis solvant censum, vel non, sed solum in signum protectionis, *cap. recepimus 8. de privil.* non enim ex eo, quòd quis dicatur in privilegio esse sub jure Beati Petri probatur exemptio ab ordinario, ut in dicto, *cap. recepimus*, cui non obstat *textus in cap. si Papa. vers. si autem de privil in 6.* ubi ex privilegii verbis; quòd sit sub Beato Petro, probatur exemptio, textus enim ille id probat, quia agebatur principaliter de privilegio exemptionis in dicto verò *cap. recedimus minime Barb. in d. cap. recedimus nu. 5. Felicianus de censibus in proem. num. 6. Erasmus Cocbier de jurisdictione in exempt. par. 1. quæst. 10. num 6,* & ratio à priori est, quia nomen census æquivocum est, varias habens significationes, aliquando enim bonorum, & personarum descriptionem significat, *l. 2. §. post deinde ff. de origin. jur. aliquando tributum. l. 2. C. sine censu.* aliquando facultates, seu reditus, *l. ult. §. sin autem C. de jur. de lib. l. cum etiam 7.* ibi. *nihil in censu habent. C. qui bonis cedere possint*, aliquando significat emphiteusis pensionem, *cap. constitutus* de *religiosis domib.* aliquando locationes, *cap. ultimo, ne prælati vices suas;* aliquando contractum censualem, de quo *in extravag 1. & 2. de empt. & vendit.* ergò ex solutione censûs, necessariò non probatur, specialis exemptio ab ordinarii potestate, quia probatio debet concludere per necesse, non per potest esse: DD. communiter *in l. neque naturales, C. de probat. & cap. in præsentia eod. tit. Card. Tusch. tom. 6. lit. P. concl. 765.*

Juncta verò cum alia conjectura probatur subjectio ex solutione censûs, puta si Ecclesia solvens censum, sit in Diœcesi Episcopi, quia Episcopus habet fundatum intentionem in Diœcesi. *cap. cum Episcopus de officio ordinarii in 6. Gabriel* de *Probat. concl. 1. Menoch. lib. 3. de præsumpt. præs. 29. Moscar. de probat concl. 713. Gaillus lib. 2. obser. obs. 54. Erasmus Cocbier de jurisd. in exempto par. 1. quæst. 9.*

Ex quo infertur, neque probari Ecclesiam exemptam à jurisdictione ordinarii, eo quòd sit recepta sub

protectione sua à Papa, ot *in d. cap. recepimus* 8. *de privil.* Idrm de persona singulari loquitur *textus in cap. ex parte* 8. *de privil. DD. ubi sup.* quia protegere importat defendere, *l. desertorem. §. ultimo de re militari*, quæ defensio non importat superioritatem, sed potest verificari in inferiore, sicut in illis, qui pro salute Regis, & patriæ ad ejus assistunt custodiam, *glossa in rubric. C. de domesticis, & protectoribus lib.* 12. ubi *Cujacius in l.* 1.

Neque aliquid probat *tex. in cap. audientiam* 34. *de appellat.* Respondeo enim, quòd ibi non præsumitur subjectio ad Sedem Apostolicam ex sola protectione, sed virtute appellatinois tacitæ, quæ ex verbis, de quibus ibi colligitur, ut benè *Marauta par. 6. de ord. Judiciorum in tit. de appellat. num.* 133. sicut in simili de arreptione itineris ad Papam ex causa gravaminis, probat *tex. in cap. meminimus* 9. *& cap. dilecti* 52. *de appell. Lancellotius de atcutatis par.* 2. *cap.* 12. *ampliat* 6.

Et ideò recedas ab *Emmanuele Rodriquez tom.* 2. *quæst. regularium quæst.* 63. *ar.* 3. dùm inadvertenter scribit, per exemptionem, quam facit Papa in sua protectione respectu aliquarum religionum induci exemptionem à potestate ordinariorum, deceptus authoritate prædictorum jurium, quæ effectum tribuunt prædictæ appellationi tacitæ, & subjectioni sub protectione Papæ, in qua evidens ratio disparitatis consideratur.

Est tamen quæstio, an Pontifex si recipiat aliquos in filios, videatur eos exemisse a jurisdictione Episcopi.

Respondeo negativè, quia Ecclesia Romana omnium aliarum est mater, ergo omnes aliæ sunt ei subjectæ, & Papa est pater omnium, ergo omnes ejusdem dicuntur filii. *cap. quam grave de crimine falsi, glossa in verb. filios in proemio sexti* dat rationem *Marchesanus par.* 1. *de commiss. cap.* 13. *num.* 61. & ideò denominatio filii non exemptionem denotat, sed magis titulum honoris, & speciale pignus amoris. Neque obstat jus prædictæ exemptionis regulari ad instar emancipationum, & manumissionum, *Rebuffus responso* 142. ergo sicut dominus servum eximit à servitute nominando filium, *l. unica, §. similique modo, C. de latina libertate tollenda*: itaque Pontifex. Respondetur enim disparitatem esse, quia Dominus sibi soli præjudicat, Pontifex vero ordinariæ jurisdictioni, quæ est favorabilis, *cap. pervenit* 11. *quæst.* 1. *cap. cum personæ cap. ne aliqui de privil. in* 6. & facit *textus & glossa in cap. si Papa. §. non sic filios de privil.* Unde fit, quòd quando Ecclesia commendatur in protectionem alicujus, non transit jurisdictio in protectorem sed solùm defensio *Menoch. casu* 338. *nu.* 7. *Maceratensis lib.* 1. *resol.* 6. *num.* 6. *Gabriel cons.* 195. qui dicunt, quòd Principes christiani sunt ipso jure protectores Ecclesiarum, *clem.* 1. *§. ergo de jure juran.* si ergo illi specialiter protectio alicujus Ecclesiæ vel Hospitalis sit concessa à Summo Pontifice, non ex hoc acquiritur jurisdictio, aut illa tollitur superiori ordinario.

Quando vero verba privilegii exemptionem includunt, subtrahuntur à subjectione ordinarii, *cap. cum tempore in fine de arbitris, cap. penul. de offic ordinarii cap. cum Episcopus eod. tit. in* 6. *glossa in verb. Sedis Apostolicæ, cap. authoritate eod. tit. & lib. glossa in verbo Acephalos, cap. nulla* 93. *distin. Rodriquez tom.* 2. *quæst regul quæst.* 63. *art* 9. *&* 11. *Card. Tuschus tom.* 3. *lit. E. concl.* 294. *& concl.* 565. *Gonzalez ad regulam* 8. *Cancellariæ. glossa* 43. *num.* 190.

Nota, quòd privilegia, quæ Papa concedit alicui inspecta certa ratione, alius non debet sibi præsumere, *cap. sanè de privilegiis*, quia non fit extensio in privilegiis, *cap. hinc est, vers. quod privilegium* 46 *quæst.* 1. *cap. non exemplo* 26. *quæst.* 2. quia recedunt à jure communi, ergo restringenda, *cap. odia de regul. juris in* 6. *cap. quæ à jure communi eodem titulo*, undè neque ad hæredes extenduntur, *l. in omnibus causis* 69. *l. privilegia* 157. *ff. de regul. juris l.* 1. *§. permittitur de aqua quotid. & æstiv. l. quia tale, ff. sol. matrim. l.* 3. *ff. de censibus, textus optimus in l. sordidorum, C. de excusat. munerum lib.* 10. *cap. privilegium de regul. juris in* 6. *Barb. in d. l. quia tale, Menoch. lib.* 3. *præs.* 103. *Card. Tuschus litt. P. concl.* 746. *Suarius lib.* 8. *de legib. cap.* 10. *&* 11. *Salas disp.* 17. *sect.* 6.

Quod amplia procedere etiam in filiis, ut scilicet privilegia, quæ parentibus personaliter conceduntur, eis non competant, *l. honoribus, §. vacationum, ff. de vacationibus, & excusat munerum l. penul. §. si puellæ, ff. de ritu nuptiarum*, & de privilegio Magisterii, & Doctoratûs, quod filius non prosit, probatur *in l. privilegio in principio, & in l. filiis, C. de decu. lib.* 10. & notat *glossa ultima in l. ex pluribus, ff. de administr. tutor. glossa* etiam *ultima in c. licet de censibus*, quas communiter receptas testatur *Tiraquell. de jure primogen. cap.* 59. *Barb. in l. maritum nu.* 80. *ff. sol. matrim. Suarez lib.* 8. *de legib. cap.* 11. *num* 4. Illa verò jura, quæ allegantur in contrarium procedunt, quando privilegium, conceditur, sub ampliori forma, puta pro te, & filiis, vel quando ex natura rei filii participant privilegium, id est concessionem legis, ut in nobilitate, vel dignitate, nunc enim derivari in filiis naturalibus, &c. civilis ratio dictat *Tiraquell. cap.* 15. *de nobilitate, Garsia glossa* 7. de *nobilit. num.* 17. *& glossa* 20. *num.* 11. *Cassaneus in cathalogo gloriæ mundi par.* 8. *cons.* 24. sicut in arboribus, qui virent in foliis, venit ex radicibus humor, teste *Ovidio* apud *Tiraquellum.*

Intellige secundo in uxore, ad quam privilegium personaliter concessum non extenditur, per *sextum in cap. ne alicui de privil. in* 6. ibi enim fit mentio de Regibus, & Reginis, quia alias, privilegium, quod Regi conceditur, simpliciter Regina non habet, *Barbosa in d. l. quia tale num.* 22. *Sanchez lib.* 8. *de matrim.* disp. 47. *Suarius lib.* 8. *de legibus cap.* 11. *num.* 1. & licèt maritus, & uxor sint correlativa, *l.* 1. *ff. de ritu nuptiarum*, tamen regula correlativorum non procedit in indulgentia facta à Principe uni ex correlativis, undè in hac materia non fieri in correlativis extensionem tradit communis, de qua *Card. Tuschus tom.* 2. *litt. C. concl.* 841. Ad alia etiam jura, quæ in contrarium citari solent, similiter respondetur procedere, vel ex tenore ipsius privilegii, quia de certis personis, & earum privilegiis facit mentionem expressam, vel ex vi aliorum jurium, quæ communicant mariti privilegium, ejus uxori.

Limitatur hoc in privilegiis concessis in remunerationem, vel ex eo quòd egregia fecit aliquis, quia talia privilegia sunt censenda realia, & ad hæredes transeunt, *d. l. in omnibus causis* cum similibus, quia talia privilegia transeunt in naturam contractûs, *l. si cum mihi* 35. *ff. de dolo*, ubi *Bal.* ut contractus ad hæredes transeunt *l. si pactum ff. de probat.* & ità docent communiter *DD. in l. sic à nu.* 12. *ff. de verb. oblig. Barb. in d. l. quia tale num* 43. *ff. sol. matrim. Menoch. lib.* 3. *de præsumpt. præs.* 103. *num* 22. & ideò talia privilegia extenduntur ad hæredes, *Suar. lib.* 8. *de legibus c.* 41.

Limitatur etiam quando privilegium conceditur personæ, & causa proxima concedendi non est persona, sed aliqua conditio, seu causa existens in persona: exemplum est in restitutione in integrum, quæ licèt

licèt sit beneficium personale, quia personis minorum conceditur personaliter quia tamen principalis causa illud concedendi est læsio. *l. non omnia l. quod si minor, §. non semper, ff. de minoribus*, ideò transit ad hæredes, *l. non solum ff. de restitut. in integrum, l. minor 19. §. ult. ff. de minorib. Menoch. d. lib. 3. præs.* 103. *Mauritius de restit. in integrum c.* 15. *Misinger. lib. 4. obser.* 19. *Snarius lib. 8. cap.* 3.

Decimo nota, quòd sine privilegio nullus Religiosorum etiam exemptus potest campanas habere in oratoriis privatis, domi scilicet existentibus, & aliter facientes possunt ab Episcopo censuris engi *cap. parentibus* 10. *de privil.* cui opponi videtur *textus in cap. nimis vers. nec sustinentes, de excessibus prælatorum*, ubi inter alia gravamina, quæ Prælati inferebant Religiosis illud ponitur, quod illis prohibebant habere campanas in Ecclesiis, & Oratoriis suis, quæ jura *Hostiensis*, & *Antonius de Butria* concordant, quòd unam campanam in oratoriis habere licitum est, juxtà *tex. in cap. nimis*, qui in singulari loquitur, non verò plures, juxtà *textum in d. cap. parentibus*, qui loquitur in plurali, qoi quidem intellectus absurdus videtur, nam Pontifex loquitur in plurali distributivè, referendo ad plures Religiosos, Templarios, scilicet & alios, de quibus dixerat, ut de simili eorundem privilegio interpretatur Summus Pontifex *in cap. prilegia* 24. *ad finem de privilegiis*.

Alii putant, quòd *textus in d. cap. parentibus*, loquatur de jure communi, *textus* verò *in cap. nimis*, loquitur ex speciali privilegio religiosorum de quo ibi.

Alii, & melius dicunt, quòd *textus in d. cap. parentibus* loquatur de oratoriis privatis, in quibus neque licitum est celebrare sine licentia Episcopi, *glossa in d. cap. parentibus à num.* 12. licèt contrarium dicat *Abbas in cap. ultimo de censibus*, quæ missæ cùm dicuntur in privatis oratoriis, non dicuntur ad populum convocandum, ut in Ecclesiis, *Durantus de ritibus Ecclesiæ lib.* 1. *c.* 1. *à principio num.* 13. & sic non prohibetur in talibus privatis oratoriis missas dicere, & campanas habere, & quia *textus in d. cap. parentibus*, loquitur copulativè campanas ponere, & publicè pulsare, ideò liceret eas privatim habere, & privatim pulsare. à contrario sensu, post alios *Roccus de jure patronatus, in verb. construxerit num* 58. *Lambertinus de jure patronatus art.* 11. *quæst. principalis prima par. lib.* 2.

Ponderatur *textus in d. cap. parentibus* in illo verbo (*parentibus*) ad hoc, quòd litteræ clausæ in judicio fidem non faciunt, sed patentes, quando tamen non sunt authenticæ, veluti quia facto ficto sigillo integro, & debito modo Judici, ad quem diriguntur, fuerint præsentatæ, tunc enim eis sicut aliis judicialibus credendum est, & clausæ minus suspectæ sunt, quam apertæ, & patentes, ut patet in testamento, quod claudi solet, ut solemne, & non suspectum sit *§. si his institut. de testamentis, l. si unus C. eodem titulo, & toto titulo, ff. quemadmodum testamenta aperiantur*, & habetur *in cap. cum olim* 33. *de offic. delegati*, ibi nobis fideliter præsentasse, & in *cap. interdictur* 11. *de excessib. prælatorum*, ex quibus praxis observat, quòd is qui litteras alicui Judici directas clausas recipit, non debet eas aperire, sed eidem Judici aperiendas tradere, aliàs punitur juxtà qualitatem facti *cap. cum olim*, & d. *§. præterea. Menochius casu* 538. *Decianus lib.* 7. *crimin. cap.* 17. *num.* 46. *Farinac. par.* 6. *de falsitate quæst.* 150. *à n.* 114. *Rodriquez. quæstionum regularium, tom.* 2. *quæst.* 35. *art.* 2. est alia differentia inter eum, qui recepit patentes litteras, & eum, qui eas recepit clausas, nam is, qui eas accipit apertas omnia in illis contenta videtur approbare, *l. si filius fam.* 2. *ff. ad Macedon. clem.* 1. *de procurat. Gabriel de præsump. conclus.* 2. *Mascar. concl.* 480. *Tuschus lit. L concl.* 374. non ità in clausis. Verùm nota, quòd ad hoc, ut in patentibus, & apertis procedat, quod diximus, requiritur, ut recipiens eas aperiat, & legat, atque ità scientiam habeat eorum, quæ in eis continentur, *Marthesilaus singul.* 21. *Gabriel in d. tit. concl.* 2. *Card. Tuschus concl.* 374. *num.* 5.

Notanda est *glossa in d. cap. parentibus, in vers. potius*, ibi (*argumentum excepti, quod si excedant metas privilegiorum, sive publicè delinquerint, quod possint ab Episcopo coerceri*) cui *glossæ* doctrinæ opponitur *textus in cap.* 1. *vers. nunquid*, ibi, *dummodo sit in loco exempto de privil. in* 6. & benè notat *Abbas in d. cap. parentibus nu.* 4.

Respondent alii cum *Abbate ubi supra*, quòd licèt in loco exempto incipiant delinquere illi Religiosi, sonando campanas, &c. tamen effectus, & complementum porrigitur extra locum exemptum, quia scilicet sonus campanarum indebitus lædit & turbat audientes, etiam extrà ipsum locum, quod pluribus similibus exornat *Abbas*, & *Decianus à num.* 15. *Soccinus à num.* 6.

Alii putant, quos sequitur *Barb. in d. cap. parentibus in fine*, *textum* non probare prædictam conclusionem quia specialiter procedit in privilegiatis excedentibus metas suorum privilegiorum, qui ea ob id merentur amittere, ut in *cap. tuarum in fine de Privilegiis*.

Undecimo, nota missos ad eleemosynas quærendas falsò esse excommunicandos si, sint laici, si clerici suspendendi ab officio & beneficio, non obstante privilegio, vel appellatione. & mittentes privandos esse officio prædicationis, *cap. tuarum de Privilegiis*, ex quo etiam colligitur suspendendum esse eum, qui celebrat in Ecclesia interdicta, & suspensum ab ordinario, & celebrantem esse suspendendum, & privilegiatos, non posse alios privilegiare, puta non respondendi in judicio, & tandem, qui privilegiis abutitur meretur ea amittere, *d. cap. tuarum*.

Ex quo textu plura nota. Primo, quòd usus quæstorum à principio frequens erat, & liberè permissus, atque etiam prædicandi officium, *d. cap. tuarum de privil. cap. cum ex eo de pœnit. & remission.* ubi Summus Pontifex describens qualitates, quas prædicti habere debent, dicit, quòd sint modesti, ac discreti, nec in tabernis, nec aliis locis hospitentur, nec inutiles faciant, aut sumptuosas, expensas *Lavarius de indulgentiis par.* 2. *cap.* 13. *à principio*. Crescente verò prædictorum quæstorum malitia, quia multa mendacia prædicabant, & falsas indulgentias ad eorum extorquendum, fuit eis ablata facultas prædicandi, relicta solùm facultate publicandi, quod in litteris Apostolicis continebatur, *Clem.* 2. *de pœnitentiis*, quod decretum defendit ab hæreticis *Bellarminus lib.* 2. *controv. cap.* 10. posteà *Trid. sess.* 5. *de refarm. cap.* 2. statuit ne quæstores prædicent per se, vel per alios, & *sess.* 21. *cap.* 9. *de refor.* statuit ut quæstuariorum nomen penitùs aboleatur, neque ad hoc officium aliquis admittatur, privilegiis Ecclesiasticis non obstantibus, de quo loco Tridenti latè *Genedus ad sextum decretal. Quaranta in summa bullarii, in verbo Archiepiscopi authoritas Rodriquez, tom.* 2. *quæst.* 57. *ar.* 7. & *q.* 48. *art.* 1. *Card. Tuschus tom.* 6. *in verbo quæstores concl.* 46. sub quo *Trident.* decreto non comprehenduntur mendicantes Religiosi pro suorum Conventuum sustentatione eleemosynas quæstuantes, *Navarr. de regularibus cons.* 79. *Rodriquez. ubi sup. art.* 7.

Ex quibus nota primo, quòd potest Judex Ecclesiasticus punire sæculares quæstores falsas eleemosynas petentes, *Bovadilla in sua politica lib. 2. cap. 17. nu. 43.* & Archiepiscopus potest interdicere prædicantem in tota Provincia, *Genuensis in praxi cap. 70.*

Notatur etiam *textus in vers. privilegium meretur amittere*, quod privilegium amittit, qui permissa sibi abutitur potestate, consonat *textus in cap. ubi 74. dist. & in cap. privilegium 11. quæst. 3. & in cap. ut privilegia de privileg. & in cap. contigerit de sentent. excommun. & in l. si quis sine 40.* ibi videntur abuti, juncta *glossa ff. de negot. gest. Card. Tuschus tom. 6. lit. P. concl. 754. Suarius lib. 8. de legib. c. 36. Barb. de axiomatibus frequentibus juris axiomate 190.* qui eandem conclusionem adducit ad varios casus, & inprimis, quòd scholastici otiosi, qui non student, & scholas non frequentant, non gaudent privilegiis scholasticorum, & præcipuè ut absentes causa studii fructus percipiant suorum beneficiorum, juxtà *cap. licet de præben.*

Tandem *textus in d. cap. tuarum*, probat in verbo *nullus prorsus privilegii beneficio*, quòd exempti si delinquant extra locum exemptum, ab ordinariis puniri possunt, non obstante exemptionis privilegio facit *textus in Authen. qua in Provincia*, ibi, *omni privilegio cessante*. ubi, *de crimine agi oporteat*, *textus in cap. 1. de privil. in 6. Triden. sess. 7. de reform. cap. 14. Abbas. Felyn.* & alii *in cap. fin. de foro competen. Cardinalis Tuschus tom. 3. lit. E. conclus. 244. & 565. Decimus lib. 4. criminal. cap. 17. num 13.* nisi tamen exempti amplissimum habeant privilegium in omnibus, & per omnia, quia tunc in nullo casu puniri possent ab ordinario. *Covarr. practic. quæstionum cap. 11. Sanchez lib. 7. disp. 33 de matr. Barb. in l. hæres absens §. 1. nu. 41. de judic. Barb. in cap. 1. de privilegiis in 6. & in cap. tuarum 11. de privilegiis.*

Duodecimo nota, quòd si privilegiatus perdat instrumentum sui privilegii, potest eum probare per testes, qui deponant de tenore instrumenti, & quòd non erat falsificatum, & pars contraria potest suos etiam testes afferre ad servandam æqualitatem, *cap. cum olim 12. de privilegiis*, qui etiam textus habet textum conformem *in l. testium, C. de testibus, & in l. emancipati, C. de fide instrum. Tiraquell. de retractu convent. §. 1. Gloss. 7. à nu. 55. Velasc. de jure emph. quæst. 7. à nu. 38. Surdus cons. 194. Mascar. concl. 409. & 638. & 928. & 1394.* qui testes de tribus deponere debent, scilicet de actu gesto, de instrumento amisso, & ipsius tenore, *Gratianus cap. 168. à num. 14.* & requiritur partis citatio, argum. *tex. in cap. 2. de testibus. & in l. de unoquoque 46. ff. de re judic. cap. ultimo de fide instr. Authen. si quis in aliquo, C. de edendo* ubi *DD. Covar. pract. quæst. cap. 21.* qui in omni instrumento probando requirunt partis citationem, & quidem specialis requiritur citatio quando certa est persona de cujus damno agitur, ex probatione privilegii, seu instrumenti, quòd si persona non sit certa, vel non constet de loco ubi citari possit, sufficit citatio per Edictum, vel generale, ut scilicet compareat, qui sua putaverit interesse, juxta regulam *textus in l. 1. §. Denunciari. ff. de ventre inspiciendo*, & quæ notat *Bart. per text. ibi in l. si eo tempore, C. de remiss. pignoris*, post alios *Mascar. d. concl. 928. à nu. 23. & concl. 1194. à num. 24.*

Requiritur etiam, quòd testes deponant instrumentum vidisse, & omni vitio caruisse: adnotata per *text.* ubi *DD. in l. ultima, C. de edict. Div. Adr. tollen. tex. optimus* in d. *cap. cum olim. de privil.* ibi *sine reprehensione bullæ charta, vel litteræ apparebat*, ubi, *glossa* & alii DD. & debent deponere, quòd instrumentum habebat omnia ad ipsius substantiam necessaria, & debent deponere de plena, & perfecta litterarum notitia de die, & consule, quo scriptum fuit tale instrumentum, *Covarr. pract. d. cap. 11. à nu. 3. Mascar. conclus. 711.* undè si testes deponant amissum esse instrumentum, non verò deponant de eo quod continebat nihil est actum, neque concludenter probant, ut scriptura debeat innovari, *Bart. in l. sicut, C. C. de fid. instr. Mascar. concl. 909. à nu. 9.* non tamen requiritur, ut illi iidem testes, qui deponunt de amissione, deponant de tenore, sed sufficit si aliqui de una re, alii de alia deponant, ex quibus simul junctis perficiatur probatio. *Molina de primogen. lib. 2. cap. 6. à nu. 34. & tex. in d. cap. cum olim*, videtur probare, ubi decem testes deponebant de amissione, alii de tenore, neque requiritur, ut de omnibus verbis formaliter testes deponant. sed sufficit si generaliter de ejus fine deponant, concordat, *tex. in l. qui sententiam, C. de pœnis, Farinac. in praxi par. 2. quæst. 64. nu. 46.*

Ex quibus nota, quòd si instrumentum, seu privilegium reformetur, seu innovetur solemniter cum omnibus supradictis qualitatibus, vocatis his, quorum interest, &c. eosdem habet effectus, quos haberet illud prius, quod amissum est *Gratianus cap. 168. num. 17. Barb. in d. cap. cum. olim num. 7.* contra plures, quos defendit *Felynus in cap. sicut num. 13. de re judicata, Mascar. conclus. 909. num. 5.*

Nota secundo, quòd innovatio privilegii non tribuit novum jus, sed antiquum conservat, *cap. ex parte de privilegiis*, et si *textus similis in cap. quia intentionis 29. de privil. & in cap. cum dilecta, vers. volentes, de confir. utili, vel inutili, Rodriquez tom. 1. quæst. regul. quæst. 8. art. 2. Suarius lib. 8. de regib. cap. 20. per totum*; si verò innovatio, seu confirmatio privilegii, aut ex certa scientia, aut in forma communi, quæ ex certa scientia fit, confirmat actum nullum, eique novum tribuit robur, juxtà *tex. in cap. 1. de transf. in fine*, quod ita accipiendum putat *glossa in cap. quia intentione 29 de privil.* latè post alios *Suarius cap. 18.* Quæ verò fit in forma communi, non reddit actum validum, sed illum confirmat, prout antea erat & in eodem statu, & robore illum relinquit, *cap. quia diversitatem de concessione præbendæ, Molina de primogen. lib. 2. cap. 7. nu. 9. Suarius d. cap. 18. num. 8. Rodriquez d. quæst. 8. art. 5. Marchesanus par. 6. de commiss. cap. 21. §. 2. nu. 6.*

Decimo tertio nota, quòd si quis habeat duo privilegia, v. g. Episcopi, & Papæ: si succumbit in uno, puta Episcopi, potest defendi cum altero, *cap. cum olim de privilegiis*, ubi etiam probatur, quòd sententia lata à delegatis, potest in parte infirmari, & in parte confirmari.

Qui *textus in d. cap. cum olim.* duas habet difficultates. Prima est ex *vers.* ibi (*aliis cessantibus præscripsisset*) ubi probat Monasterium potuisse præscribere libertatem, & exemptionem à jurisdictione Episcopi, contra regulam *textus in cap. cum non liceat de præscription.*

Quorum jurium solutio, & concordia est, quòd *textus in* d. *cap. cum olim.* loquitur de præscriptione, per quam de ordinario in Sedem Apostolicam transfertur, ut patet ex *vers. ibi* (*nos igitur jus nostrum, & Ecclesiæ Romanæ justitiam*) in quibus terminis non tam agunt subditi de præscribenda exemptione, quàm superior de acquirenda jurisdictione. At verò *in d. c. cum non liceat*, loquitur in præscriptione. per quam extinguitur obedientia Prælatis debita, quæ concordia traditur à *glossa in d. cap. cum olim in verb. præscripsisset*, sequuntur alii communiter, teste *Barb. de præscrip. par. 5.*

quæst.

quæst. 12. *à princ.* latè ad propositum *Suarius lib.*8. *de legibus cap.* 7.

Secunds difficultss dicti textûs est, quomodo Judices delegati ad diffinitivam sententiam procedere potuerunt pendente appellatione sd Summum Pontificem contra regulam *textus in l.* 1. *& toto titulo, ff. nihil innovari appellatione pendente, & cap. non solum de appell.* in 6. cum similibus, qui probant per appellationem suspendi jurisdictionem inferiorum Judicum, à quibus, & ad superiorem in totum devolvi.

Responsio horum jurium colligi non potest ex *textu in d. cap. cum olim*, quia diminutum est traditum, sed ad originale recurrendum est, quod vidit *Augustinus Barbosa* in prædicto Monasterio S. Crucis, ex quo originali apertè constat, dixit *Barb.* Judices, qui prædictam sententiam diffinitivam protulerunt, non fuisse Abbates, de Alcobatis, & Serra, quibus Pontifex causam commisit sub ea forma, ut liceret coram eis proponere, & probare, res quas partes proponendas viderint, aut probandas, sed alios diversos fuisse Judices, Episcopum scilicet Zamorensem, & Auriensem, Decanos, quibus ex conventione Episcopi, & cap. Conimbricensis, cum Monasterio Pontifex causam commisit principalem, cum incidentibus jam instructam ex probationibus factis coram Abbatibus Alcobatiæ, & Serræ, nam ex integro originali apparet ante hunc *vers. Judices autem sub illo* (*infra*) immediatè proximo multa contineri, quæ Gregorius Nonus resecavit, & præcipuè omnia, quæ pertinebant ad prædictam commissionem & ideò Judices, de quibus agitur in *vers. Judices*, non fuisse illos, de quibus in versiculo *Interim*, sed alios, ut latè *Barb. in d. cap. cum olim* 14.

Decimo quarto nota quòd exemptus respectu unius loci v. g. Capellæ regiæ non intelligitur exemptus respectu alterius, v. g. Parochiæ, quam ab ordinario habet, qui in hoc non est privilegiatus, & sic potest excommunicari, suspendi, &c. *cap. cum Capellæ* 16. *de privil.* quem textum commendans *Rodriquez* 2. *tom. quæst. reg. d. quæst.* 64. *ar.* 4. ait olim aliqua rescripta fuisse indulta a Sede Apostolica, Capellanis aliquorum Principum a jurisdictione suorum Prælatorum, quæ privilegia per *Trid. sess.* 24. *de refor. cap.* 11. fuerunt sublata. Item tenet *q.* 108. *ar.*8. *Zerola in praxi par.* 1. *in verb. exemptio vers.* 2. qui tamen asserit *Triden.* non derogare privilegiis Capellanorum Regiorum, & Leo X. petente Carolo V. fecit exemptum ab ordinario Capellam Neapolitanam, & ejusdem Capellanos, *Barb. in collect. ad tex.* in d. *cap. cum Capella.*

Decimo quinto nota, quòd si caput, & Monasterium sit exemptum non intelliguntur exempta membra divisa, & Capellæ non unitæ cum Monasterio, *cap. ex ore de privil.* ubi *glossa in verb. non probantur*, ubi *Abbas nu.* 4. *Socinus nu.* 11. Neque obstat, quòd de connexis idem est judicium, *cap. translato de constit.* Respondetur enim id non procedere in privilegiis, & exorbitantibus, quando connexa non veniunt per consequentiam necessariam quod sanè procedit quando Capellæ quoad temporalia, vel jura Episcopalia Monasterio subjiciuntur, *cap.* 1. *de Capell. Monach.* non in aliis, quæ pleno jure ad illud spectant, juxta *c. quoniam* 21. *de privilegiis.*

Decimo sexto nota, quòd si Pap. concedat privilegium convertendi in proprios usus Ecclesias sibi subjectas, non possunt propria authoritate accipere possessiones illarum, sed Episcopus debet eas introducere, quia Papa non derogat juri Episcopatûs quoad iste privilegium, nisi aliud in eo explicetur, *cap. pastoralis* 19. *de privileg.*

In quo textu notat *Barb.* quòd potest Episcopus cum consensu capituli alteri Ecclesiæ, vel Monasterio, vel Religioso loco unire, seu in proprietatem concedere Ecclesiam Rectoris eo invito, juxtà *tex. in clem.* 2. *de rebus Eccles. non alien.* quæ tamen unio habebit effectum post mortem Rectoris; undè non est necessarius consensus ipsius Rectoris ad unionem faciendam, ut probat *tex. in cap. consultationibus de donat. & Trident. sess.* 21. *cap.* 5. *de refor.*

Immò facta unio à Pontifice, censetur facta post mortem Rectoris absque ipsius præjudicio, *Barb. in collectan. ad tex.* in *d. cap. pastoralis de privilegiis.* Quòd si fieret distributio fructuum, quoad partem scilicet ipsorum, requiritur consensus Rectoris, secundum textum sic intelligendum *in c.* 1. *vers. quia verò de reb. Eccles. non alien. in* 6. Quia quando unio fit in totum, intenditur divinus cultus, & pauperum sustentatio, *cap. ex parte de constitut. cap. exposuisti de præbend.*

Neque dicas, quòd fieret præjudicium Rectori, quia non posset beneficium renunciare.

Respondeo esse hoc præjudicium valdè remotum, & secundarium, ergo non est attendendum, *argum. l.* 1. *ff. de author. tutor.* & doctrinam *glossæ ultimæ in cap. quamvis pactum de pactis in* 6. Quia titulus beneficii quoad recipientes est perpetuus, *c. Sanctorum.* 7. *dist.* neque potest renunciari sine legitima Superioris authoritate, *cap. admonet. de renunciatione.*

Immò neque beneficiatus, qui justum, & Canonicum habet titulum in beneficio, potest possessionem capere propria auctoritate, latè *Barbosa in d. c. pastoralis de privil. nu.* 6.

Decimo septimo nota, quòd si illi, in quorum odium, & pœnam fuit latum interdictum, eum non servant, tenentur alii servare, secus si eum non servant illi, in quorum favorem latum fuit, *cap. petiisti* 20. *de privileg.* ubi *Barbosa.*

Decimo octavo nota, quòd potest Episcopus concedere exemptionem Regularibus, vel alteri Ecclesiæ in sua jurisdictione, cum consensu tamen capituli, ut post alios *Barbosa in collect. ad cap.* 21. *de privil.*

Decimo nono privilegium, quo Episcopus remittit alicui Ecclesiæ decimss, non solum intelligitur de decimis, quæ ex prædiis actu existentibus percipiuntur, sed de futuris, & habendis, *cap. quia circà de privilegiis*; potest verò eas decimas remittere cum consensu capituli ex causa, legas *Barb. in d. tit. de privil. cap.* 22.

In §. finali.

COnclusio hujus textûs est constitutiones laicorum non ligare Clericos, nec personas Ecclesiasticas, etiamsi ipsis sint favorabiles, idem dicitur in *cap. Ecclesiæ S. Mariæ de constit.* ratio est, quia major lege minoris ligari non potest, *cap. cum inferior de major. & obed.* sed leges laicorum sunt inferiores Clericis in Ecclesiis, *cap. solitæ de major. & obed. cap. novit de judic. cap. per venerabilem, qui filii sint legitimi.* Ergo. Accedit ratio, quia potestas statuendi regulatur à jurisdictione, *cap. fin. de constit. in* 6. *l. fin. ff. de jurisd. omnium Judic.* Sed Princeps sæcularis nullam hsbet jurisdictionem in bonis, & personis Ecclesiasticis, *cap. tum ad verum, cap. si Imperator* 96. *dist.* ergo *&c.*

Neque dicas primo, quòd leges civiles sunt divinitùs promulgatæ, *cap. fin.* 16. *quæst.* 3. *l. fin. de præscript.* 30. *vel* 40. *annorum*, ergo ligant personas Ecclesiasticas.

Respondeo enim esse divinitùs promulgstas, sed secundùm imperium promulgantis, scilicet ut le-

ges sæculares ligent sæculares, & ecclesiasticæ personas ecclesiasticas.

Neque dicas secundo legem civilem honestam, & non nutritivam peccati, nec juri Canonico repugnantem posse clericos ligare, quia est servanda, *cap. erit autem lex 4. dist. cap. fin. de præscript.* ergo etiam lex civilis, quæ aliquod disponit in favorem Clericorum erit servanda.

Respondeo, quòd lex, quæ disponit de personis, & rebus ecclesiasticis, non est Lex respectu clericorum, & personarum ecclesiasticarum, quia deficit potestas statuendi in statuentibus.

Neque dicas leges positas *in tit. C. de sacrof. Eccles. & in tit. C. de Episc. & Clericis*, expressè loqui de personis ecclesiasticis.

Respondeo enim prædictas leges fuisse approbatas per Pontifices, undè habet locum regula, quòd ea nostra facimus, quibus authoritate impartimur, *cap. si Apostolicæ Sedis de præben. in 6. l. unica, §. omnia C. de veteri jure enucleando*; ità *glossa in cap. quo jure 8. distin.*

Neque dicas ultimo in *§. emphiteusis, Authen. de non alien. aut permutandis rebus Ecclesiæ, & in §. licentia de alien. & emphiteusi* disponi, ut emphitensis ecclesiasticis non transeat ad hæredes, ergo.

Respondeo enim, quòd licèt Princeps sæcularis ità disposuerit tamen recepta est DD. sententia emphiteusim ecclesiasticam pro se, & hæredibus acceptam, ad extraneos hæredes non transire, *Julius Clarus in §. emphiteusis, quæst. 48. Card. Mantica lib. 22. de tacitis tit. 29.* ergo, &c.

Ex quibus sequitur primo, quòd si statuta, & leges laicorum sint honesta, nec jure canonico contradicant clericos ligant saltem via directiva, *Diana par. 1. tract. 2. resol. 7.*

Infertur secundo statuta laicorum imponentia exactionem pœnarum adversùs eos, quorum pecora, & animalia damnum dederunt in fructibus, vel in partibus vetitis, non ligare clericos, & ecclesiasticas personas, nam executio esset facienda in personam clerici, quia animalia non sunt capacia condemnationis, *cap. 2. de constit. cap. mulier 19. quæst. 5. l. 1. ff. si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, Diana par. 1. tract. 2. resol. 89. Barbosa in cap. Eccles. S. Mariæ de constitut. num. 6.* ubi latissimè probat non valere illam praxim. qua utitur hodie, quando Episcopi opprimunt vi, & censuris populum, recorrimus enim ad laicos Judices, ut compellant ecclesiasticos prædictos ad tollendas tales censuras, quæ praxis non est abolenda, quicquid dicat *Barb.* sed conservanda *ex cap. filiis, vel nepotibus 16. quæst. 7. & ex cap. Regum 23. quæst. 3. & cap. Principis 23. quæst. 1.* Immò idem *Barbosa ex Suario, & Gabriele Periera* docet *in tractat. de exigenda pensione quæst. 8. num. 13. posse Judicem laicum declarare nullitatem, & injustitiam excommunicationis*, quando id constat, licèt non possit excommunicare, vel absolvere à censuris.

Infertur tertio constitutionem civilem prohibentem alienari bona immobilia Ecclesiis, sive personis ecclesiasticis esse omninò illicitam. *Genuensis in practicabilibus quæst. 379. Marta par. 4. de jurisdict. casu 6. Barb. d. cap. Eccles. S. Mariæ num. 29.*

Infertur quarto, quòd licèt per consuetudinem si quis moriens, *sub titulo de success.* ex testamento disponat, at habens bona paterna, materna, vel ab aliis consanguineis obventa, non possit, nisi de medietate disponere, & aliam medietatem tenetur relinquere proximioribus consanguineis, tamen hoc in clericis non habet locum, qui si faciant testamentum possunt disponere de omnibus bonis; sic decisum in S. C. refert *Francus dec. 431.* Et ad servandam æqualitatem, si laicus disposuerit in clericos, non servata forma prædictæ consuetudinis, nihil potest clericus prætendere, *Molfesius cons. 27.* sic referens decisum, quicquid aliter esset prius decisum; sicut ad servandam æqualitatem, sicut laicus non potest agere contra clericum pro congruo, ità neque clericus contra laicum, *Francus dec. 285.*

TITULUS III.

De Ecclesiasticis Constitutionibus.

Titulus hic ad præcedentes tali ordine continuatur, visum est supra in §. fin. tituli antecedentis, constitutiones alias esse civiles, alias verò ecclesiasticas, dictum est de civilibus, videndum erat de ecclesiasticis. Meritò ponitur hic titulus, ob cujus intelligentiam.

Sciendum est, quòd constitutio ecclesiastica continet tria, Canones scilicet, Concilii, aut Decreta Pontificum, & dicta Sanctorum, *Glossa in cap. si quis 25. quæst. 2.* Concilia verò tria sunt, Universalia, Provincialia, & Episcopalia, seu Synodalia, quibus addi possunt Conventualia, ut notatur in *cap. porrò 3. dist. & in cap. sicut de accusationibus.*

In §. Universalia.

IN quas species dividantur Concilia non constat inter DD. nam in *cap. regula, §. porrò 3. dist.* dividuntur in duas species, scilicet in Generalia, & Provincialia; *glossa* verò *in cap. convenientibus, in verb. universalis 1. q. 7.* ait, quòd Synodus, seu Concilium est universale, aliud locale, sed communiter reprobatur.

Vera ergo distinctio cum *Paulo* est, quòd Concilia aut sunt universalia, seu Generalia, id est omnium Prælatorum Orbis, sub Romano Pontifice, de quibus agit *Gratianus in 16. & 17. dist.* Alia sunt Provincialia, id est Episcoporum alicujus Provinciæ, sub suo Metropolitano, de quo idem *Gratianus per totam 18. dist.* Alia Episcopalia, id est Clericorum unius Diœcesis sub suo Episcopo; de quibus *in cap. 2. & ult. 18. dist. & in cap. quod super his de major. & obed.* & ista dicuntur Synodalia *cap. sicut alim*, ibi (*Episcopalibus synodis*) *de accusat.* & hanc distinctionem tradit *glossa in summa 17. dist.* Alii addunt quarto loco concilium Conventuale, seu Monachale, quod propriè dicitur capitulum, de quo *in cap. singulis, & in cap. ea, quæ de statu Monachorum.* Alii addunt Nationalia Concilia, in quibus omnes Episcopi unius nationis conveniunt, Præsidente Primate, seu Patriarcha; sed ne recedas ab illa divisione quatuor Conciliorum, de qua *Bellarmin. lib. 1. de conciliis cap. 4.* quicquid aliter distinguat *Barb. in collect. ad cap. 1. 15. dist.*

Cœpit origo Conciliorum universalium Apostolorum tempore, ut constat *Actor. 15. & ex B. Gregorio & Gelasio in cap. sicut & cap. sancta 15. dist Bellarminus lib. 1. cap. 9. & 10.* immò ab ipso Christo exordium habuisse morem hunc docet *Baronius tom. 1. annalium anno Christi 58.* undè in sano sensu sunt intelligendi illi, qui à Constantino Conciliorum usum, & authoritatem existimant incæpisse, ut ait *glossa in cap. futurum 12. quæst. 1. in verb. Synodo.* Id enim intelligitur hoc modo, quòd scilicet Constantinus concessit licentiam, ut publicè, & liberè celebrarentur Concilia, cùm antea Romani Principes, quorum

tum Imperio regebatur Orbis; ita in Christianum nomen sævirent, ut minimè liceret publicè congregare Concilia.

Sunt tamen multæ differentiæ inter Concilia universalia, & particularia, puta Provincialia, & Synodalia.

Prima est, quia Concilia Generalia à solo Romano Pontifice possunt congregari, *cap. regula, cap. nec licuit, cap. multis 17. dist. cap. significasti de electione.* Provincialia verò, & Episcopalia, possunt per Metropolitanum, & Episcopum celebrari, *cap. 1. cap. quoniam 18. dist. cap. quod super de major. & obed. cap. sicut olim de accusat.*

Secunda differentia est, quòd authoritas Conciliorum generalium se extendit ad universum Orbem ob authoritatem Romani Pontificis, *cap. cuncta per mundum 5. quæst. 3. Petrus Gregor. lib. 5. synthagm. cap. 3. num. 6.* ut verò Provincialia extra Provinciam, & Synodalia extrà Diœcesim; non extenduntur, ex *regula l. ultima, ff. de jurisd. omn. Judic. cap. in fine de constit. in 6.* undè dici solent talia Concilia localia, quia extra certa loca non habent authoritatem, *Castrus de punit. hæretic. lib. 1. cap. 8.* ex eo notat proverbium, quòd articuli Parisienses non transeunt Alpes.

Tertia differentia est, quia in universali Concilio aguntur causæ majores, veluti causæ Episcoporum depositionis, & quæstiones respicientes articulos fidei, & mores Ecclesiæ universalis: in Conciliis verò localibus, neque fidei quæstiones, neque aliæ majores causæ possunt agi, *cap. Concilia,* ibi (*non de majoribus negotiis*) 17. *dist.* Sed solùm de correctione morum clericorum, & aliis similibus, quæ minora sunt, *cap. annis singulis 18. dist.* consonat *Trid. sess. 24. de reform. cap. 5. in fine.*

Quarta differentia est, & notabilior, quia Concilia localia infallibilem veritatem non habent, imò errare posse resolvunt DD. communiter, & probat *tex. in d. cap. Concilia 17. dist.* ibi (*quia præsentiam Papæ non habent, valetudinem perdiderunt*) & ratio est tùm quia Concilia universalia repræsentant universalem Ecclesiam, tùm quia sunt roborata authoritate Papæ. quæ rationes cessant in Conciliis localibus, *Card. Bellarmin. lib. 2. de Conciliis cap. 10. Banues 2. 2. quæst. 1. ar. 10. dub. 3.* & patet etiam, quia plurima Concilia Provincialia errasse constat, Inprimis Carthaginense sub Beato Cypriano de rebaptizandis hæreticis, & Concilium apud Aquisgranum relatum *in c. placuit. 36. quæst. 3.* dùm dicebat invalidum esse matrimonium inter raptorem, & raptam, quamvis posteà liberè consentiant, contra decisionem Pontificis, *in cap. ult. de raptoribus, & Trid. sess. 24. de refor. matrim. cap. 6.* & quæ latè *Covarr. par. 2. de sponsalibus cap. 3. §. 9. Genedus ad decretale collect. 92.* & Concilium Elibertinum decrevit imagines non esse pingendas in Ecclesiis ut habetur *1. tom. Conciliorum c. 36. pag. 284.* quod est contra catholicam veritatem, de qua *in Trid. sess. 25. in decrete de invocatione, & veneratione Sanctorum.* licèt multi canonem illum nitantur excusare, adducentes varias interpretationes, quas videbis apud *Baronium tom. 1. anno Christi 57. pag. 96. Durantius* de *ritibus Ecclesiæ lib. 5. num. 11. Bellarminus tom. 1. contr. contr. 7. lib. 2. cap. 9.*

Concilia verò generalia, à Pontifice confirmata, vel præsentibus legatis ipsius specialem habentibus instructionem in decretis fidei, vel morum errare non possunt, ut est conclusio catholica, & constat *ex cap. sicut, & cap. sancta 15. dist.* undè talia decreta non possunt in dubium revocari, *cap. majores 24. q. 1. cap. violatores 25. quæst. 1. & l. nemo, C. de summ. Trinit. & fide Cathol. Bellarminus lib. 2. de Conciliis cap. 11.* undè Leo X. damnavit articulum 29. Lutheri, in quo dicebat posse non impugnare Concilia prædicta, ut habetur *tom. 3. Conciliorum pag. 756.* nam propter infallibilem Spiritûs Sancti assistentiam, quam hæc concilia habere dicuntur, in Spiritu Sancto dicuntur etiam legitimè congregata, ut in *Trid. sess. 2. 3. & 4.* & decreta conciliorum sententiæ dicuntur ejusdem Spiritûs Sancti, ut habetur *Actorum cap. 15.* ibi *Visum est Spiritui Sancto, & nobis.*

Dices, Christus ait *Matth. 18. Ubicumque fuerint duo, vel tres in nomine meo, &c.* ibi ego sum, ergo non solum concilia universalia, sed etiam particularia sunt infallibilia.

Respondeo (*omissis variis solutionibus*) verba intelligi, ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine Christi, idest jussu, & authoritate Summi Pontificis ipsius Christi Vicarii, ibi est Christus, qui eos non permittit errare; ità omissis aliis responsionibus respondet *Bellarminus lib. 1. de Conciliis cap. 12. & lib. 2. cap. 1. Banues 2. 2. quæst. 1. art. 10. dub. 5. concl. 1.* ergo ex illa authoritate non benè colligitur authoritatem conciliorum generalium parem esse authoritati Conciliorum Provincialium.

Neque dicas Concilium Ariminense consensisse cum Arrio, ut refertur *tom. 1. Conciliorum inter Acta Liberii Papæ pag. 69.* undè inter opera damnata recenset *Ariminense, Gelasius Papa in cap. sancta, §. quibus 15. distin. Card. Bellarminus d. lib. 1. cap. 6.*

Respondeo enim concilium illud, neque ab aliquo Summo Pontifice confirmatum, neque etiam alicujus Pontificis authoritate congregatum fuisse, sed potius reclamante Liberio Papa, ab Hæreticis Guizario, & Valente, cum Imperatore Constantino, ut habetur apud DD. citator in argumento.

Confirmatur in simili ex concilio illo Constantinopolitano, congregato sub Leone Tertio Hisauro Imperatore, & ejus filio Constantino Primo, sine Papæ authoritate, immò eodem repugnante, ubi legitur consensisse 338. Episcopos, quia verò defuit authoritas Papæ, non concilium fuit, sed conciliabulum, ex *cap. regula, & cap. Concilia 17. dist.* & sic nil mirum si inciderit in gravem illum errorem, de sacris imaginibus abolendis. Ideoque idem concilium sub Constantino congregatum, optimo jure est à septima generali Synodo aboletum, quæ alias 2. *Nicæna* dicitur, authoritate Papæ Adriani Primi, sub Imperatore Constantino V. & ejus matre, ut habetur 2. *tom. Conciliorum in Synodo. 2. Nicæna,* alias *7. generali act. 6. pag. 551.*

Neque dicas tertio, quòd concilium Ephesinum secundum Dioscori erroribus consentit, ut ait *S. Leo epistola 2.* de qua *1. tomo Conciliorum pag. 649.*

Respondeo enim, quòd licèt concilium illud à principio legitimè fuerit congregatum, authoritate Leonis Primi, & legatis suis sufficienter instructis interessentibus, nihilominus *Dioscorus* per vim, & potentiam sibi authoritatem omnem ità usurpavit, ut non permiserit singulos Episcopos, atque etiam Romani Pontificis legatos liberè suam proferre sententiam, & juxtà Summi Pontificis instructionem procedere, & decernere, quæ decerni debuerunt, ut in *actis Concilii Calcedonensis tomo 1. conciliorum pag. 745.* undè meritò talia acta sub eodem Leone Primo reprobata sunt, ut constat ex *epist. 32.* ejusdem Leonis ad clerum & plebem Constantinopolitanam, *epist. 23. ad Theodosium Augustum cum duabus sequentibus,* quæ referuntur *1. tom. pag. 649.*

Neque dicas quarto concilium Basileense sub Eugenio

genio Quarto, congregatum definivisse concilium esse supra Papam.

Respondetur enim Concilium illud legitimè quidem à principio fuisse inchoatum, scilicet à Martino V. & ab Eugenio, sed nihilominus infelicem habuit exitum, & illegitimè fuit finitum, Patres enim Concilii ab Eugenio recedentes Antipapam Amadæum Ducem Sabaudiæ, Felicem V. dictum elegerunt, qui postea cessit Nicolao V. ut constat ex actis Concilii Basileensis *tom.* 3. *Conciliorum* ideo acta in eo Concilio, antequam ab aliquo Pontifice fuerint confirmata, non habuerunt infallibilem veritatem, & constat Bullam Nicolai V. quæ refertur in d. *tom.* 3. *pag.* 135. solùm approbasse acta Concilii quoad beneficiorum provisionem, & censuras, non verò decreta circà fidem, vel mores, ut latè *Card. Bellarminus lib.* 1. *cap.* 7. *Gastri rex. Canon. quæst. lib.* 1. *cap.* 1. *nu.* 15. & alii, de quibus *Henriq. lib.* 13 *cap.* 5. *§.* 3. *lit. K.* & in particulari, Decretum illud de authoritate Concilii supra Papam improbavit ipse Eugenius Quartus, ut in *sess.* 34. ejusdem Concilii, & Leo X. in Concilio Lateranensi *sess.* 11. *pag.* 696. *Bellarm. lib.* 2. *cap.* 19.

Sunt autem Concilia universalia quatuor quorum primum est Nicænum, quod fuit celebratum anno Christi 327. usque ad annum 33., qui fuit annus 15. Sylvestri Papæ & 20. Constantini Imperatoris ipsomet Constantino curante, petente, & favente, *Azorius par.* 2. *lib.* 5. *cap.* 16. *quæst.* 1. Et probabile est Constantinum, cum Sylvestro egisse de Synodo agendo præsertim ad reprimendos Arrianos, teste *Baronio, anno Christi* 325. *num.* 6. causa congregandi tale Concilium fuit, ut blasphemia Arrii damnaretur, scilicet filium non esse verum Deum patri æqualem, quam blasphemiam Arrius docuerat in schola Alexandriæ apud Ægyptios; dùm ibi esset Theologiæ professor, & Lector, qui quidem Arrius ad disputationem veniens cum Alexandro, Episcopo Alexandriæ, veniente die pervenit Arrius; & dolore ventris invasus, profectus est exonerandi alvi causa cloacam, ubi fataliter illicò periit & una cum excrementis viscera divino miraculo effudit, *Baronius tom.* 3. *annalium, anno Christi* 336. *num.* 45. *cum sequenti.*

In hoc Concilio Nicæno convenerunt tercentum decem & octo Episcopi, *Covar. lib.* 4. *var. cap.* 15. *Card Baronius tom.* 3. *annalium, anno Christi* 325. *num.* 18. *Card. Bellarminus tom.* 1. *controv. contr.* 4. *lib.* 1. *de Conciliis cap.* 5, qui numerus authore *S. Ambrosio, in præfatione librorum de fide sacer est, & mystice figuratus* 318. militibus illis, quibus Abraham de quinque Regibus victoriam reportavit.

In hoc eodem Concilio, sicut & in Ephesino, & Calcedonensi Sacrosanctum Christi Evangelium, qui Dei Judicis personam repræsentat, Sede Regia, in medio consessus Episcopalis, ut eum omnium voltus intuerentur, collatum fuit *Card. Baronius Anno Christi* 325. *num.* 60. & qui dicto Concilio contradicit non esset Catholicus, ideò excommunicatum scribit *Leo Papa epist.* 77. *&* 78.

Secundum Concilium fuit Constantinopolitanum anno Domini 381. celebratum, & in eo convenerunt 150. Patres, authoritate Damasi Papæ, & favente Theodosio Imperatore seniore, *Covar. d. lib.* 4. *var. cap.* 15. *Azorius par.* 2. *lib.* 5. *cap.* 16. *Card. Bellarminus lib.* 1. *de Conciliis cap.* 5. *Card. Baronius* 4. *tom. annalium anno Christi* 383. *num.* 24. & fuit in eo condemnata hæresis Macedonii, Episcopi Constantinopolitani, qui tempore Constantii Imperatoris, & Liberii Papæ, asseruit Spiritum Sanctum, esse minorem Patre, & Filio, & non esse ejusdem substantiæ, cum Patre, sed esse creaturam, undè in symbolo Niceno dicitur, *Et Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, &c.*

Tertium Concilium est Ephesinum, authoritate Cælestini Papæ, petente, & favente Theodosio juniore anno Domini 431. in quo convenerunt Episcopi plusquam ducenti, & nomine Pontificis Romani, Cyrillus Episcopus Alexandrinus præfuit, ubi fuit damnatus Episcopus Antiochiæ Nestorius, qui dicebat in Christo duas esse personas, scilicet Deum, & hominem, duosque filios esse in Christo. *Covarr. lib.* 4. *cap.* 15. *Bellarm. lib.* 1. *de Conciliis, cap.* 5. *Baronius tom.* 5. *annalium, anno Christi* 431. *nu.* 7. *&* 8.

Quartum Concilium fuit Calcedonense primum, authoritate Leonis Papæ, anno 450 & sequenti, ad quod Summus Pontifex misit Paschasium, & Lucentium, Episcopos. Bonifacium, & Basilium presbyteros, in quo Concilio convenerunt 630. Episcopi, in quo Concilio fuit damnata hæresis Euthycheris Archimandritæ, qui unam tantùm in Christo naturam asserebat post incarnationem humanam, eamque passam, ac mortuum esse, &c. *Card. Bellarminus lib.* 1. de *Conciliis cap.* 5. *Covarr. lib.* 4. *var. cap.* 15. *Azorius par.* 2. *lib.* 5. *cap.* 16. *Card. Baronius* 2. *tom. anno* 451. *num.* 22. *usque ad num.* 162. & idem *Baronius tom.* 5. *anno Christi* 431. *num.* 59. *&* 66. *& anno* 435. *& sequenti*, ponit omnia, quæ Nestorius fecit.

Alia Concilia, & opuscula Sanctorum Patrum, leges apud *textum in can. sicut, & can. Sancta Romana* 15. *dist.*

Ex quibus infertur, quòd potestas congregandi Concilia universalia, est penès Summum Pontificem, sine quo si fiat, non est Concilium, sed Conciliabulum, seu Synagoga, *cap.* 1. *& cap. nullus* 15. *dist. & tota* 18. *dist.* quia nulla est potestas in cætu Ecclesiæ independenter à Summo Pontifice; cùm Christus cætui Ecclesiæ immediatè non communicaverit, ut docet *Bellarmin. lib.* 2. *de Conciliis cap.* 14. *Layman lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 7. *§.* 1. & alii communiter; unde nota non dari appellationem à Summo Pontifice ad Concilium generale, cùm Summus Pontifex non habeat Superiorem, & ab eo Concilio, ubi Papa interfuit non datur appellatio, quia appellatio datur ab uno tribunali ad aliud, & ab eodem ad idem non potest appellari, *cap. Nemo, & cap. cuncta per mundum quæst.* 93. quando verò Papa per se non interfuit Concilio potest appellari ad Papam, ex *l.* 1. *ff. quis, & à quo, &* ex *cap. Super quæstionum. vers. porrò de offic. delegati.* Ratio est, quia non videtur unum, & idem Tribunal, *Sebastianus Medices de legibus par.* 1. *q.* 9.

In §. Provincialia cum sequenti.

Conclusio horum jurium est, quod Concilia provincialia sunt, quæ Metropolitani in sua provincia tractant inter suos Episcopos suffraganeos, *cap. propter. cap. placuit, & toto tit.* 18. *distin.* est autem Metropolitanus Archiepiscopus caput provinciarum, 99. *dist.* Metropolis enim idem est, ac mater polis, id est Urbis, origo autem hujus provincialis Concilii fuit tempore Pauli Apostoli, qui in Mileto congregatis majoribus natu Civitatis Ephesinæ, celebravit Concilium provinciale, ut legitur in *Actibus Apostolorum cap.* 2. de quibus Conciliis provincialibus habetur *in Trid. sess.* 24. *de refor. cap.* 2.

Sciendum est ergo, quòd Concilium Provinciale congregari debet à Metropolitano, saltem de triennio in triennium, *Trid. sess.* 24. *cap.* 2. antiquiùs singulis annis, *cap. quoniam* 18. *dist.* non potest tamen congregari per inferiores Metropolitano, *cap. si Episcopus, cap. propter* 18. *dist.* vacante verò Ecclesia Metropo-

Metropolitana Episcopi comprovinciales possunt congregare, & convocatio fieri potest per litteras, & una citatio sufficit. si Episcopus sit electus, & non consecratus potest interesse Concilio, & de necessitate est vocandus *Prosper de Augustino in additione ad Quarantam in verb. Concilium Provinciale post quæst.* 6. solebat autem antiquitùs congregari Concilium prædictum post octavam Paschatis Resurrectionis; hodie tamen *Trid.* id remittit arbitrio Episcopi Metropolitani, & ad eundem Metropolitanum spectat assignare locum, & Civitatem, ubi congregari debeat Concilium; & potest assignare Civitatem Diœcesis Episcopi suffraganei, attendendo majorem commoditatem Episcoporum, & abundantiam, atque fertilitatem terræ, vel longitudinem itineris, *d. cap.* 2. *Episcopus Montis regalis in examine Episcoporum cap.* 22.

Sciendum secundò est, quòd personæ, quæ debent accedere ad Concilium Provinciale sunt primo Episcopi *Trid. loc. cit.* & ultra Episcopos, omnes illi, qui jurisdictionem habent Episcopalem, *Azorius par.* 2. *lib.* 3. *c.* 47. prout sunt multi Abbates, de quibus *Barbosa in cap. Episcopus il.* 2. 18. *dist.* Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, sede vacante, tempore Celebrationis Concilii provincialis, debet ad illud vocari de necessitate, & potest comperare per Vicariom Generalem cum speciali mandato dandi vocem decisivam, *Prosper de Augustino in addit. ad Quarantam in dicto verb. Concilium provinciale post q.* 4. ubi etiam ait capitula Collegiatarum, quasi Episcopalem jurisdictionem habentia ad Concilium provinciale esse vocanda.

Voeandi etiam sunt illi, qui ex consuetudine solent interesse Concilio provinciali, *Trid. sess.* 14. *cap.* 2. si verò sint impediti Episcopi venire, tunc possunt mittere alios legatos, *Azorius lib.* 3. *par.* 2. *cap.* 47. *quæst.* 2. In sedendo primum locum tenet Archiepiscopus Metropolitanus, post ipsum Episcopi, secundùm suæ ordinationis tempus, id est, qui primo loco fuit ordinatus primo loco sedere debet, *cap. fin.* 17. *distin.* quòd si sit ibi Episcopus, qui primo fuerat Archiepiscopus, adhuc debet sedere secundùm tempus suæ ordinationis, non autem secundùm dignitatem, & ordinem suæ Ecclesiæ sic pluries decisum videas apud *Bellarminum in Trid. loco citato*. tertio loco sedere debent Abbates, & procuratores Episcoporum, & capitula Cathedralium Ecclesiarum. Solet tamen in Concilio provinciali fieri Decretum, ut nullum præjudicium inferatur ei, qui sederet in loco non debito.

Vocem decisivam solùm habent in concilio provinciali Episcopi; Abbates verò, & alii vocem consultivam, verùm possunt interesse ad vocem decisivam de consensu capituli, ut videre est apud *Bellarminum in Tridentinum ubi supra*.

Laici periti possunt esse præsentes in Concilio provinciali, & dare votum consultivum de consensu majoris partis Concilii, & votum decisivum concurrente consensu Episcoporum suffraganeorum, *Abbas in cap. scriptum de electione*, ubi loquitur de Concilio generali.

Sciendum est tertio, quòd in tali Concilio provinciali cognoscit de omnibus causis Ecclesiasticis totius provinciæ, non solum per appellationem, sed etiam per simplicem querelam, & omnes, qui se læsos esse putant, ad tale Concilium venire possunt, *Quaranta in summâ Bullarii in verb. Concilium provinciale*. & tale Concilium non solùm examinat delicta suorum suffraganeorum, sed etiam subditorum eorum, *cap. grave*, *cap. sicut olim de accusat.* Majores verò quæstiones, veluti Episcoporum depositiones, & quæstiones articulos fidei, & mores Ecclesiæ universalis respicientes, ad Concilium generale referri non possunt: immò neque tale Concilium potest formare processum contra Episcopum in causis criminalibus gravioribus, ad effectum transmittendi prædictum processum ad Summum Pontificem; *Riccius decis.* 145. *par.* 4. *Barb. de potestate Episcopi, allegat.* 112. causæ verò minores criminales Episcoporum, in Concilio provinciali possunt examinari, & terminari, *Trid. sess.* 24. *cap.* 5. *de reform.* Immò fuit declaratum per Sacram Congregationem, posse tales causas criminales tractari, etiam non præsentibus duodecim Episcopis, quia prædicta Concilia à minori numero Episcoporum, plerumque constant, latè *Barb. in collectan. ad textum in d. cap. propter* 18. *dist.* potest etiam Concilium provinciale tollere altercationes, & discordias contractas inter Episcopos comprovinciales, & Clericos, ut in *d. cap. propter* 18. *dist.* possunt tractari nova miracula, & difficultates, quæ de his oriuntur, & relatio est facienda ad Pontificem: poterit etiam ordinare modum canendi, & alia necessaria ad cultum divinum, *Trid. sess.* 24. *cap.* 12. potest augere reditus Ecclesiasticos, & alia, de quibus DD. citati.

Sciendum est quarto, quòd Episcopus, qui cessante impedimento Canonico, non venit ad Concilium, debet privari communione aliorum Episcoporum, usque ad futurum Concilium si fuerit contumax, *Quaranta in verb. Concilium Provinciale nu.* 7. non tamen erit prohibitus talis Episcopus celebrare divina officia, & recipere Sacramenta Ecclesiæ, & communicare cum cæteris Episcopis, sed solùm erit suspensus à communibus negotiis cum aliis Episcopis, nec poterit interesse consecrationi ipsorum, & posset etiam talis Episcopus excommunicari, prout magis expedire videbitur Archiepiscopo, latè *Barb. in collect. ad textum d. cap. si Episcopus in fine.*

Sciendum est quinto, quòd Episcopi tenentur infra sex menses manifestare suis subditis, in suis Diœcesibus concilium provinciale, *cap. fin.* 18. *dist.* ex quibus sex mensibus deducitur tempus, quo prælati recedunt ad suos Episcopatus, & tempus vulgarizandi Concilium provinciale, *Quaranta in summa Bullarii de Concilio provinciali*, *quæst.* 39.

Sciendum est sexto, quòd constitutio provincialis ligat omnes, qui sunt de provincia, & subditi Archiepiscopi DD. communiter in *cap. ult. de filiis presbyt.* & interdum ligat omnes, quando scilicet Constitutio provincialis fit universalis, nam interdum videns Papam aliquam Constitutionem Provincialem adaptabilem universo, illam jubet observari per universum orbem, & ita fit universalis, exemplum est in *cap. de constit.* quod desumptum est ex Concilio Provinciali Meldensi, & in *cap.* 2. de *electione* quod desumitur ex Concilio Sardicensi.

In §. Episcopalia cum duobus sequentibus

AGitur hìc de Conciliis Episcopalibus, seu Diœcesanis, seu Synodalibus: dicitur verò Synodus à dictione (con, & nodua) quasi conjunctio quia simul plures conjunguntur, & definitur, ut sit quædam Congregatio personarum Ecclesiasticarum ab Episcopo facta ad Dei laudem, & animarum salutem, *Vgolinus de potestate Episcopi cap.* 4. *Episcopus Montis Regalis in examine Episcoporum lib.* 4. *cap.* 27. Quod Concilium Synodale ad mores Clericorum reformandos, ordinarunt sacri Canones, ut quilibet Episcopus in sua

Diœcesi

Diœcesi semel in anno Synodum convocet *cap. quoniam* 18. *dist. Trid. sess.* 24. *cap.* 2. *de reform.* quando verò necessitas, aliud postularet, sæpius in anno posset celebrari, *cap. de Concil.* 18. *dist. Ugolin. de potest Episc. c.* 48. *Barb. de potest. Episc. alleg.* 93. quòd si Episcopus sit impeditus potest per alios congregare Concilium, ut declaravit sacra Congregatio teste *Barb.* ubi supra, unde potest Vicarius generalis Episcopi, Synodum Diœcesanam congregare si habeat speciale mandatum *Barb. alleg.* 54. *nu.* 103.

Tenentur tamen ad Synodum Diœcesanam accedere omnes Sacerdotes, qui curam animarum habent *cap. quod sup. de major. & obed.* ubi *glossa Trid. sess.* 24. *de reform.* non solùm si tales Curati sint clerici sæculares, sed etiamsi regulares sint. Capitulum Ecclesiæ cathedralis de necessitate debet invitari, *cap. ult. de his, quæ fiunt à Prælatis*, non autem omnes de capitulo venire debent, sed aliqui in Ecclesia tenentur perseverare, ut declaravit sacra Congregatio teste *Piasecio in prax. p.* 2. *c.* 2. *nu.* 2. *Barb. alleg.* 93. ubi etiam refert decisum capitula collegiatorum, quasi Episcopalem jurisdictionem habentia ad Synodum esse vocanda.

An vero Rectores Parochiarum, quæ in nullius Diœcesi sunt, teneantur accedere ad Synodum viciniorem quæstio est.

Respondet communis non teneri, licèt possint ab eo Episcopo viciniori visitari ex *Trid. sess.* 24. *cap.* 9. nam aliud est jus visitandi, aliud jus vocandi ad Synodum neque ex uno ad aliud infertur *arg. l. Papinian. ff. de minorib.* ergò cum Concilium solùm loquatur de visitatione, non vero de vocatione ad Synodum. sequitur quòd non teneantur, ità *Navarr. cons.* 11. *de offic. Ordina. in antiq. & cons.* 12. *de major. & obed. in nov. Sayeus in tit. de offic. Ordin. dec.* 11. *Ricc. collect.* 1153. Alii dicunt sacram Congregationem declarasse teneri accedere hos tales ad ad Synodum viciniorem, ità post *Ugolin.* & alios refert, *Barb. in cap. quod super nu.* 5. *de major. & obed.*

Refert verò *Bellarm. in d. loco Trid. sess.* 24. *cap.* 2. clericos simplices, sivè beneficiatos, existentes in minoribus, non teneri venire ad Synodum, nec beneficiatos de beneficiis simplicibus, nisi vocentur ob generalem morum reformationem, qua de re DD. in *d. cap. quod super de major. & obed.* neque tenentur accedere, qui morbo, vel senectute detinentur, aut alio impedimento, puta inimicitiæ &c. Neque tenentur accedere excommunicati, nisi veniant ad petendam absolutionem, *cap. penult. de sent. excomm.* DD. citati.

Qui omnes postquàm fuerint moniti unica tantùm monitione tenentur accedere *glossa in d. cap. si Episc.* 18. *dist.* die præfixa ad celebrationem Synodi, clerus comitatur Episcopum, descendentem in Ecclesia, cum campanis. & organis sonantibus, & celebratur missa de Spiritu sancto, & orationes, ut in Pontificali ordinantur, exhortatur clerus, ut eum fructu, & devotione Synodum celebrent.

Primò fieri debet electio consultorum Theologorum, & in utroque jure Doctorum Promotoris, & Notarii, sive Secretarii ipsius Synodi, qui Notarius omnium Synodo interesse obligatorum nomina legit, qui singuli vocati respondentes (adsum) accedere debent ad osculandum manum Episcopi in signum obedientiæ, quam ipsi reddere tenentur *cap. quod super de major. & obed.* & contra absentes, nec legitimas adducentes excusationes veluti contumaces procedi debet, ut debita pœna mulctentur. Quo facto fieri debet decretum, quòd si contigerit aliquem in sedendo loco sibi non debito stetisse, seu vocatum fuisse, aliudvè egisse, quod nullum, circà præcedentiam, patiatur præjudicium, est apponenda pœna, ne quis nisi Synodo finita recedat, & ad hoc solent eligi punctatores, & alia agi, quæ Episcopo videbuntur necessaria. *cap. Episc. in Synodo* 35. *q.* 6.

Secundo his factis, debet legi professio fidei, juxta formam præscriptam in Bulla Pii IV. quæ incipit, *injunctum*, deinde legentur decreta Tridentini de residentia, quæ habentur in *cap.* 1. *de reform. sess.* 6. ut magis memoriæ commendentur ad animarum salutem.

Tertiò eligantur ad minus sex examinatores, qui examinent promovendos ad beneficia curata, suique officii rationem in Synodo reddant, & ibidem puniantur si reperiantur deliquisse circà talia officia *Trid. sess.* 24. *de reform. cap.* 18. quæ quidem approbatio tam per vota secreta, quam per publica fieri potest, ab ipsa Synodo, ut ait Sacra Congregatio, teste *Quaranta in summa Bullarii in verb. Synodus, Barb. d. alleg.* 93. *num.* 18.

Quarto, assignantur Judices in Synodo, quibus delegantur causæ *Trid. sess.* 25. *cap.* 10. *de reformat.* nominantur etiam alii, ut Judices Conservatores pro quibuscumque Conventibus, Capitulis, &c.

Quintò, sunt corrigendi defectus Seminarii. & rationes redituum Seminarii reddendæ. Potest condere statuta Episcopus in tali Synodo, prout sibi videbitur *cap.* 1. *juncta glossa in verb. generaliter de consecrat. dist.* 3. *cap.* 2. *de major & obed.* quæ statuta erunt perpetua, nec expirant morte conditoris *glossa in cap. ut animarum de constit. in* 6. *in verb. statute*, quæ omnia statuta cum consilio Capituli Episcopus facere tenetur. *cap. Episc.* 24. *dist. c. quanta de his quæ fiunt à Prал. sine consensu Capituli*, ea verò statuta, quæ condit Episcopus non debent sacris canonibus esse contraria *cap. institutionis* 25. *q.* 2. *Clem. ne Romani de elect.* Permisit enim Summus Pontifex in *cap. fin. de consuet.* posse induci consuetudinem contra canones, sed expresè reprobavit posse contra eos fieri statuta in *d. Clem. ne Romani* latè *Barb. alleg.* 93. *num.* 30. In aliquibus verò casibus posset Episcopus statuere canones, & constitutiones Summorum Pontificum, primò ex causa urgenti, non cogitata per canonem, si scilicet superior non possit de facili consuli. Secundò si aliquid statuat antequam canon promulgetur, tenebit enim suum statutum, licèt contrarietur canoni, *c.* 1. *de constit. in* 6. & alius casus affert *Barb. d. alleg.* 93. *in fine.*

In §. Decreta Pontificum.

COnclusio hujus textus est, quòd ultra Concilia Universalia, Provincialia, & Synodalia, habemus etiam decreta sanctorum Patrum, & Summorum Pontificum, quæ sanctorum Patrum scripta si sint inserta Juri canonico, obtinent auctoritatem post decreta Summorum Pontificum, ut in tota dist. 19. Quòd si quis dixerit Papam non habere auctoritatem condendi canones est hæreticus *cap. Nulli* 19. *dist. Baron. tom.* 9. *annal. an. Christi* 839. *n.* 6. *Suarez tom.* 4. *de censur dis.* 22. *sect.* 1. *Farinac. de hæresi q.* 183. *§.* 1. *Barb. in collect. ad text. in d. cap. ult.* Decretales epistolæ, divinæ scripturæ libris annumerantur per *Gratian. in can. in canonicis* 19. *dist. Covarr. lib.* 4. *var. cap.* 16. *Bellarm. lib.* 2. *de Concil. cap.* 2. alii, & melius divinis scripturis eas Epistolas annumerandas esse quas ab Apostolis accepit Ecclesia, ut latè post alios *Barb. in collect ad text. in d. cap. in canonicis.*

Est etiam notanda doctrina Trident. sess. 4. ubi dicitur servanda, esse quæ sacræ paginæ interpretes scripserunt

ferunt, & maxima pœna eos puniendos, qui violaverint ea, quæ Sancti Patres scripserunt, *cap. sic decet* cum pluribus aliis, *25. quæst. 2.*

In causis decidendis æqualem habent auctoritatem epistolæ decretales, & Concilia universalia *Covar. d. lib. 4. variar. c. 16.* sic intelligens locum *Gratiani, in 2. dist.* qui *Gratianus* etiam reprobatur in eo, quòd dixit in dicta 2. *dist.* scilicet in explanando verum Scripturæ sensum præferri Doctores Sacrus judicio Romani Pontificis, est enim falsum, nam ad Pontificem spectat definire veros Scripturæ sensus, *cap. per venerabilem, qui filii sint legit. Trid. sess. 4.* nisi velis dicere quod *Gratianus* loquatur de Papa exponente sensum Scripturæ ut persona privata, ut benè post alios *Barb. in d. dist. 26.*

TITULUS IV.

De Jure Personarum.

TOtum corpus institutionum canonicarum habet pro materia de quo agit, personas, res, & judicia: primo libro agitur de personis; meritò antequam de eis in particulari agamus, ponit Paulus titulum de jure personarum, ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, quòd omnium personarum duo sunt genera unum laicorum, aliud verò clericorum *c. duo sunt 12. q. 1.* dicuntur laici, quibus licitum est possidere temporalia, & uxorem ducere, causas agere temporales inter laicos &c. ut in *d. cap. duo sunt*, & dicitur laicus à verbo græco lais, quod significat latinè durum, & ignorantem, quia debent laici edoceri a clericis, tam in doctrina spirituali, quàm temporali, clerici verò dicuntur a verbo græco cleros, quod latinè sortem significat, quia clerici sunt deputati, & electi in sortem Domini *cap. cleros 21. dist. d. cap. duo sunt lexicon Theologicum in verbo laicus.*

Dicitur etiam laicus à verbo græco lays, quod significat popularem *lexicon Theologicum verb. clericus.*

Sciendum est secundò, quòd laici sunt in multiplici differentia, aliqui enim sunt religiosi sine ulla professione, ut omnes homines viventes in sæculo: alii verò religiosi cum professione, ut illi, quos nos conversos appellamus, *Zerola in praxi in verb. laici vers. 10.*

Sciendum est tertiò, quòd laici possunt possidere temporalia, clerici verò non. Idem dicitur in *d. cap. duo sunt.*

Neque dicas obstare textum in *can. clericus victum 91. dist.* ubi clericus potest temporalia possidere neque prohibetur aliquod artificium facere manibus suis, ut victum quærat, & etiam sine necessitate id licere probat. *Genuensis in pract. Episc. cap 77. in 1. addition. alias 62. in 2. addit. nu. 10. & 11.* ad exemplum *Pauli actor. 20.* ibi *Ad ea, quæ mihi opus erant & his qui mecum sunt ministraverunt manus istæ*, & refertur in *cap. 1. 21. q. 1.* onde clericis per sacros canones permittitur opera rusticalia exercere, canistra vimínibus texere, humum ligonibus exhaurire, plantas ordinatim disponere, surculos inserere, vineas amputare, domos reficere, retia piscandis piscibus construere, &c exemplo S. Lucæ qui pingendo sibi victum quærebat, & S. Antonii, qui terram colebat, & fiscellas juncis texebat. Quæ omnia clericis permittuntur, dummodò à divinis non desistant. *Genuensis loc. cit. Gratian. c. 57. n. 27. Barb. in c. clericus vict.*

Respondeo enim, quòd laicis magis generaliter permittitur temporalia habere, quàm clericis, nam isti debent esse contenti victu, & vestitu, *cap. clericos cap. quia 12. q. 1.* & hoc significat tasura capitis ipsius clerici, scilicet depositionem omnium rerum temporalium saltem quoad effectum, & solli itudinem. Non tamen negamus clericis dominium fructuum, & distributionum suorum beneficiorum; ut benè *S. Thomas 2. 2. quæst 185. art. 7. in corpore & quodlib. 6. quæst. 8. ar. 12. ad tertium Abulensis super Matthæum cap. 6. quæst. 74. Soto lib. 10. de justitia q. 4. arti. 3. Molina disput. 42. Covarr. in cap. cum in offic. de testamentis Bannes 2. 2. q. 32. ar. 6. dub. ult. Valentia tomo 3. disp. 10. q. 3. par. 7. Guttier pract. cur. lib. 2. q. 114. Spino in speculo testament. glossa 14. Garzia p. 2. de benefic. cap. 1. num. 3. Barb. in l. divortio par. 2. num. 59. ff. sol. matrim.*

Pro qua opinione facit *text. in authen. Presbyt. C. de Episc. & cleric.* ibi *quolibet modo ad Dominum*; & in *cap. unico ibi, dominum de cleric. non residen. in 6. cap. pervenit ibi de reditibus eorum cap. constitutus, cap. quod quibusdam de fidejuss.* tum quia bona Ecclesiastica erant communia anteà, & postea fuerunt divisa *cap. de reditibus cap. quatuor* cum multis ibi *12. q. 2.* tum quia clerici disponunt eos locando, & conductoribus transferunt dominium; ergo illud habent.

Pro qua perfecta cognitione distinguo ego plura tempora.

Primum fuit tempus, in quo neque Ecclesia, neque Christiani possidebant bona, neque in communi, neque in particulari, sed Evangelicam perfectionem imitantes, bona sibi oblata vendebant, & pretium Apostolis dabant, ut inter pauperes distribuerent, *Actor. cap. 4. propè finem Joannis 11. cap. scimus, cap. habebat cum multis aliis, 12. quæst. 1.*

Secundum tempus fuit quando laici Christiani cœperunt possidere bona in communi; clerici verò in communitate, nihil proprium habentes in particulari, quo tempore prædia Ecclesiis donata a fidelibus, acquirebantur Ecclesiis, in quibus Episcopi præsidebant, *cap. videntes. cap. ex prædio cap. duo sunt cum aliis 12. quæst. 1. cap. ult. cap. decimæ 16. quæst. 1.* & ita intelligitur *S. Thomas 2. 2. quæst. 43. art. 8. in corpore.*

Tertium tempus fuit, in quo clerici ægre ferebant carere rebus propriis, unde fuit eis permissum, ut haberent patrimonia suorum parentum, vel alia, *cap. clericos, cap. pastor Ecclesiæ, cap. si quis presbyter cum multis 11. quæst. 2. cap. certè ego, cap. Episcopi, cap. Episcopum, 12. quæst. 1.*

Quartum tempus fuit, in quo Parochiæ sunt divisæ, & singulæ singulis presbyteris assignatæ & bona Ecclesiarum quoad reditus in quatuor partes distributæ, una Episcopo, seu Diœcesano altera Parocho, tertia Fabricæ, quarta hospitibus peregrinis, & pauperibus, *cap. concesso, cap. quatuor, cap. de reditibus, cap. cognovimus, cap. mos est cap. sanctimus cum multis aliis 12. quæst. 2. cap. unico in principio 15. quæst. 1.* quæ distributio per Episcopum fieri solebat, *d. cap. concesso.*

Ultimum tempus est hodiernum, quo Episcopi, exceptis bonis, quæ suæ mensæ in solidum sunt applicatæ & insuper capitulis Ecclesiarum Cathedralium in plerisque Ecclesiis habent tertiam partem fructuum, reliquas partes habent Rectores Ecclesiarum, qua distinctione temporum facta, potes intelligere plura jura,

jura, quæ secundùm ea loquuntur in dicta materia, ut latè *Barb. in collect. 5. tomo causa 12. quæst. 1. cap. 8.*

Secunda differentia est, quia non possunt laici ingredi, ubi clerici sunt in altari, & inter eos sedere, *cap. 1. de vita, & honest. cleric.* neque si sit Patronus *Barb. in d. cap. 1. de vita, & honest. cleric.*

Tertia differentia inter clericos, & laicos est, nam laici, possunt uxorem ducere, clerici verò minimè, ut *in d. cap. duo sunt.*

Dices obstat *tex. in cap. seriatim 32. dist.* ubi licitum est clericis uxorem ducere.

Respondeo distinguendo, aut loquimur de clericis in sacris, & eis non permittitur uxorem ducere, sed potest Pontifex in hoc dispensare, ut contra multos docet *Sanchez lib. 8. de matr. disp. 8.* causa verò dispensandi in Pontifice, debet esse urgens necessitas Reipublicæ, quod si id Papa faceret sine causa prædicta, peccaret gravissimè, teneret tamen matrimonium. Clerici verò in minoribus ad libitum possunt uxorem ducere, & de his loquitur *textus in d. cap. seriatim 32. dist.* ex quo *textu* notat *Cajetanus 2. 2. quæst. 12. art. 1. dub. 1.* peccare mortaliter clericum initiatum prima tonsura, aut minoribus ordinibus, absque justa causa retrocedendo ab ordine suscepto, vel faciendo se inhabilem ad alios ordines, puta ducendo non virginem, aut binas nuptias contrahendo, & reddendo se inhabilem propter bigamiæ irregularitatem, alii verò, & meliùs esse solum culpam venialem, *Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 31. num. 11. Vasquez de ordine disp. 249. cap. 4. num. 39. Filiuccius tom. 1. quæst. moralium par. 2. tract. 10. cap. 4. num. 130.*

Quòd si ex justa causa talis clericus retrocedit, vel viduam ducat, nulla est culpa, quia utitur jure suo, nec recedit à statu perfecto, sed à statu, qui initium est, & via ad perfectum ordinis statum. *Toletus lib. 4. cap. 18. num. 4. Bonacina de matrim. quæst. 3. p. 9. num. 5. & 4. Barb.* qui alios refert *in d. cap. seriatim nu. 2.* qui *tex. in d. cap. seriatim in fine*, notatur ad hoc, quòd uxor, quæ voto castitatis emisso, licentiam concessit viro ordinem sacrum suscipiendi redditur inhabilis matrimonio ineundo post viri obitum, quem textum explicant *Filiuccius 1. tom. moralium, tract. 10. cap. 4. num. 132. & à nu. 45. Pirhing de impedim. matrimonii cap. 19. §. 1. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 40. nu. 2.* Si verò uxore ignorante, vel repugnante, fuerit maritus ad sacros ordines promotus, tunc uxor habet jus petendi virum, illumque revocare ad matrimonium, & vir uxori restitutus debitum conjugale tenetur reddere, licèt non possit petere, *cap. quidam de conversi. conjugat.* Idem dicas si licentia uxoris fuisset extorta per metum gravem, vel vim, aut dolum, post alios *Barb. in d. cap. seriatim in fine.*

Quarta differentia est, quia laicis licitum est causas agitare, & alios judicare, quod clericis non permittitur, ut hic, & *in d. cap. duo sunt.*

Dices obstat *textus in d. cap. 15. quæst. 4.* ubi etiam Clericis permittitur causas agitare, & in eis judicare.

Respondeo, quòd licitum est clericis judicare in causis civilibus, & inter clericos, at verò laicis conceditur indistinctè id facere, ut benè *DD.* ibi.

Quinta differentia inter laicos, & clericos (omissis aliis, de quibus *Carolus de Grassis de effectib. clericatus*, quos effectus transcripsit *Riccius* in præsenti solum quoad summaria) est quòd laici possunt studere juri civili absque ulla pœna excommunicationis, quod secus est in clericis, *cap. super specula ne clerici, vel monachi* qui *textus* pœnam ait incurrere suspensionis post 60. dies, nisi cessaverint à studio juris civilis, & medicinæ; verùm si clerici studerent causa addiscendi faciliùs jus canonicum, nullam pœnam incurrerent, sunt legendi *Carolus de Grassis de effect. clericatus effect. 9. Episcopus Marauta par. 2. coas. 20. Barb. in collect. in cap. super specula 28. de privilegiis.*

In §. secundo & finali.

Conclusio horum jurium est, quòd Clerici sunt in multiplici specie, quidam enim sunt in Sacerdotio, ut presbyteri, quidam in sacris, ut Subdiaconi, & Diaconi quidam in minoribus: qui verò sunt in Sacerdotio constituti; alii sunt in altiori gradu, ut Episcopi, & Summus Pontifex, quidam sunt in inferiori gradu, ut simplices Sacerdotes. Dicuntur verò in sacris aliqui, puta Subdiaconus, & Diaconus, quia tangunt immediatè res sacras, & habent votum castitatis, quod non est in ordinatis in minoribus.

Est notandum, quòd in Republica Christiana Ecclesiastica, clerici sunt alii majores, alii minores, sicut in Ecclesia triumphante alii sunt Angeli, alii Archangeli &c. ita in Ecclesia militanti alii debent esse majores alii minores, in potestatibus & officiis, *cap. ad hoc 89. dist.* sicut in corpore humano omnia membra eundem motum non habent, *Paulus ad Rom. cap. 12. & ad Corinth. 12. cap. singula 89. dist.*

Consistit verò majoritas Ecclesiastica in quatuor gradus. Primus in prærogativa ordinis, secundùm quam Episcopi sunt majores presbyteris *cap. legitimus 93. dist. cap. olim, cap. Episcopus 95. dist. Barb. de potestate Episcopi, par. 1. tit. 1. &* Diaconus Subdiacono, &c.

Secundus gradus est in prærogativa potestatis, seu jurisdictionis, secundùm quam Archidiaconus est major Archipresbytero, *cap. perlectis, in verb. Archipresbyter 25. dist.* Archiepiscopus Episcopo, Patriarcha, seu Primas Archiepiscopo, *cap. primas 18. dist.*

Tertius gradus consistit in prærogativa antiquitatis, cui magna est exibenda reverentia, *cap. quanto* ibi *sicut testatur antiquitas de translatione prælatorum l. testamenta C. de testam.* quæ antiquitas consideratur ratione ætatis, *l. semper, ff. de jure immunitatis, cap. dudum 22. de elect.* vel ratione temporis, *l. quoties 99. de regul. jura cap. qui prior eodem tit. in 6. cap. duobus, vers. si verò de rescriptis in 6. cap. 1. de major. & obed. l. 1. ff de albo scribendo*, intellige paribus terminis, undè si concurrant duo ejusdem ordinis, seu dignitatis, antiquior est præferendus, *cap. 2. & l. citata.* Sed si major in ordine concurrat, cum antiquiori minori in ordine, tunc major ordine est præferendus, quamvis sit posterior tempore, *textus optimus*, ubi *DD. in cap. Statuimus de major. & obed.* nisi consuetudo esset contraria, prout videtur illa de qua *in cap. ult. de consuetud. in 6.*

Quartus gradus majoritatis consistit in prærogativa ordinantis, de qua in *cap. per tuas de major. & obed.* ubi ordinatus à Papa præfertur ordinato ab inferiori, quamvis hic antiquior sit, dummodo in eodem gradu concurrant, quod ex d. *textu* colligit *glossa in cap. 1.* ubi *Abbas de major. & obed.* & est *textus in l. 2. ff. de albo scribendo*; sic ille, qui posteriùs acceptus est in canonicum authoritate Apostolica, præfertur in assecutione præbendæ, quæ primo vacaverit, illi, qui ordinaria authoritate priùs receptus est, *cap. hi qui de præben. in 6.* sic limitata regula *in cap. qui prior de regul. juris in 6.* iste *Barb. in collect. de major. & obed. num. 8.*

Ex

Ex quibus infertur primo clericos minores, & alios inferiores suis superioribus teneri obedire, *cap. sciendum vers. obedientia* 8. *quæst.* 1. *cap. ult. in principio* 23. *quæst.* 1. *cap.* 2. *de censibus*, *cap. ult. de major. & obedientia*, *cap. omnes Principes cap. solitæ eodem tit. cap. qui suis* 93. *dist. cap. in omnibus de consecr. dist.* 5. *cap. quod super*, *cap is qui de major. & obed. cap. cùm non liceat de præscript. cap. conquerente de offic. ordinarii*; & per subjectionem tenentur clerici suis prælatis in judiciis se subjicere, non aliis, ut judicentur, *cap. nullus*, *cap. cum multis* 9. *quæst.* 2. *cap. significasti de foro competenti*, per reverentiam tenentur prælatis exhibere signa honoris, per corporis inclinationem, *cap. quamquam* 23. *dist.* est autem obedientia voluntas humiliter obtemperans suo superiori, *cap. ultimo* 23. *quæst.* 1. *S. Thom.* 2. 2. *quæst.* 104. *art.* 2. *Rodriquez tom. quæstionum regularium*, *quæst.* 19. *art.* 1. & in obediendo superiori, debemus potius voluntatem, quàm modum, seu verba inspicere. *cap. rogo* 11. *quæst.* 3. & quidem obedire tenemur superioribus in præceptis de necessitate, in consiliis, ut mereamur magis, in illicitis minimè, *cap. ultima* 14. *quæst.* 1. *cap. non semper cum sequenti* 11. *quæst.* 3. *cap. Inquisitioni de sententia excommunicationis.*

Infertur secundo, quòd ut major aliis præferendus est primo ordinatus, *cap.* 1. *de major. & obed.* prout nobilis tantò melior est, quantò antiquior, *Tiraquell. de nobilitate cap.* 20. *num.* 52. *Sesse dec. Aragon num.* 52. *&* 8. *nu.* 7. & seniores debent prius subscribere, nam prior descriptus est dignior, *l.* 1. *ff. de albo scribendo*, & prior nominatus, censetur magis dilectus, *l. si communis servus*, *ff. de stipul. servor. cap. si quis de elect. in* 6. *Bal. in cap.* 1. *de major. & obed. in fine*, *Macratensis lib.* 1. *resol.* 81. Sic Episcopus consecratione, vel canonicus creatione antiquior præfertur aliis, & primus sedere debet inter alios, *Genuensis in pract. Eccles. quæst.* 610. *Barb. de potestate Episcopi par.* 1. *tit.* 3. *cap.* 8. *num.* 65. & inter Monachos illi præferuntur, qui primo professionem fecerunt. Canonicus verò, vel beneficiatus, Judex, vel alius officialis, qui prius possessionem apprehendit, præfertur alteri, qui primo loco fuit provisus, sed possessionem non accepit, licèt per se non steterit. *Cassaneus in cathalogo gloriæ mundi*, *par.* 4. *cons.* 76. *& par.* 11. *cons.* 17. *Gonzalez ad regul.* 8. *Cancellariæ* §. 3. *in præmio num.* 23. *&* 24. *Barb. in cap.* 1. *de major. & obed. num.* 8.

Infertur tertio, quòd si quis non obedierit Episcopi decreto, est excommunicandus, *cap. si quis de major. & obed.* quia potest Episcopus statuta facere, ut supra dixi, nisi ea faciat contra sacros Canones, *cap. institutionis* 25. *quæst.* 2. & in aliquibus casibus potest etiam contra Canones statuere, de quibus *Barb. alleg.* 93. *num.* 129. De causis majoribus non agit Episcopus, puta de miraculis, fidei, & aliis, de quibus. *Barb. alleg.* 112.

Infertur quarto omnes de diœcesi teneri obedire Episcopis suis, etiam Principes terræ, *cap. omnes Principes de major. & obed.* & multa congerit *Barb. de potestate Episcopi par.* 1. *tit.* 2. *glossa de obedientia exhibita Episcopis à Catholicis Principibus*, & isti etiam Principes tenentur Episcopis solvere decimas prædiales, ubi prædia sita sunt, & personales, ubi divina officia audiunt, *glossa in d. cap. omnes Principes Moneta de decimis cap.* 5. *quæst.* 1. *num.* 26. ubi reprobat *Trivisanum dec.* 29. *num.* 2. tenentem bona Principis non esse subjecta decimis.

Majoritas inter unam, & alteram personam, ex sessione ad dexteram, vel ad sinistram arguitur, *cap. solitæ de major. & obed.* licèt non semper, ut benè *Card. Baronius tom.* 3. *annalium anno Christi* 325. *& tom.* 6. *anno* 451. *& tom.* 2. *anno* 213. Hinc est, quòd in Bullis Papæ, S. Paulus ponitur à dextris, & S. Petrus à sinistris, ut ostendatur hos Apostolos, vel pares esse inter se, vel certè ignorari quis major sit inter eos; nam licèt Petrus major sit potestate, Paulus major est sapientia, ut benè *Bellarminus lib.* 1. *de Romano Pontifice cap.* 27. *Barb. de potestate Episcopi par.* 1. *tit.* 3. *cap.* 8. *num.* 63. *& in cap. solitæ num.* 8. prout videmus in sacrificio missæ, epistolam ad dexteram, & evangelium ad sinistram cani, cùm tamen Evangelium sit dignius, & in ludo schacchorum uxor Regis nigri, stat ad dexteram viri, ut benè *Cassaneus in cathalogo gloriæ mundi par.* 3. *cons.* 31. non ergo semper stare ad dexteram est sufficiens signum majoritatis.

Infertur quinto ordinatum à Papa in sacris, vel aliis ordinibus esse honorandum, & anteponendum in beneficiorum concursu, *Gonzales ad regulam Cancell.* 8. §. 3 *in præmio nu.* 116. licèt enim talis ordinatus à Papa, non eximatur à jurisdictione ordinarii, ut latè *Erasmus Cochier de jurisdictione ordinarii in exemptos par.* 1. *quæst.* 21. tamen habet multa privilegia, videlicet, quòd ad superiores ordines nullus potest eos promovere, sine Papæ licentia, *Barb. par.* 3. *alleg.* 50. *num.* 23. *& in cap. cum in distribuendis de tempor. ordinationum*, neque possunt in delictis convinci, nisi pluribus testibus, *Cochier ubi supra*, & à solo Papa deponuntur, *glossa & DD. in cap. filium* 1. *quæst.* 1. *glossa* 1. *in cap. per tuas de major. & obed. Capella Tholosana dec.* 293. ubi addentes *Riccius collect.* 1430. *&* 1441. *Barb. alleg.* 67. *num.* 14. sicut Doctor creatus à Principe est nobilior aliis Doctoribus, & nobilitatus ab Imperatore, vel Rege præfertur nobilitato ab inferiore, *Tiraquell. de nobilitate cap.* 6. *num.* 7.

Infertur sexto clericos non teneri præstare juramentum obedientiæ suis prælatis, & superioribus, neque scripturam facere de hoc, *cap. legebatur de major. &c. cap. dilecte fili eodem tit. cap. nullus de jure jurando*, quia jam præstita censetur, & promissa obedientia, dùm ordinantur, *cap. quamquam*, ubi *glossa* 23. *dist.* sicut juramentum fidelitatis semel Papæ præstitum, excusat ne in futurum teneatur præstare quis successoribus Papæ. *cap. veritatis de jure jurando*, latè *Barb. in cap. his*, *qui* 11. *de major. & obed.*

Infertur septimo Moniales non obedientes suis Abbatissis peccare mortaliter, licèt non possint excommunicari, *cap. dilecta* 12. *de major. & obed.* & de mandato Apostolico, possunt Abbatissæ suas subditas excommmunicare, & jurisdictionem spiritualem exercere, ut latè *Barb. in d. cap. dilecta de major. & obed.* in quo *cap.* dicitur posse Abbatissam suspendere clericos suæ jurisdictionis, & sibi subditos, sed non fuit ibi vera suspensio, & propria, ut benè *Miranda de sacris monialibus quæst.* 6. *art.* 5. *concl.* 1. *Rodriquez tom.* 1. *quæstion. regul. quæst.* 15. *art.* 1. *Barb. loco citato.*

Rogabis an inter ordinatos in minoribus detur differentia?

Respondeo affirmativè: alii enim sunt clerici in minoribus non conjugati, alii verò conjugati, de quibus clericis conjugatis, agunt *Riccinllus de jure personarum lib.* 7. *Bellettus in disquisit. clericali par.* 1. *in tit. de disciplina Clericorum*, §. 9. *Sanchez lib.* 7. *disp.* 42. *Garsias par.* 7. *de beneficiis cap.* 5. *Farinaceus par.* 1. *in fragmentis lit. C. à num.* 325. *Filinccius tom.* 3. *tractat.* 41. *cap.* 5. *nu.* 18.

Conjugati si unicam, & virginem duxerint gaudent fori privilegio, *& canonis*, *si quis suadente Diabolo* 17. *q.* 4. & quidem fori gaudent privilegio in de-

lictis tantùm, ut scilicet non possint trahi ad tribunal laicale, nec criminaliter, nec à sæculari valet condemnari in persona, nec in bonis, quæ privilegia tunc habent, quando deferunt habitum, & tonsuram, *cap. unico de clericis conjugatis in 6. Trid. sess.* 23. *cap.* 6. quod *Trid.* addit servitium Ecclesiæ, *Diana par.* 1. *tract.* 2, *resol.* 26. in civilibus verò non gaudet clericus conjugatus fori privilegio, undè poterunt pro debito detineri, & capi à Judice laico, neque est à tributis exemptus, & beneficiorum incapax etiam cum licentia Episcopi, latè *Barb. in d. cap. unico de clericis conjugatis*, licèt multi dicant gaudere etiam in civilibus, ut *Riccius dec.* 320. *par.* 4. *Duardus, Marta*, & alii apud *Barb. loco cit.*

Et tales clerici in minoribus contrahendo matrimonium, statim amittunt beneficia, si quæ habent, quòd si in sacris nubant sunt cogendi, per suspensionem, & excommunicationem dimittere uxorem, & agere pœnitentiam de commisso, *cap.* 1. 2. *&* 3. *de clericis conjugatis*, *Carolus* de *Grassis de effect. clericatûs effect.* 5. *nu.* 11, quæ vacatio beneficii per matrimonium ipso jure inducitur *glossa in d. cap.* 1, undè statim tenetur beneficium dimittere clericus contracto matrimonio, & si retineat, & fructus percipiat, peccat mortaliter, & fructus tenetur restituere: immò si renunciasset in favorem alterius, non valet renunciatio, & potest alius statim impetrare beneficia post factum matrimonium est tamen matrimonium evidenter probandum; latè *Sanchez lib.* 3. *disp.* 42. *Ricciullus d. lib.* 1. *cap.* 7. & intellige, sive matrimonium sit consummatum, sive non, semper enim inducitur privatio beneficii per matrimonium DD. citati: *Squillante cap.* 4. *de privilegiis clericorum num.* 85. immo si uxor contracto matrimonio ingrediatur Religionem, eo non consummato, non ideò clericus recuperabit beneficia, quæ jam per matrimonium contractum, vacarunt, *Ricciullus*, *&* alii citati. Neque solum privatur clericus beneficiis per contractum matrimonii, sed etiam pensionibus Ecclesiasticis, *Rota* apud *Cavalerium decis.* 166. latè *Barb. in cap.* 1. *de clericis conjugatis nu.* 6. extende in clerico in sacris, qui si contrahat matrimonium, de facto privatur etiam beneficiis, si quæ habet, non tamen ipso jure sed per sententiam, latè *Ricciullus lib.* 7. *cap.* 2. *nu.* 12. *&* 14. qui tamen licèt de communi loquatur opinione, tamen id falsum puto, quia talis non contrahit validè matrimonium, sed invalide, ut enim *Garsia loco citato cap.* 8. *nu* 13. non amittitur beneficium si contrahatur matrimonium nulliter defectu solemnitatis, puta testium, & Parochi, quicquid dixerit *Rota Romana* apud *Gratianum cap.* 5. *nu.* 39. *& Ricciullum cap.* 2. *nu.* 31. sicuti quando matrimonium est contractum nulliter ex defectu consensûs ipsius clerici, non vacant beneficia, *Garsia par.* 11. *cap.* 9. *nu.* 10. *Massobrius in praxi habendi concursum ad Parochiales requisito* 7. *num.* 33. *&* 34. qui etiam ait, quòd matrimonium nullum defectu formæ non inducit privationem beneficii; sicut neque contrahens per metum cadentem in constantem virum, non tamen amittitur beneficium quando contrahuntur solum sponsalia per verba de futuro, *Garsia par.* 11, *cap.* 8. *nu.* 19. *Ricciullus lib.* 7. *cap.* 4. *Squillante cap.* 4. *num.* 90. Neque amittitur pensio, reservata alicui in aliquo beneficio, pro officio tamen compatibili cum matrimonio; velut pro pulsandis campanis, vel custodienda Ecclesia, *Gigans de pensionibus quæst.* 54. *Rota dec.* 1079. *p.* 3. *lib.* 3. *diversor. Barb. in d. cap.* 1. *de clericis conjugatis.*

Ex quibus primo infertur Sacerdotes, vel alios existentes in sacris, contrahentes matrimonium, posse suspendi, ut supra diximus, cum quibus tamen post longam pœnitentiam, & vitam laudabilem, possunt Episcopi dispensare, ut exerceant ordines in officio suo: Intellige tamen si cum unica, & virgine contraxerunt, quo etiam casu procedit *text. in cap.* 1. *qui clerici, vel voventes*, secus si cum vidua, vel corrupta, vel duplex fecerint matrimonium, quia tunc procedunt *tex. in cap. nuper & in cap. fin. de Bigamis*, *Miranda in manuali prælatorum tom.* 2. *quæst.* 8. *art* 2. *concl.* 3. *Barb. de potestate Episcopi par.* 2. *allegat.* 49. *num.* 26, *Riccius in praxi resol.* 200. Verùm si clericus in sacris viduam occultè duxerit, poterit Episcopus dispensare ex *Concilio Trid. sess.* 24. *de reform. cap.* 6. Idem dicas de monacho professo, *Barbosa loco citato*, *& in cap.* 4. *de clericis conjugatis.*

Infertur secundo ad intellectum, *tex. in cap. Joannes de Clericis conjugatis*, ubi clericus conjugatus non deferens habitum, non gaudet privilegio fori, nisi tamen haberet beneficium, qui textus securè probat clericum conjugatum habere posse beneficium, intelligi enim debet, vel cum dispensatione Papæ, vel nomine beneficii, intelligi potest pensio, seu stipendium, quod laico nonnunquam datur ab Ecclesia, ratione cujus licèt non sit datum in titulum, ab Ecclesia, debet tamen portare tonsuram, *Reginal. in praxi pœnitentiali lib.* 30. *tract.* 3. *nu.* 312. *Barb. in cap.* 7. *de clericis conjugatis.*

Infertur tertio clericis conjugatis licere negotiari, honestè quidem, & victûs causa, neque ex ea possunt privari privilegiis clericalibus, *Covarru. pract. quæst. cap.* 31. *nu.* 8. *Sanchez lib.* 7. *disp.* 456. *de matrim. num.* 26. *Carolus de Grassis de effect. cler. effect.* 1. *num.* 87. quicquid dixerint *Camillus de Curte*, *Camillus Borrellus*, *Scaccia*, & alii apud *Barb. par.* 2. *de potestate Episcopi alleg.* 12. *num.* 30.

Infertur quarto, quòd clerici Græci minores ordines habentes, si matrimonium contraxerint postea, poterunt ad sacros ordines ascendere, & matrimonio antea contracto uti, *Carolus de Grassis effect.* 5. *nu.* 41. *Sanchez lib.* 7. *disp.* 28. nunquam verò licitum fuit, in Ecclesia Græca, ordinatis in sacris contrahere matrimonium, sed tale matrimonium fuisse irritum; posset verò filius Græci ex legitimo matrimonio natus ordinari ritu latino, licèt pater sit in ritu Græco, *cap. cum olim de cler. conjugatis*, nisi repugnet consuetudo regionis, *Barb.* latè *in d. cap. cum olim.*

Infertur quinto, quòd clerici conjugati non admittuntur ad dignitates Ecclesiasticas, & quas habent dimittere debent, *cap. cum. decorem* 8. *de cler. conjugatis*, & in rebus suis non habent privilegia clericalia, undè tenentur solvere tributa, *Riccius resol.* 391. *par.* 1, *Barb. de potestate Episcopi par.* 2. *alleg.* 12. *& in cap. ex parte de Cler. conjugatis*, ex *cap. unico eod tit. in* 6. coguntur suscipere onera Universitatis, puta officium Syndicatûs, Electatûs, &c. *Riccius par* 3. *dec.* 169. decisum refert *Novarius in pragm.* 1, *de Clericis Diaconis selvaticis*, verùm mortuis uxoribus recuperant omnia privilegia, *Anfrerius ad Capellam Tholosanam dec.* 104. & sic post uxores mortuas non tenentur solvere fiscalia, decisum refert *Novarius lib.* 1. *quæst. for. quæst.* 86. & quia clerici conjugati gaudent in criminalibus; ideò contra eos si petatur liquidari instrumentum, erit id faciendum in tribunali Ecclesiastico, *Riccius par.* 3. *dec.* 170. *Novar. lib.* 1. *quæst. for. q.* 79. quia causa liquidationis est criminalis pro pœna fisci, licèt pro interesse partis sit civilis, *Francus dec.* 162. *num.* 15. *Rovitus in prag.* 4. *de instrum. liquidatione num.* 42. tenentur etiam clerici conjugati si in vilibus se exerceant negotiis solvere Universitatibus solutionem capitis, vulgo, ut dicitur, *Il pagamento*

Digitized by Google

vieno della testa. Secus si vivant nobiliter, *de Marinis cap.* 59.

Infertur ultimo ad intelligentiam *textûs in cap. ultimo de clericis conjugatis*, ubi clericus dicitur recedere a statu Ordinis, & ad sæculum reverti si in minoribus constitutus efficiatur Miles, *Genuensis cap.* 7. *num.* 4. *Riccius par.* 4. *dec.* 154. *de Grassis effect.* 1. *num.* 664. *Squillante de privil. Clericor. cap.* 7. *num.* 32. *Ricciullus lib.* 7. *cap.* 5. *nu.* 9. qui *num.* 12. ait, quòd clericus factus miles statim videtur beneficium renunciare, nec ad eum admittitur jam renunciatum ipso facto, postquam in matriculâ adscriptus fuerit. Remanent etiam exstinctæ pensiones postquam miles factus est, post alios *Ricciullus ubi supra num.* 26. *Barb. in cap. fin. de Cler. conjugatis*; quòd si clericus factus miles eat ad exercitum, deindè fugiat ab eo, & iterùm habitum reassumat, non potest cognosci ob crimen fugæ ab Auditore Exercitûs Regis, ut decisum refert *Julinius Chartarius dec.* 17. quia recuperat privilegia clericalia, quicquid dixerit *Antonius Faber in suo Codice lib.* 1. *tit.* 3. de *Episcopis*, & *Cler. defin.* 25.

TITULUS V.

DE EPISCOPIS, & SUMMO PONTIFICE.

Titulus hic ad præcedentes continuatur hoc modo. Dixit supra *Paulus* noster, quòd clerici constituti in Sacerdotio, quidam sunt constituti in ordine altiori, quidam verò in inferiori, meritò in præsenti titulo, ponitur de his, qui sunt in altiori ordine constituti; agit verò *Paulus* titulum de Episcopis, & Summo Pontifice ad exemplum verborum Domini, cùm ait. *Dicit Discipulis, & Petro ut ostenderet Petri inter alios majoritatem*, aitque *glossa* hic.

Sciendum est, quòd ordo Episcopatus est divisus in tres classes, quidam enim sunt Patriarchæ, sive Primates, quidam Archiepiscopi, quidam simpliciter Episcopi: De his ergo distinctè agendum est cum Paulo, ideò sit.

In §. Patriarcha cum sequenti.

Post Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & Legatos, ac Nuncios, qui Apostolicæ Sedis repræsentant authoritatem; primum locum obtinet ordo Episcopalis, tenent enim Episcopi Apostolorum locum, qui per diversas mundi partes fuerunt divisi, & constituti Episcopi, *cap. in novo* 21. *dist. cap. fin.* 63. *dist. cap. legimus cum sequenti* 93. *dist.* In ordine verò Episcopali tenet primum locum Patriarcha. Idem verò esse Patriarcham & Primatem colliges ex *textu in cap.* 1. & 2. *dist.* 96. *cap. duo simul de officio ordinarii*, unde benè ait *glossa in cap. coram de restit. in integrum*, inter Patriarcham & Primatem non dari differentiam realem, sed solum verbalem, notavit *Cassaneus in Cathalogo gloriæ mundi par.* 4. *cons.* 9. *in principio*, *Lancellottus in præsenti*, *Rodericus à Cuna de primatu Bracharensis Ecclesiæ cap.* 3. *Parisius de resign. beneficii lib.* 2. *quæst.* 1. *num.* 46.

Sciendum est autem primo, quòd Patriarcha est nomen græcum, & apud nos venit Summus, seu Princeps Patrum, *cap. Cleros vers. Patriarcha* 21. *dist.* *Petrus Gregorius lib.* 15. *Syntbagm. cap.* 10. *Castaldus in praxi ceremoniali lib.* 1. *sect.* 10. *cap.* 11. *num.* 3. *Galganetus de jure publico lib.* 3. *tit.* 17.

Dividuntur Patriarchæ; ut quidam sint proprii, quidam improprii; primi dicuntur solum quatuor, puta Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus, *cap. renovantes, cap. Diffinimus* 22. *dist. cap. grave de præbendis, cap. antiqua de privilegiis, extravaganti. Sancta Romana de electione*, *Cassaneus par* 4. *cons.* 9. *Lancellottus in præsenti textu Azorius par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 25. *Parisius lib.* 2. *quæst.* 1. *num.* 41. *Gonzalez in regula* 8. *Cancellariæ glossa* 41. *num.* 12. *Filiuccius tract.* 41. *cap.* 2. *num.* 35. *Moneta de Conservatoribus cap.* 5. Undè erravit *Isidorus in d. cap. Cleros* 21. *dist.* dùm Romanam, Antiochenam, & Alexandrinam tantùm appellat Patriarchales: Summus Pontifex supra omnes hos Patriarchas est, ut contra errores Græcorum advertit *Paulus Grisaldus in decisione Catholicæ fidei in verbo Papa, & in verbo Patriarcha*, & sicut se habent radii ad solem, fluvii ad fontem, rami ad radicem, sic se habent Patriarchæ ad Pontificem *cap. loquitur* 24. *quæst.* 1. *Navarrus de spoliis Clericorum* §. 2. *nu.* 1. *vers. Papa stupor mundi.*

Neque obstat *textus in cap. renovantes* 22. *dist.* dùm videtur probare Constantinopolitanam Ecclesiam parem habere dignitatem cum Ecclesia Romana, undè impius *Carolus Molineus* (diù sectarius, sed tandem sub mortem Catholicus, teste *P. Theophilo Raynaudo de monitoriis par.* 1. *cap.* 3. *in principio*) scribere ausus fuit Romanum Pontificem non esse superiorem aliorum Patriarcharum.

Respondeo enim, quòd privilegia prædicta, de quibus in dicto textu dantur Episcopo Constantinopolitano post Romanum Pontificem, ad effectum, ut ad ipsum detur appellatio, & habeat alia jura Patriarchalis Ecclesiæ, quæ commemorat *textus in cap. antiqua, vers. servans de privilegiis*, & deducitur ex *cap. conquestus* 9. *quæst.* 3. ità tamen, ut Romana Ecclesia semper maneat superior, *Bellarminus lib.* 1. *de conciliis cap.* 24.

Respondent alii, quòd authoritas canonum, qui Trullani, id est sextæ Synodi appellantur, undè ille textus fuit desumptus, certa & probata non est, neque legitima alicujus Pontificis authoritas approbata teste *Bannes.* 2.2. *q.* 1. *art.* 10. *dub.* 1. *Valentia par.* 4. *dist.* 9. *quæst.* 5. *par.* 5. §. 2. & *disp.* 10. *quæst.* 5. *par.* 3. *Bellarminus lib.* 1. *de conciliis cap.* 7. & *lib.* 2. *de Pontifice cap.* 18. & *lib.* 1. *de Clericis cap.* 21. dicuntur verò canones illi Trullani, quia dicta sexta Synodus, fuit facta Constantinopoli in Secretario Sacri Palatii, qui cognominatus est Trullus, Trullus autem, seu trulla fœmineo genere, præter instrumentum cementarium, significat etiam, quod Itali dicunt Corpula: fuit autem locus Synodi Palatii, qui tali trulla ædificatus, testudine sursum erecta, sui rotunditate conficiens emisphærium ab ipso ædificii genere nominatus est, teste *Barb. in collect. ad decretam dist.* 16. *in can. sextam num.* 4. *Lexicon juris* apud *Calvinum, in verbo trulla Patres*, qui emendarunt decretum dicunt, quod legebatur in *cap. Renovantes*, inferior Roma.

Sciendum est secundo, quòd à principio, & tempore primæ Synodi Constantinopolitanæ, tres tantùm erant Ecclesiæ Patriarchales, quas S. Petrus fundaverat, scilicet Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam, quarum meminit *textus in d. cap. Cleros* 21. *dist.* Romanam, quia eam jubente Domino ex Antiochia cathedram suam transtulit Petrus. *cap. per venerabilem, vers. sanè. qui filii sint legitimi*, & quia Petri, & Pauli glorioso martyrio coronata est, *cap. fundamenta de elect. in* 6. Alexandrinam, quia Sancti Petri nomine à Marco Evangelista ejus discipulo consecrata est, Antiochenam, quia prima fuit

fuit sedes Sancti Petri, *cap. Sacrosancta, vers. prima ergo sedes* 22. *dist. cap. mos antiquus* 65. dist. Ratio autem, quare Alexandrina præcedat Antiochenam ea erat, quia Alexandria erat ab Augusto nobilitata, & ibi sex Ægypti Provinciis, & Universo Orbi jus dicebatur, *l.* 1. *ff. de officio præfecti Augusti*, quem exornat *Card. Baronius in Martyrologio die* 20. *Octobris in Beato Archenio*, & meritò erat superior præfecturæ Syriæ, ad quam Antiochena Ecclesia pertinebat, & ideò primus honor eidem post Romanam fuit exhibitus. Idem *Baronius tom.* 1. *annalium pag* 310. Undè non placet ea ratio, quam tradidit idem *Baronius anno Christi* 446. *pag.* 407. *& Bellarminus lib.* 1. *de Romano Pontifice cap.* 24. quòd Alexandrina, primum locum obtinet post Romanam, quia eam Marcus Petri nomine erexit, non enim ex hoc sequitur, quòd debuit præcedere Antiochenam, cui Petrus *ipse* primus, & principaliter præfuit.

Neque etiam obstat *textus in cap. Constantinopolitanæ* 21. *dist.* ubi inter patriarchales Ecclesias, primum obtinet locum Constantinopolitana.

Ratio enim cum *Baronio anno Christi* 381. *tom.* 4. *pag.* 447. quòd mens dictæ Synodi Constantinopolitanæ ibi fuit discernere Catholicos Antistites ab hæreticis, non verò Patriarchatus dividere; atque instituere; alii asserunt, textum illum, scilicet canonem quintum, ex quo desomptus fuit textus prædictus, esse suppositum adulterinum, ac falsum, *Melchior Canus lib.* 5. *de locis Theologicis cap. fin Augustinus Barbosa lib.* 1. *de jure Eccles. cap.* 6, *num* 19.

Sciendum est tertio Patriarchas prædictos, cæteris Episcopis esse superiores in potestate, & jurisdictione, *cap.* exigit, *cap. Felicis de censibus in* 6. Ad eos enim negotia Episcoporum, & majores causæ pertinebant, *cap.* 1. 80. *distin.* Salva tamen authoritate Sedis Apostolicæ, ut ibi dicitur, undè ipsi post Romanum Pontificem sunt majores in ordine Episcoporum, *cap.* 1. 22. dist. *cap. grave nimis de præbendis*, & ideò ipsis Patriarchis sunt multa privilegia concessa.

Primum, quia sedere, & incedere debent immediatè post Papam antè Cardinales, *Abbas in cap. antiqua de privilegiis num.* 6. *Cassaneus in Cathalogo gloriæ mundi par.* 4. *consid.* 9. adducunt *textum in cap. Constitutis il.* 1. *de appell. in tit. seu inscriptione*, ubi Patriarchæ, & postea Cardinali inscribitur epistola. Verùm hodie prædictum privilegium recessit ab aula, quia Cardinales de consuetudine, & juris ratione præcedunt ratione officii, cùm sint unum corpus cum Romano Pontifice, *Gonzalez regula* 8. *Cancellariæ glossa* 41. *num.* 22.

Secundum privilegium est, quia potest Metropolitanos, & sibi suffraganeos ex causa deponere, *cap. mos antiquus cum glossa* 65. *dist. cap. quod suspecti* 3. *quæst.* 5. *glossa in cap. removantes* 22. *distin.* Sed hoc privilegium etiam evanuit non solum ante Tridentinum, ut putant multi apud *Barbosam de jure Eccles. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 26. Sed hodie post Tridentinum deponere Episcopos ad solum Papam pertinet, *Trid. sess.* 13. *de reformat.* 6. 6. *p.* 8. *& sess.* 24. *cap.* 5. *Barb. de potestate Episcopi cap.* 3. *alleg.* 112.

Tertium est privilegium, quia possunt uti insigniis Pontificiis, scilicet veste rubea, equo albo, cum fræno, & calcaribus deauratis, quibus insigniis legatus etiam à latere uti potest *Card. Jacobatius de Conciliis lib.* 1. *num.* 185. undè Reges, & alii non recognoscentes superiores æquiparantur, *Cassaneus consid.* 9. citata, quia eorum instar redacti sunt, quod multarum provinciarum regimina subeant.

Quartum privilegium est, ut ubique crucem elatam præferre possint, & pallio uti, prætee quam in Urbe Romæ, aut ubicumque est Summus Pontifex, vel ejus Legatus, utens insigniis Apostolicæ dignitatis, *d. cap. antiqua*, *Cassaneus par.* 1. *consid.* 4. *Gonzalez d. glossa* 41. *num.* 25. *Petrus Gregorius lib.* 15. *Syntbagm. cap.* 9. *num.* 6. *Pacianus lib.* 2. *de probat. cap.* 13. *num.* 20. ex quo recedas ab *Abbate in cap.* 1. *ut lite non contestata n.* 7. dicente, quòd Patriarcha solùm in sua provincia potest deferre Crucem, loqui enim ipse voluit de Archiepiscopis, & benè dicit, at in Patriarchis id ubique licitum est, ut in *dicto cap. antiqua*, nisi in Urbe Romana, ut ibi ait textus; ex qua limitatione colligitur licere in omni alio loco, exceptio enim firmat regulam contrariam *l. nam quod liquidè*, *§. penult. de penu. legato*: sunt enim quædam denotantia superioritatem in loco, quibus non potest quis uti in alieno territorio, ut portare Crucem, &c. quibus non possunt uti Episcopi, neque possent Patriarchæ in aliena provincia, nisi eis fuisset specialiter concessum, *in d. cap. antiqua*. Alia verò sunt insignia, quæ denotant dignitatem personæ, quibus potest prælatus uti extra suum territorium, ut portare annulum, vel celebrare cum mitra, & baculo, *glossa*, quàm omnes sequuntur in *Clem. Archiepiscopo de privilegiis*. Idem potest post se eandam facere portari, quia hoc pertinet ad decentiam incessus, & dignitatem personæ. Undè Archiepiscopus intrà provinciam, Patriarcha ubique potest ire cum Cruce, *d. Clem. Archiepiscopo*.

Est etiam differentia inter Crucem Patriarchæ, & Crucem Archiepiscopi, quia Patriarcha habet Crucem cum duplici ligno transverso, quorum superius est brevius, inferius longius, Archiepiscopi Crux, unum solum continet lignum transversum, ut observat *Cujacius in paraclitis* ad titulum de foro competenti, *in cap. sanè Justus Lipsius in notis ad suos libros de Cruce*, *Barb. de jure Eccles. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 33.

Quintum privilegium, quia Patriarchæ recipiunt pallium à Papa; alii Archiepiscopi suffraganei recipiunt ab eorum Patriarchis, cui subjiciuntur, *d. cap. antiqua*; licèt enim dicatur à Papa dari, & de corpore Beati Petri, *cap. nisi de authorit. & usu pallii*, *cap. novit* 100. *dist.* tamen datur à Patriarchis nomine Papæ. Hodie verò pallium Archiepiscopis datur à solo Romano Pontifice, *Rodericus à Cunâ in cap.* 2. *distin.* 100. *Barb. in lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 34.

Sextum privilegium est, quia habent ordinariam jurisdictionem super omnes Episcopos, & Metropolitanos totius provinciæ, ubi eorum jurisdictio extenditur, *d. cap. antiqua*, *Gonzalez d. glossa* 41. *num.* 26. *cap. cum ex officii de præscript. cap. grave nimis de præbendis.* Absolvunt etiam excommunicatos à suffraganeis, si suffraganei sine causa recusant dare absolutionem, *cap. ad reprimendum*, ubi *DD. de officio ordinarii*, & appellatur cùm opus fuerit ad eos, ab omnibus provinciis sibi subjectis, *d. cap. antiqua*; quia appellatio fit gradatim, *l. Imperatores* 21. *ff. de appellat. Marauta par.* 6. *de appell. num.* 568. *Alphanus collect.* 891. *Scaccia de appell. quæst.* 7. undè ab Episcopis ad Archiepiscopos, ab Archiepiscopis ad Primates, seu Patriarchas, *cap. dilecti* 66. *de appel. cap. Romana in principio*, *& cum §§. sequentibus de appell. in* 6. *Petrus Gregorius lib.* 4. *cap.* 3. verùm est prærogativa Patriarcharum, ut ad eos omisso medio licitum sit appellare à provinciis, & locis suis, *d. cap. antiqua*, *Petrus Gregorius lib.* 15. *cap.* 9. latè *Barb. lib.* 1. *cap.* 6. *de jure Eccles. num.* 39.

Ultrà supra relatos Patriarchas, dantur alii, ut Patriarcha Aquiliensis, factus occasione cujusdam schismatis, de quo *Baronius anno Domini* 570, *Castaldus*

dus in praxi cerem lib. 1. sect. 10. cap. 11. anno enim Christi 566. Longobardi in Italiam venerunt, & ob Schisma natum Archiepiscopus Aquiliensis Patriarcha fuit nominatus, quam sedem deinde mutavit, & tandem in Urbe Venetiarum permansit, ubi hodie manet, retento Patriarchæ nomine, ad quem Patriarcham scripsit *Stephanus Papa in cap. nunc verò 9. quæstione 3.*

Alius Patriarcha est Gradensis, de quo in inscriptione. *cap. erubescant 32. distin. cap. ex litteris de officio delegati*, & est sublatus hodie.

Alius Patriarcha est Indiarum, qui fuit erectus à Paulo Tertio, *Gonzalez d. glossa 41. nu. 14.*

Alius est Archiepiscopus Pisanus, ut tradit additio marginalis ad *glossam in cap. diffinimus 22. dist. Cassaneus par. 4. cons. 19. Sbrozzius par. 1. de offic. Vicarii par. 1. quæst. 3. num 24. Barb. in cap. si diligenti num. 30. de præscrip. & de potestate Episcopi par. 1. tit. 3. cap. 7. nu. 10.*

Archiepiscopus Toletanus, quòd vocetur Patriarcha, & privilegiis Patriarcharum gaudeat, tenent DD. communiter, teste *Narbona de appellat. à Vicario ad Episcopum part. 2. fundam 1 num. 33.*

De Primatu Hispaniæ est magna contentio inter Toletanum, & Bracharensem Archiepiscopos, cujus meminit *textus in cap. coram de in integrum restit.* ubi *Barb. in collect. & de potestate Episcopi par. 1. tit. 3. cap. 8.*

Sed unum noto, quòd semper cùm fit mentio de patriarchis simpliciter loquendo, veniunt solùm illi quatuor supradicti, non verò alii minores, ut latè *Barb. in tractat. de appellativa, verb. utriusque significationæ, appellatione 189.*

In §. Archiepiscopi cum sequenti.

Agitur hîc de Archiepiscopis, & eorum authoritate, ad cujus rei intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd Archiepiscopus dictus est quasi Princeps Episcoporum, quia præest omnibus Episcopis suæ Provinciæ, *cap. Cleros, vers. Archiepiscopus 21. dist. Azorius par. 2. lib. 3. cap. 35. Galganetus de jure publico lib. 3. tit. 18. Barb. de potestate Episcopi par. 1. tit. 1. cap. 6. num. 10.* Metropolitanus verò dicitur a mensura Civitatum, quia decem, aut plures Civitates, & Episcopos continere solet, *cap. Scitote 6. quæst. 3.* vel secundùm alios Metropolitanus dicitur à matrice Civitate, quia Metropolis dicta est, quasi mater Civitatum, *Covarr pract. cap. 19. Forcatula Dialogo 61. Alciatus lib. 2. dispunctionum cap. 23. Barb. dicto cap. 6. num. 12.* Neque est semper verum, quòd Archiepiscopus debeat habere decem, vel plures Episcopos, *Petrus Gregorius lib. 15. Synthagm. cap. 11.* Undè nota non dari differentiam inter Archiepiscopum, & Metropolitanum, ut benè *Petrus Gregorius d. lib. 11. Azorius, & Barb. locis citatis* & colligitur *ex cap. pastoralis in principio de officio ordinarii, & ex extra vag. Salvator de præbendis inter communes, & ex cap. referente de præbendis*, ibi, *ad Metropolitanum videlicet Remensem Archiepiscopum*, nam illa particula, videlicet, est declaratoria ejusdem rei, & personæ, *l. videlicet, ff. de pactis, cap. transmissa de eo, qui cognovit consanguineam uxoris suæ, Barb. in dict. usufrequentibus dict. 423.*

Neque dicas primo *textum in d. cap. Cleros* distinguere Archiepiscopum, & Metropolitanum.

Respondeo enim, quòd sumit ibi textus Archiepiscopum pro Patriarcha, Metropolitanum verò pro Archiepiscopo.

Neque secundo obstat authoritas Justiniani in *Authen. de privilegiis Archiepiscopi* ibi *non solum Metropolitanus sed etiam Archiepiscopus fiat.*

Respondeo enim in hoc præferendam esse decisionem sacri canonis, argum. *cap. 1. & 2. de novi operis nunciat.* Vel dicere potes, quòd interdum dari potest Archiepiscopus, qui non sit Metropolitanus, ut est Rossanensis, & Lancianensis, qui nullos habent suffraganeos.

Sciendum secundo est, quòd licèt in substantia respectu ordinis, non plus habeat Archiepiscopus, quàm Episcopus, tamen respectu exequutionis, & exercitii majorem habet sollicitudinem Archiepiscopus, *cap. servatis, cap. igitur 25. quæst. 2. cap. sollicitudinem de appellat. cap. de his 12. dist. cap. fin. 50. dist. cap. cum à nobis de arbitris, Authen. de Ecclesiast. titulis in principio cap. fin. de purgatione canonica, cap. super eo de censibus*; consideratur verò authoritas Archiepiscopi, aut circà subditos in sua tantùm Diœcesi, vel circà Episcopos sibi subditos vel circà subditos suffraganeorum, item in Synodo provinciali, & in Episcopali sibi suffraganei sede vacante.

Primo ergo Archiepiscopus in sua provincia est, sicut omnis alius Episcopus, cum duabus tamen differentiis, nam Archiepiscopus est consecrandus à tribus suffraganeis, omnibus aliis Episcopis, vel præsentibus, vel saltem si non potuerint, per litteras consentientibus, adhibito etiam consensu primatis, *cap. quia 64. dist. cap. 1. dist. 66.* Episcopus aliter consecratur, ut infra. Alia differentia est, quia Archiepiscopus talem se nominare non potest, nec sua jura exercere, nisi pallio recepto, & ideò non poterit convocare concilium, nec chrisma conficere, nec Ecclesias consecrare, &c. *cap. nisi specialis de authoritate, & usu pallii, Quaranta in summa Bullarii, in verb. Archiepiscopi authoritas, Azorius par. 2. lib. 3. cap. 34. q. 5.* Verùm si ea faciat ante pallium, sed post consecrationem, valent, quæ facta sunt, sed peccant mortaliter contra sacros canones, *Azorius ubi supra quæst. 6.* Episcopi autem pallio uti non possunt, ut infra.

Secundo Archiepiscopi authoritas considteratur circà suffraganeos suos. Primo in confirmando electo in Episcopum, *cap. 1. 64. distinct. cap. innotuit, cap. dilectus de electione, cap. inter corporalia de translatione Prælatorum, cap. qua fronte de appellat. Sbrozzius de Vicario Episcopi lib. 2. quæst. 70. Quaranta in verb. Archiepiscopi authoritas num. 3.* Secundo in consecrando tales electos suffraganeos, nec aliter consecrari debent Episcopi suffraganei, sine ejus mandato, *ut in 64. & 65. distin. cap. qui in aliquo 51. dist. cap. suffraganeis de electione. cap. si Archiepiscopus de tempor. ordin. Quaranta loco citato*, qui tamen benè observat hodie Metropolitanos, non uti hac facultate, quia provisio fit à Papa, & sic consecratio fit de licentia Papæ, quæ datur in ipsis litteris promotoriis, vel vivæ vocis oraculo si consecrandus sit in Curia: in consecratione etiam suffraganei, si alii suffraganei vocabantur, ab Archiepiscopo vocabantur, *cap. non debet cum sequenti 65. dist. Genuensis in praxi, in cap. 70. nn. 27.* & Metropolitanus injungere debebat consecratis, ea de quibus *in cap. dilectus il. 2. de Simonia*, nempè ut subditi caveant à labe Simoniæ, &c. *Quaranta ubi supra num. 7. Genuensis loco cit.*

Potest etiam Archiepiscopus convocare eos, singulis saltem trienniis ad Synodum Provincialem, *Trid sess. 20. cap. 2. Genuensis cap. 7. num. 22.* In qua ipse est Præsidens, *cap. placuit 18. dist. glossa in verb. exceptis, in cap. pastoralis de offic. ordinarii*; & est Judex principalis in concilio, *cap. 1. 34. distin.*

Curare etiam debet, ut resideant Episcopi suffraganei

in suis Civitatibus, & inquirere de absentia, *Triden. sess. 23. cap. 1. de reform. Barbosa de potestate Episcopi par. 3. allrg. 53. Sanctarellus var. resol. quæst.* 4. & probare debet in scriptis eorum absentiam, *Quaranta in* d. *verb. Archiepiscopi authoritat nn.* 7. & absque legitimis causis si illi non resideant, & applicabit fructus Fabricæ Ecclesiæ. aut pauperibus loci, & crescente contumacia denuotiare Pontifici, justà decretum Tridentini, & Bullam Pii Quarti, de qua *Quaranta loco cit.*

Compellere etiam potest Archiepiscopus suos suffraganeos, ut subditis justitiam ministrent, & faciant id, quod debent: *glossa in summa 9. quæst. 3. & in cap. conquestus, in verb. provocaverit 9. quæst. 3. Abbas in cap. si quis contrà Clericum num. 40. de foro competenti, Quaranta ubi supra num.* 1. *Genuensis à cap.* 70. undè poterit compellere suffraganeum, ut faciat synodum quotannis, *cap. sicut de accusationibus*, & eum cogere, ut constituat œconomum, *cap. in novo 16. quæst. 7. cap. cùm simus 9. quæst. 3. Sbrozzius lib. 2. de offic. Vicari quæst. 46. & Archipresbyterum ruralem cap. fin.* de *officio Archipresbyteri*, & poterit cogere suffraganeum negligentem, in erectione Seminarii, secundùm *Concilium Trident. sess. 23. cap. 18. de reform.*

Potest etiam Archiepiscopus suspendere, interdicere, & excommunicare suffraganeos, *cap.* 1. *§. fin.* de *offic. ordinaris in 6. cap. Venerabilis*, ubi *DD. de sentent. excommunic.* undè Episcopus omittens congregare Synodum, poterit suspendi ab executione officii per Archiepiscopum, cui subest; *Quaranta in d. verb. Archiepiscopi authoritat num.* 8. *Genuensis cap.* 70. *num.* 5. ubi observat in coactione suffraganeorum debere Archiepiscopum servare formam *Capituli* 2. *de offic. deleg. in 6.* videlicèt, quòd primo debet prohibere ingressum Ecclesiæ, vel Sacerdotale ministerium interdicere, deindè poterit suspendere ab officio, ultimo loco excommunicare; & addit *Genuensis* id servandum esse, licèt Episcopus non fuerit adhuc consecratus. Verùm excommunicatio lata contra talem formam tenet.

Immò etiam Vicarius Archiepiscopi, potest suffraganeum Episcopum excommunicare, &c. absente tamen Archiepiscopo, non præsente, *d. cap.* 1. *§. fin. Sbrozzius de offic. Vicarii lib.* 2. *q.* 58. *num.* 3. nisi tamen Archiepiscopus non sit consecratus, quia tunc à Vicario etiam præsente Archiepiscopo potest excommunari *Sbrozzius ubi supra num.* 3. & potest etiam Archiepiscopus excommunicare Vicarium, vel Officialem Episcopi suffraganei subsistente rationabili causa, *cap.* 1. ubi *glossa in verb. rationabili de offic. ordin. in 6.* causas verò rationabiles excommunicandi Vicarium posuit, *glossa in d. cap.* 1. videlicet quando Vicarius impedit causam appellationis delatam ad Archiepiscopum, vel si deliquit circà officium commissum, si peccaret in iis, quæ sunt jurisdictionis, si uteretur jurisdictione Episcopi sui excommunicati, si non servat Sedis Apostolicæ privilegia, & si sit criminosus, & incorrigibilis, *Sbrozzius ubi supra.*

Exercet etiam Archiepiscopus suam authoritatem cum suffraganeis supplendo eorum negligentiam circà id, quod facere debent, *cap. cum simul 9. quæst. 3. cap. 1. §. notorio de censibus in 6. in ratione decidendi*, & est communis opinio, de qua *Genuensis d. cap. 70. num. 4. Quaranta ubi supra num.* 21. & ibi additio *Barb. de potestate Episcopi par. 3. alleg.* 126. Undè si Episcopus noluerit instituere præsentatum, ipsum instituet superior proximus, scilicèt Archiepiscopus *Abbas in cap. ex parte de concess. prebenda Campanilis in diversorio rubrica* 11. *cap.* 13. *num.* 475. *Barb. in cap. nullus 17. de jure patron.* ab Episcopo tamen exempto fit devolutio ad Papam, *Campanilis d. cap.* 13. *num.* 484. & in beneficiis curatis debet instituere infrà duos menses, aliàs Patroni possunt adire Archiepiscopum, vel Papam, sive viciniorem Episcopum, qui instituet ex Bulla Pii V. quæ incipit, *in conferendis*; de qua *Quaranta in verb. parochialium collatio.* Sic si Episcopus negligat ponere œconomos, ejus negligentia per Metropolitanum suppletur, *cap. cùm simus 9. quæst.* 3. & Episcopo negligente in executione ultimarum voluntatum. Archiepiscopus supplet, & exequitur *Genuensis ubi supra n. 4. Barb. loco cit. num.* 8.

Potest etiam Archiepiscopus absolvere, quem non vult absolvere Episcopus, *cap. ad reprimendum de offic. ordin.* & quando Episcopus negat dispensationem, potens concedere, potest Archiepiscopus dispensare, *Genuensis ubi supra num.* 4. Potest etiam Archiepiscopus cogere Episcopum, ut sibi constituat Vicarium, quando non est idoneus ad regendum, vel non potest commodè regere *Sbrozzius par. 1. quæst. 57. Barb. in cap. pastoralis de offic. ordin. num.* 9. non tamen potest Archiepiscopus supplere negligentiam Episcopi exempti d. *cap. nullus de jure patron. Lambertinus lib 2. de jure patron. par. 2. art. 20. num. 4. Quaranta in d. verb. Archiepiscopi authoritat.*

Quando verò consensus Episcopi requiritur in aliquo actu pro forma, ut est in transferendis rebus Ecclesiæ de loco ad locum ubi requiritur assensus Episcopi, *cap. cum Apostolica de his, quæ fiunt à prælatis*, tunc non potest Episcopo nolente præstare assensum, recurrendi ad Metropolitanum, sed ad Papam erit recurrendum, juxtà *textum in cap. per*, juncta *glossa in verb. mandantibus de re judic. in 6.* & sic intelligitur textus *difficilis in cap. nullus de jure patronatus*, ibi *Romano Pontifici nunciatur.* Verùm licèt non possit Metropolitanus supplere talem consensum, poterit tamen prædictum Episcopum cogere ad consentiendum, & ad hunc effectum rectè adiri poterit, *DD.* communiter *in d. cap. nullus*, sicut potest etiam per viam appellationis, *Barb. ubi supra.*

Cognoscit etiam Archiepiscopus causas suorum suffraganeorum, cùm scilicet ab aliquo civiliter, vel criminaliter conveniuntur, quia est Judex ordinarius suorum suffraganeorum, *cap. quia cognovimus 10. quæst. 3. cap. pastoralis*, ubi *Abbas de officio ordinarii, cap. sollicitudinem de appellat. Sbrozzius de offic. Vicarii lib. 2. quæst. 58. Genuensis in praxi cap. 70. Barb. in d. cap. pastoralis num. 4. Quaranta in verb. Archiepiscopi authoritas num.* 4. Et sic si subditus Episcopi, eum conveniat in judicio civili, debet eum convenire coram Archiepiscopo, à quo appellabitur ad Patriarcham, sed si subditus conveniatur ab Episcopo pro causa civili, non decet, ut eum conveniat Episcopus coram Archiepiscopo, sed eligendi sunt arbitri, authoritate juris, & à sententia arbitrorum appellatur ad Papam omisso medio, *Scaccia de appellat. q. 8. num. 98. & q. 7. num.* 107. Sed hodie per sacram Congregationem declaratum est non posse Archiepiscopum, esse Judicem in causis civilibus, quæ agitantur contra Episcopos suffraganeos, de qua declaratione mentionem facit *Barb. lib. 1. de jure Eccles. cap. 7. num.* 46.

In causis criminalibus non possunt Episcopi hodie conveniri, citari, vel moveri, sive officio procedatur, sive per denunciationem, vel accusationem, nisi ex causa, ex qua venirent deponendi, vel privandi, & tunc solum per Summum Pontificem puniuntur, & cognoscuntur. *Trid. sess. 13. de reform. cap. 6. & 7. & sess. 24. de reformat. cap. 5. Sbrozzius d. q. 58. Riccius par. 4. dec. 142. Erasmus Cabie-*

dr

de jurisdictione in exemptos par. 1. *q.* 41. *Saccia de appell. q.* 8. *num.* 98. *Gonzalez regul.* 8. *glossa* 45. *num* 5.

Possunt etiam Archiepiscopi dispensare in votis, & juramentis Episcoporum Suffraganeorum, ut cum pluribus tenet *Sanchez, in summa tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 38. *num.* 16. *Molfesius in summa tract.* 11. *cap.* 15. *num.* 111. licèt *Suarius lib.* 6. *de voto cap.* 11. *num.* 3. dicat consulendum esse consuetudinem.

Si fit discordia inter Episcopos Suffraganeos, super perceptione Jurium Episcopalium in Ecclesia, quæ est sita in confinibus duarum Diœcesum, potest Metropolitanus eos cogere, ut concordent *Prosper de Augustino in addit. ad Quarantam, in verb. Archiepiscopi authoritas, vers.* 40.

Tandem se intromittunt Archiepiscopi in corrigendis, & confirmandis eorum sententiis: in subditos suos latis, quia ab Episcopo, vel ejus officiali appellatur ad Archiepiscopum, *cap.* 2. *de consuetud. in* 6. *cap. ut litigantes de offic. ordin. in* 6. *cap. Romana de senten. excommun. eod. lib.* 6. quas causas possunt alteri committere, in suis Diœcesibus, vel ubi causæ ipsæ consistunt, de qua re infra.

Tertio principaliter authoritas Archiepiscopi, consideratur respectu subditorum Suffraganeorum suorum, & hæc authoritas in pluribus consistit, scilicet in his, quæ à jure communi specialiter ipsi demandantur, aut per appellationem ad ipsum devolvuntur, aut ei dùm visitat competere dignoscuntur, extra quos casus, nulla alia competit Jurisdictio in tales Suffraganeos, *cap.* 1. *de supplenda negligentia prælatorum, cap. pastoralis de officio ordinarii, cap. Romana, cap. venerabilie de scutent, excommun. in* 6. *Quaranta, & Genuensis locis citatis*, etiam ipsis volentibus, nisi accedat consensus Suffraganeorum, *Scaccia de appell. q.* 19. *remed.* 2. *num.* 54. sunt autem tales casus expressi in jure.

Primus Archiepiscopus est Judex in causa appellationis inter subditos Suffraganeorum, ut expressè probant jura citata, scilicet *cap. pastoralis de officio ordinarii, cap. duo simul eodem tit. cap* 1. *eodem tit. in* 6. *cap. conquestus* 9. *q.* 3. *cap* 1. *de foro compecenti in* 6. *cap. Romana de appell. in* 6. *Covarr. pract. cap.* 9. *Quaranta, Genuensis loco cit. Petrus Gregorius lib.* 4. *cap.* 2. *Scaccia de appellat. q.* 8. *num.* 86. Immò si Episcopus, fiat Archiepiscopus post interpositam à partibus appellationem est Judex competens in sententia prædicta, quam protulit dùm erat Episcopus. Verùm ex decentia debet se abstinere, & alteri causam delegare, post alios *Petrus Gregorius, & Scaccia ubi supra q.* 2. *num.* 15. *& q.* 8. *nu.* 86. & permittitur talis appellatio ab Episcopo ad Archiepiscopum, non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus, easque causas potest alteri delegare in sua Diœcesi, *d. cap. pastoralis, & cap.* 1. *de offic. ordin. in* 6. & licèt olim posset etiam extra Diœcesim suam, eas delegare Archiepiscopus, tamen hodie non potest, nisi in sua, vel suffraganei, *cap. ut litigantes de offic. ordin. in* 6. & in Diœcesi suffraganei, potest, retinere tribunal pro appellationibus audiendis propter commoditatem litigantium, absque consensu ejusdem suffraganei. *d. cap.* 1. *de offic. ordin. in* 6. *Barb. de jure Eccles. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 60.

In causis verò fidei, appellatur ad Papam, ab Episcopis suffraganeis, ob gravitatem negotiorum, *Genuensis Scaccia*, & alii citati, neque potest cognoscere Archiepiscopus de nullitate sententiæ suffraganeorum, absque eorundem appellatione; undè non potest adiri Archiepiscopus, ut restituat in integrum, sed solùm per viam appellationis, *Scaccia*, & alii locis citatis. Neque à delegato Episcopi appellatur ad Archiepiscopum, sed ad ipsum Episcopum, *Genuensis d. cap.* 70. *num.* 7. nisi Episcopus delegaret causas in fraudem, ut non appellaretur ad Archiepiscopum. Quòd si Archiepiscopus conveniat subditum, Episcopi suffraganei, tunc ad eum non appellatur deinde. sed ad Superiorem ipsius Archiepiscopi, *Scateia ubi supra quæst.* 7. *num.* 107.

Secundus casus, in quo consideratur Archiepiscopi authoritas in Episcoporum suffraganeis, est quando non sequuntur ritum Metropolitanæ Ecclesiæ in divinis officiis celebrandis, *cap. de iis* 12. *distin.* cui est similis *textus in cap. quicumque* 26. *quæst.* 5. *Quaranta ubi supra*, qui tamen addit hodie esse attendendas regulas, & constitutiones Pii V. super recitatione Romani Breviarii, & Missalis.

Tertius est casus, in quo versatur authoritas Metropolitani, scilicet in concernentibus Provinciam, puta in tollendo pravam consuetudinem, *cap. ad extirpandas, cap fin. de filiis presbyterorum, cap. ex frequentibus de institut. Quaranta in verb. Archiepiscopi authoritas num.* 23. *Genuensis cap.* 70. *num.* 10. *sua praxis.*

Quartus casus est, quando subditi suffraganeorum, sibi scilicet Archiepiscopis, Nunciis, & familiæ suæ injuriam irrogaverint, quando Archiepiscopus suam exequitur in provincia jurisdictionem, sive sua impediatur jurisdictio, sive non, *cap.* 1. *de pœnis in* 6. *Quaranta ubi supra num.* 21. ubi *Prosper de Augustino in addit.* Immò etiam occultas injurias, posset Archiepiscopus punire si de illis constare potest, *Genuensis d. cap.* 7. *num.* 12.

Quintus casus est quando Canonici excessum committerent contra suum Episcopum suffraganeum, contra quos ad querelam Episcopi procedere potest Metropolitanus, ut delegatus Papæ, *cap. irrefragabili, §. cæterum de offi.io ordin.* ubi *Barb. num.* 14. *Quaranta, & Genuensis locis citatis*, præsertim si Canonici suffraganei cessent à divinis.

Sextus casus est in puniendis notoriis criminibus subditorum suffraganei, *cap.* 1. *§. sanè vers. notoria de censibus in* 6. *Quaranta ubi supra num.* 24. *Genuensis d. cap.* 7. *num.* 11. quæ notaria crimina suffraganeorum etiam sine appellatione potest Archiepiscopus punire, dummodò Episcopus non prævenerit in puniendo.

Septimus casus est in mittendis quæstoribus eleemosynarum per totam Provinciam pro fabrica Ecclesiæ Metropolitanæ, quibus si à subditis suffraganeorum resistatur, vel non pareatur, *cap.* 1. *de pœnit. & remission. in* 6. *Barb. de jure Eccles. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 78. sic potest per totam Provinciam mittere Edicta in casibus ad suam jurisdictionem pertinentibus, *Quaranta ubi supra num.* 27. *Genuensis cap.* 70. *num.* 14. potest etiam concedere indulgentias per totam provinciam, etiamsi non sit in actu visitationis, *cap. nostra de pœnit. & remission. Bonacina disp.* 6. *de indulgentiis* 1. *tomo q.* 1. *p.* 5. *num.* 2. *Lavorius par.* 2. *de indulgentiis cap.* 11. *nu.* 28. *Barb. de potestate Episcopi par.* 3. *alleg.* 88. *nu.* 15. Potest aliquibus prædicationis officium interdicere, in sua provincia, *cap. inarum de privilegiis, Genuensis, & Quaranta locis citatis*, & delinquentes in sua Diœcesi potest facere exules à tota provincia, *cap.* 2. *de arbitris, d. cap. inarum de privilegiis*, & si subditus Episcopi suffraganei delinquat in sua Diœcesi, potest eum judicare, quia forum sortitur nomine delicti, *cap.* 1. *& per totum* 3. *quæst.* 6. *cap. placuit* 6. *quæst.* 3. Item si contractus sit factus in sua Diœcesi, vel res consistat, quam reus conventus possidet, *cap. fin. de foro competenti.* Potest etiam Archiepiscopus in sua provincia compellere prædicatores regulares, ut prædicatio Evangelii fiat in Ecclesiis parochialibus subjectis suis monasteriis, *Concil. Tridentin.*

D 4 sess.

sess. 5. *cap.* 2. *de reform. Quaranta ubi supra vers.* 37.

Octavus casus est, quando subditus suffraganei conqueritur esse injustè excommunicatum, nec absolutionem monente Episcopo valeat obtinere; tunc enim ipse Archiepiscopus, recepta cautione juratoria eum absolvere poterit, & si is non satisfecerit, iterùm in excommunicationem revocare, *cap. ad reprimendam de officio ordinarii, cap. qua fronte de appellat.* cap. *sollicitudinem eodem tit. cap. per tuas de senten. excommun.* cap. *venerabilibus eodem tit, in* 6. ubi *glossa*, *&* *D D.*

Ultimus casus (omissis aliis apud DD. citatos) est in visitando provinciam, procurationem à subditis suorum suffraganeorum exigendo, *cap. cum Apostolica*, ubi *gloss. in verb. Archiepiscopi, cap. sopita, & cap. super eo de censibus, cap. cum ex officii de praescript. cap.* 1. *& fin de censibus in* 6. ubi dicitur, quòd Archiepiscopus dùm visitat provincias, potest confessiones subditorum suffraganeorum audire, & absolvere à casibus Episcopo reservatis, & censuris, *Quaranta ubi sup. vers.* 33. *Genuensis d. cap.* 70. *num.* 9. nec solùm per se, sed per alios potest eos absolvere, *Reginal. in praxi fori pænit. lib.* 5. *num.* 34. *Molfesius in summa tract.* 7. *cap.* 14. *num.* 75. *Suarius tom.* 4. *disp.* 25. *sect.* 1. *num.* 14. & etiam potest absolvere à casibus concessis Episcopo in *Trid. sess.* 24. *de reform.* *cap.* 6. quia tempore, quo visitat, censetur Diœcesis tanquam sua, & habet in ea jurisdictionem quasi Episcopalem Episcopo superiorem, *Suarez* 4. *tom. disp.* 30. *sect.* 2. *num.* 8. *& tom.* 5. *disp.* 14. *sect.* 2. *num.* 12. qui ait id intelligi, quoad forum pœnitentiale, sed non quoad dispensationem ab irregularitate, idem *Suarius* 2. *tomo de religione lib.* 6. *de voto cap.* 10. *num.* 9. *Sanchez in summa tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 38. *nu.* 14. licèt alii putent, quòd possit etiam dispensare, & forsan probabiliùs de quibus *Sanchez ubi supra.*

Hodie verò attenta dispositione *Concil. Trid. sess.* 24. *de reform. cap.* 3. Archiepiscopus non potest visitare Diœceses suffraganeorum, nisi causa cognita, & probata in Concilio provinciali, *Sanchez in summa tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 11. non poterit tamen Archiepiscopus, dùm visitat, ordinare, nec concedere litteras dimissorias. quia non reperitur ei à jure permissum; neque poterit exercere jurisdictionem fori contentiosi, in subditos Episcopi suffraganei, *Quaranta d. vers.* 33. nisi in duobus casibus. scilicet in criminibus notoriis. & contra impedientes ejus jurisdictionem, ut supra notatum est.

Quarto principaliter authoritas Archiepiscopi versatur circà Synodum Provincialem celebrandam, & in casibus, de quibus supra, cum de Synodo egimus provinciali, & latè egit *Barb. de jure Eccles. lib.* 1, *cap.* 7. *à num.* 93. *usque ad num.* 99.

Sede Episcopali vacante suffraganei Episcopi, potest Archiepiscopus authoritate ordinaria incumbere administrationi Ecclesiæ, puta si Ecclesia non habeat ministros idoneos, *cap. non liceat alicui* 12. *q.* 2. *cap.* 4. *cap. penult. & fin. de supplenda neglig. prælat. in* 6. si scilicet nullus ex Canonicis est in sacris, *Prosper de Augustino in addition. ad Quarantam in d. verb. Archiepiscopi authoritas post vers.* 40. Potest etiam Archiepiscopus Metropolitanus Ecclesiæ Episcopali sede vacante visitatorem, seu administratorem, vel œconomum instituere, si clerici existentes in capitulo fuerint negligentes, nisi à Romano Pontifice deputetur, *d. cap. ultimo de supplenda neglig. prælatorum in* 6. *Barb. par.* 3. *de potestate Episcopi alleg.* 133. & poterit Archiepiscopus deputare Vicarium, seu officialem in Ecclesia suffraganea si infra octo dies post mortem Episcopi Ecclesiam non providerit, vel non idoneum elegerit, *Trid. sess.* 24. *cap.* 16. *de reform. Quaranta in verb. Archiepiscopi authoritas vers.* 36. *Genuensis cap.* 70. *num.* 6. *Ragnccius de voce Canoni in cap. q.* 37. quòd si moreretur Vicarius creatus à Metropolitano, vel alio superiore ob negligentiam capituli, capitulum potest infra octo dies creare, ut priùs; quia pro prima vice tantùm amisit jus, *Geminianus in cap. fin. num.* 8. *de supplend. neglig. prælatorum.*

In §. simpliciter Episcopi cum duobus sequentibus.

AGitur hìc de Episcopis: est autem nomen Episcopi antiquissimum, etenim David illud agnovit *psal.* 108. ibi. *Fiant dies ejus pauci, & Episcopatum ejus accipiat alter*. quod interpretatur de præcedentia, præfectura, ac superintendentia juxtà illud *Hieremiæ* (*qui est secundus liber, Esdræ*) *cap.* 11. *vers.* 23. *Azzi filius Benanni Levitarum Episcopus*, plura adducit *Antonius Fuertes Canonicarum lectionum lib.* 2. *cap.* 17. & apud Gentiles hoc nomine vocabantur Magistratus, habentes curam rerum pertinentium ad cibum, & victum, ut accipitur *in l. munerum, §. Irenarcha, ff. de muneribus, & honoribus*, ibi; *Episcopi, qui præsunt pani, &c.* Hodie verò tale vocabulum est religiosum, pertinens ad eos, qui superintendentes sunt in animarum cura, *cap. qui Episcopatum* 8. *q.* 1. & dicuntur speculatores, *cap. Cleros, vers. Episcopi autem* 21. *dist. Durandus in ration. divinorum offic. lib.* 1. *cap.* 11. *Duardus lib.* 1. *quæst.* 2. *Franciscus de Mendozza in lib.* 1. *Regum cap.* 7. *sect.* 2. *Barb. lib.* 1. *de potestate Episcopi tit.* 1. *cap.* 2. & est nomen in Ecclesia usitatum, & antiquissimum, *S. Augustinus lib.* 18. *de Civitate Dei cap.* 19. *Vasquez de ordin. disp.* 236. *cap.* 1. *num.* 112. *Card. Baronius tom.* 1. *annalium anno Christi* 58. & Sancta mater Ecclesia semper eos hoc vocabulo intellexit, qui super omnes clericos, & presbyteros, ac laïcos in spiritualibus sunt constituti.

Qui quidem Episcopi tàm in potestate jurisdictionis, quàm in potestate ordinis sunt presbyteris superiores, cùm Christus primo loco, ut Ecclesiæ caput Petrum constituerit *Lucæ* 6. Secundo discipulos. *Lucæ* 10. in locum verò Apostolorum successerunt Episcopi, in locum discipulorum presbyteri, *cap. in novo* 21. *dist. cap. quorum vices* 68. *dist.* undè hos duos gradus ex divina institutione esse distinctos, docet de fide *Trid. sess.* 23. *cap.* 3. *& can.* 7. *Sotus in* 4. *dist.* 24. *q.* 2. *ar.* 2. *& de justitia, & jure lib.* 10. *q.* 1. *ar.* 4. *Bellarminus tom.* 1. *controv. contr.* 5. *lib.* 1. *cap.* 14. & patet, quia licèt circa corpus Christi verum eadem sit potestas in Episcopis, & Sacerdotibus, tamen circà corpus Christi mysticum longè majorem habet Episcopus, quàm presbyter, nam potest Episcopus ordinare, confirmare, & alia facere in christianos, quæ facere non potest presbyter Sacerdos, *cap.* 1. *de ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui*, *Trid. sess.* 23. *can.* 7. *Covarr. lib.* 1. *var. cap.* 10. *num.* 7. & de Sacramento confirmationis probat *textus in cap. quanto de Consuetudin. Trid. sess.* 7. *de confirm. can.* 3. *&* 23. *cap.* 4. *& can.* 6. *&* 7. *Marchinus de ordine par.* 8. *cap.* 4.

Neque dicas obstare multa jura, quæ dicunt non dari differentiam inter presbyteros, & Episcopos.

Primo enim *textus S. Pauli ad Philippenses cap.* 1. ibi, *cum Episcopis, & Diaconis*, quasi nomen Episcopi sumatur, ibi, *pro presbyteris*, alias Paulus fecisset mentionem etiam de presbyteris, accedit, quia loquitur textus in numero plurali de Episcopis, qui tamen in una Civitate plures esse non possunt, *cap. quoniam de offic. ordinarii.*

Secun.

Secundo accedit authoritas ejuſdem *Pauli ad Titum cap.* 1. ibi, *Conſtituas per Civitates Preſbyteros*, & poſtea ſubdit. *Oportet enim Epiſcopum eſſe irreprehenſibilem, &c.* Ergo Apoſtolus illos, quos ſuperiùs preſbyteros nominavit, eoſdem paulò poſt Epiſcopos appellat.

Tertio obſtat authoritas *Hieronymi in d. cap.* 1. *Epiſtol. ad Titum*, relata *in cap. olim* 95. *diſt.* & *ad Eugenium Epiſcopum Epiſt.* 85. de qua *in cap. legimus* 93. *diſt.* in quibus locis apertè *Hieronymus*, ait, eoſdem eſſe Presbyteros, & Epiſcopos, ſed ex Diaboli inſtinctu propter ſchiſma fuiſſe inter eos inductam differentiam: hunc errorem tenuerunt antea multi Auctores, ſed Arrius poſtea eum excitavit, qui cum Epiſcopatum fruſtra, & imprudenter ambiviſſet, ab Eccleſia divertit eam impugnans dignitatem, quam conſequi non potuit, quem deindè errorem ex eadem cauſa permotus ſuſcitavit Wigleph cum Epiſcopatum Vigorienſem impotenter appeteret.

Reſpondeo ad authoritatem S. Pauli, quòd ſcilicet Paulus loquatur ſecundùm tempus primitivæ Eccleſiæ, quo habebant Presbyteri aliquo modo juriſdictionem Epiſcopalem, etenim tanquam Epiſcopi conſiliarii cum eo regebant Eccleſiam in illis locis, ubi erant Epiſcopi, & eis magna ex parte juriſdictio communicabatur Epiſcopalis, præſertim in locis ubi non erant Epiſcopatus, undè omnes promiſcuè modò vocabantur Epiſcopi, modò Presbyteri, nam alioquin idem Paulus utrumque nomen diſtinguit, ut patet *ex Epiſt.* 1. *ad Timotheum cap.* 5. & *ad Titum cap.* 1. ubi Apoſtolus apertè oſtendit Epiſcopos, quales Timotheus & Titus erant, eſſe Judices, Correctores & Rectores Presbyterorum, quæ ſuis demonſtrant diſtinctionem, ſuperioritatem, & eminentiam: Creſcente verò multitudine Epiſcoporum, & Presbyterorum, ut evitaretur confuſio, & fortè etiam ob Presbyterorum aliquorum ſuperbiam, ſeu poteſtate inſolenter abutentium, tàm nomina, quàm gubernandi officia fuerunt magis diſtincta, & Presbyterorum reſtricta poteſtas. DD. *ubi ſupra.*

Ad authoritatem verò *S. Hieronymi in d. cap. legimus* 93. *diſt.* & *in cap. olim* 95. *diſt.* Reſpondeo cum *Barb. in collect.* 5. *tom. diſt.* 95. *cap.* 5. & *lib.* 1. *de jure Eccleſ. cap.* 8. *num.* 10. (omiſſa reſponſione *Medina*, dicentis de *ſacrorum hominum continentia lib.* 1. *cap.* 1. ſenſiſſe S. Hieronymum cum Arrio, quæ reſponſio communiter rejicitur) quòd S. Hieronymus nunquam negavit prædictam inter Epiſcopos, & Presbyteros diſtinctionem ex Apoſtolorum & Eccleſiæ traditione inſtitutam, ſed ſolùm contendere à Chriſto Domino inſtitutam non eſſe, & ſic erravit Hieronymus id aſſerens, & potiùs univerſalis Eccleſiæ Decreto eſt adhærendum, quam Hieronymi, & aliorum Patrum opinionibus, ut benè ex communi DD. ſententia refert *Barb. d. lib.* 1. *cap.* 8. *à nu.* 10. & *in collect. tom.* 5. *loco cit.*

Habent Epiſcopi varia nomina in jure, dicuntur enim religioſiſſimi. & reverendiſſimi, *gloſſa in cap.* 1. 23. *diſt.* & hodie Illuſtriſſimi, dicuntur Præſules, *cap. quòd traſlationem de tempor. ordinationum* Pontifices, *cap. Pontifices* 7 *q.* 1. *cap. Meſſana de elect. cap. quia periculoſum de ſentent. excommun. in* 6. *cap. Cleros* 21. *diſt.* vocantur ſummi Sacerdotes, *cap.* 1. *§. per frontis de ſacra unctione, cap. ultimo* 3. *quæſt.* 1. *cap. videntes* 12. *quæſt.* 1. & antiquitùs Epiſcopus vocabatur Papa, *cap. abſit. diſt.* 5. Gregorius tamen Septimus voluit adverſus Schiſmaticos, qui uſurpabant nomen Papæ pro Dominis temporalibus, ut hoc nomen unicum eſſet in Eccleſia Dei, teſte *Barb. lib.* 1. *cap.* 8. *nu.* 4. vocatur etiam Epiſcopus Princeps Eccleſiæ, *gloſſa in cap. Eccleſia* 35. *diſt.* & egregia perſona, ad quem ſi teſtis eſſe velit debet mitti inſtrumentum, ut in domo ſua teſtimonium reddat ſi velit, *gloſſa in l. ad egregias, ff. de jure jurando DD. citati.* Vocatur etiam Legatus Chriſti. *cap. accuſatio quoque in fine* 2. *quæſt.* 7. *Clem.* 1. *de pœnis*; *Sanctiſſimus ut in Authen. de Sanctiſſimis Epiſcopis, coll.* 9. *de Clem.* 1. *§. nec ſuper.* Præco, quia ſcelera populo annunciat, *Iſaiæ cap.* 28. & habetur *in cap. ſi Rector* 43. *diſt.* *Sal Terra Matth. cap.* 5. *Lucerna ſuper Candelabrum Matth. cap.* 5. *Oculus Mundi Matth. cap.* 6. *Angelus Lucæ* 9. latè *Barb. d. lib.* 1. *cap.* 8. *à num.* 27. *uſque ad* 64.

Requiritur primò in Epiſcopo ætas 30. annorum completorum, *cap. cum in cunctis de electione, Bulla Gregorii* 14. incipiens *onus Apoſtolicæ, Campanilis rubrica* 7. *cap.* 3. *nu.* 3. & *cap.* 6. *num.* 44. *Julius Lavorius* 1. *tom. tit.* 4. *cap.* 16. *num.* 2. quam ætatem debent habere etiam, qui ad Cardinalatum aſſumuntur, *Squillante de privil. Cleric. cap.* 4. *num.* 77. *Novarius in ſingularibus Canonicis concl.* 19. & quidem loquuntur de Cardinalibus Presbyteris, nam de Diaconis *Sixtus V. in conſtitut.* 50. *§.* 6. ordinavit eos debere, eſſe 22. annorum, quod intellige de jure ordinario, nam poteſt Summus Pontifex diſpenſare, & de Gregorio 11. obſervamus fuiſſe electum Cardinalem minorem 10. annis, & Summus Pontifex noviter electus ſolet ſuum Cardinalatum conferre cognato, quamvis adoleſcenti, qua de re *Diana* 5. *tom. tract.* 2. *reſol.* 19. *per totum.*

An verò ordinatus Epiſcopus ante trigeſimum annum expletum, incidat in pœnas contra malè promotos ante ætatem, quæſtio eſt. &

Reſpondeo negativè, ità *Suarez de cenſuris diſp.* 31. *ſect.* 1. *num.* 29. *Campanilis in diverſorio rubrica* 7. *cap.* 4. *num.* 17. Quia non eſt ordo diſtinctus: ſi verò infans conſecraretur Epiſcopus nihil ageret ex *S. Thoma in ſupplemento ad* 3. *partem q.* 39. *art.* 2. nam requiritur ætas recipientis curam paſtoralem animarum, & ſic carens uſu rationis eſt inhabilis ad matrimonium carnale, exigens interiorem conſenſum, ut ait *S. Thomas in ſupplemento q.* 45. *art.* 4. ità pariter ad ſpirituale cum perſona conſecranda in Epiſcopum fit ſponſus ſuæ Eccleſiæ, *cap. ſicut Clericus* 7. *q.* 1. *Card. Tuſchus tom.* 3. *lit. E concl.* 237. *num.* 14. licèt alii putent, quòd etiam in cunis conſecraretur quis Epiſcopus, ut *Hoſtienſis in ſumma de tempor. ordin. §.* & *cui, verſ. Sed etiam præter regulas.*

Secundo requiritur in Epiſcopo, ut ſit natus ex legitimo matrimonio, *cap. cùm in cunctis, cap. innotuit de elect. Barb. de poteſtate Epiſcopi par.* 2. *alleg* 1. *num.* 32. & *in collect.* ad *textum in d. cap. cum in cunctis num.* 18. legitimatus per ſubſequens matrimonium admittitur, *Campanilis rubrica* 11. *cap.* 13. *num.* 127. *Barb. de alleg.* 1. *num.* 32. *Lavorius loco citato cap.* 16. *num.* 61. qui tamen legitimati per ſubſequens matrimonium non ſunt habiles ad Cardinalatum ex Bulla Sixti V. incipiente. *poſtquam verus* cujus meminit *Campanilis rubrica* 5. *cap.* 4. *num.* 5. immò ante dictam Bullam Sixti V. ſpurius quidam electus Cardinalis, antequam Galerum acciperet è vita deceſſit, cujus meminit *Azorius par.* 2. *lib.* 2. *cap.* 3. *in fine, Barb. de jure Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 3 *num.* 36. poſita verò diſpenſatione poſſunt aſſumi, quæ diſpenſatio fieri debet in ſpecie ad Epiſcopatum, vel Cardinalatum, nam ſi fiat ad omnes & ſingulas dignitates Eccleſiaſticas, non extenderetur ad Epiſcopalem, ob ejus ſpecialem prærogativam, *Abbas*, & *alii in cap. cum Victorienſis de elect. Peregrinus de fideicomm.*

art. 23.

art. 23. *num.* 7. *Garfia de beneficiis par.* 1. *cap.* 6. *num.* 66. *Barb. de potestate Episcopi par.* 2. *alleg.* 1. *num.* 17. *& lib.* 1. *de jure Eccles. cap.* 8. *num.* 116.

Tertio requiritur, quod per sex menses antea fuerit constitutus in sacris, *Trident. sess.* 25. *de refor. cap.* 2. quod si fiat prius Episcopus, & non erat Sacerdos, validè erit Episcopus ordinatus, quia præposteratio in collatione ordinum non vitiat collationem, licèt executionem impediat, *glossa, & DD. in cap. sollicitudo* 52. *dist. Rendina in promptuario receptarum sententiarum* 1. *tom. tit.* 38. *num.* 6. *Campanilis dicta rubrica* 10. *cap. unico de Clerico per saltum promoto, Barb. de jure Eccles.* 1. *tomo cap.* 8. *num.* 109. quæ opinio supponit ordinem Episcopalem esse distinctum ab ordine Sacerdotali, sed secundum Theolos quia non est distinctus ordo Episcopatus ab ordine Presbyteratus, ideò non esset validè ordinatus.

Quarto requiritur, quod fit Doctor, vel licentatus in sacra Theologia, vel jure Canonico, *Trid. sess.* 22. *de refor. cap.* 2. *Barb. alleg.* 1. *num.* 24. & hodie requiritur examen ex Bulla Gregorii 14. & Clemens 8. ex suo peculiari Decreto voluit, quod Episcopi Italiæ examinentur coram ipso Sacræ Congregationis, & aliis peritis viris, in Gallia verò, & Hispania coram S. Rom. Eccl. Cardinalibus legatis ibi existentibus, & legatis deficientibus à latere, coram Sedis Apostolicæ Nunciis, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & similibus, de speciali mandato Papæ assistentibus aliis Prælatis, & Jureperitis, prout talis negotii gravitas requirit, *Barb. alleg.* 1. *nu.* 25. *& in collect. ad textum in d. cap. cum in cunctis, Lavorius d. c.* 16. *num.* 19.

Quinto requiritur, quod sit parentibus Catholicis creatus, ut in dicta Bulla Gregorii 14. quam refert *Barbosa de potestate Episcopi par.* 1. *tit.* 1. *cap.* 5. *num.* 40. *Lavorius d. cap.* 16. *nu.* 70. & quidem arcentur illi, qui sunt in primo, & secundo gradu ex linea paterna, in primò verò tantum gradu ex linea materna, *Sigismundus de Bononia de elect. dub.* 72.

Sexto, debet esse in Ecclesiæ functionibus diù versatus fide, puritate, innocentia vitæ, prudentia, &c. ut in dicta Bulla Gregorii 14. Laicus enim non potest eligi in Episcopum, *cap. hoc ad nos §.* 9. *dist. cap. miramur* 61. *dist. cap. statuimus, §. his omnibus eadem dist. cap. exigunt* 1. *q.* 7. *Barb. de potestate Episcopi par.* 1. *tit.* 1. *cap.* 3. *Julius Lavorius tit.* 4. *cap.* 16. *num.* 4. miserum enim est eum magistrum fieri, qui nunquam fuit discipulus, *cap. miserum* 61. *dist. cap. quid prodecit eadem dist.* multi verò fuerunt assumpti in Episcopatum, ex statu laicali, ut S. Nicolaus, Beatus Severus, &c. S. Ambrosius etiam ex Neophito fuit Mediolanens factus Archiepiscopus, *cap. Ofius cum sequenti* 61. *dist. cap. Neophitus* 61. *dist. Barbosa par.* 1. *tit.* 1. *glossa* 17. *num.* 7. & S. Martinus, & S. Augustinus ex Neophitis fuerunt facti Episcopi. Solet Papa dispensare cum laicis, & Neophitis, ut fiant Episcopi ob merita personarum, *cap. cum nobis de electione* practificatum refert *Barb. ubi supra, in* quodam nota ex Hebræis, ad fidem tamen converso, qui fuit factus Episcopus à Clemente 8.

Habens filios, putat *glossa in cap. priusquam in verb. parvulam* 28. *dist. & in Authen. de Sanctissimis Episcopis in prin. copio collat.* 9. quod non possit fieri Episcopus, est *textus in cap. Cafinensis* 61. *dist.* Et ratio est, quia adesset periculum affectionis ad filios, & avaritiæ propter eos, *glossa ult. in cap. pervenit,* 1. *q.* 3. unde resultat suspicio, quod bona per uxorem, filios, & alios temere dissipabuntur, *d. cap. insinuat, & cap. de Siracusana,* & ità expressè docet *Innocentius in d. cap. insinuat, & cap. de Siracusana,* & latè *Navarrus de spoliis Clericorum §.* 19. *nu.* 2. Tu verò dicas oppositum, ut probat *textus in cap. fine manifeste. vers. fortasse* 12. ubi *glossa in verb. aut filios, & in cap. Episcopus, qui filios* 12. *q.* 2. & patet *ex Apostolo* 1. *ad Timotheum* 3. ibi *Episcoporum unius uxoris virum,* & habetur *in cap.* 1. *in principio* 16. *dist.* & patet ex plurimis exemplis S. Petrus uxorem babuit, & ex ea Petronillam. Clemens Quartus tempore promotionis duas habebat filias ex uxore legitima, ut patet apud *Platinam in ejus vita,* & idem *Navarrus loco cit.* refert se plures vidisse Episcopos, & alios prælatos filios habentes promotos fuisse à Sede Apostolica nulla facta de filiis mentione, neque aliqua super eo habita dispensatione.

Respondeo ergo ad argumenta contraria, & quidem *ad textum in d. cap. priusquam* non loqui de babente uxorem. Sed habente filiam, qui antea fuerat incontinens, quod longè diversum est à castitata conjugali.

Ad textum in d. cap de Siracusana, dicu eum loqui habito respectu ad *Imperialem Constitutionem in d. authen. de Sanctissimis Episcopis,* quæ dispositio non potuit interdicere electionem ad Episcopatum, juxtà regulam *cap. Eccles. S. M. de constit. & cap. ultimi de rebus Eccles. non alienan.* vel dicas, quod ibi Justinianus non prohibuit uxoratum non posse ad Episcopatum assumi, sed solum quod promovendus uxorem habuit legibus interdictam, vel alio defectu laborantem, non verò si unicam, & primam, ut patet ibi in *vers. Sed & si prius.*

Ad tertium exemplum de *textu in d. cap. continentis,* Respondeo, quod procedit propter præsumptionem, quæ est contra habentem filios, quod bona Ecclesiæ dissipasset, & ut cesset labor faciendi inventarium, de quo *d. cap. de Siracusana.* Et tandem loquitur textus ad benè esse, quia cæteris paribus melius est eligere eum, qui est ab omni occupatione expeditus, quam occupatum ad filios gubernandos, juxtà illud *Pauli* 1. *ad Corinth. cap.* 7. *Sollicitus est ea, quæ sunt mundi, &c.*

Religiosus potest esse Episcopus, *cap. pœn. in fine de vita, & honestate Cleric. cap. nullus de elect. in* 6. dummodò superior consentiat in electione, *glossa in d. cap. nullus;* quod si quis voveat religionem, non poterit Episcopatum acceptare antequam sit religionem ingressus, nisi dispensetur in voto, *cap. per tuas de voto.*

Neque obstat statum Episcopatus esse statum perfectionem, quam religiosus, quia licèt id verum sit, tamen votum cadit sub præcepta, Episcopatus verò est opus consilii, non præcepti; est verò licitus transitus de Episcopatu ad religionem Summo Pontifice permittere, *Bartholomæus à S. Fausto in Thesauro Religiosorum tom.* 1. *lib.* 1. *q.* 335. *Sanchez lib.* 4. *summa cap.* 17. *num.* 5. Quod si quis ob crimen commissum renunciavit Episcopatui, & Religionem ingressus est, non potest amplius in Episcopum eligi, *cap. hoc nequaquam* 7. *q.* 1. *cap. post translationem de renuntiatione, Suarez de religione tom.* 3. *lib.* 1. *cap.* 2. *Barb. lib.* 1. *de jure Eccles. cap.* 8. *num.* 124. & notandum est religiosum factum Episcopum non teneri recitare officium divinum juxta suæ religionis observantiam, quia a tali regula absolvitur, sed tenetur sequi ritum suæ Ecclesiæ, *Sanchez lib.* 6. *cap.* 6. *num.* 25. *Bartholomæus à S. Fausto lib.* 6. *quæst.* 149. *Barb. ubi supra num.* 134. neque gaudet privilegiis suæ religionis eum liber sit ab omnibus religionis regulis, *Rodriquez quæst. regul. tom.* 2. *quæst.* 58. *art.* 4. *Sanchez ubi supra num.* 33. *à Fausto q.* 197.

Et lici.

Et licitum est religioso facto Episcopo tenere in baptismo, & compaternitatem contrahere, licèt monachis id prohibitum sit, *cap. non licet il.* 1. *& cap. Monachi de consecrat. dist.* 4. *glossa in cap. unica* 18. *q.* 2. *Rodriquez tom.* 2. *quæst. regular. quæst.* 58. *art.* 3. eique licitum est vesci carnibus, licèt aliud præcipiant regulæ suæ religionis, ut de fratribus minimis, & aliis docet *Sanchez d. lib.* 6. *cap.* 6. *Barb. lib.* 1. *de jure Eccles. cap.* 8. *num.* 233. *Diana par.* 5. *tract.* 1. *miscell. resol.* 39. qui idem docet de expulso à religione S. Francisci de Paula, quicquid dicat *Laurentius de Peyrinis in privilegiis minimorum tom.* 3. *cap.* 14. *nu* 3.

Non tamen liberatur religiosus à tribus votis substantialibus religionis, & obedientiam tenetur præstare Romano Pontifici, *Sanchez d. lib.* 6. *cap.* 6. *& Bartholomæus à S. Fausto ubi supra cap.* 189. speciali quadam ratione obedientiæ ultrà alios Christianos, unde potest Summus Pontifex tali religioso facto Episcopo ea omnia præcipere, quæ sunt secundum statutum suæ religionis, sicut ea potuisset præcipere religionis prælati, neque absolvitur à voto paupertatis prædictus religiosus factus Episcopus, nec fit Dominus redituum Ecclesiasticorum, sed simplex administrator, *Barb.* qui plures refert *lib.* 1. *de jure Eccles. cap.* 8. *num.* 137.

Et etiam in electione Episcopi id servandum, ut nullus invitis subditis detur Episcopus, *ut nullus* 61. *dist. cap. fin.* 63. *Barb. de potestate Episcopi par.* 1. *tit.* 1. *cap.* 3. *num.* 48. neque existentibus viris benemeritis in Civitate est assumendus ignotus, *cap. nec emeritis* 61. *dist.* neque debet eligi Episcopus, qui Principibus sæcularibus nimis est favorabilis, *cap. Porrò* 61. *dist.* & debet eligi bonus, quia nihil est, quod Ecclesiæ Dei magis officiat, quam quod indigni assumantur prælati ad animas regendas, *cap. nihil ae elect.* unde *in cap. qui Episcopus* 23. *distin.* ponitur forma examinis, & inquisitionis faciendæ de qualitatibus personæ eligendæ in Episcopum, & novissimè adest instructio particularis, edita jussu Summi Pontificis N. Urbani Octavi, de qua *Barb. lib.* 1. *cap.* 8. *de jure Eccles. num.* 140.

Rogabis primo, quænam sit dignitas Episcopalis? Respondeo supremam post Papam *Trid. sess.* 23. *cap.* 4. *de Sacramento ordinis*, unde in honorem prædictæ dignitatis est sedes Episcopalis ponenda in Ecclesia in eminentiori loco, *cap. Episcopus in Ecclesia* 95. *dist.* & prima sedes in Ecclesia est Episcopi, *Trid. sess.* 25. *de reform. cap.* 6. *Riccius in praxi resol.* 103. secus si Episcopus sederet ut consiliarius Regis, quia tunc alios non præcedit, *Francus dec.* 338. *num.* 5. facit *text. in cap. solite de majorit. & obed. cap. quibus* 96. *dist. cap. quis dubitet cum sequenti eadem dist. & cap. duo sunt eadem dist. cap. qua fronte de appellat. Trid. sess.* 25. *cap.* 17. est honorandus in omnibus Ecclesiis suæ Diœcesis, quamvis exemptis, & privilegiatis, eique in choro in capitulo, in processionibus, & aliis actibus, prima sedes est danda, primusque locus, neque potest prohiberi exercitium Pontificalium in Ecclesiis suæ Diœcesis, quamvis exemptis, immò potest contradictores pœnis, & censuris Ecclesiasticis compellere, ut ait Sacra Congregatio, teste *Barb. lib.* 1. *de jure Eccles. cap.* 12. *num.* 10. & etiam in sua Diœcesi Episcopus Diœcesanus præferri debet omnibus aliis Archiepiscopis, excepto metropolitano, licèt Episcopos advenas, & & peregrinos idem Episcopus teneatur honorare, eisque digniorem locum cedere, ut declaravit Sacra Congregatio, teste *Barb. ubi sup. num.* 12. Decanus & omnes constituti in dignitatibus de capitulo tenentur Episcopum associare; dùm venit ad Cathedralem, ut celebret Pontificaliter, eique celebranti tenentur assistere decanus, seu prima dignitas, & duæ aliæ dignitates, vel Canonici, & Archidiaconus, etiamsi sit prima dignitas tenetur assistere Episcopo, celebranti, & ad id cogi potest pœnis, & censuris, *Garsia de beneficiis par.* 3. *cap.* 2. *nu.* 142. *Scipio de Rubeis in aphorismis Episcoporum, in verb. assistentia nu.* 1. Canonici verò collegiatarum non tenentur assistere Episcopo, ut decidit Sacra Congregatio teste *Barb. loco cit. num.* 17. & eadem Congregatio ait, quod Canonicis expectantibus Episcopum in ejus palatio, ut eum comitentur ad Ecclesiam sunt præstandæ sedes.

Ex quibus collige Episcopum multa habere privilegia, & ultra ea, quæ diximus, primo statim, quod talis eligitur si sit filius fam. exit de potestate patris ex lege Canonica, & civili, *cap. per venerabilem qui filii sint legitimi. Auth. sed Episcopalis dignitas, C. de Episcopis, & Clericis*, quoad nociva tamen, non quoad utilia, *Marta de jurisdictione par.* 4. *cent.* 1. *casu* 27. Secundo, quia contrahit matrimonium cum Ecclesia sua sponsa, ideò ei licitum est annulum deferre, & mytram, *Shrozzius lib.* 2. *de offic. Vicarii q.* 7. Tertio in eo altari, in quo Episcopus cantavit missam nullus potest eodem die missam celebrare, *cap. in altari de consecrat dist.* 2. *Bonacina de sacram. disp.* 4. *q. ultima pag.* 9 *q.* 15. *Fagundez de præceptis l.* 3. *præcepto* 1. *cap.* 32. ubi intelligit de missa solemni, & Pontificali, *Barb. par.* 2. *de potestate Episcopi alleg.* 24. Quarto possunt cum altari portatili extra Ecclesiam ubi voluerint celebrare per se, vel per alium in sua præsentia, *cap. fin. de privil. in* 6. *Navarr. cons.* 5. *de privil. in novis*, ubi licet dubitet an hoc privilegium sublatum sit per *Tridentinum sess.* 22. *in decreto de observandis in sacrificio missæ*; tamen verius est non esse sublatum, *Valerus in differ. utriusque fori, in verbo missa differ.* 2. *Fagundez d. lib.* 3. *præcepto* 1. *cap.* 13. *nu.* 19. *Barb. alleg.* 23. *nu.* 5. omnibus tamen Episcopis indistinctè est permissum celebrare facere in Cappella sui palatii ut ait Sacra Congregatio, teste *Barb. de jure Eccles. l.* 1. *cap.* 12. *nu.* 25.

Collige secundo posse Episcopum in sua Diœcesi populum solemniter benedicere *Clem. fin. de privil.* privatè verò celebrantes in alienis Diœcesibus possunt benedictione Episcopali, cum verbis. *Si nomen Domini benedictum*, ut decisum Neapoli refert *Riccius in praxi resol.* 205. *Barb. alleg.* 27. *nu.* 6. sic potest Archiepiscopus per omnia loca suæ Provinciæ, etiam exempta ante se portare Crucem, populo benedicere, & divina officia ibi privatim, vel publicè audire, & etiam ea in Pontificalibus celebrare, vel celebrari facere, *Clem. fin. de privil.* intellige nisi esset præsens Legatus Papæ, vel Cardinalis in Legatus, seu Nuncius cum facultate Legati de latere, *Barb. par.* 1. *tit.* 4. *num.* 39. Non tamen potest Episcopus pro tribunali sedere in loco exempto suæ Diœcesis, *Barb. alleg.* 80. *à num.* 7. extrà verò Diœcesim non potest Episcopus uti Pontificalibus, nisi cum licentia Diœcesani, latè *Barb. in d. Clem. fin. de privil.*

Collige tertio Episcopum posse in sua præsentia tempore interdicti facere celebrari, *cap. quod nonnullis de privil. Sayrus lib.* 2. *de censuris cap.* 5. *nu.* 16. Possunt etiam sibi quem volunt eligere in confessarium, *cap. ult. de pænit. & remiss.* etiam non sibi subditum, neque approbatum ab ordinario loci, & licèt textus ibi dicat, *ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum*, tamen prædicta verba non stant dispositivè, quia essent frustratoria, sed enunciativè, sub quorum tamen nomine veniunt Episcopi, sive consecrati, sive non, sive titulares, sive qui Episcopatui renunciarunt, *Barb. in collect. ad textum prædictum*, & ex consuetudine idem concessum Archidiaconis, Decanis, Vicario Generali

Generali Epiſcopi, & ſimilibus docet *Barb. ubi ſupra nu.* 2. aliqui putant talem facultatem abrogatam fuiſſe Epiſcopis ex decreto Sac. Congregationis, de quo *Barb lib. 1. de jure Eccleſ. cap.* 12. *num.* 28. alii verò putant oppoſitum, non eſſe ſcilicet abrogatam; imò competere etiam prælatis regularibus, & longè fortius Cardinalibus pro ſe, & ſimilia ſua, *Diana par. 5 tract. 2. reſol.* 10. & ideò Romæ practicatur, quòd licèt omnes teneantur communicare in paſchate in propriis parochiis, tamen ibi familiares Cardinalium in Oratoriis eorundem communicantur, hoc tamen non habent familiares Epiſcoporum, & in hoc Epiſcopi ſunt deterioris conditionis, quàm Cardinales, quia ibi viget conſuetudo, *Diana loc. cit.*

Collige quarto Epiſcopos habere canonicam portionem, Cathedraticam exactionem, & ſimilia de quibus infrà, & habentur in *cap. dilectus*, ubi *gloſſa de offic. ordin. cap. 2. cum ſequentibus* 10. *q.* 3. Neque poſſunt ad teſtimonium dicendum cogi, *l. nec honore C. de Epiſcopis. & Clericis. §. nulli autem, judicium Auth. de Sanctiſſimis Epiſcopis. Romanus ſingulari* 169. quòd ſi quandoque ſit neceſſaria atteſtatio ipſorum non jurabunt, ſed ſolùm poſitis coram eis Evangeliis teſtimonium ferunt, *cap. teſtimonium cum ſequenti* 11. *q.* 1. *cum Gratiano*, nec jurans Evangelia tangit, ſed tantum à longe manus elevat verſus illa, *cap. fin. de juramento calumniæ, gloſſa in d. cap. teſtimonium §. item niſi tamen juraret fidelitatem*, vel in alio caſu arduo, quia tunc ſacra tangit, *cap. ego N. in fin. de jure jurando*, non tamen creditur ejus dicto, de his quæ dicit, vel facta ſunt coram eo ſine probationibus *cap fin. 6. q.* 2. quod fallit in aliquibus, ut ſi Epiſcopus aſſerat de ſua Diœceſi eſſe expulſum, qui teſtitur illi, *Clem. 1. de foro competenti*, ubi *DD.* vel ſi atteſtetur in litteris ſe clericum ordinaſſe de licentia proprii Epiſcopi *Barb. alleg.* 8. *num* 19. vel ſi deponat in cauſis civilibus privatis, *Bovadilla in politica lib. 2. cap. 27. num.* 15. Poſſunt etiam Epiſcopi eſſe Judices ſuarum Eccleſiarum, ſcilicet in cauſis ipſarum, *Capycius dec.* 137. *Riccius reſol.* 203. *Surdus conſ.* 50. *Trintacinquius lib. 2. var. in tit. de Judiciis reſol.* 5. & alii apud *Barb. lib. 1. de jure Eccleſ. cap.* 12. *num.* 32. ſic etiam ſolum Epiſcopi, vel alii in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti conſervatores Judices dantur non alii, *cap. hac conſtitutione de officio delegati in 6. Sylveſter in verb. conſervator num.* 1. *Petrus Gregorius lib.* 47. *Syntbagm. cap.* 22. *num,* 28. *Rodriquez tom. 1. quæſtion. regular. q.* 65. *num.* 2. Sic ſi Epiſcopi rebus propriis ſpolientur, vel à ſuis ſedibus ejiciantur, ſunt ſtatim in omnibus reſtituendi, & cuncta eis reintegranda, antequam ullum crimen eis poſſit objici, ut in tota cauſa 3. *q.* 1. *& 2. cauſa per totam, cap. ſi quis ordinatus q* 2. *diſt. clem. unica de foro competenti*, nec ſunt Epiſcopatu privandi propter quamcumque ægritudinem, aut corporis infirmitatem, *cap. 1. cùm ſequenti 7. q.* 1. poſſunt etiam Epiſcopi in minoribus litibus per procuratorem litigare, utpote illuſtres perſonæ, *cap. quia Epiſcopus 5. q. 3. Auth. ut ab illuſtribus coll.* 5. neque in eis dare debent fidejuſſorem. *Auth. de Sanctiſſimis Epiſcopis, §. alium autem coll. 6.* nec Judicibus ſportulas tenentur ſolvere *Auth. de Sanctiſſimis Epiſcopis, §. ſportularum coll.* 9. neque citari poſſunt, ut coram aliquo compareant Judice, *Auth. de Sanctiſſimis Epiſcopis, §. ſed neque pro qualibet coll. 9. Trid. ſeſſ. 13. cap. 6. de reform.* neque cogi valent ad tutelam cujuſcumque perſonæ ſuſcipiendam. *§. Deo autem Authen. de Sanctiſſimis Epiſcopis coll,* 9. *Paulus Montanus de tutelis cap.* 35. *regul 1. num* 194. *Galganetus de tutelis lib. 1. tit. 6. nu,* 36. niſi tutela ſit perſonarum miſerabilium, quia illa uti earum pater ſuſcipere tenetur, *Guttierez de tutelis par. 1. cap. 1. num,* 30. ubi etiam dicit, quòd poterit tutelam honorariam ſuſcipere: dicitur verò tutor honorarius, qui datur, ut pupillus ſit magis honoratus ejus authoritate, & protectione. *Excobar de ratiociniis cap.* 28. *num,* 20. *Baeza de decima tutorum cap. 6. nu.* 2. *Guttierez par. 1. de tutelis cap.* 17. *nu.* 1.

Collige quinto Epiſcopos accuſatos non debere ſtare, ſed ſedere ſimul cum Judice aliquantulum inferius. *Caſſaneus in cathalogo gloriæ mundi par 4. conſid. 25. & par. 7. conſid.* 3. undè ait *Parladarus in ſex quicenturia quotid.° differ. differentia* 10. *nu.* 27. Quòd ſi Epiſcopi alicujus litis propriæ, ſeu ſuæ Eccleſiæ cauſa in Regio Senatu, vel in Regalibus Cancellariis adſint, ſedebunt in tribunali inter ipſos Senatores ad ſiniſtram Præſidis. Poſſunt etiam Epiſcopi ſententias ſuas per alios legere. *cap. & ſi ſententiam de re. judic. Caſſaneus par. 9. conſider.* 3. habent etiam Epiſcopi thronum. & ſolium in ſignum ſuæ magnæ celſitudinis, & poteſtatis, & in ſuis cathedralibus poſſunt uti baldacchino, etiam in præſentia Proregis non tamen in præſentiâ Regis, *Maſtrillus de magiſtratibus lib. 4. cap. 13. num.* 183. *ex impreſſis Panormi.*

Collige ſexto ob Epiſcoporum dignitatem, contra eorum perſecutores graves pœnis ſacros canones protuliſſe, *cap. Clericus cum ſequenti 3. q. 4. cap. ad aures de pœnis clem. 1. eod. tit.* quòd ſi quis Epiſcopum perſonaliter offendit etiam levi offenſa, non poteſt niſi per Papam abſolvi, *Barb. in cap. pervenit de ſenten. excommun. & lib. 1. de jure Eccleſ. cap. 12. nu.* 35. & Civitas ſi Epiſcopum ſuum offenderit eum occidendo, eſt in perpetuum Paſtore privanda, *cap. itaque 25. q. 2. Covarr. lib. 2. var. cap. 8. Riccius reſol* 203. *Clarus in §. fin. quaſt. 72. à nu. 36. Menoch. caſu 356. num.* 155. *Farinaceus in praxi par. 5. q. 112. inſpect. 3. num.* 131. quando tamen ille erat conſecratus, *Mandoſius in regula 12. Cancellariæ q. 19. num. 13. Gonzalez in regula 8. in Cancellariæ gloſſa 9. §. nu. 27 Ricciullus lib. 3. de jure perſonarum, cap. 7. nu. 9. Barb. alleg. 57. nu.* 237.

Collige ſeptimo Epiſcoporum accuſationem non facilè recipi, *cap. 1. & per totum 11. q. 1. §. ſi qua per calumniam. C. de Epiſcopis, & Clericis, Apoſtolus 1. ad Tim. cap.* 5. ubi adverſus presbyterum, ait accuſationem non recipi abſque duobus, vel tribus idoneis teſtibus: ergò multò magis adverſus Epiſcopos, *cap. accuſatio Epiſcoporum 2. q 7. cap. qualiter il. 2. de accuſat.* undè infames, præſertim hæretici ab accuſandis Epiſcopis repelluntur, *cap. alieni cum ſequentibus, cap. cavendum, cap. præſumunt. 2. q 7. cap. oves 2. q. 7. cap. 2. de accuſat. cap. ſi qui ſunt 2. q.* 7 & accuſati Epiſcopi *ex Trid. ſeſſ. 13. cap. 6. & ſeſſ. 24. cap.* 5. non ſunt citandi, ut perſonaliter compareant. *Barb. par. 3. alleg.* 112. niſi ex illis cauſis, ex quibus veniunt deponendi, & ex quolibet delicto etiam atrociſſimo non ſunt citandi ad Curiam Romanam, niſi præceſſerit Papæ commiſſio, ut ex Bulla Pii Quarti, incipiente *de ſalute Gregis*, refert *Barb. loco cit. nu.* 7. & teſtes contra eos in criminali cauſa non recipiuntur niſi conteſtes, & bonæ famæ. & ſi falſum dixerint, gravibus pœnis ſunt puniendi. Cauſas verò criminales eorum, ob quas comparere debent perſonaliter, à ſolo Papa cognoſci debere ait *Trid. ſeſſ. 13. cap. 8. Novarius in ſingularibus canonicis ſingulari* 90. etiamſi cauſæ ſint hæreſis, *Trid. ſeſſ. 24. cap. 5. de reform. Rodriquez tom. 2. q. 8. art.* 1. quod procedit etiamſi Epiſcopus ſit titularis, vel ſolùm electus, & confirmatus, ſed nondùm conſecratus, idem *Barb. d. alleg.* 112. *num.*

num. 14. eorum verò causæ minores à Concilio provinciali possunt cognosci, *Trid. sess.* 24. *cap.* 5. *Riccius par.* 4. *dec.* 142. facit *textus in cap.* 3. *de offic. deleg. in* 6. prohibetur etiam officialibus Metropolitanorum censuras in suffraganeos ferre ob reverentiam Pontificalis officii, *cap.* 1. *§. fin de offic. ordin. in* 6. *Sbrozzius de officio Vicarii lib.* 2. *quæst.* 58. *Barb. par.* 1. *tit.* 4. *num.* 16.

Collige ultimo sententiam suspensionis; vel interdicti. ipso facto nunquàm incurrere Episcopos, nisi de eis in edicto expressa mentio fiat, *cap. quia periculosum de senten. excommun. in* 6. *Rodriquez quæstionum regularium tom.* 3. *quæst.* 65. *art.* 3. *Bellettus disquisit. cleric. §.* 2. *num.* 47. *Riccius in praxi resol.* 211. *Barb. par.* 3. *alleg.* 111. *& lib.* 1. *de jure Eccles. cap.* 12. *per totum.*

Rogabis secundo, quodnam sit officium, & potestas Episcoporum?

Respondeo, quòd versatur primo circà cultum Dei, & christianam religionem augendam & conservandam. Secundo in pascendis, & regendis ovibus sibi commissis, ex prima cura, & officio Episcopi resultat, ut teneantur ad ea, quæ concernunt fidem, & religionem, ac venerationem Dei divinorum officiorum celebrationem, Sacramentorum administrationem, & ad ea, quæ pertinent ad loca Ecclesiastica.

Ex quibus collige primo, Episcopum teneri facere, ut omnes suæ Diœcesis fidem Christi suscipiant si sint in terris infidelium si sint fideles, ut sciant rudimenta fidei, *cap. ante baptismum*, ubi *DD. de consecr. dist.* 4. *Trid. sess.* 24. *cap.* 7. *de refor. Bulla Pii V. incipiens ex debito pastoralis officii*, de qua *Piacesius par.* 2. *praxis cap.* 3. *nu.* 19. Declaravit interdum Sacra Congregatio Episcopum non posse cogere censuris pueros, earumque parentes ad doctrinam christianam addiscendam, ut refert *Zerola in verb. doctrina christiana §.* 3. Sed contrarium practicatur, possunt enim Episcopi, & id de facto faciunt excommunicare subditos, ut doctrinam christianam discant parochos, ut eam doceant *Campanilis rub.* 11. *cap.* 14. *num.* 8. *Riccius par.* 4. *dec.* 300. *Barb. de potestate Episcopi alleg.* 76. *nu.* 83. *Homo bonus de Bonis in examine Ecclesiastic. tract.* 11. *cap.* 12. *quæst.* 26. *resol.* 2.

Collige secundo Episcopos teneri ne fiant inanes fidei disputationes, ne laici publicè, vel secretè disputent de fide catholica, *cap. quicumque §.* 1. *de hæret. in* 6. *cap. quoties* 24. *q.* 1. *Sanchez tomo* 1. *lib.* 2. *cap.* 6. *nu.* 3. *Farinaceus de hæresi q.* 78. *num.* 111. *Santarellus de hæresi cap.* 8. *nu.* 5. tenentur etiam facere ne verba, & sententiæ sacræ scripturæ ad superstitiones, & alia sacrilegia adhibeantur; sic tenentur procurare, ne prædicatores in suis concionibus fabulas, & falsas revelationes prædicent. *Trid. sess.* 4. *in fine*, *Riccius par.* 4. *dec.* 397. *Barb. alleg.* 76. *nu.* 48. sic tenentur facere, ut nullus imprimat quoscumque libros sine nomine authoris. *Concilium Lateranense sess.* 10. *de impress. librorum.* Idem dicas de quacumque scriptura imprimenda, *Azorius par* 1. *lib.* 8. *cap.* 17. in Curia Archiepiscopali nostra, fuit punitus impressor in tali casu, ut per biennium non exerceret suum officium. *Riccius par.* 3. *dec.* 78. Debent etiam Episcopi penitùs eradicare artem magicam exercentes, & superstitionibus utentes, *cap. contra*, *& cap. Episcopi* 26. *q.* 5. *Suarez de religione tom.* 1. *lib.* 2. *de superstition. cap.* 19. *num.* 13. & punire Astrologos astrologia judiciaria, Bulla Sixti & Urbani Octavi, debent nova miracula approbare & recognoscere, *cap. fin. de reliq. & venerat. Sanctorum Barb. lib.* 1. *de jure Eccles. cap.* 11. *nu.* 16. Debent etiam procurare, ut observentur dies festi & puniri possunt arbitrio Episcopi laici festum non observantes, ex Bulla Pii V. de qua in *Bullario novo tom.* 2. *fol.* 180.

Curare etiam debent, ut Sacerdotes non aliis, quàm debitis horis celebrent, *Trid. sess.* 22. *in decreto de observandis, & evitandis in celebratione Missæ*, scilicet ab aurora usque ad meridiem, *Fagundez par.* 1. *de præceptis lib.* 3. *cap.* 17. & etiam curare debent ne extra Ecclesiam, vel locum deputatum Missæ sacrificium fiat, *Trid. ubi suprà*, nec in privatis Oratoriis, *Trid. loco cit. Riccius par.* 4. *dec.* 28. nisi in casu magnæ necessitatis, *Fagundez ubi supra cap.* 13. *nu.* 14. & appellatione Oratorii privati, venit illud Oratorium, vel Capella, quæ stat inter domesticos parietes; tùm illa, ex qua patet accessus per viam publicam, licèt sit contigua domui, tamen janua est in via publica, ut pluries declaravit sacra Congregatio, teste *Barb. lib.* 1. *de jure Eccles. cap.* 11. *nu.* 28.

Debet etiam curare ne ignoto, & vago Sacerdoti permittat Missas celebrare, *Trid. loco cit. & sess.* 23. *cap.* 16. *Genuensis capi* 40: *suæ praxis*, *Barb. alleg.* 21. & possunt Episcopi prohibere regularibus, ne in eorum Ecclesiis exteri celebrent, nisi priùs visis litteris commendatitiis ab Episcopo, *Riccius dec.* 298. *par.* 2. *& in praxi resol.* 635. *Barb. d. allegat.* 21. verùm si aliquis Sacerdos alienigena jam per longum tempus in loco celebraverat, & ejus vita, & mores sunt notorii, non est cogendus ostendere commendatitias sui ordinarii litteras, ut decrevit Sacra Congregatio apud *Barb. d. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 31. Curare etiam debent Episcopi, ut habentes curam animarum saltem diebus dominicis, & festivis tàm frequenter celebrent, ut suo muneri satisfaciant Missas celebrando, *Trid. sess.* 23. *de reform. cap.* 14. *Barb. alleg.* 24. *num.* 22. ubi *nu.* 23. *per Concilium Trid. sess.* 23. *cap.* 1. *de reform.* resolvit parochum teneri Missæ sacrificium suis ovibus applicare, juxtà viri boni arbitrium, de qua re infra dicemus.

Collige secundo, posse Episcopum populum cogere, ut in propria parochia Missam audiat, non tamen poteris id pœnis facere *Zerola in praxi par.* 1. *in verb. Missa §.* 6. *Barb. par.* 2. *allegat.* 24. *nu.* 17. erit tamen liberum populo festivis diebus sacrificio Missæ in Ecclesiis regularium interesse, neque Episcopi possunt aliquid dicere: procurare etiam debent Episcopi, ut ab Ecclesiis suis arceantur musicæ cum cantu lascivo, *Trid. in decret. de observandis. & evitandis iis, quæ in celebratione Missæ*, *Suarez tom.* 2. *de religione lib.* 4. *de oratione cap.* 13. *Bonacina d sp.* 2. *de horis canonicis q.* 1. *p.* 13. *Barb. in d. cap. dolcute nu.* 15. *de celebrat. missar.* Potest etiam Episcopus declarare regularibus, eisque præcipere, ut in offertorio in diebus festis quandò Missæ dicuntur annuncient populo festivitates. *Portellius in dub. regular. ib. in verb. Episcopus num.* 7. *Rodriquez tom.* 1. *quæstion. regular. q.* 43. *art.* 7. *Barb. par.* 2. *alleg* 24. *nu.* 21. Multa alia possunt Episcopi, de quibus Deo dante suis locis dicemus.

In §. finali.

AGitur hic de Summo Pontifice. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd cum omnes homines per peccatum originale perdidissent innocentiam originalem, *Paulus ad Romanos* 5. *& Corinth. cap.* 15. *misit Deus Filium suum, ut nos redimeret*, *Trident session.* 6. *de justific cap.* 1. *&* 2. *ad quæ peccata tollenda Christus homo factus est*, *Lucæ* 19 *Joann.* 3. *Apostolus ad Galat.* 4. *& in Symbolo Nicæno*, ibi. *Propter nos homines, & propter nostram salutem*; & convenientissimum fuit Verbum incarnari, ut qui filius erat Dei ab æterno, efficeretur filius hominis tempore: quòd verò sola persona

ſilii naturam humanam aſſumpſerit, habes *textum in cap. firmiter de ſumma Trinit. & fide cathol.* *Concilium Toletanum ſextum contra Sabellianos*, aliosque hæreticos dicentes, totam Sanctiſſimam Trinitatem incarnatam, quos refellit *S. Thomas* & alii apud *Suarez 3. par. tom. 1. de incarnat. diſp. 5. ſect. 6.* & in Chriſto ſunt duæ naturæ, una divina, altera humana, *Concilium Calcedonenſe ar. 5. Card. Bellar. lib. 3. de Chriſto.*

Sciendum eſt ſecundo, quòd Chriſtus ſecundùm humanitatem eſt caput totius Eccleſiæ, tàm militantis, quàm triumphantis, *Paulus ad Epheſ. 4. cap. 1. & 5. & ad Coloſſenſes cap. 1. & de plenitudine ejus omnes accipiunt Joannis 1. & habuit in omnes creaturas ſpirituale, & ampliſſimum dominium Pſal. 2. Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo, & Zacharia 9. Ecce Rex tuus veniet tibi juſtus & Salvator, & Iſaia 9. Factus eſt principatus ſuper humeram ejus, & Matth. 28. Data eſt mihi omnis poteſtas* in *Cœlo, & in Terra, & Joannis 18. Tu dicis, quia Rex ſum ego. & Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 15. Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus; & Joannes in Apocalypſi cap. 17. Rex Regum, & cap. 19. Habet ſcriptum in veſtimento ſuo Rex Regum, & Dominus Dominantium*, & licèt potuiſſet exercere domininium ſuper omnes creaturas, eum tamen non exercuit, juxtà illud *Joannis 18. Regnum meum non eſt de hoc mundo*, latè Card. *Bellarminus lib. 5. de Romano Pontifice, cap. 4. Beccanus de incarnatione cap. 24. Valentia tom 4. diſp. 1. quæſt. 22. par. 6. Vaſquez diſp. 87. de incarnatione cap. 4. num. 31.* Habuit enim Chriſtus omnem poteſtatem ſpiritualem, neceſſariam ad gubernandum Orbem chriſtianum, & ſic intelligitur, *Data eſt mihi omnis poteſtas, &c. & Joannis 13. Sciens, quia omnia ei dedit Pater in manus.*

Sciendum eſt tertio, quòd Chriſtus ad Patrem reverſurus reputavit neceſſarium Vicarium ſuum relinquere in terris. Fecit Petrum ſui Vicarium, & ad denotandam myſterii magnitudinem id fecit ter repetitis verbis illis *Simon Joannis diligis me plus his*, & reſponſo à Petro accepto. *Tu ſcis Domine.* bis Chriſtus ait. *Paſce agnos meos*, & tertiâ vice, *paſce oves meas, Joannis 21. & 22. Marci 16.* per quæ verba Petrum in ſanctitate præſtantem, ſed in paupertate eximium, in humilitate maximum, in virtute ſupremum, non fauſtitate, ſed ſimplicitate nudis pedibus ambulantem, præſentibus aliis Apoſtolis Principem, & caput conſtituit, ab ipſo Petro, tanquàm à majore ſumpſit Chriſtus initium in lotione diſcipulorum, *Card. Baronius tom. 1. anno Chriſti 23. in fine*, & Petrus primus in monumentum Chriſti introivit, *Marci 16.* quia primus in Eccleſia erat functurus poteſtate, eique ſoli ait Chriſtus, *Rogavi pro te Petre, &c. Luca 22.* hinc licèt aliis dixerit Dominus, ut laxarent retia, *Soli tamen Petro*, ait Chriſtus, *Duc in altum Luca 5.* ſcilicet in profundum diſputationum, & in altitudinem divitiarum, ſcilicet revelationem ſecretorum Dei. Hinc ei ait Chriſtus, *Mitte hamum, & eum piſcem, qui prius aſcenderit tolle, cap. non turbatis 24. q. 1.* quia hamo, id eſt ferro debebat Petrus reſecare putridas carnes, *cap. plurimos in fine 82. diſt.*

Accepit verò Petrus hoc munus Vicarii poſt aſcenſionem Chriſti, & Papatus eſt de jure divino in perſona Petri à Chriſto inſtitutus, *Card. Tuſchus lit. P. concl. 47.* quòd verò ſit in perſona hujus, vel illius, exceptâ perſona Beati Petri, non eſt de jure divino, ſed ex humana electione pendet, undè poteſt tranſigi de Papatu inter plures contendentes, *Zabarella conſ. 150. nu. 14.*

Sciendum eſt quarto, quòd hanc poteſtatem primus exercuit Petrus Antiochiæ, poſteà eandem ſedem Romam tranſtulit, *cap. rogamus 24. q. 1. cap. ſacroſancta 22. diſt. Barb. de poteſtate Epiſcopi par. 1. tit. 3. cap. 2.* ut ibidem magis proficeret, *cap. mutationes 7. q. 1.* & conſtituit Ignatium Epiſcopum Antiochiæ, *d. cap. ſacroſancta*: quicquid dicant hæretici Petrum nunquàm Romam veniſſe quos impugnat *Card. Baronius tomo 1. anno Chriſti 44. Card. Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice*, & oſtendit *textus in cap. per venerabilem, qui filii ſint legitimi, cap. quamvis 21. diſt.* undè non poteſt Papa aliàs ſedem transferre, *à cap. Rogamus*: ibi *jubente Domino Romam translata*, niſi eſſet rebellio populi, vel incurſus hoſtium vel alia probabilis cauſa, *Cardin. Tuſchus tomo 6. lit. P. concl. 50. num. 31. & ſequenti, Card. Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 4. Barb. de poteſt Epiſcopi par. 1. tit. 3. cap. 2. num. 12. & in collect.* ad *textum in d. cap. Rogamus*, undè cum Petrus Romam fugiens exiviſſet, volens eum Dominus ad locum, quem elegerat revocare, interrogatus ab eo, *Domine, quo vadis*, reſpondit Chriſtus, *Vado Romam iterùm crucifigi*: quod intelligens Petrus pro ſe dictum, reverſus eſt ad locum, *d. cap. per venerabilem, Card. Bellarminus lib. 1. cap. 23. de Romano Pontifice, Azorius par. 2. lib. 4. cap. 11. q. 2.*

Sciendum eſt quinto, quòd Petrus vixit poſt Chriſti mortem annos 34. menſes 3. dies decem. partim Romæ, partim Antiochiæ, & partim Hieruſalem, quinque annis Hieroſolymis, quinque Antiochiæ, Romæ 24. & plus, & nullus Papa licèt juvenis electus ſedit annis 24. undè vulgo dicitur, *Non videbis dies Petri*, de qua re interrogatus Petrus Damianus ab Honorio Papa, reſpondit divinam providentiam ſic diſponere, ut diſcant homines de morte cogitare cùm ſupremus omnium homo, tàm auguſto tempore moriatur, *Barb. lib. 1. de jure Eccleſ. cap. 1. num. 36.*

Quia verò ſancta Eccleſia opus habebat poſt Petri mortem, ut per aliud caput adminiſtraretur, *cap. ità Dominus 19. diſt.* diſpoſitum fuit, ut alius Vicarius poſt Petri mortem inſtitueretur, *cap. factus eſt 7. q. 1.* & Petrus elegit ſibi primo Clementem poſt ſe, *cap. ſi Petrus 8. q. 1.* qui poſteà fuit martyr inſignis, ipſe verò Clemens pontificatui renuntiavit, vel quia tanto muneri ſe imparem judicavit, vel quia hoc videbatur perniciosum exemplum, ut cæteri ſibi eligerent ſucceſſorem, & Sacer Romanæ Eccleſiæ Senatus elegit Linum, qui etiam erat Petri diſcipulus, & poſt eum fuit electus Cletus, quo defuncto, iterum fuit electus Clemens: *gloſſa in verb. aut ligandi in d. cap. ſi Petrus, & in cap. non autem in verb. ſuccederet 17. q. 1.* hinc poſt Linum, & Cletum in canone Miſſæ ſit mentio de Clemente *Julius Lavorius tom. 1. var. lucubrat. tit. 4. cap. 5. à nn. 3.*

Ex quo dixerunt ad exemplum Petri licere Summis Pontificibus eligere ſibi ſucceſſorem per *textum in d. cap. ſi Petrus*, & ità tradiderunt *Victoria relect. 2. de poteſtate Eccleſiæ q. 2. num. 23.* aliique relati per *Suarium de fide diſp. 10.* de *Summo Pontifice ſect. 4. nn. 14.* Alii putant oppoſitum, ſcilicet Summo Pontifici non licere eligere ſibi ſucceſſorem, ità *gloſſa in cap. Apoſtolica in his omnibus, in verb. Beatus 8. q. 1. & in cap. ſi tranſitus 97. diſtin. Turrecremata de Papa, & Conciliis tract. 1. cap. 13. & tract. 2. cap. 21. Azorius par. 3. lib. 4. cap. 5. q. 3. Paulus Comitolus lib. 4. q. 98. Card. Baronius tomo 11. annalium, anno Chriſti 1073.* & ex multis aliis hanc negativam ſententiam tenent *Julius Lavorius de electione tit. 4. cap. 3. à nn. 33. & Auguſtinus Barboſa in lib. 1. de jure Eccleſ. cap. 1. nu. 40.*

Ego tamen cum *P. Suarez loco cit. cum Vaſquez tom.*

3. in

s. in 3. par. disp. 244. *cap.* 3. *à num.* 2. aliisque communiter apud eos dico, talem potestatem, nec simpliciter concedendam esse Pontifici, nec simpliciter denegandam: potest ergò prædictum modum Summus Pontifex præscribere in aliquo periculoso casu, & urgenti necessitate Schismatis, &c. Sed regulariter id fieri non potest, quia talis modus oon tenderet in ædificationem, sed destructionem Ecclesiæ; induceretur siquidem, quod hæredirate possideretur Sanctuarium Dei; ondè potest Papa uni determioatæ personæ concedere, ut eligat suum successorem, *cap. Hadrianueil.* 2. *cap. Synoda* 63. *dist.* & potest Episcopo committere, ut eligat sibi successorem, *cap. petiisti,* 7. *q.* 1. *cap. non semel* 8. *q.* 1. ergò ipse poterit facere.

Prohibuit etiam *Symmacus Papa in cap. se Papa* 79. *dist.* ne cuique liceret Pontifice vivo, scripto, vel pcnmissionibus, juramento, vel alio quovis modo de successore tractare sub anathematis pœna, & privationis dignitatum. *Lavorius lib.* 1. *variar. lucubr. tit.* 4. *cap.* 3. *nu.* 59. & aliis pœnis afficit nova bulla Pauli Quarti, incipiens, *cum secundum*, quæ habetur in *Bullario novo* 1. *tom. pag.* 735. de qua *Barb. in collect. ad textum in d. cap. si Papa.*

Sciendum est sexto, Papam dici à dictione græca *Pape*, quod significat admirabilem, quia verè talia est, *glossa in proœm. in verb. Papa*, alii putant, quòd talis dicitur, quia est Pater patriæ, vel à verbo græco *Papos*, id est Pater patrum, vel pater pauperum, plures ethimologias ponit *Duardus ad bullam, Cœnæ lib.* 1. *cap.* 4. *q.* 7. Appellatur etiam Papa Sanctissimus, quia est vir Apostolicæ sanctitatis, undè illum adoramus, & osculamur in pede. *glossa in extravag.* 1. *de verb. signif. Joann.* 22. *in verb. Oscula*: appellatur quandoque Episcopus *cap. dilectissimis* 12. *q.* 1. *glossa in verb. Episcopus in proemio Sexti*, *Duardus lib.* 1. *cap.* 5. *q.* 2. & alia nomina Papæ, ut scilicèt quòd sit ordinarius ordinariorum, Episcopus universalis Ecclesiæ, Episcopus Episcoporum, Vicarius Christi, &c. legas *Barb. de jure Eccles. lib.* 1. *cap.* 2. Appellat tamen se Servum servorum Dei, *cap. relatum in fine de senten. excomm.* & in insuper inscriptione, *textus in cap. ex multis* 1. *q.* 3. in inscriptione ad exemplum Christi, qui *Math.* 20. ait. *Qui vult vestrum major fieri erit vester servus;* & *Apostolus*, 1. *ad Corinth.* 9. ait, *cum liber essem ex omnibus omnium me servum feci*, & *Christus Dominus æqualis Patri formam servi accepit Paulus ad Philipp* 2. & primus Summus Pontifex, qui se servum servorum appellavit, fuit S. Gregorius, *additio ad glossam in proemio Sexti. in verb. Servus* alii dicunt, quòd fuit Damasus Papa, ut constat ex *epistola ejusdem ad Stephanum Archiepiscopum*, de qua *tom.* 1. *Conciliorum in actis S. Damasi Papæ fol.* 229. cujus vestigia fuit secutus Gregorius Magnus in omnibus suis epistolis. *Azor. par.* 2. *lib.* 5. *cap.* 3. Vocatur autem Sanctissimus, quia licet eum humana carne indutum engnoscamus, tamen humanitatem spernentem omninò admiramur, tùm quia est Christi successor, & Christi Vicarius, undè idem est Papæ, & Christi tribunal, *cap.* 2. & 3. *de translat. Episcopi*, & sic illud nomen, quod soli Christo convenit naturaliter per quandam participationem, convenit Papæ ejus Vicario, ut benè *Pater Ginniparus à Trapano de jure Pontificio disp.* 1. *q.* 1. *cap.* 1. & quia Regnum habet Orbis, & Urbis, ideò etiam dicitur Dominus noster *Frater Giuniparus cap.* 2.

Sciendum est septimo, Papam non posse errare in fide, quando aliquid in publico fidei judicio decernit. Ita *S. Thomas* 2. 2. *q.* 1. *art.* 10 & *q.* 11. *ar.* 2. *ad* 5. *Cajetanus de potestate Papæ par.* 2. *cap.* 13. *Card. Bellarminus lib.* 4. *de Romano Pontifice*, *cap. Suar. de fide disp.* 5. *sect.* 8. *à nu.* 9. Probatur ex illo *Lucæ* 9. *Ego oravi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* & *Matth.* 16. *Tu es Petrus, &c.* & *portæ inferi non prævalebunt, &c.* quæ verba Petro, ejusque successoribus dicta fuisse, explicat *Leo Papa in cap. ità Dominus dist.* 19. & *Innocentius Tertius in cap. Majores de Baptismo*: undè hæc nostra propositio est tanquam Apostolica traditio tenenda, ut benè *Bann.* 2. 2. *q.* 1. *ar.* 10. *concl.* 5 *dub.* 2. & id qood dixi Papam in quæstionibus fidei non posse errare, intellige non solum si Papa eas decernat cum Concilio Cardinalium, sed etiamsi per se solus, ut contra *Abbatem in cap. significasti de elect.* aliosque DD. docet *Bellarminus lib.* 5. *cap.* 2. & 7. *Bannes ubi supra*, nam licèt Papa, ut homo est, errare possit, ut ipse fatetur se posse errare, *cap. à nobis* 28. *de senten. excommun.* sicut in alia vitia avaritiæ, &c. potest incidere; tamen si sumatur Papa, ut peculiariter ei assistit divina providentia, errare non potest, quia pro eo, sic accepto oravit Christus. Neque etiam dicas debere Papam in decidendis causis fidei consilium petere Cardinalium, *cap. per venerabilem. vers. sunt autem, qui filii sint legitimi. cap. Fundamenta*, §. *decet de elect.* Respondeo enim jura illa procedere de honestate, non verò de necessitate, ut infrà.

Neque potest Papa errare in decretis, quæ facit pro bono regimine Ecclesiæ universalis, licèt possit errare in decretis quæ concernunt negotia Forensia particularia Ecclesiæ, puta si agatur de decidendo illam quæstionem de primatu inter Ecclesiam Toletanam, & Bracharensem, cum enim talis sententia dependeat ex probationibus, potest Papa errare, *Barb. de jure Eccles. lib.* 1. *cap.* 2. *nu.* 41.

Putant aliqui, quòd possit Pontifex errare in canonizatione alicujus Sancti, ità glossa *in cap.* 1. *de reliquiis, & veneratione Sanctor. in* 6. *in verb. sedis* & alii adducentes autoritatem *Augustini. Multorum corpora honorantur in terra, quorum animæ torquentur in gehenna.*

Sed hæc sententia est temeraria, & scandalosa; immò sapit hæresim: ratio est, quia ut benè *S. Thomas quodlib.* 9. *ar. ult.* licèt talis canonizatio dependeat ex probationibus, tamen est veluti fidei protestatio, qua Sanctorum gloriam credimus, & sic pertinet ad statum totius Ecclesiæ & ita post alios tenent *Mascar. concl.* 261. *Card. Turrecrem. in defensione revelationum S. Brigidæ, cap. ultimo, Card. Bellarminus tom.* 1. *contr.* 7. *lib.* 1. *cap.* 9. *Card. Baronius tomo.* 1. *annalium, anno Christi* 55. *pag.* 488. *Valentia* 2. 2. *q.* 1. *ar.* 10. *Azorius lib.* 5. *par.* 2. *cap.* 6. *q.* 5.

Ad locum Augustini respondeo, quòd Augustinus non loquitur de cultu præstito per canonizationem, sed quia apud Gentiles sunt in honore hominum corporaentum, qui sunt in inferno, vel quòd nos credimus alicubi esse corpus alicujus Sancti, qui sit ab Ecclesia canonizatus, qui tamen est alicujus hominis mali ob mutationem luci, non quòd Ecclesia erret in canonizatione.

Neque potest Papa errare in approbandis Religionibus, *Bannes d. ar.* 10. *dub.* 8. *concl.* 3. & 4. *Rodriquez tom.* 1. *quæstion. regular. q.* 1. *ar.* 5. quidquid dicat *Melchior Canus lib.* 5. *de locis Theologicis cap.* 5. *ad finem*, quod intelligo quando Papa approbat religionem, quoad sua statuta & constitutiones, in his enim non potest errare, quia pertinent ad statum Ecclesiæ universalem: sed potest errare in approbando plures religiones, quam expediebat, quia possunt concurrere informationes populi falsæ, quòd scilicet sit populus sufficiens ad eam alendam, &c. ut benè *Barb. ubi sup. nu.* 45.

An verò possit Papa, ut persona privata errare in fide quæstio est,

Digitized by Google

Prima opinio sit, quòd possit errare, & esse hæreticus, ex *cap. si Papa* 40. *dist.* in illis verbis, ibi, *Nisi deprehendatur à fide devius*, & ultrà ordinarios ità tenet *glossa in cap. à recta* 24. *q.* 1. *Covarr. lib.* 1. *var. cap.* 10. *nu.* 12. *Decianus lib.* 5. *criminalium cap.* 52. *Card. Tuschus tom.* 2. *concl.* 522. *Cajetanus de authoritate Papæ cap.* 9. communem refert *Banues d. art.* 10. *dub.* 2. *concl.* 1. *Genedus ad decretum collect.* 44.

Secunda opinio est quæ mihi placet, quòd Summus Pontifex neque ut privatus homo errare possit in fide, nec hæreticus esse, ità *Card. Bellarm. d. lib.* 4. *cap.* 6. inclinat magis in hanc partem *Suarez disput.* 10. *de fide sect.* 6. *num.* 11.

Probatur primo ex illa promissione (*oravi pro te, &c.*) quæ promissio denotat, ut nec fides personalis potuerit deficere, prout nec defecit in Petro; secundo, quia Pontifex est regula, quam omnes fideles sequi, & præ oculis habere debent, ergo oportet singulari aliquo muniri privilegio, aliàs si errare posset, cœcus cœcum duceret, & ambo in foveam caderemus, *cap. penult. in fine de ætate, & qualitate.* Licèt enim possit Deus ex hæretico corde veram fidei confessionem extorquere, ut patet in confessione Caiphæ *Joannis* 11. *& in Asinu Balaam nu,* 22. *ut in cap. sicut* 22. *q.* 7. tamen hoc est violentum, nec ita facile, ut expediat ad optimam Ecclesiæ gubernationem & alienum à more divinæ providentiæ, quæ omnia disponit suaviter, ut habetur *sapientia cap.* 6. Tertio probatur, quia Romana Ecclesia antefertur omnibus, videmus enim alias habuisse non solùm Episcopos hæreticos, sed Heresiarchas, undè Antiochena habuit Paulum Samozatenum, Alexandrina Dioscorum, Constantinnpolitana Nestorium, & Macedonium, *Barb. d. lib* 1. *cap.*2. *num.*49.

Dices primo Christus *oravit pro Petro, ne ejus fidei deficeret*, & tamen Christum negavit, *Matth.* 26. ergo.

Respondeo, quòd eo tempore, quo Christum Petrus negavit, non adhuc erat Pontifex; licèt enim Christus promiserit Petro claves, *Matth.* 16. *Tibi dabo claves*, eas tamen non tradidit, nisi post sanctissimam Resurrectionem, cùm *Joannis ult.* ait, *Pasce oves meas*: ergo licèt S. Petrus erraverit in fide, non tamen erat Pontifex. Secundo respondeo, quòd Petrus negando Christum fidei quidem confessionem amisit, non verò fidem ipsam, ut ex *Chrysost. Theophilo*, & aliis explicat *Bellar. dicto lib.* 4. *cap.* 3.

Dices secundo Petrus à S. Paulo *ad Galatas cap.* 2. *reprehenditur eo, quòd cogebat gentes judaizare*, ergò erravit in fide.

Respondeo, quòd S. Petrus nullum commisit peccatum, neque mortale, neque veniale: non mortale, quia jam erat in gratia confirmatus, neque veniale, quia neque ex intentione operantis, neque ex objecto talis colligitur, fuit verò Petrus rectè admonitus, & à Paulo reprehensus, quia fecit aliquid quod non expediebat, quamvis liceret, quia revera usus ceremoniarum non erat tunc omninò prohibitus, sed incautè, & intempestivè usus fuit ceremoniis legis, erant igitur licita, sed non expedientia, ut ait *Paulus ad Corinth. cap.* 6. ibi, *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*, & in hoc defecit Petrus quia judicabat magis expedire, quod minus expediebat, quamvis semper ageret, quod liceret, & ex hoc tàm exiguo defectu fuit à Paulo reprehensus, & ipse pro sua humilitate illi cessit: ità *Vasquez* 1. 2, *disp.* 182 *cap.* 7. *num.* 56. ubi refert ità publicè se docuisse in Collegio Complutensi, sequitur *Baronius tomo* 1. *anno Christi* 51. *Bellarminus lib.* 1. *de Romano Pontifice cap* 28. *& lib,* 4. *cap.* 8. *Suarius lib.* 9, *de legib. cap,* 20. *nu.* 19.

Dices tertio obstat *textus in cap. tunc autem* 21. *dist.* ubi Marcellinus thus dedit Idolis, de qua re an vera sit historia agit *Baronius anno Christi* 303. ergo fuit Papa hæreticus.

Respondeo, quòd ex dicta historia non colligitur Marcellinum fuisse hæreticum, nam sæviente maxima illa persecutione Diocletiani, qua diuturnior, vel immanior in Ecclesia nulla fuit, *Card. Baronius anno* 392. cùm nimis carnifices instarent, ut thus Pontifex Diis offerret, metu mortis perterritus thurificavit, quo facto licèt peccatum commiserit gravissimum, ideòque ipse se sua sententia deposuerit, ut in 1. *tom, concilior. pag.* 187. cùm omnia mala debuerat potiùs pati, quàm cùm malo consentire, *cap. sacris de his qua vi, metus &c.* tamen non fuit hæreticus, cùm non fecerit pertinaciter, in quo formalis ratio hæresis consistit, *Card. Bellarminus lib.* 1. *de Romano Pontifice cap.* 8. *Suarius disp.* 10. *de fide sect.* 6. *num.* 11. *Julius Clarus in §. hæresis nu.* 3.

Dices quarto Anastasius Secundus Achacium hæreticum, à Felice Tertio meritò damnatum revocavit, teste *Gratiano in cap. Anastasius* 59. *dist. & cap. dilectum* 1. *q.* 1.

Respondetur falsum esse dispositionem *Gratiani loco cit.* quia Achacius vivente Felice Tertio obiit, & Felici successit Gelasius. Gelasio verò post annos sex Anastasius successit, ut habetur 1, *tom. Conciliorum pag.* 958. ergo malè dicitur voluisse Anastasium revocare Achacium jam mortuum, & ex epistola ejusdem Anastasii, quæ refertur *d. tom* 1. *pag.* 997. ad Anastasium Imperatorem constat minimè Achacii erroribus consensisse Anastasium Pontificem, immò oppositum persuasisse Imperatori, *Bellarminus lib.* 4. *cap.* 10. *vers.* 19. *Covar lib.* 4. *var. cap.* 13. *Suarius lib.* 4, *de legib. cap.* 3. *num,* 18.

Dices quinto obstat id, quod habetur in conciliis Generalibus *to.* 1. *pag.* 346. ubi Liberius consensit hæreticis.

Respondeo, quòd verè id fecit metu tyranni, exiliique, ad quod missus fuerat per Imperatorem Constantium, sed non per hoc sequitur fuisse hæreticum, quia solùm colligitur defecisse à fidei confessione, non verò à fidei substantia, ergo non fuit hæreticus; est legendus *Card. Baronius anno Christi* 357. *Barb. lib.* 1, *de jure Eccles. cap.* 2. *num.* 55.

Dices sexto, obstat authoritas Gregorii 13. *in cap. proposuisti* 32. *q.* 7. ubi probat dissolvi matrimonium propter uxoris infirmitatem supervenientem, ubi *Gratianus* ait Gregorium respondisse contra sacros canones, & Evangelicam veritatem, sed hoc asserere de ullo Papa absurdum est, præcipuè de Sanctissimo illo Papa cujus dicta firmiter tenenda ait *Leo Papa in cap. de libellis* 20. *dist.*

Responden (omissis variis responsionibus) quòd ibi uxoris impotentia naturalis fuit, & præcessit matrimonium, quamvis post illud contractum esse apparuerit, sicut intelligitur *textus in cap. ex litteris de frigidis, & maleficiatis*: ita *Valentia tom.* 4. *disp.* 10. *q.* 1. *par.* 7. & ideò prima uxor non fuit legitima ob impedimentum perpetuum, & id solùm declaravit Pontifex *in d. cap. proposuisti*, vel potest dici, quòd ibi primum matrimonium fuit validum, sed in matrimonio rato Pontifex dispensavit ob periculum incontinentiæ, in illis, qui de novo ad fidem conversi erant, ut patet ex textu ibi, *præsertim in tam barbara gente*: ità post alios *Barb. lib.* 5. *de jure Eccles. cap.* 2. *nu.* 60. Ad *textum in d. cap. si Papa.* Respondeo textum prædictum non esse alicujus Pontificis, neque generalis concilii, sed cujusdam Bonifacii martyris, cui eum tribuit *Gratianus*, qui vix notus est apud historicos.

Ex quibus collige quomodo intelligatur *textus in cap.*

cap. licèt de sponsa duorum, ubi refertur Alexandrum III. & quosdam suos prædecessores judicasse, matrimonium ratum dissolvi per secundum consummatum, contra veritatem, quam ibi confirmat *textus in cap. ultimo eodem tit.* Respondeo enim ibi Pontificem respondisse, ut privatum Doctorem, non tanquam Pontificem, *Bellarminus loco cit. Covar. par. 2. de sponsalibus cap. 7. §. 3. nu. 5.*

Rogabis, quid possit Papa, & quæ ejus dignitas?

Respondeo, quòd Summus Pontifex, eo quòd assumptus est ad plenitudinem potestatis, habet eam facultatem, quam habet Archiepiscopus, & Patriarcha, ut certis tantùm diebus in solis Missis solemnibus utatur pallio, potest semper uti, & sic semper eo utitur ubique & crucem ante se ubique terrarum defert, ejusque nomen est semper in Missa recitandum. *Concilium Vasenense can. 4.* neque cogitur ad Concilium accedere, cùm possit esse per legatos, *Bellarminus lib. 1. de conciliis cap. 19.* ad quod cæteri prælati de jure tenentur, *cap. non oportet 18. dist.* & gratia, quam Papa concessit eo mortuo non revocatur, etiam re integra, *cap. si super gratia de officio deleg. in 6. cap. si cui de præben. in 6. Gonzales in regula 8. Cancellariæ glossa 12. nu. 33.*

Secundò ordinatus à Papa, non potest ab eo sine licentia proficisci, *cap. filium 1. q. 1.* & est à proprio Episcopo in eo ordine honorandus, *cap. per tuas de major. & obed.* nec potest eum Episcopus ad alios ordines promovere sine Papæ licentia, *cap. in distribuendis de tempor. ordin. Riccius in col ect. 1452. Barb. alleg. 112.* & delegatus à Papa est supra ordinarium in causa sibi commissa, *cap. sanè de officio delegati.* Et si Papa cum excommunicato communicet, non incurrit pœnam excommunicationis *glossa in cap. si inimicus 93. dist. & cap. nulli de senten. excomm. Ricciullus lib. 4. cap. 42. Barb. in d. cap. si inimicus*, ubi si Papa sciat excommunicatum aliquem, eumque salutet, censetur absolutus, *Clem. fin ubi glossa, & DD. de senten. excommun. Menochius lib. 2. de præsump. præl. 20. nu. 30.* & tandem qui Papæ mentitur sacrilegus dicitur. *cap. Serpens*, ubi glossa *de pœnit dist. 1.* talis enim non mentitur homini, sed Deo, ut ait *Petrus Ananiæ Actor cap. 5.* Utitur etiam Papa semper candidis vestibus, juxtà illud *Ecclesiast. cap. 9. Omni tempore vestimenta tua sint candida*, & publicè, ac solemniter super humeros defertur, ut sic in eo Deus, & Beatus Petrus adoretur, & similiter eum osculantur in pedibus.

Ejus authoritas nullum habet superiorem in terris cùm sit Christi Vicarius, & de eo non potest appellari ad Christum, ejusque judicium cœleste vocatur arbitrium, *l. 1. in fine. C. de summa Trinit. & fide catholica.* Dicitur habere omnia jura in scrinio pectoris sui, *cap. 1. de constit. in 6.* licèt possit cadere in Papa oblivio, sed non juris, *cap. præter à 23. dist.* ubi *glossa ultima*, quæ regula intelligitur quatenus Papa potest omnia jura condere, & mutare, & dicunt *DD.* quòd potest adæquare quadrata rotundis, *Hostiensis in cap. novit de judiciis*, & quia potest omnia jura interpretari, *d. cap. 1. ubi supra.*

Duplex est in Papa potestas, una ordinaria, alia absoluta, ex ordinaria procedit secundum quod jus disponit. Absoluta verò potestas est plenitudo potestatis nulli legi humanæ subjecta, *Covarru. lib. 3. variar. cap. 6. glossa in cap. quando in verbo veri de authoritate, & usu pallii.*

Ex potestate ordinaria resultat, ut novas constituendo leges non intelligatur antiquas abrogare, *cap. 1. de constit. in 6.* nec juri alterius in rescriptis derogare intendit, *cap. quod vero dicitur 25. q. 2. cap. pervenit 11. q. 1. cap. licèt de offic. ordinar. cap. dilecto de verb. signif. glossa in cap. super eo de officio delegati, in verb. intentionis, & in cap. si jam translatus 21. q. 2. Card. Tuschus tomo 6. lit. P. concl. 687.* semper enim Principis rescriptum præsumitur, quòd nemini præjudicet, *Decius cons. 271. 544. & 606. Hippolitus singulari 440. Alciatus regul. 3. præs. 11.* Neque ex hac potestate potest privilegia concessa Ecclesiis tollere sine causa. *cap. privilegia cum sequenti 25. q. 2. cap. quanto 63. dist.* licèt speciale in Principe aliqui ponant, ut possit suum privilegium gratiosum revocare sine causa pro libitu voluntatis suæ, *l. qui fundum, C. de omni agro deserto lib. 11.* servat etiam in judicando Romanus Pontifex ordinem juris, licèt ex causa possit in quibusdam rebus dispensare, quæ ad eundem ordinem judiciarium spectant, *cap. ea, quæ de senten. & re judicata, cap. ex parte de offic. delegati* non tamen potest dispensare, ut stetur dicto unius in præjudicium tertii. *cap. Judicas 3. q. 9.* & si sententiam injustam tulerit contra Ecclesiam restituitur Ecclesia læsa, *cap. cum ex litteris de in integrum restitutione. cap. cum olim §. fin. de sent. & re judic.*

Ex quibus infertur primò non posse Papam dispensare in legibus divinis. *cap. sunt quidam 25. q. 1 cap. statuta eadem causa, & q. cap. litteras de restitut. spoliat. cap. cùm ad Monasterium in fine de statu Monach.* nam tenetur usque ad animam, & sanguinem legem divinam defendere, quia ad dispensandum requiritur justa causa, *Barb. par. 2. alleg. 34. de potestate Episcopi* sed in lege divina non potest dari justa causa; ergo, quia Deus vidit omnes casus, qui sub illa lege continentur, ita *Sanctus Thomas par. 2. q. 97. art 4. ad 3. Covarr. par. 2. de sponsalibus cap. 6. §. 9.* post alios *Duardus lib. 1. in Bullam Cœnæ cap. 4. q. 7. num. 24. Suarius lib. 10. de legibus cap. 6. nu. 6.* licet aliqui putent ex causa posse Papam in talibus legibus divinis dispensare, ut *glossa in cap. à nobis de decimis, in verb. exemptus*, ubi *Abbas num. 4.* & alii plures, quos refert, & sequitur *Sanchez lib. 8. de matrim. dis. 6.* quorum sententia mihi nunquam probari potuit, quia naturalis ratio dictat non posse inferiorem tollere legem superioris in nullo casu particulari, *cap. cùm inferior. de major. & obed.* Potest tamen Summus Pontifex declarare in aliquo particulari casu deficere obligationem legis divinæ, quia dedit Christus Pontifici potestatem circà gubernationem suæ Ecclesiæ, & licet nonnulli DD. hos terminos confundant, ut benè *Suarius de religione tract. 6. lib. 6. cap. 9.* tamen inter se maximè differunt, quia dispensatio tollit subditum, & eum eximit à legis obligatione: interpretatio verò per quandam æquitatem, seu Epicheiam declarat cessare in tali casu obligationem legis, & ità Theologi communiter hanc interpretandi, non verò dispensandi potestatem tribuunt circà leges divinas Summo Pontifici: *glossa 1. in cap. non est de voto, S. Thomas 2. 2. q. 54. ar. 5. Sylvester in verb. Papa, Hoieda de incompatib. benef. part. 2. cap. ultimo, Marta de jurisdict. par. 2. cap. 37. & par 4. casu 93. & casu 194. Sayrus lib. 6. Clavis Regiæ cap. 11. nu. 4.* Verùm si Papa declarat aliquod circà jus divinum sine causa non valet, neque talis declaratio reddet tutum in conscientia dispensatum, si sciat causam esse injustam, *Innocentius in cap. cùm ad Monasterium nu. 4. de statu Monachorum, Covarr. par. 2. de sponsalib. cap. 6. §. 9. nu. 11. Suarez tom. 1. de relig. tract. 2. lib. 2. cap. 33. Sayrus lib. 5. Clavis Regiæ cap. 8. num. 12. Lessius lib. 2. de just. & jure cap. 40. dub. 12. num. 101.*

Infertur secundò adversùs apostolicas ordinationes posse papam venire cum causa, dummodò fidem non lædat, ait *textus in cap. Lector 34. q. 1.* quia Apostoli erant etiam Episcopi, & ut Apostoli condebant

Digitized by Google

Sacram Scripturam, ut Episcopi verò leges Ecclesiasticas *Actorum* 15. & consilia præbebant, *1. ad Corinth.* 7. *glossa in d. cap. sunt quidam* 35. *dist. in verbo Apostoli*; & ideò quamvis Apostolus 1. *ad Thimot.* 3. admoneat Episcopum debere esse unius uxoris virum, id est non bigamum, potest tamen Papa cum eo ex causa dispensare, *Card. Tuschus lit. P. concl.* 69. *num.* 35. quia licèt talis irregularitas sit inducta à S. Paulo, tamen est de jure humano, *Sanchez lib.* 7. *de matrimonio disp.* 86. ubi respondet ad *text. in cap.* 2. *de bigamie*, dùm ait non licere dispensare, ubi verbum, non licet, de quo ibi, importat difficultatem, non impossibilitatem, eodem modo cùm prohibitio ejusdem Apostoli, 1. *ad Timoth. cap.* 3. dicat, quòd Neophitus ad Episcopatum non promoveatur, intelligitur facta per Apostolum tamquàm per Ecclesiæ Doctorem, non uti præcipientem nomine Christi, *cap. Neophitus* 61. *dist.* & eo ipso, quòd Papa promovit Neophitum scienter ad Episcopatum videtur eum eo dispensasse, & à fortiori si expressè dispenset, *Barb. par.* 1. *tit.* 2. *glossa* 17. *num.* 8. *de potestate Episcopi.*

Infertur tertio, quòd Summus Pontifex ex causa indistinctè dispensat contra jus positivum, *cap. proposuit*, ubi *glossa*, & *D D. de concess. prabenda. Covarr. lib.* 3. *var. cap.* 6. quia super eo habet plenam potestatem, *Parisius de confidentia benefi. ciorum q.* 3. *nu.* 35. & etiam potest tollere constitutiones conciliares de fide non disponentes, *glossa in cap. ubi periculum de elect. in* 6. *in verb. Concilium*. quia non videtur Papam tantam concessisse authoritatem, quin majorem sibi, & successoribus reservaverit, *cap. Dudum, cap. quamvis il* 2. *de praben. in* 6.

Unde potest Papa solus dispensare cum Apostata, qui in Apostasia est ordinatus, ut scilicet valeat ministrare in ordinibus susceptis, *cap. fin.* ubi *glossa de Apostatis, Suarius tom.* 5. *de censuris, disp.* 31. *sect.* 3. Secundo ipse solus potest dispensare cum eo, qui fuit à Schismatico Episcopo ordinatus, *cap. quia diligentia supra de elect.* Tertio cum eo, qui ab Hæreticis fuit ordinatus, *cap. convenientibus in fine* 1. *q.* 7. Quarto cum simoniacè ordinato solus Papa dispensat, ut valeat ministrare, *glossa in cap. ordinationes* 1. *q.* 1. Quinto cum hæretico revertente, ut in ordinibus, quos habebat possit ministrare, *cap. saluberrimum in fine* 1. *q.* 7. Sexto cùm eo, qui fuit scienter rebaptizatus, præsertim si ipse præcipuus sit in culpa, & cùm rebaptizante, ut valeant ordinari, vel in ordinibus ministrare, *cap. quibus, cap. sequenti de consecr. distin.* 4. Septimo cum eo, qui furtivè ordines suscepit, quandò promulgata erat excommunicationis sententia, in tales solus Papa dispensat, ut ministret, vel ad majora ascendat, *cap.* 1. *de eo, qui ordinee furtivè suscepit.* Octavo cùm ordinato in excommunicatione scienter, vel etiam ignoranter, quamvis qui scienter id egerit sit de rigore juris deponendus, *cap. eum illorum de sent. excommun.* Nono cum homicida voluntario, & illicito ad ordines suscipiendos, sed non facilè solet Papa dispensare. Decimo cum illegitimo, seu naturali ad Sacros Ordines ut promoveatur, vel dignitates Ecclesiasticas, *cap.* 1. *de filiis presbyterorum in* 6. Undecimo cum illegitimo ad obtinenda simplicia beneficia, quæ pater habuit, *glossa in d. cap.* 1. *in verb. tale.* Duodecimo in pluralitate dignitatum, & Canonicatuum & Curatorum beneficiorum solus Papa dispensat, *cap. de multa in fine de prabendis.* Decimotertio in impedimentis dirimentibus matrimonium, solo jure pontificio dirimentibus ipse solus dispensat, *Barb. par.* 2. *alleg.* 35. Decimoquarto in quinque juramentis solus Papa dispensat, & in quinque votis, de quibus *Suarius lib.* 2. *cap.* 40. *de religion. Barb. par.* 2. *alleg.* 37. Decimoquinto solus Papa potest dispensare cum corpore vitiatis, præsertim si vitium est grave, & enorme, ut faciat notabilem deformitatem. Decimosexto in infamia juris, & irregularitate, quæ ex ipsa procedit, solus Papa dispensat. Decimoseptimo cum convictis de crimine nefando, & juridicè condemnatis solus Papa dispensat, *Barb. par.* 2. *alleg.* 44. *num.* 30. Decimo octavo cum suspensis ob promotionem ante legitimam ætatem ad Sacros Ordines, *Barb. alleg.* 16. *num.* 15. de quibus, & aliis casibus agit, *Barb. lib.* 1. *de jure Eccles. cap.* 2. *à num.* 129.

Infertur quarto in illis, quæ sunt de jure divino solere Papam declarationem facere, sed raro, & justa existente causa, undè contra vota essentialia Religionis Papa directè non dispensat, quia sunt de substantia religionis, *cap. cum ad Monasterium in fine de statu monachorum*; sed poterit Papa dispensare in sensu diviso, ut scilicet separatus à religione, & faciendo de monacho non monachum, & eum extrahendo à religione, poterit dispensare, ut benè eum textum interpretatur *Sanchez in summa tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 1. *Bartholomaus à S. Fausto lib.* 3. *q.* 36. *de tribus votis, & lib.* 7. *q.* 48. & potest Papa secum in proprio voto dispensare, *Duardus in bullam cœna lib.* 1. *cap.* 4. *q.* 7. *ex num.* 14. neque contra alia vota Papa dispensat sine causa, *glossa in cap. non est de voto.* Neque solet dispensare, ut illi, qui tenentur ad horas Canonicas, non teneantur, *Sanchez lib.* 8. *de matrim. disp.* 17. neque in gradibus consanguinitatis divina lege prohibitis, vel alio jure divino, vel naturali, matrimonium dirimente, *glossa in cap. litteras de restitutione spoliatorum, in verb. non potest.* In iis enim, in quibus Deo acquiritur obligatio, sine maxima causa non solet Papa dispensare, *Sanchez lib.* 7. *de matrim. disp.* 6. *S. Bernardus lib.* 3. *de consid. ad Eugenium.*

Sunt etiam particulares casus absolutionis sibi reservati, undè primo solus absolvit à juramento obligatorio, fidelitatis, subditos propter Principis delictum, si id poscat justa causa, *glossa in cap. non est de voto, cap. alius* 25. *q.* 6. & idem dicas de juramento subjectionis ad Episcopos quandò authoritate apostolica deponuntur, *cap. authoritate* 15. *q.* 6. neque absolvit ab obligatione præstita de jure gentium ex pacto non sine aliqua causa, *cap. quanto*, ubi *D D. de jurejurando*, & ipse Papa proprio juramento obligatur, nec potest seipsum absolvere, vel absolvi similiter sine causa *cap. suborta de confirm. utili, vel inutili*: daot exemplum de Gregorio 12. & Benedicto 13. qui juraverant, & voverant non creare Cardinales, & obligati fuerunt, *Felynus in rubrica de constitut. num.* 33. *Butrone in cap.* 1. *eodem titulo num.* 10.

Sic etiam solus Papa Ecclesiam erigit in Cathedralem, *cap. præcipimus* 16. *q.* 1. & *in Metropolitanam Cathedralem Lotterius de re beneficiali lib.* 1. *q.* 11. *nu.* 28. Secundo solus dividit Episcopatum, *glossa in cap.* 2. 10. *dist. in verb. divisit, Rota dec.* 324. apud *Farinac. par.* 1. *recentiorum.* Invito tamen Episcopo non potest dividere Episcopatum, nisi ex causa, si tamen dividat sine causa, factum tenebit, *Sanchez lib.* 7. *de matrim. disp.* 2. *Suarez lib.* 2. *de legib. cap.* 14. *num.* 22. *Lotterius lib.* 1. *q.* 31. *num.* 33. *de beneficiis.* Tertio solus Papa facit Episcoporum mutationes, & translationes, & alias causas majores Ecclesiæ instituit, dirimit, & componit, *cap. frater noster* 16. *q.* 1. *cap. nisi de offic. legati, cap.* 1. *de juramento calumnia.* Quarto solus agit de Episcopatus renunciatione, *glossa in cap. præceptis, in verb. causatio dist.* 12. *Barb. par.* 3. *alleg.* 50. Quinto solus potest judicare Episcopum, *Barb. par.* 3. *alleg.*

alleg. 112. Sexto solus restituit Episcopum, *glossa ubi supra. Card. Tuschus tom 6. lit P. concl.* 41. *Barb. loco citato.* Septimo solus potest dare coadjutores Episcopis, vel eorum superioribus, *cap.* 1. *de clerico ægrotante in* 6. Octavo solus coadjutores cum futura successione potest concedere quorumcumque beneficiorum, *Trid sess.* 25. *de reform cap.* 7. Nono solus potest duos Episcopos unire, *cap. & temporis cum sequenti* 16. *q.* 1. *cap. sicut unire de excessibus Prælatorum.* Decimo solus Papa potest aliquas dignitates in Ecclesia collegiata, vel cathedrali creare: *glossa in cap. cum olim de consuetud. in verb. concessimus, Moneta de conservatoriis cap.* 5. *num.* 96. *Riccius resol.* 322. *in* 2. *editione, Massobrius in praxi habendi concursum prælud.* 21. *cap. unico dub.* 12. Undecimo potest solus quandoque in uno Episcopatu duos Episcopos ponere, *cap. non autem* 7. *q.* 1. *cap. quoniam de offic. ordinarii*, & ex uno Episcopatu potest duos facere, & solus dat Ecclesiæ cathedrali administratorem, *cap. in cui* 42. *de elect. in* 6. *Barb. alleg.* 50. & 133. & solus potest cathedrali dare curatorem quoad effectum agendi, & ejus bonis, *Barb. d. alleg.* 50. & solus potest Ecclesiæ cathedrali vacanti Visitatorem deputare, *cap. ultimo de supplenda neglig. Prælatorum in* 6. *Barb. in alleg.* 133. & solus potest dictos Episcopatus conferre uni, *cap. relatio* 21. *q.* 1. & *d. capiis, cui* 42. *de elect. in* 6. & dispensare quòd quis obtineat duas Ecclesias episcopales, & solus potest degradatum restituere, *glossa in cap. ideo* 2. *quæst.* 6. *Barb. par.* 3. *alleg.* 50. *nu.* 11.

Sic potest beneficium ad tempus, & sub conditione etiam de futuro, & quæ non insit, alternativè, & copulativè conferre. *cap. pastoralis* 7. *q.* 1. *cap. si gratiose de rescriptis in* 6. *Covarr. lib.* 3. *variar. cap.* 16. *Garsia par.* 3. *de beneficiis cap.* 2. & solus potest laicis tradere decimas, *cap. cum Apostolica de his, quæ fiunt à prælatis*, ubi latè *Barb. à num.* 3. & potest laico, vel fœminæ committere causas clericorum, *cap. Meunam* 2. *q.* 4. & talibus concedere collationem beneficiorum, *cap. ad minus* 63. *dist.* & solus potest ex causa permittere, ut simplex Sacerdos confirmet, Sacramentum ministret, aut Ecclesiam consecratam reconciliet, *glossa in cap. quanto de consuetudine. Barb. par.* 2. *alleg.* 30. & solus mero laico potest delegare causas spirituales, & certis casibus eis concedere spiritualia, *Carolus de Grassis effect.* 1. *num.* 30. non tamen potest Papa delegare laico causas ordinibus annexas, veluti, quòd Missam dicat, vel à peccatis absolvat, vel ordines conferat: *glossa in cap. pervenit* 95. *dist. in verb. concedimus*, & solus exemptionem concedit à jure, & potestate Episcoporum, *cap. nulla ratione* 92. *dist. glossa in cap. authoritate de privil. in* 6. *Barb. par.* 3. *alleg.* 50. *num.* 13. solus indulgentias plenarias & ubique & pro defunctis concedere potest, *Barb. par.* 3. *alleg.* 88. & solus potest concedere alicui, ut ab aliquo Episcopo ordinetur extra tempora in sacris ordinibus, *Barb. alleg.* 17. *num.* 15. & solos sacros ordine permittit accipere eos, qui nondùm ad legitimam ætatem pervenerunt, *Barb. par.* 3. *alleg.* 50. *nu.* 15. Solus Cardinales creare potest *glossa in clem. Romani de elect. in verb. potestatis Camillus Borrellus in summa decisionum tit.* 5. *nu.* 1. & eos deponere, *cap. ex gestis*, ubi *glossa, & DD. de clericis non residentibus, cap. unico de schismate in* 6. & solus permittit, ut regularis transeat ad religionem laxiorem, *cap.* 1. *§.* 1. ubi *glossa in verb. ordinarius de religios. domibus in* 6. *glossa in cap. cum singula §. prohibemus de præben. in* 6. *in verb. Canonicè, vers. si transiret. Sanchez lib.* 6. *summa cap.* 7. *num.* 67. & solus potest tollere irregularitatem provenientem ex eo quòd quis suspensione durante in divinis se ingessit, *cap.* 1. ibi. *nonnisi per Summum Pontificem, de sent. & re judic. in* 6. solus etiam potest Religiones approbare, eisque instituere, *cap. unico de relig. domib. in* 6. *Barb. alleg.* 50. *num.* 47.

Papa est etiam, qui solus annuas pensiones in beneficiis constituere potest, & constitutas transfert, & jus eas redimendi concedere, *Barb. d. allegat.* 50. *num.* 24. Episcopus enim non potest eas imponere, neque resignationem, quæ fit in favorem alterius accipere, & in ea pensionem apponere: sed in casu paupertatis resignantis, vel ejus senii, vel ob litis compositionem, vel ad coæquandos fructus in permutatione beneficiorum, adhuc hodie competit Episcopo, beneficio pensionem imponere, quamvis non in perpetuum, nec cum facultate transferendi ad alium beneficiatum, sed solum ad vitam pensionarii, id est ejus, cui pensio designatur, ut habetur *in cap. nisi essent de præbendis, Gigans de pensionibus q.* 6. *Gazzialupus de pensionibus q.* 5. *Suarius, Garsia*, & alii apud *Barbosam lib.* 3. *de jure Eccles. cap.* 11. *nu.* 56. *Gratianus cap.* 617. Solus etiam Papa est, qui potest renunciationes ad favorem alterius recipere, vel cum reservatione fructuum ex causa admittere, *cap. deliberatione, & §. prohibemus de officio deleg. in* 6. *Barb. d. alleg* 50. *nu.* 23. & solus potest permittere, ut in loco exempto Ecclesia ædificetur, *Barb. alleg.* 26. & sine ejus licentia non possunt erigi regularium monasteria, *ex cap. unico de excessibus Prælator. in* 6. *cap unico de relig domib. in* 6. *Barb. d. allig.* 26. prout nec etiam sine ejus licentia Monasterium potest mutari de uno in alium locum, *d. cap. unico de excessib. prælat. in* 6. *Barb. d. allig.* 26, *num* 9. & solus Papa potest Sanctos canonizare, *cap.* 1. *de reliq. & venerat. Sanctor. Genuensis cap.* 51. & solus potest in beneficiis Juris patronatûs laicorum sine eorum præsentatione instituere: *glossa in clem.* 2. *de præb. in verb. Apostolicis. Card. Tuschus lit.* 1. *concl.* 596. latè *Vivianus par.* 3. *de jure patron. lib.* 14. *cap.* 2. *num.* 8.

Est etiam notandum Papam non posse ligare seipsum legibus positivis, nec suos successores, *cap. innotuit, vers. quamvis de elect.* undè in talibus legibus etiam sine causa dispensat, *Suarez lib.* 6. *de legib. resol.* 23. & secluso scandalo, & gravi alterius damno, tunc peccat solùm venialiter, *Layman lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 22. *num.* 13. undè Papa communicans eum excommunicato, non incurrit pœnas contra violatores, *glossa in cap.* 1. *cap.* 195. *dist. in verbo expectare, & in cap. qui merito* 11. *q.* 3. *in verb. pari, & in cap. nulli de sentent. excommun. Ricciull. lib.* 4. *cap.* 42. quia effectus, & substantia censurarum, est juris humani, *Suarius tom.* 4. *disp.* 2. *sect.* 1. neque tenetur Papa semel in anno confiteri, quia hoc est præceptum Ecclesiæ, *in cap. omnis utriusque sexûs*, neque Eucharistiam sumere in paschate, intellige quoad vim coactivam, nam tenetur vi directiva, cùm tale præceptum non sit omninò humanum, neque omninò divinum, sed juris divini, limitati per humanum, *Paulus Comitolus lib.* 1. *responsorum q.* 101.

Non tamen potest Papa facere, & statuere, ut communicans eum excommunicato in excommunicationem non incidat, *cap. nulli*, ubi *Abbas de senten. excommun.* in quo textu probatur, quòd nullus se potest tueri privilegio sedis Apostolicæ, quominùs excommunicatos vitare debeat, ex quo textu colligit hoc notabile, *Alterius tom.* 1. *de censuris lib.* 1. *disp.* 9. *cap.* 1. *Ricciullus lib.* 4 *cap.* 42. *num* 12, quia præceptum de excommunicatis vitan-

dis est juris divini. Sed oppositum dicas tu posse Papam statuere oppositum, quia licèt potestas excommunicandi sit de juse divino, *Matth.* 16. *Quodcumque ligaveris super terram. & Matth.* 18. *Si autem Ecclesiam nan audierit, &c.* juncto *cap. nemo contemnat* 11. *q.* 3. ibi enim *non est homo, qui ligat, sed Christus*, tamen modus, forma, & effectus privandi hos, vel illos hac, vel illa communione, incepit ab Apostolis, *cap. sicut Apostoli* 11. *q.* 3. & sic pertinet ad legem cannnicam humanam, *Sbrozzius tom.* 5. de *censuris sect.* 1. *nu.* 9. & manifestum est præceptum hoc de excommunieatis vitandis sæpius fuisse relaxatuio, *cap. quoniam multus* 11. *q.* 3. *cap. inter alia, cap. responso, cap. quod in dubiis, cap. cum volnntate de sentent.* excommun. *& Martinus V.* in *extravaganti ad evitanda* generaliter decisit non esse necessarium evitare excommunicatos, nisi publicè denunciatos.

Ad textum verò in *cap. nulli* (omissis variis responsinnibus, de quibus *Barb. in collect. ad lib.* 5. *decretalium, cap. nulli*,) dico cum *Covar. in cap. alma mater, par.* 1. *§.* 1. *num.* 2. personas, de quibus ibi. *non babuisse privilegium in specie ne excommunicatas vitare tenerentur*, sed quia erant exempti à potestate ordinariorum virtute hujus privilegii, & exemptionis generalis contendebant non teneti vitare excommunicatos, & interdictos ab ipsis ordinariis, quod Poutisex meritò reprehendit, quia licèt generale privilegium exemptionis prosit exemptis, ne ab ordinatiis, à quorum jurisdictione exempti sunt, valeant excommunicari, sicut religiosis prodesse potest privileginm ne valeant excommunicari, *cap. ne aliquid de senten. excommunicationis in* 6. sed non per hoc sequitur ex eo, quòd sunt exempti, non debere vitare alios, quia obligatio eos vitandi non provenit ex jurisdictione ordinarii, à qua exempti sunt, sed ex legis dispositione, à qua religiosi non eximuntur.

Nota secundo Papam esse supra Concilium, *glossa in cap. ubi periculum de elect. in* 6. *in verb. Concilium*, quidquid dicat alia *glossa in cap. Anastasini* 19. *dist. in verb. Concilium*, concilium esse majus Papa: qua de re, *Card. Tuschus tom.* 2. *lit. C. concl.* 552. & Papa non potest se subjicere Episcopo, neque concilio, ut ab eis judicetur, aliàs non tenet subjectio *Julius Clarus in* §. *fin q.* 35. *nu.* 13. Quando verò Papa committit crimen notorium, & est incorrigibilis potest privari, & judicari à Concilio si Ecclesia scandalum recipit. Idem dicas si sint plures schismatici de papatu contendentes, si non renunciant, vel non concordant, possunt à concilio judicari, & *Zabarella cons.* 150. agens de schismate inter Innocentium Tertium, & Benedictum 13. ait septem dari remedia ad schismata vitands. Primum est convocatio Concilii. Secundo, quòd compromittant in confidentem Judicem. Tertio, quòd compromittant de jure, & de facto. Quarto, quòd uterque cedat, & alius eligatur. Quinto, quòd compellantur cedere etiam armata manu. Sexto, quòd ambo decernant, ut uno moriente alter sit Papa, & quòd prohibeatur nova electio omnibus Cardinalibus. Septimo, quòd alter alteri committat vices suas, donec vixerint, utroq; perseverante in sua obedientia. Multa alia privilegis de Papa legas apud *Barb. de potestate Romani Pontificis, cap.* 2. *nu.* 96. *per totum.*

De Cardinalibus.

ADdimus nos ordini *Pauli Lancellotti* brevem de Cardinalibus tractatunculam. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd Cardinalatûs dignitas; licèt videatur figurata de jure divino, *ex Deuteronomio cap.* 17. ibi. *Si difficile apud te judicium esse perspexeris, venies ad Sacerdotes Levitici generis, &c.* quæ verba ad Romanum Pontificem, & Cardinales accomodat *Innocentius Tertius in cap. per venerabilem, qui filii sint legitimi*: verè tamen sunt de jure positivo, & ante tempora Beati Sylvestri non extiterunt, qui in Synodo illa, quam Romæ celebravit post conversionem Constantini eos statuit, *Campanilis in divers. rubr.* 7. *cap.* 6. *num.* 48. Post Sylvestrum Gelasius idem nomen eis tribuit, *cap. presbyteri* 24 *dist. & Gregorius post Gelasium in cap. relatio, & sequenti, & in cap. pastoralis* 7. *q.* 1. *Stephanus Quartus in cap. oportebat cum sequenti* 79. *dist. Nicolaus Secundus in cap. in nomine Domini* 22. *dist. Azorius par.* 2. *lib.* 4. *cap.* 5. *q.* 4. Rubeum pileum suis Cardinalibus traditum anno 1224. ab Innocentio Quarto. Paulus Secundus Biretum purpureum dedit omnibus Cardinalibus Monachis; & postea die 9. Junii die Dominico in festo Sanctissimæ Trinitatis in Capella Papali dedit prædictum biretum duobus Cardinalibus Dominicanis; scilicet Fratri Michaeli Alexandrino, & Fratri Hieronymo Asculano, & alteri ex ordine Sancti Francisci Conventualium, Fratri Constantio Sornano, & Fratri Gregorio de Montelparo Ordinis Sancti Augustini, *Barb. lib.* 1. *de jure Eccl cap.* 3. *nu.* 10. De his Cardinalibus est bulla 5. Sixti Quinti, ubi dicitur eos debere eligi litteratos, & patruus, vel amitinus alicujus Cardinalis viventis non potest eligi, in quibus samen regulis non sunt addicti Summi Pont.

Sciendum secundo est, quòd dignitas Cardinalatûs est prima post Papatum, & vocantur Cardinales filii Summi Pontificis, *cap. Felicis*, §. *penult. de pœnis in* 6. cùm quis assumitur in Cardinalatum, vacant beneficia, quæ repugnant illi statui. Idem dic de Episcopis, &c. *Card. Puteus dec.* 438. aliàs 428. *lib.* 2. *Parisius lib.* 3. de *resignat. beneficiorum q.* 1. *nu.* 66. *Barb. lib.* 1. *de jure Eccles. cap.* 3. *nu.* 23. *Diana par* 5. *tract.* 2. *resol.* 51. Monachus cum Cardinalis sit non absolvitur à votis substantialibus Religionis, ad exemplum Episcopi, de quo suprà; quicquid putent multi, quos sequitur *Diana par.* 5. *tract.* 2. *resol.* 64. quòd non teneantur ad votum prædictum paupertatis: solus enim Papa est, qui si de Monacho fit Papa absolvitur ab omnibus votis, *Rodriquez tom.* 2. *quæst. regular. q.* 54. *ar.* 7. cum aliis in eorum electione omnia sunt servanda, quæ supra dixi in Episcopo: sunt divisi, alii sunt Cardinales Episcopi, alii presbyteri, alii Diaconi, solet esse numerus eorum non plus, quàm duo & septuaginta, prout fuit numerus discipulorum, & septuaginta fuit numerus tempore Sixti V. *Barb. lib.* 1. *cap.* 3. *de jure Eccles. Diana par.* 5. *tract.* 2. *resol.* 22.

Sciendum est tertio, quòd Cardinales dicti sunt quasi Cardines sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vel quia serviunt sedi Apostolicæ, quæ est axis, ac basis, & cardo aliarum Ecclesiarum, *glossa in extravag. execrabilis in verb. Cardinalib. de prabendis* inter illas extravagantes *Joannis* 23. quia sicut ostium cardine regitur, ita Ecclesia Cardinalium consilio roboratur, argum. *cap. pastoralis.* 7. *q.* 1. *glossa in cap.* 2. *de offic. Archipresbyteri, Card. Tuschus tom.* 1. *lit.* C. *concl.* 96. & appellantur Consiliarii, *cap. Ecclesiasticis* 12. *q.* 2. *cap. in Parochia* 16. *q.* 1. *cap. fundamenta*, §. *decet. de elect. in* 6. undè fratres interdùm appellat, *d. cap. per venerabilem, qui filii sint legitimi*; habent etiam patriciatûs dignitatem, *cap. Constantinus, vers. viris etiam* 96. *dist.* quia sicut Imperator patricios sibi associat, ita Papa eos sibi associat: undè sicut Patricii liberantur à potestate patris, ità Cardinales *glossa in extravag. execrabilis de prebendis, in verb. communitatem*, & dicuntur

de

de latere Papæ, & cum eo unum facere corpus, latè *Barbosa lib.* 1. *de jure Eccles. cap.* 4. *nu.* 25. undè tenetur Papa eis egentibus subvenire, & putant multi Canonistæ, quos sequitur *Diana par.* 5. *tract.* 2. *resol.* 33. quòd non possunt Cardinales Romæ existentes sanguinis amissionem pati sine licentia Papæ, quod est ridiculum: quia sunt unum corpus cum Papa fictè quidem, non verè, & Summus Pontifex potest extinguere totum ordinem Cardinalium, cùm non sit de jure divino, *Diana par.* 5. *tract.* 2. *resol.* 2. post alios, quos allegat, & potest Summus Pontifex ardua Ecclesiæ negotia sine ipsis definire, licèt conveniens sit eos vocari, ut post alios *Diana loc. citato resol.* 4.

Habent Cardinales multa privilegia, quorum primum est, quia possunt exercere jurisdictionem Episcopalem in Ecclesiis suis titularibus, *cap. his, quæ ii, de major. & obed.* & possunt ibi matrimoniis interesse, & concedere aliis licentiam interveniendi *Pontius lib.* 5. *cap* 10. *nu.* 6. & habent in iisdem Ecclesiis titulatibus jus conferendi beneficia, possunt visitare personas subjectas ratione titulorum. Ideò Vicarius Urbis non cognoscit de causis sub titulis Cardinalium; undè poterunt excommunicationem, suspensionem, & interdicta irrogare: possunt primam tonsuram, & minores ordines conferre in propriis titulis, & suis subditis familiaribus, *Barb. d. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 33. *usque ad* 40. *Diana par.* 5. *tract.* 2. *resol.* 5. *& resol.* 7. *&* 12. 13. *&* 14.

Secundum privilegium est, quòd si quis eos hostiliter prosequatur, vel injuriaverit, est excommunicatus in Bulla Cœnæ, & committit crimen læsæ majestatis, *cap. Felicis de pœnis in* 6. Idem dic de invadentibus domus eorum, qui committunt crimen læsæ majestatis, ut in Bulla, quæ incipit *Temerariorum*, *in Bullario primo tom. pag.* 494. & extenditur contra scientes, & non revelantes, ex Bulla Pii V. 93. *in Bullario* 2. *tom. fol.* 295. non tamen sunt excommunicati in Bulla Cœnæ, qui eos injuriaverint verbaliter *Diana par.* 5. *tractat.* 2. *resol.* 80. *&* 81. qui verò percusserit familiares Cardinalium eorum intuitu, non incurrit in excommunicationem Bullæ Cœnæ: sed eam solùm, quæ Pontifici est reservata in *d. cap. Felicis de pœnis in* 6. *Diana res.* 83. Quod si se ipsos percusserint Cardinales, pœnam incurrunt excommunicationis in Bulla Cœnæ, non secùs ac clerici si se ipsos percusserint sunt excommunicati, ex *can. si quis suadente Diabolo*: ità *Duardus in Bulla Cœnæ lib.* 2. *cap.* 51. *q.* 22. *Bonacina in Bulla Cœnæ disp.* 1. *q.* 12. *p.* 3. *nu.* 3. Verùm si Cardinalis seipsum percutiat, vel veneno, laqueo, vel aliquo vulnere non est excommunicatus in Bulla Cœnæ: tùm quia scienti, & nolenti, non fit injuria, *l. nemo præsumitur, ff. de regul. juris, cap. scienti eodem tit. in* 6. tùm quia quod favore alicujus introductum est, non debet in ejus odium retorqueri, *l. quod favore, C. de legibus, l. nulla juris ratio* 24. *ff. de legib. cap. quod ob gratiam de regul. juris in* 6. tùm quia Summus Pontifex in dicto Canone videtur loqui de exercente actionem distinctam in personam distinctam, nam carceratio, hostilis insectio, & similia videntur supponere actionem distinctam, & subjecta distincta, ergo idem dici debet de vulneratione, & percussione. Idem dico probabiliter de clerico seipsum percutiente, qui excommunicationem *Canonis si quis suadente Diabolo* non incurrit, ut contra plures, & communem opinionem docet *Diana par.* 3. *tract.* 5. *resol.* 81. & est aliorum, quos refert, quia *tex. in d. can. si quis suadente Diabolo* loquitur de persona, & actione distincta à percutiente, & oppositum nullo jure probatur, nam *tex. in cap. contingit de senten. excommun.* loquitur de actione injuriosa, de qua loquitur *tex. in d. cap. si quis suadente Diabolo*, sed actio qua clericus percutit seipsum, non est injuriosa ergo: & licèt magis homicida dicatur clericus, qui seipsum percutit, quàm qui alium percutit, tamen hoc nihil refert ad probandum, quòd in *d. cap. loquatur etiam de percutiente seipsum*: nam si percussio non est violenta, neque injuriosa, non est in dicto textu comprehensa; undè benè *Diana loco citato* Monialem, quæ potione, & venæ scissione abortum intendit, excusarunt à prædicta excommunicatione, quia talis manûs injectio in seipsam non est violenta, neque injuriosa, neque contumeliosa, cùm volenti, & consentienti non fiat injuria, neque est injuriosa statui Ecclesiastico; & quia in dicta Bulla Cœnæ excommunicantur, qui percusserint Cardinales, vel qui favent percussoribus eorum, ideò meritò dicunt aliqui in prædictas pœnas non incurrere eos, qui cùm possent, non impediunt percussionem ipsorum, ità *Bonacina in Bulla Cœnæ disp.* 1. *q.* 12. *p.* 3. *num.* 54. quia qui non impedit, non dicitur præstare auxilium, alii putant oppositum, de quibus *Diana par.* 5. *tract.* 2. *resol.* 88. Verùm si quis sciat aliquos contra Cardinales conspirare, & eos non denunciet, incidit in pœnam excommunicationis, latam a Pio V. occasione mortis attentatæ contra S. Carolum Borromæum, ubi dicitur, quòd si quis sciat contra Cardinalem præparari mortem, etiamsi id intellexerit, tenetur denunciare ordinario loci sub pœna excommunicationis, & aliarum, de quibus in *cap. Felicis de pœnis in* 6. Imò est denunciandum tale crimen etiamsi speretur emendatio per correctionem fraternam, ita *Bonacina in Bulla Cœnæ disp.* 1. *q.* 12. *pun.* 3. *num.* 15. quia quandò denunciatio est facienda in pœnam delinquentis, & ob commune bonum, tunc est facienda, sive delinquens privata correctione emendetur, sive non *Diana par.* 4. *tract.* 5. *resol.* 24. Sed ita est in casu nostro, ergo. Undè recedas à *Duardo in Bulla Cœnæ lib.* 2. *can.* 11. *q.* 19. *nu.* 11. contrarium putante. Idem *Diana par.* 5. *tract.* 2. *resol.* 89.

Tertium privilegium est, quia possunt concedere indulgentias centum dierum, vel ex tacito consensu Summi Pontificis, vel ex consuetudine, *Diana par.* 5. *tract.* 2. *resol.* 6.

Quartum possunt habere privatum carcerem ad puniendos domesticos, & familiares, *Tuschus* 1. *tom. concl.* 100. *Barb. de jure Eccles. lib.* 1. *cap.* 4. *nu.* 85. undè familiares Cardinalium remittuntur privativè ad alios ex consuetudine *Carolus de Grassis de effect. clericatus effect.* 1. *num.* 151. *Carlevalius de Judiciis lib.* 1. *tit.* 1. *disp.* 2. *q.* 6. *sect.* 6. *num.* 509. *Gratianus cap.* 341. *num.* 16. undè recedas à *Bonacina tom.* 3. *disp.* 1. *q.* 16. *pun.* 3. *num* 7. *à Scaccia de Judiciis tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 22. qui hanc observantiam negant: immò possunt habere familiam armatam, *Diana par.* 5. *tract.* 2. *resol.* 25. causæ verò Cardinalium vertentes inter eos, sunt decidendæ à Summo Pontifice tantùm privativè ad alios appellatione remota, ut ex Bulla Pauli IV. observat *Barb. d. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 79. *Diana ubi suprà resol.* 23. qui quidem Cardinales, si sunt Episcopi, non possunt condemnari, nisi per 72. testes fuerint convicti, per 44. testes si sint presbyteri, & per 17. si sint diaconi, *cap. præsul.* 2. *q.* 4. *Julius Clarus in §. fin. q.* 66. *nu.* 5. *Farinaceus in praxi par.* 2. *q.* 63. *num.* 237. ubi *num.* 242. ampliat etiam in delictis commissis ante Cardinalatum, *& num.* 24. *per textum in cap. nullus, §. sed hoc eadem causa, & q.* dicit dispositionem dicti textûs hodie cessare, quia emanavit secundùm illa tempora ad compescendam malitiam hæreticorum, qui aliquandò Cardinales, & clericos accusabant, ad effectum,

ut

ut ab eorum officio removeretur, & alii eorum loco substituentur, quod etiam observavit *Decius in cap. At si Clerici de Judiciis n. 6.* ubi *Berous num. 5. Clarus ubi supra; glossa* verò *in d. cap. si Præsul*, ait, quòd duo testes sufficiunt si agatur de probando crimine contra Pontificem, & dat rationem *glossa* quare Papa in hoc sit deterioris conditionis, & ait, quia ipse sine comparatione aliorum est creatus major, ergo sine spe veniæ condemnandus est, ut Diabolus: argumento *textus in cap. Principium de pœnit. 2. dist.* quæ tamen *glossa* ob prædictam impiam Doctrinam est à Sanctissimo Tribunali Inquisitionis improbata, teste *Mascardo de probat. concl. 461. & Barb. in collect. 5. tamo causa 2. q. 4 in cap. 2*, cum appellatione Præsulis, de qua io textu multo magis venìat Papa.

Putant plures DD. quos sequitur *Campanilis de jure Pontificia rubrica 12. cap. 16. num. 39.* quòd possunt Cardinales ingredi monasteria monialium, sive sint Cardinales protectores, sive non, quæ opinio hodie per Bullam Gregorii 13. cujus meminit *Diana ubi supra resol. 20.* reprobatur, nam vigore dictæ Bullæ etiam Cardinalibus prohibetur accessus ad monasteria monialium.

Eorum tanta est dignitas, ut si obviam onum ex eis habeat condemnatus ad mortem, est liberandus, *Bald. in l. addictos. C. d. appellat. Julius Clarus in §. fin. q. 98. nu. 5.* licèt ipse dicat, quòd si casus contingeret, posset pœna mortis mitigari, & reus ad triremes condemnari, nisi tamen crimen, pro quo ille fuisset condemnatus esset de atrocissimis, ut crimen falsi, læsæ majestatis divinæ, & humanæ, proditionis Patriæ. & hujusmodi; ità etiam *Barb. lib. 1. de jure Eccles. cap 4. nu. 61.* non enim Cardinales debent esse minoris conditionis, quàm olim apud Romanos fuerint virgines vestales, quatum authoritas tanta fuit, quod si aliquis ad verberandum traheretur, vel si ad mortem aliquis duceretur, & casu transisset aliqua virgo vestalis, is necari non poterat: ità hanc opinionem tenet *Danza de pugna DD. de qualitate officialium cap. 1. num. 16.* & quidam Cardinalis, teste *Diana par. 5. tract. 2. resol. 29.* cùm audiret strepitum trahentium quendam ad furcas jussit illum exolvi: asserens id permitti sua dignati.

Habent etiam aliam dignitatem, ut si fint Judices etiam deleg ti, non possint recusari, nisi cùm magna causa, ut de communi docet *Tassonus in pragm. de ant. fato, vers. secundo observa, obleru. 2. num 114.* & Cardinali creditur de eo, quod dicit factum à Papa, etiamsi agitur de præjudicio tertii. *Cardin. Puteus lib. 1. dec. 2. Verallus par. 1. dec. 95. Riccius collect. 1459.* & Cardinali creditur asserenti se esse legatum etiamsi litteras non exhibeat, DD. communiter, teste *Barbosa in collect. ad Codicem tom. 1. lib. 1. tit. 15.* ab eorundem Cardinalium sententiis non potest appellari non solùm si collectivè sumantur, sed etiam si ab unoquoque ea eis in singulari proferatur sententia per *textum juncta glossa in l. 1. ff de officio Præsoris*, ubi textus ait à sententiis præfecti Prætorii non appellatur, fed Cardinalis est *glossa æquiparatur Præfecto Prætorii*; ergo: tùm quia à sententia Regis non appellatur *Farinaceus q. 101. num 72.* Sed Cardinales æquiparantur Regibus, *cap. Felicis de pœnis in 6.* ubi inferens injuriam Cardinalibus pœna criminis læsæ majestatis punitur, ergo a sententia Cardinalis non datur appellatio. Accedit, quia Reges Cardinales vocantur, teste *Gonzalez, in regula 8. Cancellaria glossa 24. num. 14. Barb. in coll. ad Codicem tom. 1. lib. 1. tit. 3. l 21. num. 5. Bonacina de elect. Summi Pontificis disp. 1. q. 1. pun. 1. §. 2. num. 20.* & licèt quando committitur causa alicui cum illa clausula (*appellatione remota*) censeatur remota appellatio frivola, non justa, ut de communi docet *Antonius Ripolla variar. resol. cap. 2. de recus. omn. Judic. num. 222.* tamen si causa committatur Cardinali cum dicta dictione, intelligitur remota appellatio etiam justa, *Farinaceus in fragmentis par. 2. in verb. Judex nu. 963. Diana par. 5. tract. 2. resol. 37.*

Est etiam quæstio inter DD. an Cardinales in testamentis gaudeant privilegiis militum circà formam, & solemnitatem testamenti. Respondent communiter gaudere, ità *Gratianus cap. 312. num. 11. Diana par. 5. tract. 2. resol. 52.* post alios, quos allegant, quia militant in consistorio Papæ, undè sicut in militis testamento duo solùm requiruntur testes, vel ad validandam dispositionem si miles testetur in castris extra conflictum belli, vel ad verificandam scripturam militis testamentum facientis in conflictu belli: ità Cardinalis. Secundo sicut miles potest decedere pro parte testatus. & pro parte intestatus, *l. miles*, ità *ff de milit. testam.* ità Cardinalis. Tertio, quia miles potest personam incapacem hæredem instituere, prout est deportatus, *l. neque, §. & deportati, ff. de milit. testam.* teste *Molfesio in summa tam. 2. tract. 13. cap. 2. num. 59.* ità Cardinalis. An verò milites nostri temporis gaudeant privilegiis antiquorum militum, quæstio est, ad quam latissimè respondet *Consiliarius Patignus in tract. de Judice, & priv legiis militum nu 36.* quod opus reperitur insertum per *R gentem Rovitum in pragm. 11. de militibus fol. 487. in ultima impressione de anno 1637.* ubi ait, quòd milites, qui vacant cum armis. & equis in defensione Regni, ut sunt illi, qui stant in Regiis Granatæ, Navarræ, & Neapolis, gaudent privilegiis militum, quia sunt parati pro defensione Reipublicæ, & sic sunt in actu militiæ, ondè gaudere debent militaribus privilegiis. Qua de re *Regens Capycius Latro dec. 102.*

Inter Cardinales unus est Viceeancellarius, ad quem pertinet gubernatio Sacri Palatii circà expeditionem Bullarum, & ipse adest in examine ejus, qui assumitur Auditor Rotæ, ejus officium cessat sede vacante.

Alius est Camerarius, cujus officium est præesse patrimonio Ecclesiæ, & est Filius Papæ; *glossa in clem. ne Romani de elect. in verbo expirare, & ubi, Camerarium, Gassarus in Cathaloga gloriæ mundi par. 4. cons. 14. Card. Tuschus lit. C. Concl. 16.* & camerarius non præfertur Viceeancellario; cujus officium camerarii, etiam sede vacante exercetur, latè *Lavorius sam. 1. var. tit. 3. cap. 3. num. 36.*

Alius est Summus Pœnitentiarius, cujus officium versatur in curia pœnitentiariæ, id est in casibus conscientiæ, & dispensationibus, vel absolutionibus obtinendis à Sede Apostolica, qui utitur opera aliorum Pœnitentiariorum, & Sede Apostolica vacante retinet suum officium, *Lavorius ubi supra num. 39*

Alius est Vicarius Urbis quem constituit Summus Pontifex, & quia solet fieri deputatio ad vitam ipsius deputati, ideò per mortem ipsius non expirat *DD. in cap. tna nobis de officio Vicarii, Lavorius nu. 45.*

Alius est Bibliothecarius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, de quo *in cap. Adrianus 23. dist.* & semper est unus ex Cardinalibus, *Petrus Gregorius par. 2. lib. 18. cap. 42. num. 15.* De Cardinalibus plures aguot apud *Barb. lib. 1. de jure Eccles. cap. 4. per totum, & Diana par. 5. tract. 2. per totum*

De Le-

De Legatis, & Nunciis Apostolicis.

Legati Sedis Apostolicæ, seu Nuncii sunt, quibus committitur Provincia gubernanda & ordinariam habeat jurisdictionem, *cap. legatos de officio legati in 6. Riccius collect.* 1974. & tres sunt legatorum species. quidam enim emanant ab ipso fonte, veluti Cardinales, qui mittuntur de latere Papæ, cui semper assistunt. & ideò dicuntur legati de latere, *cap. decreto, cap. si quis Episcopus* 2. q. 6. undè soli Cardinales cùm à Papa mittuntur, dicuntur legati de latere, *glossa in cap.* 1. *de officio legati, in verb. legationes, & in can. excommunicatis in verb. commissam eodem tit.* undè quandò Summus Pontifex mittit inferiorem Cardinale, dicitur hic missus Nuncius, non legatus de latere.

Sunt alii legati, quibus aliquod negotium committitur exequendum, *cap volentes de offic. legati*, ut sunt illi, qui sunt in Hispania, Francia, Polonia, Venetiis, Neapoli, Sabaudiæ, Florentiæ, &c. &c olim talis legatus Apocrisarius dicebatur græco vocabulo, quasi Secretarius, ut *in cap. septuaginta* 16. *dist. & in cap. significasti de elect. cap.* 1. *dist.* 94. Qui verò mittitur à Papa ad Ecclesiam, vel Provinciam regendam absque potestate legati, non dicitur legatus, si non sit Cardinalis, neque dicitur Nuncius, sed dicitur Gubernator, & habet solùm ordinariam jurisdictionem quoad regimen civitatis: qui verò mittitur ad certam causam terminandam, vel ad minora negotia, dicitur commissarius Apostolicus, qui tamen omnes latè accepti vocabulo possunt vocari legati, quia omnis ab alio missus legatus dicitur, *l.* 1. *&* 2. *ff. de legationibus.*

Dantur alii, qui dicuntur legati nati, quia cùm dignitate, quam acquirunt, fiunt ipso jure legati, qualis est Cantuariensis Archiepiscopus, de quo *in cap. de officio legati.* Item Eboracensis in Anglia, de quo *in cap.* 1. *de appellat. & in cap.* 1. *ut lite pendente*, & Bituricensis in Aquitania superiori, de quo *in cap. ultimo de major. & obed. cap. exposuit de dilat.* & Rhemensis in Francia, de quo *in cap. per venerabilem, qui filii sint legitimi, & in cap. penult. de filiis presbyterorum, glossa in verb. legati, in cap.* 1. *de offic. legati in* 6. *Azorius par.* 2. *lib.* 5. *cap.* 27. *Parladorus aiser.* 129. *Layman. lib.* 1. *tractat.* 40. *cap.* 7, *num.* 22.

Legatorum à latere tanta est potestas, ut possint absolvere ab excommunicationibus ob Clericorum percussiones: licèt illæ fuerint enormes, *DD. in cap. quod translationem, cap. excommunicatis, in verb. mittitur de officio legati, cap. ad eminentiam de sentent. excommun. Azorius par.* 2. *lib.* 5. *cap.* 3. *q.* 6. & addit, quòd potest legatus absolvere ab omni excommunicatione Papæ reservata, nisi dicatur in constitutione expressè, quòd à nullo alio, nisi à Papa possit absolvi: expendit *textum in Clem. gravis de senten. excommunicationis.*

Possunt etiam beneficia in Provincia sibi decreta existentia conferre, *cap.* 1. *cap. præsenti de officio legati, Rota* apud *Farinaceum dec.* 624. alias *par.* 4. *divers.* & concurrit cum ordinario, sicut Papa, ità ut inter eos sit locus præventioni, *cap. si à sede de præbend. in* 6. nullo a l hoc requisito Episcopi consensu, *cap. dilectus de officio legati, Riccius in praxi par.* 4. *resol.* 119. etiamsi benefi ia sint exempta, *Garsia par.* 5. *cap.* 1. *nu.* 19. & etiam si beneficia sint ad Sedem Apostolicam devoluta, *cap. penul. de præben. Garsia ubi supra, Card. Puteus dec.* 258. *lib.* 2. qui id docet etiamsi beneficia sint ad Papam devoluta ob negligentiam legati. Ratio est, quia sicut quandò devolvitur facultas ad Archiepiscopum ex propria negligentia legatus concurrit cum eo, ità quando devolvitur ad Papam, etiam legatus concurrit cum Papa, & ideò legatis non currit tempus sex mensium ad conferenda benefi ia, sicut currit aliis ordinariis, ut *in cap.* 2. *de concess. præbendæ, Garsia ubi supra cap.* 3. *nu.* 32.

Legati verò Nati, vel missi potestatem non habent conferendi beneficia, nisi hoc eis specialiter concessum sit, *cap. litteras de supplenda negligentia Prælatorum, cap.* 1. *de offic. legati in* 6. ubi communiter DD. vel nisi sint missi cum potestate, seu authoritate legati à latere, tales enim sine alia speciali facultate possunt conferre beneficia, *Decius consi.* 128. *Garsia d. par.* 5. *cap.* 1. *nu.* 81. Hodie verò talibus legatis à latere conceditur facultas restricta conferendi simplicia beneficia vacantia per obitum extra Romanam curiam, quæ tamen non excedant valorem 24. ducatorum de camera extrà tamen Metropolitanas, & alias Cathedrales, & collegiatas Ecclesias, *Cæsar de Grassis dec.* 7. *&* 9. *de præben. Garsia*, & alii apud *Barb. lib.* 1. *de jure Eccles. cap.* 5.

TITULUS VI.

DE ELECTIONE.

Egimus suprà de Summo Pontifice, Episcopis, & cæteris prælatis: verùm quia isti per electionem creari solent: meritò ponitur hic titulus. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd electio alia est masculorum, alia feminarum. Prima est electio Prælatorum, de qua hic: Feminarum electio est electio Abbatissarum, de qua in *Trid. sess.* 25. *de regul. cap.* 6. Electio masculorum, alia est passiva, alia activa: passiva dicitur habito respectu ad personas, quæ eliguntur, ut notatur in titulo Decretalium de electione: activa ad personas, quæ eligunt. Item alia est electio Rectoris Seminarii. de qua *in Trid. sess.* 23. *de reform. cap. ult.* alia est electio sepulturæ, de qua *in tit. de sepulturis.* Alia dicitur electio Canonica prælatorum, de qua agitur hic; est etiam electio, alia prælatorum superiorum, alia inferiorum, superiorum consideratur in Summo Pontifice, & in Episcopo; inferiorum consideratur respectu prælatorum regularium existentium in monasteriis, de quibus in *Trid. sess.* 25. *de regularib. cap.* 6.

Sciendum est secundo, quòd Prælati assumuntur ad regimen Ecclesiarum, vel ad dignitates, & beneficia pluribus modis, nempè per electionem ut in *titulo decretalium, & C. de elect. & Clem. eod. tit.* Secundo per postulationem, ut *in tit. de postulatione prælatorum.* Tertio per nominationem, aut simplicem paritionem, & per collationem *cap.* 1. 32. *dist. cap. Adrianus, cap. in Synodo* 63. *dist. cap. quanto eadem dist. cap quod Dei timorem de statu Monachorum.* Quarto per præsentationem, ut *in tit. de jure patron.* per translationem, *ut in tit. de translatione Episcopi*, & per administrationem, ut *in tit. de Coadjutore*, de quo infrà, qui Coadjutor datur quandòque prælato cùm futura successione.

Sciendum est tertio, quòd electio est alicujus personæ ad prælaturam, vel fraternam societatem canonicè facta vocatio, *glossa in rubrica de postulat. prælatorum in* 6. *& in cap.* 1. *eodem tit in verb. postulatio, Petrus Gregor. de elect. cap.* 2. *nu.* 14. *Julius Laverius de elect. tit.* 4. *cap.* 11. *nu.* 31. & sumitur electio dupliciter, propriè scilicet, & impropriè: propriè pro ea, quæ plurium consensu per vota, vel suffragia fit, secundùm Canones, & de hac loquitur prædicta definitio. & sic sumitur in titulo de electione. Secundo impropriè pro ea, quæ fit à solo superiore, & pro-

Digitized by Google

& propriè in Beneficiis, vocatur collatio, seu investitura, seu institutio, & ità etiam prælati dicuntur per investituram, seu collationem eligi, quæ de Ecclesia fit in eorum personis, *d. cap. Adrianus cum sequenti 63. dist.*

Sciendum est tertio ad validitatem electionis tria requiri de jure pontificio, scilicet authoritatem, numerum eligentium, & zelum, id est ut eligatur idoneus prælatus, qui afferat utilitatem suæ Ecclesiæ (quæ autem hodie requirantur in electione Episcopi de stylo Curiæ Romanæ infrà dicemus) debet etiam fieri in loco solito in quo omnes electores intervenire debent, & simul dare votum suum, quod est notandum pro electionibus, quæ fiunt à monialibus, & à monachis habentibus potestatem eligendi.

In §. Nam tum viduata.

Conclusio hujus textûs est, quòd dùm Ecclesiæ viduatæ prælatus eligendus est: debent cuncti, qui jus eligendi habent legitimè citari, ut intersint electioni, alioquin si in unius persona id omissum fuerit irritam reddit electionem talis omissio. Idem probat *textus in cap. bona memoriæ de elect.* non tamen electio devolvitur ad illum unum, *Petrus Gregorius de elect. cap. 13. nu. 25. Rodriquez quæstion. regular. tom. 2. q. 52. ar. 13. Lavorius de elect. tit. 4. cap. 18. num. 20. Miranda in manuali prælatorum, tom. 2. q. 23. ar. 10. concl. 1.* ubi etiam resolvit, quòd si antequam mortuus prælatus sepulturæ tradatur ad electionem novi procedatur, nihilominùs valet electio, præsertim si tales accedere possint circumstantiæ, quòd electio statim etiam ipsa eadem die sit facienda, & omnis mora objicienda, & repellenda, non expectata corporis sepultura; ut in casu quo timetur aliqua magna vis, & violentia alicujus magni Principis, aut aliquæ ipsius litteræ, quæ valeant, aut possint justam, atque legitimam impedire electionem, electione verò irritata, ex quo fuit facta aliquibus contemptis, contemptores pro prima vice eligendi facultate non privantur. D D. communiter *in d. cap. benè il. 2. de electione, Rendina in promptuario receptarum sentent. tom. 1. tit. 36. num. 7. Barb. in d. cap. benè.*

Pro intelligentia hujus conclusionis suppono, quòd Ecclesia dicitur viduata pluribus modis. Primò si prælatus, seu Pastor ipsius sit defunctus, ut hic, *& in cap. 2. §. sed neque illud de translatione Episcopi.* Secundò dicitur Ecclesia viduata quando habet Episcopum inutilem, ut in d. *§. Sed neque, Tiraquellus in. il. connubiali, glossa 1. par. 6. nu. 2. Franius dec. 100. nu. 58. Muscatellus in praxi in verb. competens num. 71.* Nullum enim, & inutile comparantur, & paria sunt non habere maritum, & inutilem eum habere, *Covarr. practic. cap. 7. Barb. in l. 1. par. 5. nu. 47. ff. soluto matrim.* Tertiò dicitur Ecclesia viduata si habet Episcopum captivum, ut in simili mulier dicitur viduata, & gaudet privilegio electionis fori, juxtà *l. unicam, C. quando Imp. inter pupill. & vidu.* multis modis. Primo quandò ei deest maritus, *cap. vidua 34. dist.* Secundò quandò habet maritum inutilem, *glossa in l. fin. C. ad leg. Flaviam de plagiariis. Muscatellus ubi suprà.* Idem dic de muliere habente virum captivum, bannitum, vel ad triremes damnatum, hæc enim comprehenditur viduarum nomine *Riccius dec. 290. num. 5. par. 4 Vivius dec. 197. & 521. Francus d. dec. 100. nu. 18. Novarius lib. 1. quæst. for. cap. 167. & in praxi electionis fori q. 7. sect. 2.* quomodocumque ergo Ecclesia sit viduata de alio prælato provideri debet, qui ad hoc eligitur ab illis, qui jus eligendi habent, & illi jus eligendi habere dicuntur, qui in quasi possessione eligendi reperiuntur, *cap. in Genesi*, ubi *D D. de elect.* præsertim *Barb.* bis positis.

In nostro textu dicitur esse omnes vocandos, qui præsentes sint ad electionem per signa solita, sive campanæ, sive vivæ vocis, & absentes in Provincia per litteras, vel per Nuncium secundùm locorum consuetudinem vocandi sunt, qui debent, volunt & possunt commodè interesse, *cap. quia propter in principio de electione, cap. coram eodem titulo Melchior Phabus dec. Lusitana 65. tom. 1. Julius Lavorius d. tit. 4. cap. 17. Tamburrinus de jure Abbatum tom. 1. disp. 5. sect. 3. Rendina in promptuar. recept. sentent. tom. 1. tit. 36. nu. 30.* ubi ampliant etiamsi non ignoraverint *Raguntius de voce Canon. in Capitulo q. Mantica dec. 288.* ubi fuit dictum ad electionem vocandos esse, qui sunt in Provincia, sive Dioecesi, maximè quandò non est affectata, vel suspecta, additurque absentes non esse vocandos per sonum campanæ, sed per nuncium, vel per litteras, sequitur *Castellinus de elect. cap. 8. num. 7. Miranda tom. 2. in manuali prælatorum q. 23 art. 6. concl. 2* citatio absentium facienda est singulariter, & personaliter, si sciatur ubi degant, & commodè, & sine periculo fieri possit, *cap. cum olim*, ubi *glossa in verb. Hiberniæ de dolo & contumacia, cap. venerabili eodem titulo*, per litteras, vel per nuncium, nisi de consuetudine aliud servetur, quarum litterarum tenorem ponit *Sigismundus à Bononia de elect. dub. 8. nu. 3. Lavorius d. tit. 4. cap. 17. nu. 27.* ubi ponit formam vocandi absentes si in scriptis facienda esset vocatio *& nu. 28.* prodit aliam formulam pro absentibus in regularium prælatorum electione vocandis, quòd si nesciatur ubi commorentur, citatio facienda erit per publicum edictum in Ecclesia, vel ubi soliti sunt commorari, vel legi debent litteræ citatoriæ Capituli, præsente Capitulo, & Clero, ut *in cap. fin. de eo, qui mittitur in possessionem causa rei servandæ l. 4. §. toties, ff. de damno infecto*, vel si eitandus inveniri non potest, eit facienda citatio in loco, ubi habitare consueverit, *l. 4. §. Prætor, ff. de damno infecto*, vel in ejus Ecclesia, seu beneficio, *cap. fin. de dolo, & contumacia, cap. ex ea de cleris non residentibus*, quia ibi residentiam facere præsumitur *Mascar. de probat. concl. 127. Gonzalez in regul. 8. Cancellariæ, glossa 55. §. 2. nu. 20.* & nuncio præsertim jurato creditur, an aliquis ex vocalibus absens sit vocatus necne, *glossa in cap. quod sicut 28. de elect. in verb. vocatos, Lucas Castellinus de elect. cap. 8 nu. 18.*

Quando verò vocati intrà assignatum terminum non veniunt, non sunt de cætero expectandi, *cap. cum iter. 18. & sequenti de elect. Lavorius tit 4. cap. 17. num. 25.* ubi notat, quòd non venientibus absentibus, nec procuratorem constituentibus, potest fieri absque eis electio, dummodò non sint plures absentes, quàm præsentes, vel notabilem collegii partem constituerint, quia tunc præsentes tenentur expectare vocatos saltem usque ad finem termini dati ad eligendum. Similiter sunt expectandi elapso etiam termino, quamvis pauciores sint. quandò absque periculo, & incommodo expectari possunt, & aliqua causa necessaria, vel probabili detineren tur, puta pluvia, & similia, & superior pro certo haberet non longe abesse, præsertim cum nullum esset periculum in mora modici temporis, quia adhuc facultas eligendi durabat *Abbas in cap. cum nobis num. 9. de elect. Mantica dec. 288. Sigismundus à Bononia de elect. dub. 13. num. 7.* nam si dolo potiùs eos excludendi, quam alia legitima causa accelleretur electio in ipsorum præjudicium, est locus reclamationi,

Digitized by Google

nationi, *Rodriquez tom. 2. q. 52. art. 5. Lavorius l. tit. 4. cap. 17. num. 25.* qui etiam ait, quòd si major pars absens respondisset se nolle venire, nec eligere, nec electioni interesse, tunc posset etiam minor pars eligere, & si finis termini immineret, possent pauciores, & etiam unus solus, non expectatis convocatis eligere, quia tempus interpellat pro homine.

Quòd si electores vocaverunt ad electionem eos, quos vocare non tenebantur, expectare tenentur illos usque ad terminum præfixum, *glossa in cap. cùm inter, in verb. assumatis de electione,* nisi ex tali expectatione præjudicium, & damnum sustineant, qui sunt præsentes, *d. cap. cùm inter*, quia non potest agere de contemptu, qui non habet vocem in capitulo, *Ragnccius de voce Canonic. in capitulo q. 11. num. 5.* quod si fiat electio sine citatione eorum, qui debent intervenire, non est invalida ipso jure, sed invalidande per sententiam, *Abbas in d. cap. in Genesi, & glossa* nostræ in præsenti.

In §. Planè.

COnclusio hujus textûs est, quòd si quis ex electoribus non fuerit citatus, cùm esset absens tempore electionis faciendæ: si posteà venit & ratam habet electionem jam factam, electio confirmanda erit, ut hîc, *& in cap. quòd sicut in fine principii de elect. Sigismundus de elect. dub. 9.* est autem ratihabitio actus, quo confirmatur id quod ab initio fectum est, *cap. 1. de renunciatione*, ubi *DD. l. fin C. ad Macedon. l. donationes, quas parentes, C. de donat. inter virum & uxorem.*

Neque dicas non posse ratum haberi, quod meo nomine gestum non est, *cap. ratum de regul. juris in 6.* sed talis electio non fuit facta nomine illius absentis, ergo &c.

Respondeo enim, quòd regula dicti textûs procedit in vera ratihabitione: at verò textus noster procedit in impropria ratihabitione, ut docet *Abbas in d. cap. quòd sicut extrà eodem titulo,* quare ista ratihabitio non erit propriè talis, ut mandato æquiparetur, juxtà *textum in cap ratihabitionem de regul. juris in 6.* Sed operabitur solùm, ut electio jam facta non irritetur; effectus ratihabitionis, ejusque utilitates lege per *Barbosam in d. c. ratum, & cap. ratihabitionem*, ubi latissimè de materia agit, & in qua fictione fundetur.

Dices electio, quæ à principio non valuit non potest tractu temporis confirmari, *cap auditis extra eodem*, ubi latè *Barb. in collect. cap. illud de jure patron.* ubi *DD. argum. cap. non firmatur tractatu temporis*, quod ab initio non subsistit, *& l. quod initio 3. & l. penul. ff. de regul. juris.*

Respondeo, quòd aut loquimur de electione valida à principio, quia fortè fuit facta à majori parte capituli, præsentibus duabus partibus ejusdem capituli, & tunc potest per ratihabitionem absentis tempore electionis confirmari, & ità loquitur textus noster. aut verò loquimur de electione, quæ fuit à principio nulla, quia fuit facta à minori parte capituli, & tunc quia à principio fuit nulla. non potest confirmari, & ità procedunt jura suprà adducta, ut benè *Abbas in d. cap. quod sicut.*

Vel respondeo, quòd per talem ratihabitionem non valet electio quasi ex tunc, sed ratihabitio operatur na possit actus retractari, *Barb. in d. cap. non firmatur tractu temporis, & lib. 1. de jure Eccles. cap. 19. num. 115. cum sequenti.*

In §. Sed & si quis cum sequenti.

COnclusio nostri textûs est, quòd absens elector potest de capitulo demandare votum suum, ut ille suo nomine eligat Prælatum. Idem probat *textus in cap. quia propter, §. illud extrà eod. tit. cap. si quis in principio de elect. in 6.* tria autem requiruntur ad hoc, ut votum absentis per procuratorem possit sustineri. Primo, ut quis sit in loco, undè vocari possit, & quòd justo impedimento detentus sit, & quòd procurator habeat mandatum ad jurandum super impedimento; quòd si plures sint procuratores, debent singuli esse in solidum, & simul concurrunt ad votum præstandum, ille præfertur, qui præoccupat, nullo præoccupante is admittitur, qui primo nominatus fuerit in instrumento procuratorio, *d. cap. si quis*, nam ultimi censentur in subsidium aliorum nominati, vel data in omnibus paritate, quem capitulum voluerit admittere. Si verò semel unus ex dictis procuratoribus alterum elegerit est consumpta electio, nec variare possunt, *glossa in d. cap. si quis justo in verb. elegerit, Tiraquellus in l. boves, §. hoc sermone nu. 53. de verb. signif.* si verò sint dati duo procuratores eodem die in diversis instrumentis, nec appare quis fuerit revocatus, mutuò se confundunt, *glossa in verb. nominatus, vers. quid si non apparet, d. cap. si quis Boerius dec. 321. Gratianus cap. 95. nu. 50. Petrus Gregorius de elect. cap. 6. num. 10. Lavorius d. tit. 4. cap. 17. num. 49. Azorius lib. 6. cap. 14. q. 7.* Neque obstat, quòd si duo constituentur procuratores in solidum, unus sine alio procedere non potest, *cap. si duo, §. sanè de procurat. in 6.* Respondeo enim id intelligi in Judiciis; at secus est in electione, ubi si vota in diversos dirigerentur electio iret in longum.

Quandò eligitur talis procurator, debet esse unus de collegio, *d. cap. quia propter, §. illud, Lavorius tit. 4. cap. 17. nu. 45. Tamburrinus de jure Abbatum tom. 1. disp. 5. q. 3.* nisi capitulum ex gratia vellet consentire, ut committeretur extraneo, quod quidem invito capitulo constitui nullo modo potest, *Lavorius ubi supra nu. 46.* subrogari enim debet talis, qui sit ejusdem qualitatis, ex *Bart. in l. 1. C. de principalibus agentibus in rebus lib. 12.* & sic oportet, ut sit saltem Subdiaconus, *Lavorius ubi supra nu. 47.* & hic procurator de collegio, non potest unum suo nomine eligere, & alium procuratorio nomine, *d. cap. siquis justo, §. porrò, Petrus Gregorius de elect. cap. 6. num. 11. Sigismundus à Bononia de elect. dub. 14. num. 7. Tamburrinus disp. 5. q. 4. nu. 6.* Quandò verò merita duorum, vel trium adeò essent æqualia, ut discerni non posset ab electoribus quis eorum melior, & idoneior cæteris esset, tunc posset prædictus procurator unum suum, alterum procuratorio nomine eligere, *Gutierez canon quæst. lib. 1. cap. 11. nu. 9. Sigismundus à Bononia de elect. dub. 14. nu. 8.* Sicut etiam poterit quandò de aliquo certo nominando principalis speciale mandatum dederit, ut probat *textus in d. cap. si quis justo, §. porrò. vers. nisi de certa eligenda persona*: Sed hodie de jure *Tridentini sess. 25. de regul. cap. 6.* electio regularium per vota secreta celebratur, & non possunt procuratores absentium constitui cum speciali mandato, sic declaratum per Sacram Congregationem refert *Garsia de benefitiis par. 5. cap. 4. nu. 200. Sigismundus à Bononia de elect. dub. 14. num. 9. Tamburrinus d. disp. 5. q. 4. nu. 6, Lavorius d. tit. 4. cap. 18. nu. 57.* & aliàs etiam declaratum refert *Castellinus de elect. cap. 5. num. 98. Tamburrinus ubi sup. num. 6.*

Ex quibus infertur primo, quòd si quis tempore vacationis erat absens, & misit procuratorem, sed posteà electionis tempore sit intrà confines, non admittitur ejus procurator, non verò dicitur absens, qui est in aliqua parte Civitatis, ubi fit electio, licèt remota: quòd si quis sit præsens in loco, seu Cænobio, ubi fit electio, sed tanta ægritudine detentus, ut non possit ad talem locum accedere: poterit ille unum, vel plures ex collegio sibi substituere ad eligendum,

vel electores debent aliquem ad eum mittere, ut ejus suffragium petat *Angelus in verb. electio num.* 17. *Azorius par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 14. *q.* 7. *Petrus Gregorius de elect. cap.* 16. *num.* 7. *Lavorius d. cap.* 17. *nu.* 44 quia absenti nullo modo per literas licitum est votum suum exprimere, *d. cap. si quis justo*, *§. absens*, ibi non poterit aliquatenus per literas, *Sigismundus à Bononia dub.* 14. etiam volente capitulo, *Boerius dec.* 1. *num.* 41. *juncto num.* 37.

Infertur secundo, quòd tunc potest quis procuratorem constituere, quandò justo impedimento detentus venire non potest, quod impedimentum esse debet verum, & probatum, puta si ob inimicitias capitales venire non possit, vel gravem infirmitatem, non autem levem, vel si adversa navigatione impediatur, vel si vocetur ad majus tribunal, vel si obsessus sit in aliquo castro, ubi egredi non possit, & similia, ità tamen, ut impedimentum exprimatur quale sit, *Lavorius d. cap.* 17. *num.* 35. debet etiam procurator habere mandatum ad jurandum super dicto impedimento, aliàs non creditur procuratori absque mandato affirmanti medio juramento super impedimento capitularis, non valentis ad electionem venire, *glossa in d. cap. si quis justo, in verb. detentus. Lotterius de beneficiis lib.* 2. *q.* 39. *nu.* 25. poterit tamen major pars eligentium remittere impedimenti probationem aut juramentum, quamvis minor se offerat ad probandum contrarium *Lavorius d. c.* 17. *num.* 30. qui *num.* 40. ait, quòd si procurator absque juramento admissus fuerit, non potest post electionem sequutam quis probare, quòd Dominus non erat impeditus, nam videntur illi de collegio renunciasse juri suo illum sine juramenti delatione admittendo, cùm possint etiam non impediti procuratorem admittere, non obstante dispositione *d. cap. quia propter*, *§. illud*, quia hujusmodi dispositio emanavit in favorem aliorum electorum, qui favori renunciari potetunt, ut firmat idem *Lavorius dicto cap.* 17. *num.* 34.

Quòd si contingit electorem absentem impeditum, qui procuratorem constituit, interim mori, procurator debet cessare, facta tamen per eum ante notitiam habitam de ejus morte tenent, & si durante tali ignorantia perficeretur electio valeret, utique, *Tamburrinus d. disp.* 5. *q.* 4. *nu.* 8. Quòd si absens nullum inveniat in capitulo, vel collegio, qui velit esse ejus procurator, non potest aliquis cogi ad acceptandum, *glossa in d. cap. quia propter*, *Lavorius d. cap.* 17. *num.* 51. nec talis absens hoc casu poterit nolente capitulo extraneum deputare, *d. cap. si quis justo*, *§. absens*, *Azorius lib.* 6. *cap.* 14. *q.* 7. *Sigismundus à Bononia dub.* 14, *nu.* 1. *Tamburrinus d. q.* 4. *nu.* 7.

In §. Sed hac quidem.

Expresserat suprà Author noster, multa, quæ in electione sunt necessaria, in præsenti docet, quòd supradicta non requiruntur in electione Summi Pontificis, ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd in electione Summi Pontificis hic ordo servatur, mortuo enim Papa in Civitate omnes Senatores Romani unà cum Cardinalibus eum eligebant, sed posteà, tempore Beati Sylvestri (à quo cœpit Ecclesia bonis temporalibus, & terrena potestate perfrui) orto Schismate inter Senatores, & Cardinales totus populus, & Clerus Romanus junctus est ad electionem Pontificis, *cap. factus* 7 *q.* 1. *cap.* 1. *dist.* 24. *cap. reliqui* 63. *dist. cap. nullus invitus* 61. *dist. cap. si forte* 63. *dist.* Posteà Romanus Imperator confirmabat electionem Papæ. Adrianus enim primus Pontifex Carolo Magno (in cujus personam fuit à Græcis in Germanos translatum Imperium) hoc jus traditur concessisse, *cap. Adrianus il.* a. 63. *dist.* ut scilicet potestatem haberet eligendi Pontificem, & Apostolicam sedem ordinandi, *Julius Lavorius d. tit.* 4. *nu.* 25. & *sequenti*, cujus concessionis Bullam Parisiis inter præcipuos Regni Thesauros, tradit *Gulielmus de Benedictis in cap. Raynutius, in verb. & uxorem n.* 367. Posteà Leo 8. Summus Pontifex populo, & Clero Romano consentiente idem jus confirmavit, & tradidit Ottoni Imperatori, & ejus successoribus, ut habetur in *cap. in Synodo* 63. *dist.* & licèt *Azorius par.* 2. *lib.* 4. *cap.* 2. *q.* 3. *Card. Baronius anno Domini* 526. & 555. & 774. *à nu.* 10. & 964. *à nu.* 22. & *Suarez contrà Regem Angliæ lib.* 3. *cap.* 29. *num.* 7. dixerint hos textus allatos suprà esse fictitios, & commentitios, & Carolum Magnum non acceptasse, sed potiùs repudiasse prædictam concessionem, eaque Imperatores nunquam fuisse usos, tradit *Navarrus in rubrica de Judiciis num.* 69. tamen tu dicas, quòd piissimi Principes spontè se abdicaverunt à seipsis talem potestatem, & olim post Carolum Magnum statim id fecit Ludovicus Imperator, qui sub Paschali primo Pontifice hoc jus Clero, & populo Romano liberè cessit, *cap. Ego Ludovicus* 63. *distin. Azorius l.b* 4. *cap.* 2. *q.* 2. & 3. *Petrus Gregorius lib.* 5. *Synthagm. cap.* 3. *nu.* 20. Posteà solis Cardinalibus fuit data potestas, & Clero, ut acclamaret post factam electionem, *cap. in minore il.* 1. 23. *dist.* Salva reverentia Imperatoris: posteà verò excluso etiam Clero ad duas partes Cardinalium ex tribus existentibus in conclavi, transivit facultas eligendi Papam, *cap. li.ét de elect. in* 6. *cap. ubi periculum eodem tit. Clem. ne Romani eodem tit. Bursatus cons* 126. *tom.* 2. *Card. Bellarminus de Clericis lib.* 2. *cap.* 9. qui ampliat etiamsi Sedes Apostolica vacet tempore, quo est legitimè congregatum Concilium, adhuc enim ad Cardinales, non ad Concilium pertinet prædicta facultas eligendi Papam, *Diana par.* 5. *tractat.* 2. *resol.* 73. Nulla etiam exceptio potest opponi ei, qui fuerat legitimè electus, præter hæresim, aut aliam exceptionem, quæ in jure divino consisteret, undè si eligatur in Papam aliquis, qui non sit de numero Cardinalium, quia in eo casu nullus reperitur idoneus, valebit electio, *Azorius de lib.* 4. *cap.* 5. *q.* 6. *Suar. de fide disp.* 10. *sect.* 4. *nu.* 19. *Lavorius tom.* 1. *tit.* 4. *cap.* 12. *num.* 7. cum aliis relatis per *Genedum in collect. ad decretum coll.* 18. *num.* 1. & patet experientia de multis Sanctissimis viris, qui fuerunt electi Pontifices, & tamen nunquàm legimus eos fuisse Cardinales. Undè Gregorius X. ex Archidiacono fuit electus in Pontificem anno Domini 1271. Kalendis Septembris, & Eugenius Tertius ex Abbate simplici fuit factus Papa, & Cælestinus Quintus, cum nec in sacris esset, fuit electus Papa, *Lavorius tit.* 4. *cap.* 12. *nu.* 8. *Barb. l.* 1. *de jure Ecclesiast. cap.* 1. *nu.* 58. *Bonacina de elect. Pontificis disp.* 1. *q.* 1. *§. unico nu.* 19. *Diana par.* 5. *trac.* 1. *resol.* 63.

Ex Conciliis ergo primo Lugdunensi in Gallia celebrato anno 1274. sub Gregorio Decimo, de quo *in d. cap. ubi periculum de elect. in* 6. Ex Concilio Viennense sub Clemente Quinto ann. 1310. ut *in Clem. ne Romani eodem tit.* disponitur electionem Papæ ad Cardinales tantùm pertinere, consonat Bulla Clementis Septimi, quæ incipit. *Cùm charissimus*, ut in *Bullario novo fol.* 595. 1. *tomo*, consonat Bulla Pauli Quarti, quæ incipit. *Cùm secundùm*, anno 1554. & Pii Quarti, quæ incipit. *In eligendis*, de qua in *Bullario* a. *tom. fol.* 91. Gregorii Decimi quinti, quæ incipit. *Æterni*, & Sanctiss. D. N. Urbani

bani Octavi, quæ incipit *Ad Romanum*, anno 1625. quibus plura ſtatuta fuerunt in electione Pontificis. Primo ergo ſtatim Papa mortuo per decem dies expectandi ſunt Cardinales abſentes, qui intervenire poſſint, *d. cap. ubi periculum*, & Bulla Pii Quarti, qui decem dies computantur à die mortis Papæ, & tenentur Cardinales expectare per dictum tempus decem dierum, quamvis ſint certi, quòd venire non poſſint, & talis expectatio non ſolùm requiritur propter abſentes, ſed etiam propter præparationem eorum, qui ſunt includendi, ut obſervat *Lavorius tom. 1. variar. lucubr. tit. 4. cap. 7. num. 50. Diana par. 4. tractat. 1. reſol. 76.* & ideò non expectatis per decem dies abſentibus non valeret electio, argum. *textus in auth. quæ ſupplicatio. C. de precib. Imper. offeren. Alanus de Cardina. q. 14.* alii putant valere, quia illa eſt accidentalis ſolemnitas, ſubſtantialis etenim eſt, ut fiat à duabus partibus Cardinalium, *Azorius loco citato, cap. 2. lib. 4. cap. 2. Diana par. 5. tract. 2. reſol. 75.* Neque juſtè impeditus Cardinalis poteſt vices ſuas alteri committere pro creando Pontifice, poſt alios *Diana par. 5. tract. 2. reſol. 40.* & licèt Cardinales abſentes ſint per decem dies expectandi, non tamen debent citari, ſeu vocari, *gloſſa in d. cap. ubi periculum, in verb. decem dierum*, ubi Archidiaconus, quod ſpeciale eſſe in electione Pontificis, docent communiter DD. teſte *Lavorio d. tit. 4. cap. 7. num. 7. Diana par. 5. tract. 2. citato.* Solent verò Cardinales Romæ præſentes poſt mortem Papæ per litteras particulares a Secretario Collegii ſubſcriptas certiorate abſentes, quarum formulam ponit *Lavorius ub ſupra tit. 4. pag. 554.* & præfatum tempus decem dierum nullatenùs eſt prorogandum, ut in dicta Bulla Pii Quarti *in §. lapſis, & in §. declarandis*, ubi etiam dicitur quòd nec ſunt expectandi ultra decem dies alii Cardinales, qui deſunt publica cauſa, & de licentia Romani Pontificis; quòd ſi dictum tempus fuerit prorogatum adhuc valeret electio, dummodò a duabus partibus facta ſit, quia *in d. cap. ubi periculum* non apparet prohibitum Cardinales non poſſe expectare, quòd ſi lapſis decem diebus major pars vellet expectare, minor verò intraret conclave, & procederet ad electionem, licèt poſſet minor pars audiri, nihilominùs ad ſchiſmata vitanda non eſt hæc a minori parte attendendum, ut refert *Lavorius d. tit. 4. cap. 7. num. 9.* eiſdem decem diebus durantibus Cardinales præſentes defuncti Pontificis celebrare debent exequias, & fiunt orationes funerales, ut idem *Lavorius d. pag. 554.* refert duas, inter quas eſt una Auguſtini Maſcardi, facta in obitu Pauli V. celebrantur etiam exequiæ in omnibus Diœceſibus, & locis chriſtianis, ut *in d. cap. ubi periculum, §. Quia vero*, & à Clero, & populo peractis Miſſis, preces ad Deum funduntur pro felici, ac digna, celerique boni Pontificis electione, ponendo collectam in Miſſis, &c. ut in dicta *Clem. ne Romani. de election.*

Secundo, dùm celebrantur exequiæ Pontificis, fabricatur in Pontificis palatio conclave nullo intermedio pariete, ubi poſſint Cardinales omnes commanere, *d. cap. ubi periculum §. hoc ſacro*, poſteà verò Clemens Sextus in ſua Bulla, de qua *in Bullario 1. tom. pag. 716.* permiſit Cardinalibus, ex decentia honeſtatis in prædicta clauſura, cùm in lectis quieſcendi, vel dormiendi cauſa eſſe voluerint retineant intermedia, ſeu velamina ſimplicium etiam cortinarum, loco quarum hodie adhibentur panni viridi coloris pro aliis Cardinalibus, ſed violacei pro Cardinalibus creatis à Papa mortuo, quod conclave undique claudi debet ſervata feneſtra ad victum recipiendum, eo modo, ut nullus ipſum videre, aut alloqui, nec quicquam latenter tranſmitti poſſit, *d. cap. ubi periculum, §. hoc ſacro*, in quo etiam ſinguli ſingulis Cardinalibus dantur ſervitores, ſeu clerici, ſive laici: & ſi patens neceſſitas expoſcat, duo etiam eorum arbitrio permittuntur, & Pius quartus in ſua Bulla citata permiſit tertium etiam pro Cardinalibus infirmis, & graviter affectis, quos familiares voluit Pius Quartus ab anno ante fuiſſe in ſervitio, non tamen poſſunt eſſe fratres, vel nepotes Cardinalium, etiamſi eorum expenſis viverent, pro ſervitio verò eorumdem Cardinalium in communi, ea dicta Bulla Pii Quarti deputantur unus Sacriſta cum clerico coadjutore, duo Magiſtri ceremoniarum, qui celebranti miniſtrent, unus Religioſus pro confeſſionibus audiendis, unus collegii Secretarius, cum uno tantùm famulo, duo Medici, unus Chyrurgus, cum uno, aut duobus ſervitoribus, unus faber lignarius, unus Cementarius, duo Barbitonſores, cum uno, aut duobus ſervitoribus, item octo, aut decem ſervientes, Bajuli, ſeu bajuli publicæ utilitati, & commoditati omnium veluti pro lignis portandis, qui omnes à Collegio Cardinalium, non tamen ea familia alicujus Cardinalis eligi debent per ſecreta ſuffragia, ita tamen, ut is obtineat, qui plura vota habuerit, & eis ſalaria de publico debentur.

Nullus verò poteſt facere ſponſiones, ſeù excommiſſas ſuper vita, morte, & futura electione Summi Pontificis, illas enim omninò damnat Gregorius 14. in ſua Bulla, quæ incipit, *Cogit nos*, ſub anno 1591. ubi applicat locis piis, quicquid in ex commiſſis deductum fuerit, & perſonis Eccleſiaſticis eas facientibus imponit pœnam privationis beneficiorum, & excommunicationem, ut *in Bullario a. tom. fol. 688.*

Clauſo conclavi nullus ad Cardinales alloquendum admittitur, niſi, ille, qui de voluntate Cardinalium ibi præſentium vocaretur pro negotiis pertinentibus ad electionem, d. *cap. ubi periculum de elect.* ubi contra facientes incurrunt pœnam excommunicationis, & eſt Conſtitutio Pii Quarti, *§. clauſo*, neque poſſunt Cardinalibus mittere nuncium, vel Epiſtolam, qui foris, ſtant, d. *cap. ubi periculum, §. ſacro* Bulla Pii Quarti ubi ſuprà.

Circà cibum, & potum intrà conclave portandum, voluit Gregorius Decimus in *d. cap. ubi periculum, §. hoc ſacro*, quòd ſi infrà tres dies poſt ingreſſum conclavis, non fuerit Eccleſiæ de paſtore proviſum, per ſpatium quinque dierum immediatè ſequentium, ſingulis diebus tàm in prandio, quàm in cœna uno ferculo ſint contenti, & illis decurſis ſi non fecerint electionem ſolùm panis, vinum, & aqua miniſtrantur, & Clemens Sextus idem diſpoſuit ubi ſuprà. Sed Pius Quartus §. 22. vult in primo die, quo conclave ingreſſi fuerint tàm in prandio, quàm in cœna unum ferculum unius ſpeciei tantùm daretur.

Tertio pro obſervantia dictorum omnium conſtituuntur executores ex præcipuis magiſtratibus Civitatis, ubi electio celebratur, qui præſtito juramento debent jurare, ut prædictus ordo, & rigor ſervetur, d. *cap. ubi periculum, §. præterea.* Romæ ſunt Prælati diverſorum graduum, qui bis in die, mane, & veſperi mutantur, & intimantur à curſoribus, incipiendo à Patriarchis, Archiepiſcopis, cæteriſque Prælatis, juxtà ordinem eorum promotionis, & ſemper aſſiſtit Gubernator Burgi, & duo curſores pro occurentibus neceſſitatibus, *Barb. d. lib. 1. de jure Eccleſ. cap. 1. num. 7.*

Quarto admittuntur ad Papam eligendum omnes Cardinales Romæ exiſtentes, etiamſi fuerint excommunicati, aut interdicti, quia nulla eis obſtat exceptio, *Clem. ne Romani §. cæterùm de electione*, Pius Quar-

tus in d. Bulla, *Lavorius tom. 1. tit. 3. cap. 3. num.* 18. undè Cardinales nuper creati, & publicati admittuntur, licèt insignia Cardinalatûs non susceperint, Pius V. Gregorius 15. in suis Bullis, de quibus *Lavorius tit. 4. cap. 6. num. 21. Diana par. 5. tract. 2. resol.* 74. undè offendens Cardinalem, qui nondùm cappellum habuit, incidit in censuram bullæ cœnæ, quia quandò aliquis in Cardinalem nominatur, & assentit, verè Cardinalis efficitur, nam cappellum est accidentarium, *Bonacina in Bulla Cœna disp. 1. q. 12. pun. 2. num. 3. Duardus in Bullam Cœnæ lib. 2. can. 11. q. 6.* & alii apud *Dianam*, si contingat, quòd plures Cardinales ante factam electionem decedant, ad solos superstites, qui vivunt, pertinebit electio, quamvis duo tantùm remanserint, quia unus poterit alium eligere. *Lavorius ubi suprà cap. 6. num.* 25. Idem dico si alii è conclavi discesserint Papa non facto, nam si duo remaneant solùm, eis competit electio. *Bonacina de legib disp. 1. q. 1. pun. 3. num. 28. ex cap. Adrianus, & cap. non licet, §. his dist. 63. cap. Abbatem cum duobus sequentibus 18 q. 2.* quidquid dicat *Castrus Palaus 1. tom. tractat. 3. disp. 1. pun. 23. num.* 20. immò si unus remaneat Cardinalis in conclavi, cæteris exeuntibus, vel negligentibus Papam eligere, quia jus, & nomen Universitatis in uno servatur, *l. sicut* ubi *Bart. §. in Decurionib. ff. quod cujusque Universitatis*, nam licet collegium in uno constitui non possit. *l. Neratius, ff. de verb. signif glossa in cap. 1. & cap. licèt de elect.* tamen in uno potest retineri *l. sicut, l. si optio, ff. de optione legata*, *Abbas in cons. 15. & 38. vol. 2.* An verò dictus Cardinalis solus possit eligere seipsum quæstio est, negat *Abbas in cap. gratum de postulat. prælat.* sed *in cap. licet eod. tit. de elect. in 6.* idem Abbas dat remedium, quo possit seipsum eligere, ut scilicèt totius sacri collegii nomine alteri eligendi potestatem demandet, qui veluti compromissarius ipsum eliget. Intelligunt DD. dictum Abbatis quandò cæteri Cardinales exirent de conclavi, vel absentes, non autem si essent mortui; tunc enim ipse seipsum eligit, *Salas, Lavorius*, & alii apud *Dianam par. 5. tract. 2. resol. 72. & Barb. in* d. *lib. 1. de jure Eccles. cap. 1. num.* 74. unum noto, quòd collegium Cardinalium sede vacante non potest corrigere, mutare, seu moderare constitutiones Summorum Pontificum, nec eis quicquam addere, vel detrahere, præsertim circà illa, quæ agunt de constitutione, & electione Summi Pontificis, *Lavorius tit. 3. cap. 3. num.* 10. nec potest creare Cardinales, nec potest mittere Legatos Sedis Apostolicæ, nisi urgeat necessitas, nec potest revocare Legatos transmissos à Pontifice defuncto, nisi etiam urgeat necessitas, nec potest dare pileum, vel alia insignia Cardinalitia, & similiter, nec claudere, nec aperire os Cardinalibus de recenti creatis, *Lavorius ubi supra*, sequitur *Barb. in Clem. ne Romani de elect.*

Quòd si omnes perirent Cardinales, putant aliqui, quòd electio esset facienda à Canonicis Lateranensibus, quorum Ecclesia est propria Sedes Pontificis super omnes Orbis, & Urbis Ecclesias, ità *Sylvester Aldobrandinus in addit. ad Decium in cap. licèt de elect. nu.* 52. sequitur cum aliis *Lavorius d. tit. 4. cap. 6. num.* 27. alii putant spectare ad Concilium Generale, ita *Hostiensis, Augustinus de Ancona*, & alii apud DD. citatos; alii putant pertinere ad Patriarchas, sed primas duas opiniones magis probabiles dicit *Azorius par. 2. lib. 4. cap. 2. q. 11. Barb.* & meliùs *d. lib. 1. num.* 75. putat primam opinionem esse veram, & probabiliorem; quandò verò Papa deponitur à Concilio, ut accidit Gregorio 12. & Benedicto 13. tunc à Concilio deponente fit electio, & non à collegio Cardinalium; ita *Abbas in d. cap. licet in ultimo notabili de elect.* sequitur *Soccinus in cap. ad petitionem de accus.* Alii putant etiam hoc casu spectare ad Cardinales potestatem prædictam, *Azorius ubi sup. q. 13. Lavorius tit. 4. cap 6. num.* 29.

Si eligatur laicus in Papam valet electio, *glossa in cap. si quis pecunia 79. dist. in verb. non Apostolicus*, *Lavorius, tit. 4. cap. 12. nu.* 10. nec obstat validitati electionis si uxoratus eligatur in Pontificem, nam si uxore sciente id contingat, videtur cogi eam posse, ut convertatur, argum. *cap. qui uxorem 33. q. 5.* Si verò vir absque uxoris licentia fieret Pontifex, potest ab ipsa uxore revocari, ut ei teneatur debitum reddere; cùm enim hoc sit jus justitiæ prius, non potuit lædi per Pontificatum, quantumvis bona fide assumptum, eo quòd uxor, v. g. mortua crederetur, ità *Abbas in cap. constitutus num ultimo de convers. conjugat. & in cap. uxoratus eodem tit. Sylvester in verb. matrimo. num 8. q. 12. Parisius de resignat. beneficiorum lib. 3. q. 18. num. 135. Azorius par. 1. lib. 13. cap. 4. q. 13. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 38. nu.* 12.

Femina non potest esse Papa, quod notabili exemplo voluit Deus ostendere; nam cùm Joannes primus Romanus Pontifex Constantinopolim proficisceretur, ut à Justiniano Imperatore contra Theodoricum Regem Italiam devastantem auxilium peteret; pervento Chorintum, quidam vir nobilis mansuetum equum, quo illius uxor utebatur itineris causa prædicto Pontifici accomodavit, remissus posteà equus ità ferox evasit, ut fremitu, & totius corporis agitatione semper suam Dominam expulerit, quasi indignaretur mulierem recipere, ex quo sedisset in eo Jesu Christi Vicarius, ut habetur in *Breviario Romano in die 27. Maii in festo S. Joannis Papæ, & ex S. Gregorio in moralibus* id refert *Card. Baronius tom. 7. annalium anno Christi 525. in principio vers. Gothorum tempore*, undè fabula est illa, quam narrat, feminam fuisse electam Romæ in Summum Pontificem sub nomine Joannis, & dùm prægnans ex quodam suo famulo diù occultasset, tandem dùm ibat ad S. Joannem Lateranensem doloribus partûs oppressam peperisse, & diem suum clausisse extremum, postquàm rexerit Ecclesiam duos annos, mensem unum, & dies quatuor: ex quo deindè Summus Pontifex ante confirmationem patiatur ejus virilia attrectari, ut cum aliis non paucis Authoribus scribit Platina in ejus vita: est enim totum ridiculum, & falsissimum, non enim verisimile est, quòd Christus, qui Mariæ Virgini, suæ Matri Pontificatum, & Claves Ecclesiæ non commisit, *cap. nova de pænit. & remiss.* posteà voluisset illum, vel illas per feminam illam gubernari, quare fabulosam esse talem narrationem tradunt post alios *Card. Bellarm. tom. 1. contr. 3. cap. 24. Julius Lavorius d. tit. 4. cap. 12. nu.* 15. & alii plures, quos sequitur Barb. *de Summo Pontifice lib. 1. cap. 1. num.* 83.

In Papam eligendus debet habere ætatem ad minùs 30. annorum, quia cùm sit Episcopus, ætatem Episcopi habere debet, *Campanilis in divers. rubrica 7. cap. 6. num. 51. Lavorius d. tit. 4. cap. 12. num.* 5.

In §. Celebratur, cùm sequentibus.

AGitur hîc de divisione electionis, & modis quibus fieri potest. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd modus, seu forma electionis est triplex de jure communi, videlicet per scrutinium, per compromissum & per communem inspirationem; aliter autem facta electio est ipso jure nulla, *cap. quia propter de electione*, de quibus *Petrus Gregorius cap. 3. Azorius, Rodriquez, Sigismundus à Bononia, Castellinus Tamburrinus, Massobrius*,

Lavo-

Digitized by Google

Lavorius, & alii apud *Barb. lib. 1. de jure Eccles. cap. 19. num. 148.* & non solùm in electione Prælatorum sæcularium, sed etiam regularium, idem modus servatur, ut tradunt DD. ubi suprà, licèt hodie putet *Miranda tom. 2. q. 23. art. 15. concl. 2.* modum eligendi prælatos regulares, de quo in d. *cap. quia propter* sufficienter sublatum per *Trid. sess. 25 cap. 6. de regul.* ubi dicitur per vota secreta esse faciendam electionem, sed meliùs putant *Trident.* non excludere, ibi, electionem per viam compromissi, aut inspirationis, etiam in prælatis regularibus, ità *Sigismundus de electione dub. 27. num. 10. Tamburrinus d. disp. 5. q. 5. num. 9. Barb. ubi suprà num. 158.*

Electio per scrutinium requirit primo, ut electores vneti in unum congregentur in aliquo publico loco, unde non sufficit consensus omnium singulariter præstitus, putà domi, vel alibi, *cap. in Genesi 55. de electione*, *Miranda*, *Tamburrinus*, *& Lavorius ubi suprà cap. quia propter*, *§. electiones de electione*; undè noctis tempore fieri non potest electio, tribus tamen luminibus accensis si fiat electio noctis tempore ex justa causa valet, *Ripa de nocturno tempore cap. 98. Lavorius tit. 4. cap. 18. nu. 10. Portellius in dub. regul. in verb. electio num. 50. & ex cap. consuluit de offic. deleg.* per noctem intelligitur tempus, quod incipit post datum signum ad Salutationem Angelicam, quousque, videri potest lumine artificiali usque ad diem, id est usque ad illud tempus, quo jam albescit, quia tunc propriè appellatur dies: Missa de Spiritu Sancto in electionibus non est de essentia, sed de solemnitate, ut resolvunt *Sigismundus à Bononia de electione dub. 19. num. 5. Lavorius tit. 4. cap. 19. num 43. Tamburrinus disp. 5. q. 6. num. 28.* & electores sic collegi liter congregati in unum in consueto, seu alio communi loco, tenentur præstare juramentum de eligendo magis idoneo, secundùm Deum, & eorum conscientias, juxtà præceptum *Concil i Basileensis sess. 23. & 28. in Decretis de electione*, quod fuit deindè confirmatum per Clementem 8. in Generalibus Decretis ad regularium reformationem spectantibus, editis anno 1599. & nunc sub Urbano 8. innovatis quod juramentum quomodo præstetur tradit *Sigismundus de Bononia de elect. dub. 26. num. 5. Lavorius tit. 4. cap. 19. num. 49. Barb. lib. 1. de jure Eccles. cap. 19. num. 181.* debet etiam præcedere tractatus, *glossa in verb. tractantes in cap. in Nomine 23. dist.* qui tractatus sunt veluti præparatio ad electionem, & fit in eis discussio eorum, quæ facienda sunt, juxta *cap. in Genesi*, *& cap. Cumana de elect. Sigismundus à Bononia de elect. dub. 56. num. 6.* unde putant aliqui talem tractatum esse de substantia electionis, ex quorum numero est *glossa in cap. cùm in veteri de elect. in verb. tractatu*, *Petrus de Gregorio de elect. cap. 15. in fine.*

Secundò requiritur, in electione, quæ fit per scrutinium, ut scrutatores, qui eligentium suffragia exquirere, & suscipere debent assumantur per collegium, quia si per se ingerantur redduntur suspecti, *Lavorius tit. 4. cap. 19. num. 45. Tamburrinus disp. 5. q. 6. num. 4.* qui scrutatores debent esse tres, non pauciores, aliàs electio esset nulla, *d. cap. quia propter*, *Sigismundus à Bononia de elect. dub. 20. Tamburrinus disp. 5. q. 6.* ut scilicet tres faciliùs conveniant, & fideliùs negotium tractant qui scrutatores debent esse de capitulo, alias electio nulla est, *d. cap. quia propter*, ubi *Abbas Franciscus Marcus decis. 1201. Sigismundus à Bononia dub. 20. num. 3. Lavorius ubi suprà cap. 19. nu. 47. Tamburrinus disp. 5. q. 6. num. 7.* & si plures, quàm tres adhibeantur scrutatores non tenet electio, quia regula, quæ habet quòd utile per inutile non viriatur, fallit, quandò aliquid inducitur forma substantiali, hæc enim cùm sit individua utile per inutile non vitiatur, D.D. per illum *textum in d. cap. utile per inutile de regul. juris in 6. Rota dec. 471. num. 9. par. 1.* & in terminis electionis, post alios *Barb. lib 1. de jure Eccles. cap. 19 num. 190.* De consuetudine verò legitimè præscripta introduci potest, ut illi, qui non sint de capitulo, eligant *Barb. ubi suprà*, ubi tamen requiritur scientia Papæ, quia ad abrogandam legem Cannonicam requiritur scientia Papæ, *Salas disp. 19. de de legib. num. 62. in fine*, *Verallus dec. 204. num 3. par. 3.* quia Summus Pontifex non habet authoritatem à populo, sed à Deo, ideò non est populus, qui introducit consuetudinem contrà Canones, sed authoritas Papæ, quod secus est in lege civili.

Tertio requiritur, ut tales electores diligenter vota scrutentur eligentium, *d. cap. quia propter*, scilicet animorum desideria, & debent vota dari purè; non sub conditione, nam si ita detur, habetur pro non dato, nec in aliorum numero computatur, ac si neminem nominasset, vel ab extraneo datum esset, *Lavorius d. cap. 19. num. 64. Sigismundus à Bononia d. tract. dub. 29.* vel si in scrutinio per schedulas celebrato, reperiatur aliqua schedula vacua, tunc enim ea rejecta, ac si non esset, cætera vota numerantur, *Navarrus cons. 7. de elect. Rodriquez tom. 2. q. 52. art. 3. Miranda d. tom. 2. q. 23. art. 10.* quæ vota debent secretò dari, d. *cap quia propter*, & in electione Abbatissæ possunt vota per Episcopum, unà cùm Vicario, vel alio viro assumpto ore tenùs accipi, ut ait Sacra Congregatio, teste *Riccio in praxi par. 1. resol. 637. in 2. editione*, *Sigismundus de Bononia dub. 27. Lavorius d. cap. 19. nu. 8. Barb. in d. lib. 1. cap. 19. num. 204.* & ipsi electores debent votum suum in schedula scriptum deferre, ità ut nec ipsis scrutatoribus notum sit, *Lavorius d. cap. 19. num. 75. Tamburrinus d. q. 6. num. 8* & talia vota nunquam debent publicari, sed secreta manere, *Trid. sess. 25. de regul. cap. 6.* undè si electio fit per vota publica est nulla, etiam data ignorantia Concilii Trid. neque potest Episcopus dispensare, *Riccius par. 4. dec. 197 Novarius in singul. Canon ces concl. 86 num. 3. Sigismundus à Bononia de elect. dub. 31. num 10.* unde eligentes per schedulas aliquo patenti signo signatas, ita ut innotescat scrutatoribus, vel uni ex illis, quòd talia elector eligit illum nominatum in schedula, faciunt electionem non secretam, & peccant mortaliter, & ideò sic electus factus de hoc certus, tenetur resignare prælaturam, sive officium, & petere à Sanctissimo confirmationem, cum dispensatione, ità decisum à sacra Congregatione refert *Laurentius de Peyrinis tom. 1. de religioso subdito. & prælato q. 1. de obedien. cap. 21. Castellinus de elect cap. 4. num. 61. Barb. lib. 1. de jure Eccles. cap. 19. num. 207.* qui verò ostendit simpliciter schedulam secretò factam ad effectum, ut videat, quem ipse eligit, non tollit quin electio subsequens immediatè sit secreta, *Navarrus cons. 9. in antiquis de electione*, *Sayrus in decis. in tit. de elect dec. 4. Castellinus de elect. cap. 4. nu. 3.* undè nota signanter electionem esse nullam, licèt unum suffragium ostendatur publicè, *Sigismundus de Bononia dub. 31. num. 4. Lavorius d. tit. 4. cap. 19. num. 54. Garsia de beneficiis, par. 5. cap. 4. num. 193. Barb. num. 211.* & inquisitio suffragiorum debet fieri singillatim, neque electores vocantur bini, vel terni, sed singuli, d. *cap. quia propter*. ibi sigillatim *Sigismundus de Bononia de elect. dub. 26, Tamburrinus d. disp. 5. q. 6. num. 10.* & omnia vota singillatim exquisita in scriptis redigi debent, *d. cap. quia propter*, & postcà publicentur in communi,

muni, *d. cap. quia propter*, ubi illud verbum *mox*, interpretatur statim, & incontinenti, nullo actu intermedio extraneo, *Laverius d. cap.* 19. *num.* 82. & licèt electores ante scrutinii publicationem variare poterint, & alios ad libitum nominare, *cap. quòd sicut de electione*, publicato tamen scrutinio non possunt ampliùs nomina variare, sed collatio facienda est, & celebranda electio, *d. cap. publicato eodem titulo*, sic decisum *in Rota de anno* 1628. refert *Barb. d. cap.* 19. *num.* 218. & licèt olim requireretur, ut major pars, & sanior prævaleret in electione, tamen hodie simpliciter major pars sufficit, quia vota non ponderantur, sed numerantur, semper enim major pars sanior præsumitur, nisi persona electa sit indigna, *Suarius de religione tom.*4. *tract.*3. *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 13. *Sigismundus a Bononia de elect. dub.* 18. *num.* 8. *Laverius tit.* 4. *cap.* 19. *num.* 89. *Tamburrinus d. disp.* 5. *quæst.* 9. *num.* 21. *Rota apud Barbos. dicto cap.* 19. *num.* 223.

Sciendum secundo est, quòd electio interdùm est irrita ipso jure, interdùm irritanda, & cassanda. Est irrita ipso jure primo electio ad officia, & dignitates Ecclesiasticas facta per sortes, *Miranda d. q.*23. *art.* 18. *Garsia par.* 5. *de beneficiis cap.* 4. *num.* 201. *in addit. Sigismundus à Bononia de elect. dub.* 27. *num.* 8. *Laverius tit.* 4. *cap.* 20. *nu.* 40. *Tamburrinus d. disp.* 5. *q.* 22. *num* 9. contra *Suarez de religione tom.* 1. *tractat.* 3. *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 9. *Sanchez tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 83. *Bonacina disp.* 3. *de præceptis decalogi q.* 5. *pun.* 3. *num.* 13. Secundò est irrita ipso jure electio facta per metum impedientem omninò libertatem eligendi, *glossa in cap. bona memoria il.* 1. *in verb. metu bani de elect.* ubi *Abbas Laurentius de Peyrinis de religioso subdito q.* 1. *de obedientia cap.* 31. *§.* 8. *Castellanus de elect. cap.* 4. *num.* 56. *Tamburrinus d. disp* 5. *q.* 22. *num.* 7. *Sigismundus à Bononia dub.* 50. *Laverius tit.* 4. *cap.* 21. *num.* 4. qui metus debet esse cadens in constantem virum, scilicet, ut malum, quod timetur, sit grave, & ut timens non possit facilè occurrere DD. ubi suprà. Esset etiam nulla ipso jure si arctaretur ad tres, vel quatuor sine urgentissima causa, & authoritate Sedis Apostolicæ, *Rodriquez quæstion. regul. tom.* 2. *q* 56 *num* 1. *Lavorius*, *Castellinus*, & alii ubi supra, est etiam nulla ipso jure electio si fiat per abusum potestatis sæcularis, *cap. quisquis de elect.* scilicet quandò Clerici requirunt laicos, ut intersint electioni, vel quandò requirunt Principis sæcularis potestatem super certa persona eligenda. *Tamburrinus d. disp.* 5. *q.* 22. *num.* 10. est etiam ipso jure nulla electio celebrata, non servata aliqua ex formis illis, de quibus *in cap. quia propter de elect.* ut tradit *Sanchez lib.* 2. *summa cap.* 38 *Suarez de religione tom.*1. *tractat.* 3. *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 9. & communiter *Canonistæ in d. cap. quia propter* ut patet ex verbis dicti textûs, ibi aliter electio non tenet, quæ verba denotant vim decreti irritantis, & pluries decisum refert *Sigismundus dub.* 3. *num.* 50. & quia dictum decretum irritans est expressum, ideò ligat etiam ignorantes quoad nullitatem actûs, *cap. dudum cap. penul. de preben. in* 6. *cap si eo tempore*, ubi *glossa in verbo ignoranter de elect. in* 6. *cap.* 1. *cap. si soli de concess. preb. in* 6. In alias verò pœnas, de quibus *in d. cap. quia propter*, non incurrunt ignorantes, *Sigismundus d. dub.* 3. qui ait, quòd neque potest induci contraria consuetudo, quia decretum est irritans, & sic excludit consuetudinem in præteritum, & futurum: verùm licèt sit nulla talis electio, tamen potest iterari ab eisdem electoribus ante latam Judicis sententiam, quia ipsi non sunt ipso jure privati, sed privandi, *glossa in d.cap.* 1. ubi *DD. de sagittariis*, *Sigismundus d. dub.* 3. *num.* 10. Neque possunt prælati regulares supplere defectus *d. cap. quia propter de elect.* ut latè post omnes *Sigismundus dub.* 4. *de elect.* qui est videndus *in dub.* 6. *&* 7. Quòd si electio non consequitur effectum absque culpa eligentium, revertitur ad eosdem, ac si vacatio nova esset, *cap. si electio de elect. in* 6. ubi si electus consentire recusat, vel post consensum renunciat juri suo, vel moritur, electores, qui jam fecerant, quod spectabat ad ipsos infrà terminum juris eligendo, habebunt intrà tempus à dissensu, à renunciatione, à morte, vel irritatione prædictis, ac si vacatio nova esset, prædictum tempus integrum ad electionem aliam celebrandam, dummodò nihil fraudulenter egerint in præmissis, idem dicas cùm *glossa ibi de* 3. *&* 4. *electione*, *si* 3. 4. *&* 5. *electum dissentire contingat*. Quòd si superior jure devoluto providet, ex eo, quòd electores fuerunt negligentes intrà terminum præfixum, & ex negligentia electionem non celebraverint, tunc si provisus renunciat, vel &c. non ad eundem provisorem, sed ad electores redit electio. Idem dicas si compromittentes non elegerint intrà suum tempus, quia tunc ad compromittentes revertitur facultas, *cap. si compromissarius*, ubi *glossa*, *& Canonistæ de elect. in* 6. latè *Sigismundus dub.* 11. & ad propositum est videndus *Franciscus Salernus consil.* 44. *lib.* 1. Qui probat, quòd si Patronus præsentaverit aliquem in jure Patronatûs in fine sui temporis, scilicet si sit laicus infrà quatuor menses, si Clericus infrà sex, ad hoc, ut Clericus præsentatus renunciet, & renunciatione facta iterùm sibi currat tempus præsentandi in foro externo validè facit, licèt in foro conscientiæ præsentatio non teneat, nullumque tribuat jus præsentato, *Salernus ubi suprà.*

Cassandæ verò sunt electiones, quæ fiunt per secreta suffragia, & occulta conventicula, *d. cap. quia propter. §. electiones de elect. Tamburrinus d. disp.* 5. *disp.* 22. *Barb. d. lib.* 1. *cap.* 19. *de jure Eccles. num.* 236. qui alia affert exempla quandò est irritanda electio.

Ex quibus infertur electionem Papæ fieri posse tribus modis. Primo per scrutinium. Secundo per accessum, seu communem inspirationem. Tertio per compromissum. In scrutinio præsunt tres Cardinales, & quisque dicit ex electoribus. Ego N. eligo in Summum Pontificem Eminentissimum N. & signat dictam schedulam suo sigillo, & signata schedula, accedit ad altare secundum ordinem suum, genuflexus ponit eam in calice, in quo eodem die sacra sunt peracta, & sic per scrutinium habens duas partes pro se eligitur, & sic per scrutinium electus Innocentius Quintus, Adrianus Quintus, Nicolaus Tertius, Martinus Quartus, & Leo Decimus, junctis aliis, de quibus *Barb. d. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 88.

Per accessum dicitur, quandò duæ partes Cardinalium accedunt uni, eumque eligunt sine ullo scrutinio pro Papa: taliter fuerunt electi Nicolaus Quintus, Callistus Tertius, Pius secundus, Paulus Secundus, Sixtus Quartus, Adrianus Quartus & alii apud *Barb.* de quo accessu Gregorius Decimus quintus in sua Bulla, quæ incipit *Æterni* 2.

Per compromissum verò fit, cùm propter discordiam Cardinales in aliquem committunt negotium electionis, ut scilicet ipse eligat, quem voluerit *Sigismundus d. dec.* 2. & est de hoc conficiendum instrumentum publicum, & compromissarius dicit. Ego N. compromissarius de consensu, & voluntate compromissariorum meorum eligo, &c. *Miranda in manuali tom.* 2. *q.* 23. *art.* 38. *concl.* 2. Potest etiam fieri compromissum in duos, ut ipsi scilicet exquirant vota singulorum, illumque eligant, in quem major pars consenserit, de qua *in cap. cum dilectus de elect. & in d. cap. quia propter*, *& in cap. cum*

cap:diat

expediat 29. *de elect. in* 6. *& in cap. si cui eodem tit. in* 6. & sic per tale compromissum fuerunt electi Clemens Quintus, Gregorius Decimus. Joannes 22. quem facto compromisso in ejus personam dicunt se ipsum elegisse, & hac de causa recessit ab usu compromissum, quo exemplo posset compromissarius seipsum eligere, tradunt *Azorius par.* 2. *lib.* 4. *cap.* 2. *q.* 8. *S. Antoninus par.* 3. *tit.* 2. *cap.* 24. *Barb. d. cap.* 1. *num.* 97.

Additur ab aliis alius modus, scilicet per viam Spiritûs sancti, de quo fit mentio *in d. cap. quia propter de elect.* & est duplex. Primo per inspirationem, quandò omnes electores quasi inebriati, & stupefacti eligunt: alius per quasi inspirationem, quandò subitò, & repentè unos post alium, sine aliquo tractu de eligendo specialem personam, & intervallo eligunt; quod si unus dissentiat, non fit per viam Spiritûs sancti electio, & hoc modo fuerunt electi plures Pontifices, de quibus *Barb. Sigismundus dub.* 2.

Fuit deinde alius modus inductus eligendi Pontificem per adorationem. videlicet quandò duæ Cardinalium partes nullo scrutinio expectato, sed voce aliquem ex Cardinalibus in Romanum Pontificem salutabant, & venerabantur, ut refert *Azorius par.* 2. *lib.* 4. *cap.* 5. *in fine*, & secundùm hanc formam fuerunt electi Clemens Septimus, Paulus Tertius, Julius Tertius, Marcellus Secundus, Paulus Quartus, Pius Quartus, Pius Quintus, & alii successores usque ad Gregorium Decimum quintum inclusivè.

Sed novissimis temporibus Gregorius Decimus quintus, & Urbanus Octavus determinarunt non posse fieri electionem Romani Pontificis, nisi in conclavi, & eo clauso, & post celebratam in eo prima die Missam de Spiritu sancto, cui Cardinales intersunt, & communicantur, & per secreta suffragia duarum partium eligitur, nisi aliàs per compromissum, vel inspirationem fieret electio, & persona electi si sit in conclavi enumeratur in numerum Cardinalium pro majori parte votum Cardinalis in Urbe existentis, sed si non sit in conclavi, non admittitur; ingredientis votum post conclave reclusum tunc admittitur, & valere incipit, cùm ingreditur, hoc est ad præsentia tantùm, & futura negotia, non ad præterita, *d. cap. ubi periculum de elect. in* 6. *§ hoc Sacro*, & licèt ad electionem regulariter sufficiat si mittantur scrutatores ad eum, qui est legitimè impeditus, tamen in electione Papæ id specialiter prohibuit Gregorius Decimus quintus, & licèt locus eligendi Papam sit in palatio Apostolico, ibi enim fit conclave tamen hoc non est de substantia electionis. Undè tempore Gregorii Decimi quinti in ejus obitu de mense Julii 1623. inclinabant patres facere conclave in Monasterio S. Mariæ suprà Minervam quod tamen non fuit factum, undè multi Conclavistæ mortui fuerunt. Si Papa moretur extrà Urbem Romæ, novus Papa eligitur, ubi mortuus est antecessor, nisi Papa ibi ivisset ob aliquam causam, & remanente audientia in Urbe Romæ, tunc enim Romæ fit electio, *cap. ubi periculum de elect. in* 6. ubi DD. & quandò fit extrà Urbem Romæ, fit conclave in palatio Episcopali, *Laverius tit.* 4. *cap.* 18. *num.* 8. quòd si aliquis canonicè non fuerit electus, & pro Papa haberi voluerit, quamvis intronizatus extiterit, tàm ipse, quàm illi, qui eum receperint, excommunicati erunt, & ordinis sacri privatione puniti; viatici etiam communione privantur, nisi in extremis positi sint, & si non resipuerint cum Datan, & Abiron, quos terra vivos absorbuit, accipient portionem. *cap.* 1. 23. *dist. cap. si quis pecunia* 79. *dist. cap. factus est in fine* 7. *q.* 1. *cap. licet de elect. Bulla Julii Secundi in Bullario tom.* 1. *pag.* 403. *Bulla Pauli Quarti pag.* 735.

Summus Pontifex postquam electus est nullam requirit confirmationem; quia statim verus est Papa, & jus habet administrandi, *glossa in cap.* 1. *in verb. & dispensandi* 23. *dist. & in cap. licet de elect.* ratio à priori est, quia confirmatio electionis debet fieri per superiorem, sed Papa nullum habet in terris superiorem ergo, nomen etiam sibi mutat, quia statum mutat; cujus nominis mutatio cœpit ab Adriano Tertio qui anteà dicebatur Agapetus, *Azorius par.* 2. *lib.* 5. *cap.* 42. *q.* 50. Fit intronizatio Papæ per Episcopum Cardinalem Hostiensem, qui in eo actu fungitur vice Metropolitani, *cap.* 1. *distin.* 23. Hodie Cardinalis Decanus licèt non sit Episcopus Hostiensis id munus cum duobus aliis senioribus gerit, & antequàm intronizetur, est nihilominus legitimus Papa. *cap. si quis pecunia* 79. *dist. cap.* 1. *vers. planè dist.* 23. *Duardus in Bulla Cœnæ lib.* 1. *cap.* 1. *q.* 2. *num.* 30. *Barb. de potestate Episcopi alleg.* 50. *num.* 238. Toto anni tempore Papa nullo alio colore utitur in vestibus, nisi rubro, & albo, videlicet veste talari alba, quam subtanam vocant, super quam induitur mozzetto, & bireto rubro, & calceamentis rubris cum cruce aurata desuper, octo tantum diebus exceptis, scilicet à sabbato sancto post Missam usque ad sabbatum in albis, etiam post Missam, quia tunc utitur bireto, mozzetto, & calceamentis albi coloris: latè de qualitate vestium pontificalium agit *Barb. d. lib.* 1. *cap.* 1. *in fine.*

Electus Papa statim in sede forata collocatur, ad hoc, ut qui in sede gloriosa sedet de humilitatis virtute non obliviscatur, *Petrus Gregorius p.* 2. *Syntagm. lib.* 15. *cap.* 3. *num.* 22. undè in die suæ coronationis comburuntur stupæ ante illum in summitate arundinis, & clamatur alta voce. *Sic transit gloria mundi Pater sancte, Navarrus in cap. inter verba* 11. *q.* 3. *concl.* 5. *num.* 77. ex quo se nominat Papa Servum Servorum Dei, *cap. relatum de senten. excommun. & in superscriptione textûs cap. ex multis* 1. *q.* 3. quorum primus, qui se tali nomine appellavit, fuit S. Gregorius. *Additio ad glossam, in verbo servus in proœmio sexti*, legat *Barb. d. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 30.

In §. Finali.

CONclusio hujus textûs est, quòd facultas data compromissariis eligendi, revocari non potest, ut hîc, & in *cap. in causis*, ubi *glossa, & DD. de electione*, quod intellige quandò res non est integra; sed si res sit integra potest revocari, ut in simili videmus de procuratore, qui re integra revocari potest non solum expressè, sed etiam tacitè, ut in *tit. instit. de mandato*: undè recedas à *glossa in d. cap. in causis* quæ ait re integra, neque posse revocari. Dicitur verò res non integra, quandò compromissarii attigerunt substantiam negotii puta si inceperunt tractare aliqua pertinentia ad solemnitatem actûs, puta si inceperunt agere de persona eligenda: at secùs si tantùm sit dicta Missa de Spiritu sancto, *cap. si compromissarii de elect. in* 6. in judiciis autem res non dicitur integra post contestationem litis, *d. cap. in causis, §. quasi de elect.*

Rogabis quibus modis eligatur Episcopus.

Respondeo, quòd in primordio Ecclesiæ Episcopi eligebantur ab Apostolis ex potestate eis data à Christo Domino. Secundo tempore eligebantur totius populi, & cleri authoritate. *cap. nosse*, ibi convocato clero, & populo, *cap. cleri, & vota cum sequenti* 63. *distin. cap. ultimo, §. sed nec* 51. *dist.* cujus praxis desumpta fuit à *Paulo* 1. *ad Tim.* 3. *cap. licet* 8. *q.* 1. *Gratianus in cap. cum longe* 63. *dist.*

dist. Vivianus in praxi Jurisf. patronatûs par. 1. lib. 3. cap. 1. num. 18. Lavorius tom. 1. tit 4. cap. 15. & difformiter fuit data talis facultas populo, & clero, interdùm pariter utrisque, *cap. Episcopos, cap. lectis 62. dist. cap. factus est 7. q. 1.* deinde fuit dispositum, ut clerus eligat, populus verò consentiat, *d. cap. nosce, d. cap. vota. Vasquez de ordine disp. 244. cap. 4.* fuit deindè laicis talis facultas abrogata, *cap. non est permittendum 62. dist. cap. Ossius 2. de elect.* & aliqui spontè renunciarunt, *cap. Valentinianus 62. dist.* undè laicis abrogata potestate remansit solùm penès clericos, & religiosos diœcesis, *cap. abeuntibus 62. dist. Petrus Gregorius de elect. cap. 6.* Deindè clerici sunt à religiosis separati, & fuit dispositum, ut Canonici faciant suum Episcopum, *cap. cum cætera, & toto tit. de elect.* quæ consuetudo diù in Ecclesia duravit, usque scilicet ad tempus Bonifacii 8. & Clementis 5. ut constat ex *tit. de elect. in 6. & Clementinis Barb. de officio Episcopi par. 1. tit. 1. cap. 3. num. 27. Vivianus d. cap. 1. num. 34. Lavorius d. cap. 15. num. 22.* Posteà cum magnæ orirentur discordiæ in talibus electionibus faciendis, ideò Clemens V. *in extravaganti, & si in temporalium de præben.* inter communes reservavit sibi Ecclesias apud Curiam Romanam vacantes: deinde idem Clemens V. reservavit etiam sibi eas Ecclesias, quæ clero, & populo christiano carerent, *in Clement. plerisque de elect.* Posteà Benedictus Undecimus in extravaganti Sancta Romana *de Elect.* inter communes statuit quatuor Patriarchales vacantes non posse provideri inconsulto Summo Pontifice deindè in regula 3. Cancellariæ fuerunt Pontifici reservatæ omnes Ecclesiæ Episcopales, Archiepiscopales, &c. & sic hodie Summus Pontifex providet omnes Ecclesias, licèt Rex Hispaniarum, Galliæ, Poloniæ, &c. potestatem habeant nominandi Episcopos in suis Regnis, & in Germania tantùm vetus consuetudo canonicæ Electionis per capitula faciendæ observatur, ut dicunt *Azoriss par. 2. lib. 6. cap. 14. q. 2. Julius Lavorius d. tit. 4. cap. 15. num. 23.* post alios *Barb. de jure Eccles. tit. 1. cap. 8. num. 73.* undè nunc Reges Hispaniæ Episcopos nominant, designant, eligunt, & offerunt Romano Pontifici, ut eos in Ecclesiis instituat, *cap. cum longè 63. dist. Borrellus de præstantia Regis Catholici cap. 50. Bovadilla in sua politica lib. 2. cap. 18. num. 215. Garsia de beneficiis par. 5. cap. 1. num. 214.*

Tenetur ergo capitulum Episcopo mortuo, si est ad Regiam præsentationem denunciare mortem Regi, ut Rex nominet personam Summo Pontifici ad providendum de Episcopatu vacante: Custodia verò bonorum Episcopatûs defuncto Episcopo ad præsentationem Regiam pertinet ad Regem, *Gabedus dec. 34. par. 1.* quia Ecclesia viduata est sub Regis protectione, & licèt inventarium bonorum prædicti Episcopi faciendum coram Judice fisico tradiderint *Gabedus ubi supra & Cevallos de violentia par. 2. q. 76. num. 13.* tamen prædictum inventarium faciendum esse coram Judice Ecclesiastico tradit *Franciscus Marcus* dec. 105. *par. 1. Mart. de jurisdict. par. 4. casu 1222. num. 16.* quia Episcopi decedunt ab intestato, & eorum hæredes sunt alii Episcopi, Ecclesia, vel Camera Apostolica, quæ omnes sunt personæ Ecclesiasticæ. Hos prælatos, qui præsentant hortatur, *Trid. Sess. 24. de reform. cap. 1.* ut scilicet bonos pastores præsentent.

Quandò verò Episcopatus est ad liberam dispositionem Papæ, dico quòd tunc Episcopus eligitur, quandò præconizatur in concistorio; hæc enim præconizatio, vim habet electionis, & fit talis actus ad cognoscendum an quis habeat aliquod contra prædictam personam assumendam, ut si quis sciat aliquod impedimentum, illud proponat: & hæc electio nullum jus tribuit, aut jurisdictionem, nec potest quis vigore illius fructus percipere DD. per eum *textum in cap. sicut de electione.* Confirmatur deindè Episcopus, quandò alia die in eodem concistorio, prius fabricato processu super vita, & moribus promovendi, expeditur scedula, quam in Urbe vocant concistorialem, quæ habet vim supplicationis in Dataria, & habet vim matricis, super qua expediuntur litteræ Apostolicæ, & anteqùam literæ expediantur illa scedula dicitur *Gratia informis, Gamesius de confirm. resign. q. 18. num. 1.*

Processus super pluribus fabricatur. Primo super ætate, ut scilicet habeat 30. annos completos, *cap. cum in cunctis, §. præsertim de elect.* Secundo an sit de legitimo matrimonio natus, an sit in sacris, an Doctor, & in qua facultate, quot sint reditus Episcopatûs, sub quo Metropolitano sit, an habeat seminarium, & alia multa, de quibus *Barb. lib. 1. cap. 9. d. num. 24.*

Formato processu, & peracto examine assumendus genibus flexis coram Cardinale proponente emittit fidei professionem, juxtà formam traditam à Pio Quarto in Bulla incipiente *injunctum nobis.* quæ Bulla habetur in fine Concilii Tridentini, & in publico instrumento omnia rediguntur, quæ à Notario, vel Secretario sunt scripta, & Cardinalis proponens illum subscribit, attestando processum vidisse, & proponendum requisitas habere qualitates, & à Cardinali proponente ad Cardinales capita ordinum, videlicet seniorem ex ordine Episcoporum, seniorem ex ordine presbyterorum, & seniorem ex ordine diaconorum defertur, & alia adhibentur, de quibus *Barb. loco cit.*

TITULUS VII.

QUI ELIGERE, ELIGIVE POSSUNT.

VIsum est suprà quid sit electio, quotuplex, & quas requirat conditiones, videndum est, qui possunt eligere, & quos. Ad cujus intelligentiam

Sciendum est, quòd de jure communi quælibet congregatio, vel collegium debet sibi prælatum eligere, *cap. congregatio 16. q. 1. cap. Abbatem cum sequenti cap. 1. de elect. Garsia de beneficiis par. 5. cap. 4. Miranda in manuali prælatorum tom. 2. q. 23. art. 5. concl. 1. Tamburrinus de jure Abbatum tom. 2. disp. 5. q. 8. Paulus Layman lib. 4. tit. 2. cap. 12. num. 3.* nisi obstet consuetudo, vel privilegium, aut contraria superioris voluntas, quamvis in ipsa congregatione non extent, nisi duo, vel tres legitimi vocales, ergo ad eosdem spectabit electio, non tamen si fuerint minùs quàm duo, *cap. 1. de elect. Mascar. de probatio. concl. 584. Rodriquez tom. 2. q. 53. ar. 11. Tamburrinus d. q. 8.* sed postquàm collegium in duobus saltem fuerit constitutum, potest nihilominùs totum ipsius jus ad unum reduci, & in eo conservari aliis mortuis, privatis, suspensis, vel excommunicatis, *glossa in cap. gratum in verb. pauciores de postul. prælat. & in d. cap. 1. de elect. in verb. duo*, successorem verò sibi relinquere in exitu vitæ nulli prælato licitum est; immò expressè prohibitum, *cap. 2. & 3. & per totum 7. q. 1.* ut etiam diximus de electione Romani Pontificis, nisi ex Apostolicæ sedis authoritate moriens Episcopus coadjutorem suum sibi Episcopum substituere judicet, ut Zacharias Papa Bonifacio Archiepiscopo Moguntino concessit, *cap. petisti 7. q. 1.* in multis etiam Religionibus servatur,

quòd

quòd prælati locales non eliguntur per suffragia fratrum, sed per Generales, & hi, quia ipsi disponunt eorum statuta, quæ cùm sint contra jus commune, ut in *dec. Rotæ Romanæ* 65. *&* 297. *par.* 1. *in novissimis*, debent esse per privilegium Apostolicum confirmata, alias esset nulla, argum. *cap. quod super his de major. & obed. Rodriquez tom.* 3. *quæstion. regul. q.* 11. *ar.* 1. sicut etiam potest jus eligendi competere alicui per consuetudinem; hinc in Episcopatu Avellinensi adest consuetudo, quòd presbyteri possunt optare, id est eligere canonicatum sibi, & Canonici optare possunt dignitates, & præbendas, quæ sunt in Ecclesia Cathedrali. Eadem consuetudo adest in Civitate Puteoli, quæ consuetudo tenet secundùm *text. in cap. cum in tuam de consuetud. in* 6. dummodò optio, seu electio fiat infra 10. dies, de qua optione agam infrà.

In §. Primo.

Agit Paolus hîc de personis, quæ jus eligendi non habent. Ad cujus intelligentiam

Sciendum est primo, quòd pupilli, seu impuberes, hoc est, qui 14. annum non excedunt quoad masculos, & 12. quoad feminas, eligere non possunt, *cap. ex eo de elect. in* 6. *Laverius tit.* 4. *c p.* 15. *num.* 29. *Barb. de potestate Episcopi par.* 1. *cit.* 1. *cap.* 3. *num.* 19. Ratio est, quia ante talem ætatem pubertatis dicuntur carere discretione *d. cap. cum simus de regularibus. cap. ex parte de corpore vitiatis, l. cum prætor, §. non autem de judiciis, Sigismundus à Bononia de elect. prælat. dub* 9. *Barb. in collect. ad textum in d. cap. ex eo*, quia ergo in electione requiritur consilii maturitas ut melior, & utilior eligatur, *cap. constitutus* 20. *de appell.* quæ in impubere cessat, inde non potest eligere, & in hac materia malitia non supplet ætatem; sicut nec in fi ienda tutela, *l. tutores, C. quando tutores vel Curatores*, licèt secùs in matrimonio, *cap. puberes de desponsat. impub.* unde si impubes canonicus non vocetur ad electionem Vicarii Capitularis, non potest agere de contemptu, & improbare electionem factam: *d. cap. ex eo de elect. in* 6.

Secundo non possunt eligere clerici nondùm Subdiaconi, & conversi laici in electionibus eorum ordinum, in quibus sunt professi, *ex cap. ex eo, §. in Ecclesiis de elect. in* 6. *Clem ut ii de æt te, & qualitate, Trid. sess* 22. *cap.* 4. *de refor.* ex quo infertur, quòd cùm ad Subdiaconatus ordinem requiratur ætas 22. annorum ut in *Trid. sess.* 23. *de reform. cap.* 12. sequitur quòd ante istam ætatem eligere non possunt: verùm si quis tempore vacationis non sit in sacris, tempore verò electionis Subdiaconatum susceperit, habebit votum, quia tunc suffragii habilitas, *glossa in d. clemen. ne hi, in verb. constituti, Moneta de tribus. quotid. par.* 2. *q.* 20. *num.* 6. *Julius Laverius d. cap.* 15. *nu.* 34. non tamen tenetur Capitulum expectare, ut quis promoveatur ad Sacros Ordines intrà tempus a jure electioni faciendæ præfixum, quamvis dicat se esse paratum ordines suscipere, sicut nec tenetur collegium expectare impuberem, ut perveniat ad ætatem legitimam, nec novitium ut profiteatur, *Azorius par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 14. *Lavorius d. cap* 15. *num.* 35.

Limitatur verò hoc, quandò vocem haberent ex privilegio statuto, fundatione, vel consuetudine, in aliquo loco etiam non existentes in sacris: unde non obstante dicto loco *Trid. sess.* 22. *cap.* 5. in omnibus ferè Religionibus fratrum habent vocem clerici, & conversi ex Pio V. & licèt *textus in cap. Messana de elect.* dicat laicos non esse admittendos ad electionem, tamen intelligitur, vel de laicis habitu, & professione, non de laicis habitu tantùm, ut sunt conversi religionum, qui non sunt laici professione, sed habitu, vel loquitur textus sine Pontificis dispensatione, legas *Sigismundum à Bononia de elect. dub.* 88.

Canonici supernumerarii in aliquo Capitulo (ut in Ecclesia collegiata Cathedralis Ecclesiæ Venafranæ, cui Ecclesiæ per Clementem Septimum concessum fuit privilegium, ut in ea possint recipi Canonici supernumerarii, qui solùm participant de distributionibus quotidianis, & nullam obtinent præbendam, sed ad primo vacaturam, juxtà illorum prioritatem admittuntur) non opus est, ut habeant eandem ætatem Subdiaconatûs, ut in aliis Canonicis: sufficit enim si dùm assumuntur, ut supernumerarii sint ætatis 14. dummodò tempore præbendæ sint ætatis 22. annorum, ut declaravit Sacra Congregatio apud *Bellarminum in Trid. d. sess.* 22. *cap.* 4. & ideò tales, neque poterunt eligere, ut declaravit eadem Sacra Congregatio, nisi sint in sacris.

Tertio privantur facultate eligendi amentes perpetua amentia laborantes, nam laborantes amentia temporali, ex causa scilicet transeunti, v. g. ex vi morbi, vulneris, iræ, &c. Sublata amentia possunt eligere, D D. per illum *textum in cap. cum inter Canonicos de elect: glossa in d. cap. cum ex eo, in verb. discretionem, Suarez, tom.* 5 *de censuris disp.* 51. *sect.* 1. *num.* 50. *Bonacina disp.* 7. *de censuris q* 2. *pun.* 2. *num.* 23. illi verò, qui delirantur in aliqua materia speciali, nihil ad electionem conferenti non sunt inhabiles, *Sanchez lib.* 1. *disp.* 8. *de matrim. num.* 22. ut si quis religiosus se pedes ferreos habere falsò & stultè putaret, in reliquis verò benè appareret esse perfectè sui compotem, liberumque rationis usum habere.

Undè noto, quòd nomine furiosi venit mente captus, quia mente captus rectè æquiparatur furioso, *l.* 2. ubi *Bald. C. de Curatore furiosi*, & est *textus junctæ glossa in cap. sicut de regul. in verb. extrà mentem*, differt verò in hoc, quia furiosus est mente captus cum sæva dementia, & quadam veloci rabie, mente captus verò est cum quieta dementia, *Baldus in l. humanitatis num.* 15. *de impub. & aliis substitutionib. Fulgosius cons.* 79. *num.* 1. & sic sunt incapaces ad prælaturas furiosi, seu mente capti, *can. Petrus* 9. *dist. can. quamvis* 7. *q.* 1. *can. constitutionem*, ubi *glossa de verb. signif. in* 6. *Petrus Gregorius de elect. cap.* 8. *Sigismundus à Bononia dub.* 86. *Barb. lib.* 1. *de jure Eccl. can.* 19. *num.* 55. Ratio est, quia sunt irregulares, cùm non possint ex pluribus unum eligere: si verò habent lucida intervalla, poterunt eligere ex *cap. quamvis* 7. *q.* 1. *& ex l. Divus, ff. de offic. Præsidis*, sicut idem dicunt de matrimonio carnali, D D. communiter, teste *Sanchez lib.* 1. *disp.* 8. *num.* 16. *de matrim. & est textus in cap dilectus de sponsalibus*, ubi *glossa & eadem glossa in cap. neque furiosus in initio* 32. *q.* 7. quandò verò quis facit actum, & dubitat an tempore sanæ mentis factus sit, debet videre qualitatem actûs, si enim actus talis naturæ sit, ut stultitiam sapiat, tunc non præsumitur à sanæ mentis homine factus, sed si continet bonitatem, præsumitur factus tempore boni intervalli, *Bald. in l. furiosum, C. qui testam facere poss. Mensch. de præsumpt. lib.* 6. *præsumpt.* 45. *Card. Mantica lib.* 2. 50. *num.* 5. 6. *&* 7.

Quod verò de furioso dixi, idem dic de ebrio, qui non multùm distat à furioso, ubi enim ebrietas, ibi furor, *cap. inter* 35. *dist.* undè solitus inebriari non potest promoveri, sicut nec potest sacris initiari, teste *Farinaceo in fragmentis p.* 7. *lit. C. num.* 252, benè tamen potest eligere extrà tempus ebrietatis ut de furiosis diximus, & tenet *Sigismundus à Bononia dub.* 86.

Neque

Neque dicas obst re multa jura, quæ puniunt delicta tempore ebrietatis, ut in *l. respiciendum §. delinquant vers. impetum, ff. de pœnis, cap. inebriaverunt* 15 *q.* 1. *cap. à crapula de vitæ, & honest. clericorum*, quod non est in patranibus delicta tempore furoris, ergo non æquiparantur.

Respondeo enim cum *Barb. p.* 2. *alleg.* 38. *num.* 50. eas pœnas fuisse impositas, non quia tempore ebrietatis delictum commissum possit dici voluntarium, sed potiùs, ob peccatum ebrietatis puniri, ex qua malum fuit secutum, præsertim si quis inebriari contingit, sciens se inebrietatis tempore solitum esse delicta perpetrare, quo casu non erit immunis à culpa, & pœna saltem extraordinaria homicidii, vel alterius mali tempore ebrietatis perpetrati. *Covarr. in clem. si furiosus par.* 3. *in principio num.* 31. *Gomesius tom.* 3. *de delictis cap.* 1. *num.* 75. *Tiraquellus de pœnis temperandis casu* 6. *num.* 9.

Dæmoniaci in solis genitalibus, qui maleficiati dicuntur, non sunt inhabiles ad eligendum, neque ut eligantur, si verò sint in aliis dæmoniaci, non possunt eligi, *cap. maritum, cap. clerici dist.* 33. *cap. usque adeò eadem dist.* nam sunt in statu periculoso, possunt verò eligere cum distinctione, de qua supra in amentibus loquuti sumus, sunt etiam inhabiles illi ad prælaturam, qui notabilem patiuntur visûs defectum, & auditûs, *cap. constitutionem*, ubi DD. *de verb. sign f. in* 6. *Lessius de just. & jure lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 130. *Garsia de beneficiis par.* 7. *cap.* 12. *num.* 21. *Diana par.* 5. *tract. t.* 5. *resol.* 13. Item qui senio sunt confecti ut ad regimen officii non possint assurgere, *cap.* 1. 85. *dist. gloss. in cap.* 1. *in verbo insufficientem de renunc. in* 6. Item, qui sunt ægroti, ita ut sint ad regimen inhabiles, *cap. alius* 16. *q.* 8.

In §. Illud quæsitum est.

Conclusio hujus textûs est, quòd excommunicati excommunicatione majori privantur ipso jure potestate eligendi, non autem minori. Idem dicit *textus in cap. illa quotidiana de elect. cap. constitutus de appellat. cap fin de clerico excommun. minist Suarius tom.* 5. *de censur: disp.* 14. *sect.* 2. *nu.* 17. *&* 18. *Sigismundus à Bononia de elect. dub.* 66. *Squillante de oblige. clerico. par.* 3. *num.* 98. *Julius Lavorius tit.* 4. *cap.* 15. *num.* 48. *Tamburrinus tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 8. *num.* 11. *Layman. lib.* 4. *tit.* 2. *cap.* 12. *num.* 3. *Fernandez in exam. Theolog. mor par.* 4. *cap.* 7. *§.* 2. *num.* 8. *Hurtadus de censuris disp.* 7. *de excommun. diffic.* 3. *in principio.*

Intellige hoc de excommunicato notorio non tolerato ab Ecclesia, vel publico clerici percussore, juxta extravagantem ad evitanda scandala Martini V. in qua habetur, quòd nullus excommunicatum vitare teneatur, nisi sit publicè denunciatus, vel publicus clerici percussor, DD. ubi suprà.

Cùm verò dixi publicum clerici percussorem privari voce eligendi tanquàm excommunicatum vitandum, scias quòd si video ego clericum percuti in hac Civitate in publica platea, non teneor statim percussorem evitare, quia tunc publicus clerici percussor est evitandus, quandò percussio nulla potest tergiversatione celari, & nullo juris remedio otti, sed in hoc casu potest clerici percussor notorius id asserere fecisse in suam justam defensionem, vel ignorasse percussionem esse excommunicationi subjectam, & alia tergiversatione celari potest, &c. Ideò quamdiù non constat per Judicis sententiam illum juris remedio non posse excusari nunquàm dicitur notorius clerici percussor: ità tenent *Covarr. Fagundez, Sayrus*, & alii apud *Dianam tract.* 5. *miscell. resol.* 14. quem casum valdè nota in praxi.

Est igitur talis electio nulla, sive electores sint simplices electores, sive compromissarii DD. ubi suprà. Immo si electio fiat cum interventu unius tantùm excommunicati non tolerati, neque tenet argumento, *cap. quia diversitatem de concessione prebendæ. Navarr. cons.* 1. *de elect. Ricciullus de jure personarum lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 10. quamvis excommunicati eligant unum, & non excommunicati alium, quia unica est tela electionis, & una coelectio, licèt diversi coelectores, & diversi actus eligendi, *Hurtadus d. disp.* 7. *de excommun. diffic.* 3. *num.* 8.

Quòd si excommunicatus prædictus per violentiam sufficientem ad producendum morale involontarium intret, & sine periculo gravi, vel scandalo ab electione expelli non possit, vel ob similem aliam causam, tunc vel cæteri electores debent exire de loco, ubi fit electio, vel etiam possunt procedere ad electionem, protestando se cum excommunicato prædicto nolle in eligendo communicate, illiusque vocem nemini velle suffragari, vel nocere, ità *Innocentius in d. cap. illa quotidiana num.* 50. quæ protestatio potest fieri publicè, vel etiam privatè, si probabilis sit timor talis excommunicati, *Lavorius d. cap.* 15. *num.* 47. qui quid aliter distinguat *Suarez tom.* 5. *de censuris disp.* 14. *sect.* 2. *num.* 8. *Squillante d. par.* 3. *num.* 99.

In §. Suspenso.

Conclusio hujus textûs, quòd suspensi per sententiam Judicis, aut etiam canonis, non possunt eligere. Idem dicit *textus in cap. cum dilectus*, ubi *gloss. sa notabilis in verb. à suspensis de consue:ud. Ricius in praxi p:r.* 4. *resol.* 24. *num.* 8. *Sigismundus lib.* 32. *tract.* 2. *num.* 18. *Ricciullus lib.* 4. *d. jure personarum cap.* 3. *num.* 9. *Tamburrinus d. disp.* 5. *q.* 8. *num.* 13. *Lavorius d. cap* 15. *num.* 61. *Barb. de potestate Episcopi par.* 1. *tit.* 1. *cap.* 3. *num.* 23. nisi tamen esset suspensus ex causa participationis, vel ob aliam, ob quam minorem tantùm suspensionem incurrit per canones, *d. cap. fin.* ubi *glossa de clerico excommunicato ministrante, Lavorius d. cap.* 15. *num.* 63. hic enim minori suspensione affectus non potest eligere, licèt non possit eligi, DD. communiter apud *Sigismundum à Bononia de elect. dub.* 64. *num.* 8.

Ampliatur, sive sint suspensi ab officio, & beneficio simul, sive ab officio tantùm: secùs si sint suspensi tantùm à beneficio, nisi vox competeret ratione beneficii illius, à quo suspensus est *Navarrus in manuali cap.* 27. *num.* 163. *Henriquez lib.* 13. *de excommunicatione, cap.* 32. *§.* 4. *Sayrus de censuris lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 7. & alii, & forsan meliùs oppositum tenent, quòd scilicet talis suspensus à beneficio possit eligere, licèt illi electio competat ratione beneficii, à quo est suspensus, quia electio non est fructus beneficii, sed est actus illius officii spiritualis, cui est annexum beneficium, ità tenent *gloss. in cap. cupientes, §. cæterum*, ubi *DD. de elect. in* 6. *Suarius tom.* 5. *de censuris disp.* 27. *sect.* 2. *num.* 34. *Squillante d. par.* 3. *num* 37. *Barb. lib.* 1. *de jure Eccles. cap.* 19. *num.* 59.

Quòd si aliquis sit suspensus simpliciter nunquàm potest eligere, quia sic suspensus intelligitur ab officio, & beneficio, nisi contrarium ex verbis, vel intentione ferentis aliud non intelligeretur, *gloss. in d. cap. cum dilectus, in verb. à suspensis. Seraphinus dec.* 860. Regulares verò suspensi à divinis possunt eligere quia in regularibus pendet electio non ab ordine, sed à regularitate, ità declaratum per sacram Congregationem die 7. Septembris 1628. refert *Barb. d. lib.* 1. *de jure Eccles. cap.* 19. *num.* 61.

Puta

Putat verò *Bonacina de censuris disp. 3. par. 4. i fine*, acta facta per sospensum, qui non est nominatim denunciatos, valida esse, quia cùm talis oleretur ab Ecclesia, consequenter illi non adimitur jurisdictio, ut de excommunicato tolerato suprà iximus: alii putant oppositum, ut decisum habes *Rota par. 1. in recentioribus dec. 534.* quia est lispar ratio, nam suspensus etiam occultus est prohibitus ab exercitio jurisdictionis, *Navarrus d. cap. 27. num. 151.* & post alios idem *Bonacina de censuris disp. 3. p. 1. num. 2.* ergo etiam est incapax collationis beneficii, quae est actus jurisdictionis, *cap. nosti, cap. transmissio de electione*, & etiam electionis; excommunicatus verò non privatur exercitio ordinis, vel officii, donec fuerit declaratus, sed tantùm communione sacramentorum, undè gesta ratione publici officii, non annullat excommunicatio occulta, & non declarata, ut post *Rotam* decisum refert *Sigismundus à Bononia d. dub. 64.*

Prohibentur etiam eligere interdicti, *cap. cum inter de electione Manuale prælator. to. 2. q. 23. ar. 8. Riccius in praxi par. 4. resol. 42. Julius Lavorius d. cap. 15. num. 67. Sigismundus à Bononia dub. 85. Barb. lib. 5. cap. 1. nu. 62.* quicquid dicat *Castellinus de elect. cap. 5. num. 71.* & clerici exercendo officium sacri ordinis in loco interdicto, vel post personale interdictum, vel celebrando officia divina, *cap. 1. de postul. prælatorum cap. 15.* qui *§. is verò de senten excommun. in 6. Suarius tom. 5. disp. 34. sect. 4 nu. 28. Avila, Coninch.* & alii apud *Barb. Sigism. à Bonon. ubi sup.* sed si electio fiat in loco interdicto ab eis, qui habent facultatem eligendi, valet post alios *Sigismundus dub. 15. num. 5.* quia electio non est sacramentum, sed quædam obligatio, seu contractus, sed per interdictionem loci solùm suspenduntur divina, & Ecclesiastica sacramenta, *cap. fin. de senten. excommun. in 6.* ergo non suspenditur Electio: licèt secus sit in Electione Papæ, quæ non potest fieri in loco interdicto, *cap. ubi periculum. §. Porrò de Electione in 6. Sigismundus loco cit.*

Irregulares secundùm aliquos non possunt eligere, ità *Azcharanus, Sylvester, Azorius*, & alii apud *Sigismundum dub. 67. num 6.* ego puto oppositum cum *Navarro, Suario, Filuccio*, & aliis apud *Bonacinam disp. 7. de censuris q. 1. p. 3. Sigismundum loco citato, Lavorium cap. 15. num. 68. Tamburrinum d. disp. 5. q. 8. nu. 14. & 15. Barb. d. lib. 1. cap. 19. nu. 65.* Ratio est, quia irregularis est incapax beneficii de novo acquirendi, sed non est ipso jure privatus beneficiis habitis ante irregularitatem contractam, sed est solum privandus, ergo non amittit jurisdictionem, & fructus beneficii: sed vox spectat ad jurisdictionem. ergo: & licèt sit privatus actu ordinis, non tamen electio pertinet ad actum ordinis, ut benè DD. citati, quia videmus laicos Religiosos talem actum habere, ut suprà; quandò verò essent irregulares ex infamia resultante ex homicidio notorio, vel ex condemnatione pro homicidio, non possunt eligere, ut ex Paulo Secundo, & Pio Quinto, Sixto Quinto, & aliis refert *Sigismundus dub. 67. nu. 9.* & est decisio *Rotæ* apud *Seraphinum 393. num. 11. & 12.*

In §. his quoque cum tribus sequentibus.

Agitur hîc de aliis, qui non possunt eligere: & primo illi, quibus id prohibitum est sine licentia superioris, *cap. finali de elect.* & privatus electione non potest, neque eligere, neque eligi, secùs si dicatur privetur, ut non possit eligere: isti verò privati omni electione possunt fungere vices Priorum, vel Guardianorum, quæ per collationem dantur, non per electionem: sed si quis sit prohibitus ne eligat, vel eligatur, & appellet, pendente appellatione potest eligi, quia appellatio suspendit sententiam, & ejus effectum, *l. 1. ff. ad Turpill. cap. cum veniens de jurejurando*, etiamsi secum trahant executionem, *l. furti ff. de bir. qui notantur infamia, Suarius de religione tom. 4. lib. 2. tract. 8. cap. 11. num 6.* Nec quicquam facit textus *in cap. si cui §. fin. de sent. excommun. in 6.* ubi habetur, quòd excommunicatio, vel suspensio ab officio, vel ab ingressu Ecclesiæ per appellationem subsequentem non suspenditur, & text. *in cap. ad hæc de appell.* ubi sententia interdicti non suspenditur per appellationem ab electione. Respondeo enim, quòd sub nomine suspensionis, & interdicti non continetur privatio vocis activæ, sed inhabilitas, ut benè *Sigismundus dub. 9. num. 6.* Unum nota, quòd si ei suspendatur per appellationem sententia, tamen si interim appellatione pendente reus apud bonos viros efficeretur infamis non posset eligi, *Sigismundus à Bononia dub. 9. in fine cum aliis sequentibus.*

Secundò, qui scienter celebrarunt in loco interdicto absque speciali privilegio, *cap. is qui de sent. excommun. in 6. Sigismundus dub. 68.*

Tertiò, qui scienter elegerunt indignum, aut similiter postularunt pro ea vice eligendi potestate privantur, & eorum cassatur electio ipso jure, non verò si tantùm nominaverint, *cap. cum in cunctis, §. clerici, cap. cum Victoriensis cap scriptum de electione. cap. perpetuo eodem tit. in 6. Gratianus cap. 58. nu. 11. Filiuccius, Layman, Lavorius, Caldas, Pyrca*, & alii apud *Tamburrinum d. q. 8. nu. 18. Barb. in d. lib. 1. de jure eccles. cap. 19. à num. 88.* Undè Patroni Ecclesiastici qui dicuntur eligere, *Puteus dec. 181. lib. 3. Gonzalez ad regul. 8. Gancellariæ glossa 19. nu. 2.* Privantur jure præsentandi eo modo, quo suprà diximus de eligentibus. *Guida Papa dec. 374. Caputaquensis dec. 62. par. 2. Verallus dec. 291. Riccius collect. 1029.* si autem præsentantes sint patroni laici pro ea tantum vice præsentandi jure privantur si indignum scienter præsentaverint, *Lambertinus par 1. lib. 2. de jure patronatûs q. 10. art 4. Crescentius dec. 11. de jure patron. Rota dec. 262. aliàs 5. de jure patron. in novis Cassadorus dec. 29. de procuratoribus Maceratensis lib. 1. var. resol. 19. Barb. allg. 72. de potest. Episcopi num. 105.* Hinc conferens beneficium indigno privatur potestate conferendi, *Rebuffus in praxi de beneficiis in tit. de pænis contra collatores scienter indignis num. 1. Card. Mant. dec. 158.* & propter conferentia negligentiam devolvitur ad superiorem beneficium incapaci collatum: Quòd si Vicarius habens ad hoc speciale mandatum, eum conferat indigno, non erit Episcopus privatus jure conferendi, *Sbrozzius de officio Vicarii lib. 3. q. 37.* nisi Episcopus ratam habeat collationem, sicut etiam non præjudicat Domino procurator constitutus ad præsentandum si indignum præsentaverit, quia factum procuratoris Domino non potest nocere.

Immò indignè promotus de jure civili esset decapitandus, *glossa in l. qui cum uno in verb. temporalium ff. de re milit. Gonzalez in regul. 8. Cancellariæ, glossa 4. num. 59.* & est electio, ac si de animali bruto fieret. Hinc *Hostiensis in cap. grave num. 3. de prebend.* refert de canonicis Argentinis, qui cùm non possent concordari de creandis canonicis convenerunt, quòd quilibet canonicus crearet suum, & cùm unusquisque suum crearet consanguineum, licèt indignum, unus Romanus Canoni-

cus

cus ejusdem Ecclesiæ nominavit Asinum suum, refert etiam *Sigismundus de elect, dub. 68.*

Est etiam difficultas, an possim negare suffragium ei, qui licèt existimetur dignissimus, tamen ego per solam confessionem sacramentalem scio indignum esse; & multi putarunt, me non solùm posse id facere, sed debere: ita *S. Bonaventura* & alii apud *Suarez, tomo 4. de censuris disp. 33. sect. 7. num. 12. Sanchez, lib. 3. de matrim. disp. 16. nu. 6.* alii, & meliùs putant non posse electores uti scientia confessionis in electione prædicta, & regularibus id est expressè prohibitum à Clemente Octavo anno 1593. *Sigismundus à Bonon. dub. 35.* & latè *P. Alphonsus Rodriq. in suo exercitio perfectionis tract. 7. cap. 11.* invenio ego *Barbosam lib. 1. de jure Ecclef. cap. 19. num 43.* plures, & graves Theologos afferentem, qui dicunt licere id facere, licèt ad id non tenear, alioquin possent indigni uti cautelis injustis, ut eligantur, & plerumque non sine magna injuria sacramenti, faciendo scilicet confessionem suæ indignitatis cum electoribus: tùm quia Confessarius solùm obligatur ex sigillo ad non manifestandum personam sibi confessam, ergo tacita persona potero uti notitia habita ex ipsa confessione ad bonum commune, ad bonum proximi, & ad bonum ipsius pœnitentis.

Tenentur ergò electores eligere dignum, *cap si fortè 63. distin. Auth. de Monachis §. ult. coll. 1. Trid. sess. 24. de refor cap. 1.* est tamen dignior eligendus, non verò dicitur dignior, qui alias exercuit, & rexit Parochiam, v. g. si in concursu cum alio sufficienti ad suum munus, prout ipse: neque dicitur quis dignior concurrens cum æquali, ex eo quòd est antiquior in habitu clericali, vel Sacerdotio suscepto, quia interdùm junior à senioribus doctrina, & morum honestate præcellere dixit *Rota dec. 275.* coram *Card. Mant.* canities enim hominis est prudentia, non ætas, *cap. ult. 84. dist.* Neque dicitur dignior quis ex eo, quia nobilis, *cap. venerabilis de prabendis*, *glossa ultima in cap. quoniam vetus 24. q. 1. Felinus in cap. cum adeò de rescriptis*, ubi refert quosdam electores redarguti ex eo, quòd Papam ignobilem elegissent, qui responderunt Petro Piscatori successorem quærimus, non Augusto Imperatori, latè *Sigismundus dub. 30.* Si electores eligant dignum omisso digniori non peccant mortaliter. Est contra multos, quos refert, & sequitur *Sigismundus à Bonon. de elect. dub. 31.* nostra verò doctrina est communis, teste *Barb. lib. 1. de jure Ecclef. cap. 19. num. 138 Diana par. 3. tract. 6. misçel. resol. 34. tractat. 15. resol. 38.* tùm quia si opinio contraria esset vera, omnes conferentes beneficia, vel electores essent in statu damnationis, tùm quia solum beneficia, quæ habent curam animarum sunt conferenda dignioribus, ut ait *Trid. sess. 24. cap. 1. & cap. 18.* ubi loquens de Canonicatibus hortatur sancta Synodus, ut conferantur dignioribus, ergo non imponit obligationem, & licèt videatur *tex. canonicus in cap. unico* extra ut Ecclesiastica *beneficia sine diminutione conferantur*, qui disponit beneficia dignis omissis dignioribus non posse dari, & loquitur *textus de beneficio simplici*; tamen sunt illa jura contraria abrogata ex praxi, per quam Summus Pontifex concedit beneficia dignis omissis dignioribus; undè neque peccant electores, vel collatores talium beneficiorum, & valet electio, ut pluries decisum refert *Sigismundus dub. 32. qui dubio 33.* putat quòd si in aliquo officiali creando, concurrat dignus hujus provinciæ, & dignior alterius Monasterii, vel Provinciæ, dignior sit eligendus non dignus, quæ doctrina ex nostris principiis refellitur, & videndus *Barb. ubi sup. num. 142.* qui quærit de eligentibus dignum ad cathedram omisso digniori per concursum concurrentibus, an teneantur ad restitutionem, & respondet affirmativè, quia ex propositione Edicti quandò fit electio per concursum celebratur quasi contractus inter electores, & digniorem, ergo non eum eligentes lædunt ei jus, quod habet, qua de re videant alii.

Quarto, privantur jure eligendi, & inhabiles fiunt, qui ad Ecclesiam receperint postulatum, tanquam institutum, vel administratorem antequam fuerit admissa postulatio, *cap. bonè il primo de elect.*

Quinto, qui laicos ad electionem contrà statuta canonica admiserint, *cap. quisquis eod. tit. de elect.* electio enim facta per abusum spiritualis potestatis est ipso jure nulla, *Tamburrinus de jure Abbatum tom. 1. disp. 5. q. 22. nu. 10.* Dicitur verò per abusum potestatis laicalis, quandò clerici requirunt laicos, ut electioni intersint, vel quandò Principis sæcularis assensum super certa persona eligenda requirunt, vel eligunt minis alicujus sæcularis potestatis, quia in Ecclesiasticorum prælatorum electionibus non debent laici se admiscere, nam clericus à laicis Ecclesiam nullo modo potest obtinere, *Paulus Comitolus lib. 1. responsorum q. 78. Barb. d. lib. 1. cap. 19. num. 82.*

Sexto, non admittuntur ad eligendum illi, qui ob delictum commissum potestate alienandi fuerint privati, quæ potestas tunc devolvitur ad illos, qui non deliquerunt, ac si tali potestate privati per mortem defecissent, *d. cap. bonè il 1. c. p. Victoriensi de elect. Rendina in promptuario tom. 1. tit. 36. nu. 33. Lavor. tit. 4. cap. 21. nu. 46.* Si verò delinquant illi, ad quos eligendi potestas devoluta fuerat, vel indignum eligunt, tunc primi non possunt succedere in electione, sed illa ad superiorem vadit, ad quem fuisset facta devolutio si omnes pariter deliquissent, ità *gloss in d. cap. bone, in verb. ad nos*, quam sequuntur ibi *Abbas num. 33 Joannes Andreas num. 58. Innocentius num. 9. Hostiensis num. 31. Butreus num. 78.* & alii communiter.

Septimo, privantur eligendi facultate illi, qui intrà tempus statutum eligere neglexerunt, *cap. ne pro defectu de elect. cap. quamquam eod. tit. in 6.* debet enim in cathedralibus, & regularibus Ecclesiis de jure communi, infrà tres menses à die vacationis fieri electio Prælati quibus elapsis devolvitur ad proximum superiorem electio, & eo similiter negligente usque ad Papam devolvitur, ut habetur in *d. cap ne pro defectu Rodriquez 2. tom. quæst. regul. q. 52. ar. 3. Azorius p. 3 lib. 3. cap. 28. q. 6. Miranda tom. 2. q. 23 art. 10. concl. 2. Lavor. tit. 4. 18. num. 12.* latè *Barb. lib. 1. de jure Ecclef. cap. 19. num. 86.*

Ultimo, non admittuntur ad electionem illi, qui voto suo renuntiarunt, *Azor. par. 2. lib. 6. cap. 54. q. 7.* si renunciatio sit accepta à Superiore, nam interim si pœniteat, & petat accedere ad eandem electionem, debet admitti ad omnia, quæ circà electionem remanent facienda, non obstante renunciatione, *cap. Ecclesia vestra*, ubi *Abbas. & glossa de elect. Sigismundus à Bonon. de elect. dub. 14. num. 8.* immò iste ad eligendum compelli poterit, si ex tali renunciatione fama ejus non leve damnum pateretur, vel si talis renunciatio cederet in damnum religionis, vel Ecclesiæ, de cujus electione agitur, latè *Sigismundus à Bonon. d. dub. 14. Lavarius ubi supra cap. 15. num. 87. & 88. Barb. d. lib. 1. cap. 19. num. 87.*

In §. Oportet.

INcipit in hoc textu secunda pars nostri tituli, quinam scilicet eligi possint, & primo loco demonstratur qualis debeat esse Episcopus, scilicet ætate matura,

tura, legitimè natus, corpore integer, fama candidatus, litteris instructus, religiosus, prudens, temperatus, castus, hospitalis, &c. quæ omnia numerat Apostolus scribens ad Timotheum, & ad Titum, de quibus qualitatibus agemus infrà in *tit. de vita, & honest. cleric.* Vnum moneo, quòd scientia, quæ requiritur in Episcopo, non opus esse sit eminens, habemus enim nos triplicem scientiam, una dicitur scientia eminens, & est illa, per quam quis scit difficillimas quæstiones explicare, & definire in puncto, absque librorum revolutione. Secunda dicitur scienna mediocris, & est illa, per quàm difficiles quæstiones deciduntur, cum revolutione tamen librorum. Tertia dicitur sufficiens, & est quandò quis habet scientiam, requisitam secundùm qualitatem sui officii, seu beneficii, & sufficienter potest ea plere ea, quæ sunt necessaria officio suo, *Innocentius, Abbas*, & alii in *cap. cum in cunctis de elect.* In Episcopo ergo requiritur scientia sufficiens, licèt melior esset mediocris, & optimum esset si haberet eminentem, & melior est sufficiens cum probitate, quàm mediocris sine probis moribus, *cap. 1. & 2. 85. dist. cap. cum nobis de elect.* ratio est, quia scientia non conjuncta cum charitate inflat, at imperfectionem scientiæ supplet perfectio charitatis, *cap. nisi. §. pro def. illo de renunciatione.*

In §. Idem juris est, cum sequenti.

PRima conclusio horum jurium est, quòd non possunt eligi in prælaturam, vel dignitatem Ecclesiasticam, qui sunt majori excommunicatione ligati: idem dicitur in *cap. constitutus de appellat. cap. postulasti de clerico excommuni ato ministrante*, ubi *Rebuffus num.* 85. qui docet jura loquentia de collatione, locum habere etiam in electione, sequitur *Covarr. in cap. Alma mater par. 1. §. 7. num. 1. Campanilis rubrica 11. cap. 15. nu. 13. Garsia par. 7. cap. 13. num. 14. Riciulus lib. 4. cap. 6. num. 23. Tamburrinus de jure Abbatum tom. 1. disp. 5n. q. 21. Lavor. tit 4. cap. 16. num.* 85. qui intelligunt sive sint tolerati, sive non, quia textus in extravaganti ad evitanda non intendit in aliquo relevare excommunicatos: & præcedit talis doctrina, quamvis talis excommunicatus eligatur ab ignorantibus invincibiliter, & etiamsi electus id ignoret, *Avila de censuris par. 2. cap. 6. disp 5 1. dub. 2. concl. 1. Lessius lib. 2. cap. 34. dub. 22. num. 118. Sigismundus de Bonon. dub 63. nu. 3.* quos refert, & sequitur *Lavor.* d. *tit. 4. cap. 16. num. 86.*

Secunda conclusio. Nullus excommunicatione minori ligatus, est eligendus, *cap. si celebrat de clerico excommunicato ministrante, Paulus in præsenti, Suarez. tom. 5. de censuris disp. 24. sect. 2. num. 13. Lavor. d. cap. 16. num. 89. Valerus in diff. utriusque fori, in verbo excommunicatio differ.* 12. & non omnis minor excommunicatio, sed solùm ea, quæ ex participatione cum excommunicatis incurritur, impedit electionem in foro exteriori.

Dices excommunicatus minori excommunicatione potest eligere, ut suprà diximus, & probatur in *d. cap. si celebrat de clerico excommunicato celebrante*, ergo poterit eligi.

Respondeo negando consequentiam, & disparitas est, quia eligere est actus jurisdictionis, quia jurisdictione non privatur ille, qui est excommunicatus minori excommunicatione, ut suprà diximus, at verò eligi est participatio sacramentorum, ad quæ datur aditus per Ordines, & dignitates, in quæ quis eligitur, sed excommunicatus minori excommunicatione privatur hac receptione sacramentorum, ergo cùm sit privatus sacramentis ad ea eligi non potest, *d. cap. si celebrat, ubi glossa*: & ratio à priori est, quia actus jurisdictionis est quid extrinsecum à participatione sacramentorum, qua excommunicatus excommunicatione minori privatus est, *Abbas in d. cap. si celebrat num.* 21.

Noto primo, quòd electores eligentes scienter excommunicatum minori excommunicatione non sunt privati pro prima vice potestate eligendi, *Alterius de censuris tom. 1. lib. 5. cap. 3. disp. 4. Lavor. d. tit. 4. cap. 16 num.* 92. quicquid dicat *glossa in d. cap. si celebrat, in verb. scienter.*

Noto secundo, quòd si electio fiat de excommunicato minori excommunicatione mero jure valet, ut habetur in d. *cap. si celebrat*, ibi *electio est irritanda*, quasi, donec per sententiam irritetur, valeat, *Suar. tom. 5. de censuris disp 24. sect. 2. à num. 21. Card. Toletus lib. 1. cap. 18. num. 4. Sigismundus dub. 62. num. 2. Lavor. d. tit. 4. cap. 16. num. 92. Bonacina de censuris disp. 2. q. 3. num.* 7. Alii verò putant esse ipso jure irritam, sed ne recedas à prima opinione, quam ultrà citatos sequitur *Barb. lib. 1. de jure eccles. cap. 19. num.* 121. & ratio est, quia pœnalia semper in minorem partem sunt interpretanda, *cap. Odia de reg. jur. in 6. cap. in pœnis eod. tit.* ergo dicendo *textum in d. cap. si celebrat* esse irritandam, intelligitur non ipso jure, sed ope exceptionis.

Tertio noto, quòd electio facta de excommunicato minori excommunicatione ignorantee, sive ignorantia sit ex parte electi, sive ex parte eligentium, non est irrita, sed irritanda, post alios *Sigismundus dub. 62*, aliique citati per *Barb. d. lib. 1. cap. 19. num.* 122. ratio est, quia *tex. in d. cap. si celebrat*, non diceret irritandam prædictam electionem scienter factam, nisi aliter sentiret de opposita, caveas ergo à *glossa* ibi. *in verbo scienter*, putat verò *Sigismundus ubi suprà*, quòd tunc est irritanda quandò supervenit scientia excommunicationis, legas *Benacinam disp. 2. de censuris q. 3. num. 7.*

Tertia conclusio. Suspensi non possunt eligi, ut habetur in præsenti, & in *cap. cum dilectus*, ubi *glossa in verbo à suspensis de consuetudine, cap. quia diversitatem de concessione præbendæ*, sive sit suspensus ab homine, sive à lege quandò tamen est suspensus simpliciter, & absolutè ab officio, suspensus verò à beneficio, non potest eligi ad novum beneficium, latissimè post alios *Sigismundus dub 64. Lavor d. tit. 4. cap. 16. num. 93. Macer tcusis lib. 1. var. resol. cap. 19. num. 2.* & talis suspensus peccat accep ando electionem. *Vivianus lib. 6. de jure patron. cap. 5. nu. 16. Barb. lib. 1. de jure eccles. cap. 19. num.* 123.

Quarta conclusio. Neque possunt eligi interdicti, & irregulares, *cap. 1. de postul. prælat. cap. cum inter de elect. cap. cum ex eo eod. tit. in 6. cap. ex parte cap. miramur 24. q. 1. cap. 15. qui §. is verò de sent. excommun. in 6. Lavor d. cap. 16. num. 96. Paulus Layman. lib. 1. tract. 5n. cap. 3. num.* 3 ubi ait, quòd clericus personale, vel locale interdictum violans, exercendo actum sacri ordinis, vel celebrando divina officia est ineligibilis.

Quinta conclusio. Qui non sunt ex legitimo matrimonio nati eligi non possunt ad dignitates Ecclesiasticas, & ordines, *cap. 1. & fin. de filiis presbyter. cap. 1. & 2. eod. tit. in 6. cap. consuluit de servis non ordin. & in tota 56, dist.* etiamsi hæc natalium macula sit occulta, ità ut ab omnibus censeatur legitimus, *Suarez. tom. 5. de censuris disp. 5. sect. 5. num.* 12. quicquid dicat *Castrus de lege pœnali lib. 2. cap. ult. concl.* 3. quia ejus opinio est nova, & sine textu; & ratione fulcitur. *Navarrus cap. 25. num. 69. & cap. 27. num.* 194. & licèt tollatur prædictus natalium defectus per professionem solemnem in religione ap-

probata quoad ordines minores, & sacros, non tamen tollitur quoad dignitates, & prælaturas, d. *cap. 1. 56. dist. & cap. 1. de filiis presbyter.* ubi *glossa, & Abbas*, & licèt Sixtus V. fecerit legitimos habiles etiam ad prælaturas, ut in Bulla, quæ incipit, *Cùm de omnibus, & ad Romanum*, tamen, Gregorius 14. in Bulla, quæ incipit *Circumspectæ*, & Clemens 8. in Bulla, quæ incipit cum suprema, abrogarunt prædictas Sixti constitutiones: voluit tameo, ut Prælati regulares possent cum suis subditis dispensare ad dignitates ordinis, & religionis, ut latè *Sigismundus à Bonon. dub. 69.* qui quærit etiam quid veniat nomine dignitatis in religione qui *dub.* 70. dicit legitimatum per subsequens matrimonium, ingressum deindè religiouem, non egere prælati regularis dispensatione: immò si antequàm matrimonium contrahatur inter suos genitores, beneficium, & dignitatem accepit. & posteà supervenit tale matrimonium, & legitimatio, quaodò reperitur in dignitate, non eget nova dispensatione, sed tantùm nova collatiooe beneficii, quia non firmatur tractu temporis, quod ab initio non tenet, *cap. non firmatur de regul. jur. in 6.* & peccavit etiam mortaliter sic accipiendo dignitatem à principio, legas eundem *Sigismundum dub.* 73. 74. 75. 76. 77. & 78.

Sexta conclusio. Non possunt eligi, qui non sunt sufficientis, & legitimæ ætatis, undè Generales, Provinciales, cæterique jurisdictionem, quasi Episcopalem habentes, debent esse majores 30. annis, ita *Manuale Prælatar. tom.* 1. *q.* 3. *art.* 1. *concl.* 2. *Azor. par.* 2. *lib. 6. cap.* 50. *q.* 1. sicut de assumendis ad cathedram Episcopalem, docet *tex. in cap. cùm in cunctis de el ect. cap. quicumque cap. Episcopus 77 dist. & in Trid. sess. 7. cap. 1. & 24. cap.* 10. *de refor.* & in Bulla Gregorii 14. de forma faciendi processum super promovendis ad cathedrales, quæ opinio intelligitur de honestate, non de necessitate, ut benè *Sigismundus dub.* 59. qui etiam addit, quòd ad Prioratum, Præposituram, Rectoratum, Guardianatum, & alias dignitates, quibus animarum cura subest, non potest promoveri quis, nisi vigesimum quintum suæ ætatis annum saltem attigerit. id est inceperit, d. *cap. cùm. in cunctis. §. inferiora, cap. licet de elect. in 6. Trid. d. cap.* 12. ad officium verò Definitoratûs, & alias dignitates, quibus animarum cura non adest. noo potest quis assumi minor 22. annorum, ut patet ex *Triden. ubi suprà*, & licèt multi dicant, ut *Azor. Henriquez*, & alii, prædictum 22. annum satis esse inceptum, tamen communiter dicunt, & declaravit sacra Congregatio debere esse completum, *Garsia par. 7. de beneficiis cap. 4. nu.* 70. *Sigismundus dub.* 59. *num.* 3. aliter electio facta tali ætate non existente, est nulla etiam in foro conscientiæ, licèt deficiat unus dies, quia in eis, quæ sunt à jure determinata, non licet arbitrari, *Sigismundus dub. 52. num.* 1. & 2. & *dub.* 112. *nu.* 1. & 2. & *dub.* 59. *num.* 6. *Garsia ubi suprà num.* 83. qui etiam addunt ætatem connumerandam esse non à die conceptionis, sed nativitatis.

Septima conclusio. Eligi non possunt illi, qui sufficientem scientiam non habent. Verùm in Generalibus, & Provincialibus non desideratur gradus scientiæ, ut in Episcopis requirit *Trid. sess.* 22. *cap.* 3. *de reform.* sed in eis, prout in Definitoribus, cæterisque superioribus exposcunt jura competentem scientiam, quæ ad eorum munus, & dignitatem benè gerendam sufficit, ad hoc, ut fiat collatio, sive electio sine peccato, *cap. cùm nobis de elect.* ubi *glossa, cap. eam de ætat. & qualit. ordin. cap. licet de elect. in 6. Trid. sess.* 24. *cap.* 12. & declaravit Sacra Congregatio apud *Garsiam par. 7. de Benefic. cap. 7. num,* 33. undè qui dignitatem suscipit cum notabili defectu scientiæ necessariæ ad illud, vel ad illam exequendum peccat mortaliter. *Garsia ubi suprà num.* 25 Ad hoc verò ut quis promoveatur ad Prioratum, Præposituram, Rectoratum, Guardianatum, &c. sufficit ut sciat, quæ ad sui muneris functionem pertinent, licèt nunquàm didicerit grammaticam. & latini idiomatis rudimenta, ut ait *Abbas* relatus, & approbatus per *Azor par.* 2. *lib. 6. cap.* 6. *q.* 6. *Rota dec.* 16. *par.* 2. *diversorum*, *Marta in ff. novissimis in tit. electio cap.* 58. *Sigismundus dub.* 60. neque dici potest ioeruditus, qui benè loquitur latinè, & benè legit, *glossa, & DD. in d. clem,* 1. *de concess. preb. Crescentius dec.* 12. *de concess. preb. Sigismundus dec.* 60. licèt irregulares dicantur illiterati, ut post alios *Marchesanus par.* 3. de *commiss. admissionis ad honor. sess. §.* 1. *nu.* 34. quia ut benè *Sigismundus dub.* 60. ista non est propriè irregularitas, maximè si non sit penitùs, & omninò illiteratus.

Octava conclusio. Eligi non potest ampliùs, qui semel ob vitium personæ est exclusus, nisi sit specialiter restitutus, *cap. super eo de elect. Miranda in manual. prælator. tom.* 2. *q.* 23. *art.* 11. *concl.* 50. *Lavar. d. tit.* 4. *cap.* 16. *nu.* 117. *Tamburrinus disp.* 5. *q.* 21. *nu.* 4. Publicus peccator non est eligibilis secundùm aliquos, quia ut ait *S. Thomas quodlib.* 8. *q.* 4. *art.* 6. per quodlibet peccatum mortale redditur indignus quis ad quodlibet spirituale exequendum, alii putant hunc talem peccare mortaliter, sed valere electionem, neque esse irritandam, *Innocent. Felyn. Cavarr. Lessius. Azorius, Garsia, Alterius*, & alii, quos refert, & sequitur *Sigismundus dub.* 61. quia si omne peccatum mortale electionem impediret, sequeretur etiam pro omni peccato mortali clericum posse deponi, sed hoc nemo concedet ergo, nec illud est concedendum, sequela patet, nam in *c. Inventum* 16. *q.* 7. dicitur, *quam si justè adeptus fuerit* (loquitur de Ecclesia) hanc non nisi gravi culpa sua, & coram Episcopo canonica severitate amittit, sed omne peccatum mortale est grave, ergo pro omni peccato mortali amitteret, ergo dicendum est, quòd pro illo peccato mortali tantùm amittit quis dignitatem, pro quo sacri canones talem pœnam imposuerunt, ut bene *Sigismundus dub.* 61.

Nona conclusio. Qui alteri prælaturæ incompatibili est alligatus, eligi quidem non potest, sed postulari poterit *cap. fin. de postulat. prælatar.* sic neque potest quis duas electiones de se factas prosequi, sed unam, quam voluerit, tenetur eligere, *cap. scient cuncti de elect. in 6.*

Decima conclusio, Regulares Pœnitentiati à sancto Officio ad dignitates, & prælaturas omninò inhabiles sunt, etiamsi pœnitentias compleverint, ut in decreto edito ab Urbano Octavo anno 1626. nisi tamen essent impositæ pœnitentiæ salutares, casu verò, quo pœnitentias expleverint, vel gratiam receperint, ad illas tamen dignitates promoveri nullatenùs possunt, nisi priùs obtenta licentia à Congregatione, quod decretum refert *Tamburrinus disp.* 5. *q.* 21. *num.* 17. *Peyrinus tom.* 2. *in annotat. ad constitutionem* 9. *Pauli V. & Barb. lib.* 1. *de jure Eccles. cap.* 19. *num.* 28.

Undecima conclusio. Non possunt eligi Schismatici illi scilicet, qui inobedientes sunt sedi Apostolicæ *cap. nos consuetudinem* 12. *dist. cap. quia diligentia de elect.* Verùm Summus Pontifex dispensare poterit in tali electione.

Duodecima conclusio. Illi, qui non sunt nati ex catholicis parentibus, non possunt in Prælatum eligi, ut in Bulla Gregorii 14. incipiente, *Omnes Apostolica*, hoc modo videlicet, primus, & secundus gradus per paternam lineam, arcentur à dictis muneribus, per maternam verò solus primus, v. g. Titius fuit hæreticus, & filium, filiamque habuit, uterque

red-

redditur inhabilis, quòd si filius filium susceperit, hic quoque nepos ex filio est effectus inhabilis, quòd si filia filium genuit, hic nepos ex filia non est factus inhabilis: ita si fœminæ in hæresim incurrerint, & filios genuerint, sunt ipsi solùm inhabiles, *cap. quicumque*, §. *haretici*, *cap. ut commissi*, *vers. ut privandi*, *cap. statutum* 2. *de heret. in* 6. *Suarez tom.* 5. *disp.* 43. *sect.* 3. *Azor. par.* 1. *lib.* 8. *cap.* 13. *q.* 8. *Lessius d. just. & jure lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 121. *Sanchez lib.* 2. *summa cap.* 27. *num.* 2. *Farinaccus de haresi q.* 191. *num.* 51. *Duardus in Bulla Cœna lib.* 2. *can.* 1. *q.* 27. *num.* 27. *Bonacina de censuris. disp.* 7. *q.* 3. *pun.* 7. *num.* 9. *Sigismundus de elect. dub.* 79. *nu.* 1.

Ubi tamen nota primo, quòd dicta prohibitio extenditur non solùm ad filios legitimos, sed etiam illegitimos, aliàs majori privilegio gauderet luxuria, quàm castitas. *Ricciulus lib.* 5. *cap.* 3. *glossa in cap. statutum il.* 2. *d. heret. in* 6. Filii verò vulgò quæsiti hæreticorum, quia certum patrem ostendere non possunt, *l. vulgo*, *ff. de statu hominum*, ergò pœnas propter paterum crimen inflictas subire non possunt, *Ricciullus d. lib.* 5. *cap.* 30. *num* 6. filii adoptivi, aut sunt adoptati à persona extranea non comprehenduntur, aut à persona conjuncta, ut ab Avo, & pro Avo materno, & paterno, & tunc puniuntur talibus pœnis, in arrogato nihil determinat *Ricciullus*, ego puto incurrere, quia est dispositio favorabilis concernens favorem fidei, ergò comprebendit utrosque filios.

Nota secundò, quòd si filius sit datus in adoptionem conjunctæ personæ, nempè Avo, vel proavo materno, vel paterno, vel arrogatus, & pater naturalis incidit in hæresim, adhuc filius subjacet pœnis contra filios hæreticorum inflictis, quia plus juris habet pater in talem filium naturalem, quàm in filium illegitimum, sed sic est, quòd filius illegitimus has pœnas incurrit; ergo. & ita tenet *Ricciullus lib.* 5. *de jure personarum cap.* 3. *num.* 21.

Nota tertio quæstionem esse an comprehendantur filii nati ante paternam hæresim, & prima opinio est *Lessii*, *Bonacinæ*, & alii apud *Sigismundum dub.* 79. *num.* 3. Secunda, & verior est comprehendi, ut plurica decisum in *Rota* refert *Marescottus lib.* 2. *var. cap.* 36. *num.* 10. *Sigismundus dub.* 79. *nu.* 3. *Ricciullus lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 27. ratio est, quia in d. *cap. statutum* apertè habetur, ut filii, & nepotes illorum hæreticorum tales pœnas incidant, quorum parentes tales esse, vel etiam decessisse probentur, ergo satis est, ut parentes in sua pravitate moriantur ad hoc, ut filii tales pœnas incurrant.

Nota quarto, quòd si filii hæreticorum sponte revelaverint paternam hæresim, in pœnas prædictas non incurrunt, quia tales filii licèt sint nati post paternam hæresim non debent prædictis pœnis pati, *cap. ut inquisitionis de hæreticis in* 6. *Diana par.* 4. *tract.* 7. *resol.* 75.

Nota quinto has pœnas non verè incurri à filiis hæreticorum occultorum, sed requiritur ut nascantur ex illis, quos hæreticos esse constiterit, sive per evidentiam facti, sive per sententiam Judicis, sive per propriam confessionem in judicio, vel si tales esse manifestum sit in illis locis, in quibus vivere, aut vixisse constat, *Lessius*, *Farinaccus*, *Duardus*, *Azor.* & alii apud *Sigismundum d. dub.* 79. *num.* 4. & negat de suspectis de hæresi, quia textus loquitur de hæreticis, eorumque descendentibus, ergo verba prædicta non sunt extendenda ad suspectos de hæresi.

Nota sexto, quòd in dictas pœnas non incurrunt descendentes, ex condemnatis in contumaciam secundùm opinionem *Farinacci ubi sup. num.* 56. & 68. secundùm *Sanchez* verò, & alios, quos refert, & sequitur *Sigismundus dub.* 79. *num.* 50. quia talis contumax in crimine hæresis æquiparatur pertinaci, & ob id habetur pro hæretico, cùm præsumptio vehemens transeat in violentam, communiter DD. & practicari in Rota refert *Garsia par.* 11. *de benefic. cap.* 10. *num.* 79. dummodò plenè constet de ejus contumacia, *cap. excommunicamus* §. *qui autem in fine de heret. cap. cùm contumaria eod. tit. in* 6.

Nota septimo, quòd si hæretici resipiscant, & Ecclesiæ reintegrentur, sive incorporentur, eorum descendentes non privantur, ut patet ex verbis *tex. ind. cap. statutum*, & idem dicas si obicerint ante factam pœnitentiam, dummodò eam recipere, & exequi parati essent *Fariuac. ubi sup. num.* 64. Quandò verò tales hæretici essent relapsi, quamvis iterùm pœnituerint, sunt adhuc filii incapaces, quia relapsi licèt per pœnitentiam resipiscant, non habentur pro reconciliatis, pront postulat prædictus textus, sed traduntur Curiæ sæculari, latè *Sigismundus dub.* 79. *nu.* 7. quia converso ipsorum præsumitur facti timore pœnæ *Ricciullus l b.* 5. *de jure personarum cap.* 30, *num.* 32. *Diana par.* 4. *tract.* 8. *resol.* 75.

Nota octavo quæstionem esse an tales descendentes ex hæreticis, si ut existunt ipso jure privati beneficiis, & officiis post paternam hæresim obtentis secundùm veram sententiam, ità priventur etiam obtentis ante dictam paternam hæresim: prima verò opinio est negativa: ita *Abbas*, *Felynus*, *Covarr. Menoch. Azor. Toletus*, *Sanchez*, *Duard* & alii apud *Sigismundum d. dub.* 79. *num.* 8. alia opinio affirmat omnibus privari, ità *Jo. Andreas Henricus Boiir*, *Geminianus*, *Garsia*, & alii, quos refert, & sequitur *Sigismundus*, qui pro se allegant Bullam Innocentii Quarti decimam in ordine, Nicolai Tertii secundam in ordine, Alexandri Quarti decimam, & Pauli Quarti decimam. Undè DD. dixerunt ob hanc rationem hanc quæstionem indigere Pontificis declaratione.

Qua de re *Rota Romana in dec.* 90. penès *Farinaccum*, cùm tale dubium occurrisset, tempore Pontificatûs Clementis Octavi anno 1594. noluit à principio quicquam decidere, sed ordinavit, ut fieret relatio sanctissimo, qui die 23. Decembris, respondit congregationem sanctæ Inquisitionis servare negativam opinionem tanquam æqui orem, & humaniorem, prout in dicta decisione habetur, verum quia pars instabat pro resolutione, causa de ordine ejusdem Sanctissimi, iterùm proposita, & resoluta fuit, articulo maturè discusso secundùm affirmativam sententiam 6. Martii 1598. quæ est decisio 123. penès *Farinac.* & refertur *à Sigismundo de Bonon. de elect. prælator. par.* 2. *dub.* 79. & *à Garsia d. cap.* 10. *p.* 11. *num.* 99. undè recedas *à Ricciullo lib.* 5. *de jure personarum cap.* 29. & *à Diana par.* 4. *tract.* 8. *resol.* 76. qui docent non posse inquisitorem privare filios hæreticorum beneficiis obtentis ante paternam hæresim, quia non viderunt decisionem *Rotæ* 123.

Nota nono, quòd descendentes ex hæreticis, eorumque fautoribus credentibus, &c. non dicuntur infames, ut post alios *Sigismundus dub.* 80. *de irregul.* quia licèt infamiam inducat irregularitas, non per hoc sequitur omnes irregulares infamia laborare, ut latè *Sigismundus dub.* 83. *num.* 4. alias irregulares essent inhabiles ad testimonium ferendum, ad suffragium in electionibus, & alios effectus, qui à jure prohibentur infamibus, sed nullus unquàm dixit hos effectus esse tribuendos irregularibus, ergo non sunt infames. dicuntur ergo infames non infamia simpliciter, sed in jure expressa, & in ordine ad beneficia, honores & dignitates conquerendas, nullus enim in dubio præsumitur infamis, argum. *cap. dudum de præsumpt.* & *l. merito*, *ff. pro socio*, *Sigismundus dub.* 80.

Sunt verò inhabiles in certis Religionibus certum ducentes ortum ex genere maculato circà fidem; ut in Ordine Minorum Sancti Francisci de Paula, & Patrum de Observantia, ut latè *Sigismundus dub.* 82.

Decima tertia conclusio. Infames infamia juris, ut sunt illi, qui commiserunt delictum, ob quod est imposita infamia à jure civili, sive Canonico, posita tamen Judicis sententia, vel rei confessione in legitimo Judicio, vel si delictum sit occultum, propter quod infamia irrogatur ipso facto (quo casu adhuc infamia incurritur, ut post alios *Barb. par.* 2. *de potestate Episcopi alleg.* 93.) sunt irregulares ità ut non possint eligi ad dignitates, & honores, *cap. illi qui, cap. infames* 6. *q.* 1. *cap. qui in aliquo* 51. *dist. cap. infamibus*, ubi *glossa de regul. Juris in* 6. *Marchesanus de referendariis S. D. N. cap.* 2. *num.* 306. à qua tamen regula excipias infamem infamia meri facti, si verè fuerit emendatus, quia tunc benè poterit promoveri, undè accusatus, denunciatus, vel inquisitus de aliquo crimine, interim pendente accusatione, denunciatione, vel inquisitione, non potest promoveri, *l. reus, ff. de muner. & honor. cap. fin. de testibus, cap. omnipotens, cap. tantis* 81. *dist. Rota dec.* 393. quod procedit quandò per talem accusationem, denunciationem, vel inquisitionem persona est infamata apud graves, & bonos viros, secùs si à vilibus, infamibusque personis, sive à malevolis, vel inimicis ortum ducat, hujusmodi infamia D D. communiter apud *Garsiam par.* 7. *de beneficiis cap.* 7. *num.* 6. & 7. *Barb. alleg.* 43. *Sigismund. dub.* 83. Neque prælati regulares, possunt dispensare cum infamibus infamia juris, sed solus Papa dispensat, *cap. cum te de sent. & re judic. Rodriq. tom.* 1. *q.* 24. *nr.* 6. *Miranda in manuali prælatorum tom.* 2. *q.* 8. *art.* 50. *concl.* 2. qui inferunt Prælatos Regulares non posse dispensare cum religioso convicto, & juridicè condemnato de crimine nefando, quia ipso jure est infamis, *l. cùm vir, C. de adulteriis l.* 1. *C. de secundis nuptiis, cap. infames* 3. *q.* 7. Idem dicas de aliis criminibus, qui in jure causant infamiam, verùm id procedit in illis delictis, in quibus prælati regulares dispensare non possunt, nam sicut Episcopus dispensando super delicto, ad quod sua facultas se extendit, ut in adulterio, furto, sacrilegio, falso testimonio, vel alio simili crimine non graviori adulterio, accessoriè tollit infamiam ex tali delicto ortam, ità quoque Generalis, & Provincialis, quibus licet, sicut & Episcopo in talibus delictis dispensare, *Rodriquez.* 1. *tomo q.* 24. *art.* 17. *Manuale tomo* 2. *q.* 31. *art.* 11. *Sigismundus dub.* 94. & *dub.* 84.

Quandò verò delictum est occultum, potest prælatus dispensare, sicut Episcopus, nisi sit infamia consurgens ex hæresi, quamvis occulta, circà quam non potest prælatus regularis dispensare, *sequitur Sigismund. d. dub.* 84.

Decima quarta conclusio. Neque possunt eligi corpore vitiati, puta illi, qui ità corpore insigniter deformati sunt, ut sine notabili horrore, & scandalo Ministri Ecclesiastici esse non possint, quia tales sunt irregulares non solum quoad Ordines, sed etiam quoad beneficia, *cap. nea confidas*, ubi *D D.* 50. *dist. Garsia par.* 7. *cap.* 12. *num.* 3. *Rota dec.* 625. coram *Seraphino*, de qua re infrà cum de irregularitate.

In §. Neophitos.

Conclusio hujus textûs est, Neophitos, scilicet noviter ad fidem conversos esse irregulares, neque assumi posse ad munera publica, quamdiu ad judicium Episcopi, vel prælati regularis jurisdictionem quasi Episcopalem habentis, ità instructi in christiana disciplina videantur, ut veterani Christi milites censeri jure possint, quo tempore elapso cessat prædicta irregularitas. & sic absque dispensatione poterunt promoveri, *cap.* 1. *dist.* 57. *cap. cum te de rescriptis*, *Suarez tom.* 5. *de censuris disp.* 43. *sect.* 3. *Avila de censuris par.* 7. *disp.* 4. *dub.* 4. *concl.* 3. *Sanchez in summa lib.* 2. *cap.* 28 *Rodriquez tome* 1. *q.* 24. *ar.* 7. *Manuale prælatorum tom.* 2 *q.* 8 *ar.* 7.

Neque dicas obstare *textum in cap. constituit* 17. *q.* 4. ubi dicitur *Constituit Sanctum Concilium, ut Judæi, aut hi, qui ex Judæis sunt, officia publica nullatenùs appetant*, ergo non solùm Neophiti, sed etiam ex Judæis simpliciter nati, licèt baptizati ab ineunte ætate.

Respondeo cum *Suarez*, ibi per publica officia juxtà subjectam materiam intelligi magistratus, & alia officia, quæ pertinent ad Politicam, & temporalem jurisdictionem, & gubernationem Christianorum, ut constat ex Concilio Toletano *can.* 65. ex quo textus ille desumptus est, ut idem *Suarez* ex mente *glossæ*, & aliorum, ait per illos, qui ex *Judæis* sunt, intelligi, qui sunt ex familia Judæorum, præsertim filii-fam. & addit ex Judæis appellari etiam Proselytos, qui Judaismum profitebantur, licèt ex eorum origine non essent.

Idem dicas de filiis Cathecumenorum, quamvis eorum parentes à fide recesserint, quia parentes eorum non sunt propriè, & verè hæretici, undè eorum nati non sunt censendi ampliùs, quàm ex Judæis, sive aliis infidelibus geniti, *Sanchez in summa lib.* 2. *cap.* 28. *Sigismun. dub.* 81.

TITULUS VIII.

DE POSTULATIONE PRÆLATORUM.

Titulus hic ad præcedentes tali ordine continuatur. Visum est suprà de electione, & de his, qui eligi non possunt; quia verò illi, qui non possunt eligi, possunt postulari, meritò ponitur hic titulus. Ad cujus intelligentiam

Sciendum est primo, quòd postulatio est petitio gratiæ, facta superiori, qua aliquis petitur in prælatum, qui propter impedimentum aliquod Canonicum non poterat ab electoribus eligi, *Abbas in rubrica de postulat. prælator.* Quæ postulatio differt à nominatione, & simplici petitione, aut præsentatione, quòd ut aliquis dicatur propriè per postulationem assumptus, opus est, quòd propter aliquod impedimentum assumi per electionem non possit, ut dictum est, quod tamen impedimentum non sit ex delicto proprio ejus, qui postulatur, & ideò non possunt postulari criminosi, ut homicidæ, perjuri notorii, bigami irregulares, & alii, in quibus non solet juris rigor relaxari, *Azor. par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 17. *q.* 9. *Reginald. lib.* 30. *tract.* 3. *num.* 302, *Laver. lib.* 1. *tit.* 4. *rap.* 14. qui intelligit dummodò pœnitentiam non egerint; indigni pariter non possunt postulari: immò illum postulantes privantur potestate postulandi, *cap.* 1. & 2. *de postul. prælat. cap. scriptum ad finem de electione*, *Azor. & Lavar. ubi sup.* Nec possunt postulari excommunicati, *Ritciullus lib.* 4. *cap.* 6. *de jure personarum num.* 24. sicut neque interdictum violantes. d. *cap.* 1. *de postulat.*

Possunt verò postulari, qui legitimam non habent ætatem, vel qui non est natus ex legitimo matrimonio, vel qui non est Sacris Ordinibus initiatus, vel qui est alteri Ecclesiæ alligatus, *Lavor. d. cap.* 4. *num.* 50. undè Cardinalis non potest in Episcopum eligi, sed solùm postulari, *cap. bona memoria* 3. de

de postulat. prælator. Lavor. d. tit. 4. cap. 16. num. 67. Azor. par. 2. lib. 4. cap. 3. q. 15. ubi subdit. *Ideò in cap. Ecclesia vestra il. 2. de elect.* Cardinalem Canonicum electum non postulatum fuisse quia erat canonicus, & ut canonicus fuit electus in Episcopum, vel forsan, quia non erat Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, sed canonicus Cardinalis, id est principalis inter canonicos illius Ecclesiæ, & Episcopus unius Ecclesiæ non potest eligi ad aliam dignitatem, sed postulari, ex quo est matrimonialiter propriæ Ecclesiæ alligatus, liberumque volatum non habet, *cap. ult. de postulat. prælator. Regiaal. lib. 3. tract. 3. num. 202. in fine.*

Sciendum secundo est, quòd postulatio ab illis fieri potest, qui possunt eligere, & requiritur secundùm aliquos unanimis omnium consensus electorum: alii dicunt, quòd duæ saltem partes ex tribus in postulatum conveniant: alii, & meliùs dicunt sufficere, ut major pars concurrat electorum, *cap. scriptum de elect. Sylvester in verb. postulatio q. 2. Azor. par. 2. lib. 6. cap. 17. q. 3. Lavor. d. cap. 14. num. 7. Lucas Castellinus cap. 2. de elect. num. 8.* ubi ait legitimè postulatum illum dici, qui à majori parte eorum, ad quos spectat electio, in alio tamen conventu assignatus fuit postulatus, undè si non est sufficienter ultrà medietatem postulatus non tenet postulatio, ut decisum per Sacram Congregationem refert *Lavor. ubi sup. num. 7.* ubi *nu. 8.* ait, quòd facta postulatio debet præsentari, qua præsentatione facta postulantes non possunt ampliùs ab ea recedere. & variare ob reverentiam superioris, ne illudatur, & *num. 9.* idem *Lavor.* dicit Superiorem non posse postulationem factam ab omnibus, vel à majori parte ob utilitatem Ecclesiæ absque injuria rejicere.

Sciendum est tertio duplicem esse postulationem, solemnem scilicet, & non solemnem, solemnis est, quæ fit servata forma, *cap. quia propter de elect.* & postulatur is, in quem major, & sanior pars consentit, quem si admittit superior, qui super quolibet impedimento postulati facultatem habet dispensandi, eumque confirmet, tunc postulatio habet vim electionis, nec postulantes post præsentatam postulationem possunt variare non tamen postulato ante confirmationem aliquod jus acquiritur, nam potest superior eum rejicere, licèt, si sit valdè idoneus, possit adiri alius superior supra proximum superiorem, qui postulationem admittere, & confirmare cogatur *Castras Palans tom. 2. tract. 13. disp. 2. pun. 13. per totum.*

Postulatio non solemnis est cùm ab aliquo superiore, cui non spectat munus confirmationis petitur, ut super aliquo defectu dispenset. & in hac non servatur aliqua forma, sed si postulatio admittatur, talis admissio vim non habet electionis, & confirmationis. sed ex tali admissione nihil aliud postulatus consequitur, nisi quòd censetur redditus per postulationem habilis, ut eligi possit, ità quòd sublatum est impedimentum, quo obstante priùs eligi non poterat, *Petrus de Gregor. de elect. cap. 2. num. 12. Lavor. d. tit. 4. cap. 13. num. 30. Rendina tom. 1. receptar. senten. tit. 36. num. 35.*

Sciendum est quarto electionem, postulationem & nominationem in multis differre.

Primo differunt, quia electio nititur juris, postulatio gratiæ. Secundo per electionem fit vinculum matrimonii spiritualis, per postulationem vota tantùm diriguntur. Tertio, quia eligitur dignus, & habilis, & qui nullum habet impedimentum, postulatur verò dignus, sed inhabilis licèt non omninò. Quarto in electione, si plures sint electi, is potior est, qui à majori, & parte saniore Capituli eligitur, nisi aliud impediat, *cap. dudum cap. quia propter de elect.* in postulatione verò si postulatus concurrat cum electo, non obtinet, nisi habeat duas partes ex tribus partibus Capituli, *d. cap. scriptum de elect.* & sic cæteris paribus semper postulationi præfertur electio. Quinto per electionem acquiritur jus prælaturæ, & dignitatis, licèt non administrationis, & exercitii ante confirmationem, per postulationem verò nullum jus acquiritur postulato, sed diriguntur tantùm vota ad superiorem, ut de gratia velit admittere postulatum, *cap. postulationem de postulat. prælat. Riccius collect. 1648. Garsia par. 4. cap. 3. num. 7. Lavor. tit. 4. cap. 19. num. 109.* differt quoque nominatio ab electione & postulatione, quia nominatio fit de pluribus, electio verò, & postulatio fit de uno tantùm. In nominatione is tantùm dignior proponitur, qui primo nominatur, in postulatione verò, & electione is dignior visus est, qui postulatur, ut eligatur, *cap. quorundam de elect. in 6.*

Differunt etiam, quia in electione publicato scrutinio non licet variare; sed collatio facienda est, & electio celebranda, *cap. publicato 58. de elect. Miranda tom. 2. q. 13. art. 24. concl. 2.* in postulatione verò licitum est variare, & à postulatione recedere quousque illa fuerit superiori præsentata, ut rectè docent in *d. cap. publicato, Rendina tom. 1. tit. 36. num. ult.* quia per Canonicam electionem quæritur jus ad rem ipsi electo, quod ab eo, absque ipsius facto auferri non debet postulato verò nullum ex postulatione jus quæritur, *cap. penult. de postulat. prælator.* nec lucrum, quod postulato aufertur considerabile est, nec in ejus personam radicatum, sed à mera superioris voluntate dependens, undè privatio illius præjudicium non infert considerabile, argum. *l. fin. C. de codicilis, Padilla in l. 3. C. de jur. & fact. ignor.*

TITULUS IX.

DE CONFIRMATIONE ELECTIONIS

Visum est suprà de electione, & de his, qui possunt eligi, & postulari, sed quia electi debent confirmari, meritò ponitur hic titulus. Ad cujus intelligentiam

Sciendum est primo confirmationem esse juris priùs habiti corroborationem, qui enim confirmat nihil de novo dat, sed jus priùs habitum roborat: ita *Hostiensis in summa de confirm. utili, vel inutili* ubi *Barb. in collect. latissimè*, & est confirmatio alia potestativa, alia ratificativa, potestativa dicitur illa, quæ fit de plenitudine potestatis; Ratificativa dicitur, quandò quis ratificat negotium ab alio gestum nomine suo, de qua confirmatione ratificativa est *tex. in cap. ratihabitionem de reg. jur. in 6.* Item dividitur, quòd alia sit confirmatio in forma communi, & est, quandò fit sub conditione, ut quandò diceret Summus Pontifex alicui clerico, confirmamus possessionem beneficii tui, si illud pacificè, & justè possideas, & dicitur in forma communi, quia Papa ità communiter rescribere solet, ut notatur in *cap. quia diversitatem de concess. præben.* Alia dicitur confirmatio, quæ fit ex certa scientia, & est, quandò totùm negotium fuit reservatum Papæ, & posteà ex certa scientia confirmat. Dividitur etiam, quòd alia sit utilis, alia inutilis, utilis est quandò utiliter geritur, inutilis, quæ inutiliter fit, ut si Judex, ad quem fuit appellatum, confirmavit sententiam injustè latam à Judice, à quo fuit appella-

ellatum, de qua re agitur in titulo decretalium *de confirm. utili, vel inutili.* In matèria verò noſtra ſumitur confirmatio reſpectu electionis, veluti quandò electus in prælaturam confirmatur in electione; de ſtylo verò Curiæ Romanæ confirmatio Epiſcopi, ut in præſenti accipitur, eſt illa cedula, quam conſiſtorialem appellant, quæ fabricato proceſſu circà vitam, & mores electi in prælatum præſentatur in Cancellaria Romana, & ſuper illa cedula expediuntur Bullæ Apoſtolicæ ſub ſigillo plumbeo, de qua *Barb. lib. 1. de jure Eccleſ. cap. 9. à num.* 10.

Sciendum ſecundo eſt, confirmationem electionis eſſe præſtandam ab eo ſuperiore immediato, qui talis eſt reſpectu electi, *cap. poſtquàm, cap. nihil eſt de elect.* qui enim eſt electus, infrà menſem conſentire debet electioni, & petere confirmationem infrà tres menſes, ne ſcilicet diù differatur Eccleſiæ electio, *cap. quam ſit de elect. in 6. Rota dec 7. de elect. in noviſſ. Menoch. de arbitr. caſu* 477. *Gonzalez in regul.* 8. *Cancellariæ gloſſa* 15. *num.* 50. *Maſſobrius in praxi habendi concurſum requiſito* 1. *dub.* 2. *num.* 11. *& in d. cap. quam ſit,* tempus trium menſium à conſenſu præſtito ſtatutum eſt, ut confirmatio petatur, *Lavor tit. cap.* 25. *num.* 34. *Barb.* de *poteſt. Epiſcopi par.* 1. *tit.* 1. *cap.* 4. in tantum, quòd ſi electus non petat prædictam confirmationem infrà tres menſes, ipſo facto privatur jure ſibi per electionem quæſito, *cap. quam ſit, Vivianus de Jure patronatûs lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 53. *Barb. par.* 3. *alleg.* 57. *nu.* 253. niſi forſan electi amicus, ejus nomine confirmationem petat, modò electus ratum habeat infrà illos tres menſes, *gloſſa in d. cap. quàm ſit, in verb. petere,* quia ratihabitio debet fieri infrà terminum datum ad acceptandum, *Covarr. lib. 3. var. cap.* 16. *num.* 5. *Garſia de benefic. par.* 10. *cap.* 2. *num.* 42.

Epiſcopum confirmare non ſolum ad ſummum Pontificem, ſed etiam ad Patriarcham pertinet, vel Metropolitanum, *cap. quoniam* 100. *diſt. cap. cum. dilectus* 32. *de elect. cap. cupienter per argumentum à ſpeciali, de elect. in 6. Petrus Gregor. de elect. cap.* 19. *num.* 10. *Paulus Layman de elect. cap.* 15. *q.* 162. nam capitulum, cui ſpectabat jus eligendi ſuum Epiſcopum, mittebat litteras ſuo ſigillo munitas, & per canonicos ſubſcriptas, quæ appellabantur decretum in quibus electio facta ſeriatim narrabatur, & confirmatio petebatur, *cap. cum Eccleſia Sutrina de cauſa poſſeſſ. & propriet.* licèt regulariter electus Epiſcopus per Metropolitanum ſuum confirmetur, argum. *cap.* s. 64. *diſt. cap. noſti de elect. cap.* 1. *de tranſlat. Epiſcopi,* & ille, qui moribus, ac qualitatibus requiſitis repertus fuerit idoneus, erit confirmandus, *cap. de Petro* 47. *diſt. cap.* 2. *cap. cùm à nobis de elect.* quòd ſi ei obiciantur aliqua crimina, ſe purgare debet, cum requiſito numero Epiſcoporum, ut in *cap. illud.* 23. *diſt.* quandò verò coëlectus poſtulat confirmari cum alio, quomodò ſit procedendum declarat *textus in cap. fin. de elect. in* 6. Hodie verò Epiſcoporum confirmatio ad ſedem pertinet Apoſtolicam, *ex regula* 3. *Cancellariæ,* ut obſervat *Caſtaldus in praxi ceremoniali lib.* 1. *ſect.* 10. *cap.* 2. latè *Barb. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 8. qui etiam refert, quòd Epiſcopus jam confirmatus, & electus veſtibus Epiſcopalibus indui debet, & ſi fuerit præſens in Curia, quàm primùm adire debet ſummum Pontificem, & ei gratias aget, & ſeipſum, & Eccleſiam ſibi creditam commendabit, & ab eo Rochettum accipiet, deindè ſingulos Cardinales in eorum domibus viſitabit, eis gratias agens, & ſe, ſuamque Eccleſiam commendans; abſens verò id per litteras præſtabit, *Caſtaldus d. ſect.* 10. *cap.* 2. *num.* 10. *Barb. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 22.

Sciendum eſt tertio electionem Generalium pertinere ad totam Congregationem, & capitulum *cap. fin.* 16. *q.* 7. *cap. Abbatem* 1. *&* 2. 18. *q.* 2. *cap. cùm dilectus de conſuetud. §. jubemus authen.* de *ſanctiſſimis Epiſcopis,* vel ab eis, qui totam Congregationem repræſentant, putà in aliquibus Religionibus vocales, in aliis Cuſtodes, & Provinciales. Confirmatio Generalis ſpectat ad ſummum Pontificem, ſed in praxi retinent privilegium regulares, ut ſtatim atque electi ſint, cenſentur confirmati. Pater Generalis Sancti Franciſci de Pœnitentia tertii ordinis confirmatur à Generali Miniſtro Sancti Franciſci de Obſervantia. Sixtus V. in Bulla, quæ incipit *Romani Pontificis §.* 5. Miniſter Generalis Sancti Franciſci Capuccinorum antiquitùs confirmabatur à Generali Miniſtro Fratrum Minorum Conventualium, Bulla Pauli Tertii, quæ incipit *exponi nobis.* Hodiè verò ex Paulo V. in Bullâ. quæ incipit, *aliàs Felicis Fratris Capuccini* non opus habent tali confirmatione. Officium Generalatûs in certis quibuſdam Religionibus datur in vitam, ut in Societate Jeſu, & in Ordine ſancti Dominici. Generalis Ordinis Minorum, adhuc ex regulis ipſorum eſſe debet perpetuus, ut in regula 8. ſed ex Leone X. fuerunt tales Generales facti etiam temporales, qua de re *Sigiſmundus dub.* 47. Qui Generales erunt faciendi etiamſi infrà tempus electi ſint inhabiles, ut ſi ſint notorii tranſgreſſores ſuarum regularum, *cap. cùm ad Monaſterium de ſtatu Monachorum,* ſi ſint notoriè criminoſi, & ſcandaloſi, *cap. ſi quis Abbas* 18. *q.* 2. ſi ſint notabiliter in officio negligentes, *cap. dictum diſt.* 81. *cap.* 1. *diſt.* 86. *cap. quoniam in fine diſt.* 100. *cap. ſi qui Epiſcopi, §. ecce* 1. *q.* 1. *cap. placuit* 11. *q.* 3. latè *Sigiſmundus dub.* 98. *per totum.*

Generalis temporaneus officium ſuum prorogare non poteſt, ſed eo expleto ceſſat authoritas, *§. fin. verſ. ſi verò nondùm, Authen. de defenſ. Civitatis,* ſed ex neceſſitate urgente poteſt protrahi capitulum Generale ad menſem, vel ad menſes, & ſic poteſt Generalis ſuum officium prorogare, eſt tamen tutius id non facere Pontifice inconſulto. Expleto officio non poteſt idem Generalis confirmari, niſi alius idoneus non reperiretur, vel ſi omnes electores nullo refragante confirmarent, *d. §. fin. authen. de defenſor. verſ. ſi verò nondùm, Romanus ſingular;* 96. *Sigiſmundus dub.* 99.

Eligitur etiam Procurator Generalis Ordinis ab unaquaque Religione, & multoties idem officium concurrit in una, eademque perſona, ut v. g. apud Canonicos Regulares Lateranenſes, Procurator Generalis, qui in Romana Curia reſidere ſolet eſt Abbas ſanctæ Mariæ de Pace in Urbe Bulla Pauli V. quæ incipit *Paſtoralis*: apud alias Religiones diſtinguitur hoc officium ab aliis, hoc officium originem habuit tempore Sixti V. eſt eligendus talis Procurator Generalis à toto Capitulo, & immediatè ſubeſt Generali, & tractat omnia negotia Religionis in Curia Romana contingentia, habent alias prærogativas, de quibus *Sigiſmund. dub.* 100.

Eligitur etiam Provincialis à tota Provincia Religionis, ſicut electio Abbatis ad totum Monaſterium pertinet, de cujus Abbatis electione agitur in *clem. exivi de verb. ſignif. §. demùm, & §. caterùm:* quòd ſi ſint negligentes, devolvitur ad Generalem, & die ſequenti poſt factam Congregationem eligi debet, d. *cap. exivi. Sigiſmundus dub.* 101. quandò verò devolvitur ad Generalem electio provincialis, tunc ſi eligat Generalis alium, qui non ſit de gremio Eccleſiæ vacantis, tenet electio, *Sigiſmundus dub.* 102. quòd ſi ex negligentia capituli ad eum devoluta facultate elegerit Generalis Provincia-

vincialem, & hic postea moriatur, vel renunciat, vel irrita fuit electio, censentur electores alium eligere, *Sigismundus dub.* 11. *num.* 3. *& dub.* 102. *num. fin.*

Confirmatur Provincialis à Generali tanquàm ab immediato superiore, *Sigismundus dub.* 44. *num.* 2. *& per tatum*, & servantur in praxi Bullæ peculiares, concessæ Religionibus, de quibus *Sigismundus dub.* 103.

Super principium textûs, junctis duobus §. §. sequentibus.

EXplicat textus in præsenti Gregorianam Constitutionem in Lugdunensi Concilio editam, ubi determinatum fuit, ut electus debeat intrà mensem consentire electioni de se factæ, aliquin alius poterit eligi, ut hìc, & in *cap. quàm sit de elect. in 6.* qui mensis currit electo à die notitiæ electionis de se factæ, *cap. cupientes §. cæterùm de elect. in 6.* qui textus postea ait, infra três menses petere confirmationem, quo termino elapso legitimo impedimento cessante irrita fiet electio, *d cap. quàm sit, vers. cæterùm*, ubi *glossa in verb. Ecclesia* ait hoc in prælatis cujuscumque Ecclesiæ locum habere, *Azor. par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 29. *q* 16. *Miranda tam.* 2. *q.* 23. *art.* 9. *concl.* 4. *Barb. de potest. te Episcopi par.* 3. *alleg.* 57. *nu.* 113. *Lavar. d. tit.* 4. *cap.* 25. *nu.* 35. quæ de re supra dixi, facit *Trid. sess.* 7. *cap.* 9. *de reform. & sess.* 23. *cap.* 2.

Abesse debet à confirmatione quæcumque simoniæ labes, quia omnis electio, confirmatio, provisio, & nominatio simoniacè facta est ipso jure nulla, nullumque jus, sive effectum sic electo confert; immò tenetur ille in conscientia prælaturæ renunciare, nec antea absolvi poterit ut expressè probat *textus in extravaganti cum detestabile de simonia, Lessius de Justic. & jure lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 25. *num.* 157. *Seraphinus dec.* 516 *Suarez de relig. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 57. *num.* 10. *Sigismundus de B non. de elect. dub* 58. *num.* 8. *Lavor. d. tit.* 4 *cap.* 25. *num.* 65. *Tamburrinus tom.* 1. *disp.* 10. *dub.* 5. *num.* 1. Reputabitur verò simoniaca electio si pro suffragio, sive pro voce quis promiserit beneficium, *cap. de hoc ii de simonia, Suarez lib.* 4. *de simonia cap.* 39. *num.* 14. erit quoque simoniaca electio si aliqui pecuniam dederit pro electione, latè *Barb. lib.* 1. *de jure Eccles. cap.* 19. *à num.* 155.

In §. Quamdiù cum sequenti.

COnclusio horum juxium est, quòd electus ante confirmationem administrare non debet in Ecclesia, neque ut œconomus, vel procurator, vel sub alio quæsito colore in spiritualibus, vel in temporalibus per se, vel in totum, vel in partem, quòd si secùs faciat, eo ipso privatur omni jure acquisito per electionem, *cap. avaritiæ de elect. in* 6. *Laurentius de Peyrinis de Religioso subdito tom.* 1. *q.* 1. *cap.* 23. *§.* 11. *Lavor. d. tit.* 4 *cap.* 45. *num.* 6. *Lotter. lib.* 2. *de beneficiis q.* 13. *Barb. par.* 3. *alleg.* 57. *num.* 114. dummodò dolus intercedat, ut ait *tex. in d. cap. avaritiæ*, ibi exquisitis fraudibus, undè à talibus, pœnis excusare quamlibet causam, ait *Rot. Romana* apud *Barb. in collect. ad textum in d. cap. Avaritiæ num.* 4. & ex uno actu perceptionis fructuum dicitur pœnam incurrere, *Lotterius d. q.* 13. *nu.* 6. *Puteus de.* 45. *lib.* 3. *Rota dec.* 83. *p.* 3. *diversorum.*

Declaratur primo conclusio, ut non procedat in provisionibus Apostolicis, in quibus non proceditur per viam confirmationis, cùm provisio unico actu habeat validam electionem, & confirmationem, ideoque in provisionibus, quæ fiunt à Curia Romana non servatur *textus in cap. fin. de elect. in* 6. *Lambertinus de Jure patron. par* 2. *quæstionis principalis art.* 5. & fuit decisum in Rota, teste *Barb. d. cap.* 19. *num.* 148.

Declaratur secundo, ut non procedat in Abbatissa à majori parte, quàm à duabus electa, nam si ejus confirmatio impugnetur, poterit nihilominùs ministrare, *cap. indemnitatibus, §. si verò de elect. in* 6.

Ex quibus nota, quòd tenetur electus, & confirmatus petere litteras continentes tenorem suæ confirmationis, & illas ostendere eis debet, ad quos ea res pertinet, alioquin electo non est obediendum, ut hic, & in extravaganti, quæ incipit *injunctæ inter communes de elect. Riccius collect.* 1325. *Lavor. lib.* 1. *tit.* 4. *cap.* 25. *num.* 9. *Barb. par.* 3. *allegat.* 54. *num.* 161. quoad pœnas verò, de quibus in dicta extravaganti dico non incurri ab eo, qui electus, & confirmatus est, licèt litteras non obtinuerit confirmationis, *Valerius in diff. utriusque fori, in verb. obedientia diff.* 4. Cardinales verò non adhuc capta possessione possunt conferre, & jurisdictionem exercere, *Barb. alleg.* 111. *num.* 35. Episcopi verò, qui recipiunt administrationem suarum Ecclesiarum non præstito solio fidelitatis juramento, vel a Curia dependentes, non accepto pallio loquendo de Archiepiscopis incidunt in pœnas d. extravagantis, *Lavor. tit.* 4. *cap.* 25. *Barb. in collect. ad textum in d. extravag. injunctæ.*

In Regno nostro impetrans à Papa beneficium, quod erat eidem reservatum, debet præsentare Bullam Nuntio Apostolico Neapolitano, v. g. si beneficium est in Regno (Idem die de omnibus beneficiis vacantibus in mensibus Papæ, vel resignatis Romæ) quâ præsentata Bulla per Nuncium scribuntur litteræ sub Collectori, seu Commissario Diœcesis, ubi est situm beneficium impetratum à Sede Apostolica, ut relaxet provisionem proviso, vel ponat eundem in possessionem, ità servari refert *Navarius in collect. Bullarum fol.* 603. *col.* 1.

Ex Bulla Pii V. de qua *Navar. fol.* 94. fuit innovata dispositio *textûs in d. extravaganti injunctæ*, & dispositum, ut nullus possessionem capiat beneficii, nisi litteris expeditis, aliàs omne jus amittit, & fit inhabilis ad illud obtinendum & dicitur intrusus, & nudus detentor, & contrà eum fieri potest impetratio, neque poterit se ingerere, & bona administrare, *d. cap. avaritiæ de elect. in* 6. *Riccius collect.* 698. & 1476. & procedit etiam in beneficiis Juris patronatûs, *Riccius dec.* 339. *par.* 3. & ex sola aquæ aspersione in Ecclesiæ beneficii facta sine Bullis, dicitur pœna dictæ Bullæ incursa. *Crescentius dec.* 6. *de jure patron.* nisi tamen excusaretur ex eo, quòd id fecerit ignoranter, quod ex usu hiis eum, nisi sit legum Doctor, *Riccius dec.* 53. *Navar. fol.* 96. *num.* 50. requiritur verò, ut privetur tali beneficio sententia declaratoria DD. ubi suprà.

In beneficiorum possessione capienda, si beneficia sint reservata in manibus ordinarii infrà tres menses tenetur beneficiatus possessionem sumere: si verò fit facta resignatio in manibus Sanctissimi infrà sex menses, ut ex Bullis colligit *Novarius fol.* 126. Nisi tamen per se non steterit, scilicet ex parte beneficiati, quod tempus currit à die datæ. Verùm si beneficium Juris patronatûs sit in manibus Sanctissimi resignatum, non currit prædictum tempus sex mensium, ut decisum refert in Curia Archiepisc. Neap. *Novarius num.* 13. quia tempus ad instruendum præsentatum non est præfixum.

In aliis verò beneficiis datis simpliciter à Papa, vel ab ordinario nullum est tempus præfixum ad acceptandum: *glossa* per illum *textum in cap. si tib. absenti de preb. in* 6. nisi præfigatur ab Episcopo, Verùm si intrà triennium illud non acceptaverit, nec possessionem acceperit, præsumitur illi renunciasse,

ci-sse. *Riccius par. 4. dec. 60. Novar. ubi suprà fol. 96.*

In §. Is autem.

Conclusio hujus textûs est, quòd confirmatio prælati facienda est causa cognita, ut in *cap. nihil* 44. *de elect.* ut scilicet cognoscatur idoneitas personæ, quæ confirmatur, nam si confirmet indignum scientia, vita, vel ætate, carere debet potestate confirmandi in sequenti electione, & suspendi debet à perceptione fructuum proprii beneficii, quousque indulgentiam promereatur, *d. cap. nihil*, *Lambertinus de jure patron. lib.* 2. *par.* 1. *q.* 3. art. 3. *Reginaldus lib.* 32. *tract.* 2. *nu.* 62. si enim scienter, & per malitiam indignum confirmaverit, debet deponi, *glossa in d. cap. nihil. in verb. suspendatur, Vivianus de jure patr. lib.* 12. *cap.* 7. *num.* 8. *Laverius d. cap.* 25. *num.* 62. peccat mortaliter, & tenetur ad omnia damna, *Joannes Valerus in differ. utriusque fori, in verb. Electio diff.* 1.

Et quia nullibi reperitur in jure præfixum tempus confirmatori ad confirmationem concedendam, sicut nec ad instituendum *Massobrius in praxi habendi concursum ad Parochialem requisito* 9. *dub.* 1. *Lavor. tit.* 5. *cap.* 25. *num.* 43. Ideò sicut institutor si sine causa non instituat, potest per superiorem compelli ad instituendum, assignando terminum, intrà quem instituat, quo elapso poterit ipsemet Superior instituere, qui terminus brevis statui debet, ità ut licèt sit arbitrarius, non debeat excedere sex menses, *Lambertinus de jure patron. lib.* 2 *q.* 2. *ar.* 6. *num.* 4. *Massobrius d. dub.* 1. ità si confirmator nulla existente rationabili causa renuat facere confirmationem, recurritur ad superiorem, qui eum compellat infrà breve tempus præfigendum cum comminatione, seu intimatione, quòd nisi intrà talem terminum confirmet, superior jure devoluto hoc faciet. *Sigismundus à Bonon. de elect. dub.* 65. *nu.* 3. *Lavor. d. cap.* 25. *num.* 44. Quòd si confirmator electum sine causæ cognitione confirmaverit, dicitur electus ab electione, & sic caret jure, quod sibi fuit quæsitum per electionem, ipse verò confirmans, si indignum confirmaverit, per triennium suspenditur à potestate eligendi, & confirmandi, ut habetur in *d. cap. nihil de elect.*

In §. Quòd si fortè cum tribus sequentibus.

Prima conclusio horum jurium est, quòd si ab electoribus unus fuit postulatus, & alius electus, si numerus postulantium sit duplo major, erit admittendus postulatus, si verò numerus postulantium non est duplo major, tunc electus erit confirmandus, casu verò, quo postulantes indignum postulaverunt, sed ignorantes, tunc nec postulatio, nec electio rata habenda erit: si scientes, & prudentes postulaverunt indignum ad prælaturam, tunc electio erit confirmanda, ut in *cap. scriptum de elect.* Dicitur verò major pars capituli non habito respectu ad alias partes; sed ad totum capitulum, *Boer. dec.* 3. *num.* 4. secùs est in præsentatione plurium patronorum, sive laicorum, sive Clericorum, quia hoc casu major pars intelligitur respectu pluralitatis vocum; pone exemplum. Sunt sex patroni, quorum duo præsentaverunt Titium, unus Sempronium, & tres Marcellum, iste Marcellus erit præferendus in præsentatione Juris patronatûs secundùm *Abbatem in cap. Ecclesia vestra il.* 2. *de elect.* sequitur *Boer. d. dec.* 3.

Secunda conclusio horum jurium est, quòd in confirmatione facienda confirmans non debet uti nimia celeritate, sed debet citare omnes, de quorum interesse agitur, ut in termino peremptorio, si qui sunt, compareant ad contradicendam electionem, & impugnandam confirmationem, & calumniosè opponentes sunt repellendi, idem dicit *textus in cap. fin. de elect. in* 6. ubi dicitur, quòd electus, quandò adsunt competitores, non confirmetur, nisi fiant publicè Edicta, quòd volentes opponere veniant, peremptorio termino assignato, alioquin confirmatio est irrita, sequitur *Barb. libro* 1. *de jure Eccles. cap.* 19. *à num* 251. & in *d. cap. fin. de elect. in* 6. quod non habet locum in provisionibus, quæ fiunt in Curia Romana, *Sigismundus dub.* 46. *num.* 13. qui etiam ait Generalem Minorum in confirmatione Provincialium non teneri servare dispositionem dicti textûs.

Tertia conclusio horum jurium est, quòd Schismaticus, si ad unionem Ecclesiæ reversus fiat Episcopus, non tenet electio, sed ex dispensatione potest confirmari, idem dicit *textus in cap. quia diligentia de electione*: si verò fuit electus in Prælatum quis, & deindè factus est Schismaticus, & posteà abjurato schismate ad unitatem Ecclesiæ redierit, est confirmandus, quandò tamen nullum in Schismate suscepit ordinem, ex quo collige non posse Schismaticum sine dispensatione obtinere beneficia Ecclesiastica, etiamsi ad Ecclesiæ unitatem redierit, *Sanchez in summa lib.* 2. *cap.* 36. *num.* 18. *Garsia par.* 11. *de beneficiis cap.* 10. §. 1. *num.* 162. intelligit de Schismatico publico, secùs de occulto maximè emendato, & converso, & *num.* 164. cùm Abbate dicit, quòd in Episcopis requiritur dispensatio Papæ, in aliis verò sufficit dispensatio Episcopi, *Barb. in d. cap. quia diligentia.*

In §. Igitur.

Conclusio hujus textûs est, quòd secuta confirmatione electionis inter electum, & personas eligentium contrahitur matrimonium cùm Ecclesia, & spirituale conjugium, ex quo confirmatus liberam super illis statuendi capit facultatem. Idem dicit *textus in cap. inter corporalia de translatione Episcopi*, quod quidem matrimonium spirituale differt à carnali in multis. Primo, quia carnale initiatur sponsalibus, ratificatur consensu, & consummatur copula, *§. fin. infrà de Sacram. matrimonii.* Spirituale est illud, quod contrahitur per ingressum in Religionem, *cap. cùm ad Monasterium de statu Monachorum*: & in casu nostro cùm quis confirmatur in Ecclesia. Secundo, quia matrimonium carnale jam consummatum, est indissolubile, *Matth.* 19. *Quos Deus conjunxit, homo non separet*, non enim potest Summus Pontifex solvere matrimonium jam consummatum, *Sanchez* post alios *de matrim. lib.* 2. *disp.* 14. at secùs in matrimonio spirituali, quod potest à Papa dissolvi, & sic etiam transferri potest Episcopus de una in aliam Ecclesiam, *d. cap. inter corporalia*, & licèt valeat argumentum de matrimonio carnali ad spirituale, tamen quandò militat diversa ratio non tenet, *Barb. in* d. *cap. inter corporalia*, qui probat, quòd vinculum, quo ligatur Ecclesia cum suo prælato est tantùm de jure humano. qui *num.* 8. addit, quòd Episcopus electus, & confirmatus, etiamsi adhuc non sit consecratus, Episcopatui sine Papæ licentia renunciare non potest *Sanchez*, *Suarez*, & alii apud eundem.

In §. finali.

Conclusio hujus textûs est, quòd ille, qui electus, & confirmatus est, sed non adhuc consecratus solùm

solùm exercet ea, quæ sunt jurisdictionis, non autem ea, quæ sunt ordinis, v. g. excommunicare, suspendere, interdicere, visitare, corrigere, punire, Synodum congregare, beneficia conferre, Ecclesias minores conjungere, & unire, & dividere, voti, & juramenti vincula solvere, quorundam peccatorum absolutionem reservare, *cap. transmissam, cap. nostri, cap. qualiter de elect. cap. inter corporalia de transl. Episcopi, Riccius in praxi par. 1. dec 136. Julius Lavorius var. tit. 4. cap. 25. num. 9. Barb. de potestate Episcopi, tit. 1. cap. 5. num. 14. & cap. 4. num. 7.*

Ea, quæ sunt ordinis non competunt Episcopo, nisi sit consacratus, *d. cap. transmissam, ubi glossa in verb. talibus*; & primo si aliquis eum percusserit non est excommunicatus in Bulla Cœnæ Domini; Secundo non potest in Missa dicere (sit nomen Domini benedictum.) Tertio, nec Civitas, quæ illum occidit, privatur dignitate Episcopali. Quarto potest suspendi, interdici, seu excommunicari à Vicario Archiepiscopi Metropolitani etiam eo præsente, quamvis id minimè fieri posset si Episcopus suffraganeus esset consecratus, juxtà *tex in cap. 1. §. Officialis de offic. ordin. Bar. d par. 1. tit. 4. nu. 16. de potestate Episcopi*, & tenetur prædictus sic electus, & canonicè confirmatus munus suæ consecrationis suscipere infrà tres menses sub pœna amissionis fructuum, etiamsi sit S. R. Ecclesiæ Cardinalis, & si intrà tres alios menses id non adimpleverit, Ecclesia, & Episcopatu ipso jure privatur, ut olim fuerat constitutum in *cap. quoniam 75. dist. & in cap. 1. dist. 100. & in Trid. sess. 7. de refor. cap. 9. & sess. 23. cap. 2. Barb. par. 1. alleg. 1. num. 39.*

Nota tamen pro complemento hujus tituli, quòd si res est litigiosa, & aliquis hoc tacens impetrat à Papa confirmationem, non tenet confirmatio, quia subreptitia, *cap. 1. de confirm. utili, vel inutili.* quia res litigiosa alienari non potest, aliàs alienatio est nulla, *l. 1. C. de litigiosis. Riccius coll. 817.* sive donetur, sive obligetur, vel hypotecetur, sive permutetur, etiamsi ad pias causas detur, vel etiam si a Fisco alienetur, licèt sint res mobiles, neque actio, quam habet quis ad rem litigiosam cedi potest; secùs si alienetur ex causa necessaria, puta si confiscatur, vel si detur insolutum, vel si alienetur ex Judicis licentia, vel ex causa dotis, aut donationis antè nuptias, *l. fin. C. de litigiosis*, vel si fiat alienatio ex causa divisionis, *d. l. fin. vel ex causa transactionis*, qua de re *Barb. in d. cap. 1. de confirm. utili, vel inutili.*

TITULUS X.

De Consecratione.

Visum est suprà de modis eligendi, vel postulandi prælatos; videndum erat de ultima perfectione electionis, quæ est consecratio. Meritò ponitur hic titulus: ad cujus intelligentiam

Sciendum est primo, quòd hoc verbum consecratio deducitur à sacrando, nihil autem est sacrare, quàm dedicare, *§. sacra instit. de rerum divisione*, & consecrare propriè est simul sacrare, id est cum interventu, & opera duarum personarum concordi animo, *cap. pudenda 24 dist. cap. Episcopus 23. dist.* ubi *glossa*. Dividitur consecratio in quatuor species. Prima est Sacramentorum. Secunda personarum. Tertia locorum. Quarta rerum. Prima intervenit in Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, Ordine, & Extrema Unctione, non verò in Pœnitentia, & Sacramento Matrimonii. Secunda personarum comprehendit Episcopos, Presbyteros, Clericos inferiores, & Virgines, quamvis in quolibet christiano ratione Sacramenti Baptismi, & Confirmationis videatur inesse consecratio, *cap. quod quidam 1. q. 1.* sicut in Imperatore, & Regibus, qui unguntur *cap. venerabilem 34. de elect.* Sed propria consecratio est Episcoporum, Abbatum verò benedictio, & clericorum vocatur ordinatio, *Abbas in cap. sicut de simonia.* Tertia est consecratio rerum. Quarta est sacrorum vasorum, aquæ baptismalis, olei pro sacramentis conficiendis: antiquitùs dabatur consecratio Imaginum, ut in *Concilio Nicæno 11. sess. 6.* Sed hodie recessit ab usu.

Sciendum secundo est dari differentiam inter consecrationem, & benedictionem, quòd scilicet consecratio benedictionem continet, non econtra, quia benedictio est tantum profanitatis exclusio, at consecratio addit rei ipsius perpetuam ad divinum cultum dedicationem, majori astrictam vinculo, quæ benedictio alia est personarum, alia rerum, alia locorum, personarum alia est solemnis, quam in divinis officiis dat solus Episcopus in sua diæcesi, & Archiepiscopus, vel Patriarcha in sua Provincia, dùm visitat, & legatus Sedis Apostolicæ in locis suæ legationis, & Romanus Pontifex ubique terrarum, *cap. antiqua de privil. clem. fin. eod. tit. Ugolinus de potestate Episcopi cap. 31. §. 1. Barb alleg. 27. ex num. 63. Piasecius in praxi Episcopali par. 1. cap. 2. num. 3 Riccius in praxi resol. 103.* & Episcopus celebrans privatè in diœcesi aliena potest uti benedictione Episcopali, cum verbis, *Sit nomen Domini benedictum*, qui verò sunt Episcopis inferiores hanc solemnem benedictionem dare non possunt, nisi fuerit eis ex privilegio concessum, quod quidem Abbatibus usum mitræ, & baculi habentibus conceditur, *cap. Abbates de privil. in 6.* publicè tamen per vias, & Civitates benedicere populis nequeunt, nisi id expressè habeatur in eorum privilegiis, ut in *d. cap. Abbates. Rodriqu. quæst. regul. tom. 1. q. 18. art. 1. Azor. par. 1. lib. 12. cap. 20. Piasecius d. cap. 2.* & declaravit Sacra Congregatio apud *Barb. lib. 2. de jur. Eccles. cap. 3. num. 60.* Idem videtur concessum quibusdam Archipresbyteris habentibus jura Episcopalia.

Hæc autem solemnis benedictio originem habuit ex eo, quòd Aaron, & David, ac Salomon post holocausta, & pacifica, populo benedixisse leguntur in nomine Domini. Undè talis benedictio per Pontificem post divina officia datur cum precibus ad Domini nomen directis: Alia etiam est benedictio personarum simplex, quæ fit à presbyteris taotùm in Missa, non autem præsente Episcopo sine permissione ipsius, juxtà illud Apostoli, minor à majori benedicitur, non econversò, *cap. denique 21. dist. cap. ministrare 26. q. 6. cap. cùm ad celebrandas de consecr. dist. 1. Barb. alleg. 27. num. 66.* in Missis defunctorum non datur benedictio populo, quia benedictio, quæ datur in Missa respicit populum, defuncti verò non sunt in populo; ideò in eorum Missis non datur benedictio, sed tantùm dicitur requiescant in pace: datur etiam alia benedictio spiritualis personarum, cùm scilicet novus miles, vel Monachus, vel Abbas solemni quodam ritu per Pontificem benedicitur, ut sancta servat Ecclesia.

Rerum benedictio multiplex est, veluti aquæ, cinerum, candelarum, palmarum, vestimentorum, ac linteaminum, & aliarum rerum Ecclesiæ: aquæ benedictio, quæ fit cum sale, & exorcismo ad domos, & homines aspergendos, & fugandos dæmones, atque ad venialia delicta abluenda, *cap. aquam de consecr. dist. 3. cap. aqua de consecr. Ecclesiæ*, ubi *Barb. in collect. & de potest. Episcopi alleg. 28. à num.*

num. 58. ad ſolum Sacerdotem pertinet : eſt alia aqua, quæ à ſolo Epiſcopo benedicitur cum vino, & cinere ad reconciliandam conſecratam Eccleſiam, quæ fuerit violata, & polluta, *d. cap. aqua*; *cap. propoſuiſti, de conſecr. Eccleſia.* Epiſcopus etiam campanas benedicit, & chriſmate ungit, & poteſt Epiſcopus prohibere, ne campanæ pulſentur ſi non ſint benedictæ, ut declaravit Sacra Congregatio, teſte *Barb. d. lib. 2. de jure Eccleſ. cap. 3. num. 68.* Quæ tamen campanæ in ſabbato ſancto pulſari non poſſunt in aliqua Eccleſia ante pulſationem in Eccleſia cathedrali, vel matrice, ut declaravit eadem Sacra Congregatio, & id tam in Eccleſiis ſæcularibus, quam regularibus etiam S. Joannis Hieroſolymitani, etiam propè, & extrà muros exiſtentibus, & etiam in Eccleſiis confraternitatum, & etiamſi adſit aliqua Eccleſia collegiata, quæ habeat omnimodam præcedentiam ſuprà matricem: in aliis verò diebus per annum ad ſalutationem angelicam indifferenter ante, vel poſt Eccleſiam cathedralem, vel matricem, pulſari poſſunt campanæ, niſi adſit conſuetudo, quæ ſervanda eſt, *Barb. ubi ſuprà.*

In §. ordinationi autem cum ſequentibus.

Agitur hîc, à quibus ſit facienda conſecratio Epiſcoporum, ad cujus intelligentiam

Sciendum eſt primo, quòd conſecratio de jure fieri debet à Metropolitano electi, cujus electus ipſe futurus eſt ſoffraganeus, *cap. Epiſcopi 24. diſt.* & præſentibus aliis ejuſdem Provinciæ ſuffraganeis, *cap. ordinationes 2. diſt. 64.* qui ad hoc per Metropolitanum vocati tenentur accedere, *Quaranta in ſumma Bullarii in verbo Archiepiſcopi authoritas num. 4. Genuenſis cap. 70. ſuæ praxis nu.* 27. ſed ſi ipſe Metropolitanus fuerit impeditus, poteſt id committere alteri Epiſcopo, *cap. quod ſedem de offic. ordin.* conſecratus verò abſente Metropolitano debet eum infrà duos menſes viſitare, *Præpoſitus per textum* ibi *in cap. ſi quis 65. diſt.* nam ſi inconſulto Primate, ſeu Metropolitano conſecratio Epiſcoporum, ſeu ſuffraganeorum fiat, ipſi non reciperent executionem *cap. placet 65. diſt.* Et ideò Epiſcopus non eſt ordinandus ſine conſilio, & præſentia Metropolitani, & comprovincialium etiam Epiſcoporum, qui ſaltem ſi adeſſe non poſſent propriis litteris conſenſum ſuum exprimere debent, *cap. non debet 65. diſt. Azor. par. 2. lib. 3. cap. 30. q. 3. Barb. par. 2. de offic. Epiſcopi tit. 1. cap. 5. nu. 5.* Metropolitanus verò ab omnibus Provinciæ Epiſcopis congregatis in ſede Metropoleos eſt ordinandus, *cap.* 1. *66.* diſt. *cap. ſi Archiepiſcopus de temp. ordinat. Quaranta, & Genuenſis ubi ſup.* ſed ſufficiunt tres, aliis tamen conſentientibus ſaltem per literas, *Paulus Comitolus reſponſarum moralium lib. 1. quæſt. 48. num.* 13.

Quia verò hodie omnes Epiſcopi à Papa eliguntur; ideò ſi ſint extrà Urbem, ſolent de ejus mandato per litteras Apoſtolicas ſibi benè viſo expeditas, conſecrari, quod ſi fuerint in Curia per mandatum à Camera Apoſtolica emanatum, vel ſi conſecrator fuerit ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis per commiſſionem vivæ vocis oraculo à Pontifice ipſi factam, *Caſtaldus cap. 2. num. 7.*

Sciendum ſecundo eſt, quòd conſecrationi Epiſcoporum ſtatuerunt canones peculiare tempus, ſcilicet diem Dominicum, *cap. qui in aliquo 51. diſt. cap. ordinationes, cap. quod die Dominico 75. diſt. Layman de elect. prælat. cap. 15. q. 166. Campanilis in diverſorio, rubrica 6. cap. 4. num. 1. Caſtaldus in praxi ceremoniali lib. 1. ſect. 17. cap. 3.* & poteſt alio die feſtivo fieri, ſi Summus Pontifex diſpenſaverit, ſed ſemper fieri debet prævio jejunio, Pontificale Romanum *par. 1. de conſecrat. electionis in Epiſcopum pag. 75.* & ritus Eccleſiæ in praxi eſt, ut Epiſcopus die Dominica conſecretur, tanquàm legitimus ejus ſponſus. *Campanilis d. rubrica 6. cap. 4. num. 6.* Quòd ſi quis in die ſabbati ordinationis generalis fuit factus Sacerdos, poterit die ſequenti mane in Epiſcopum conſecrari, non interveniente continuatione jejunii, *gloſſa 1. in cap. quod à Patribus 75.* diſt. *Layman. lib. 5. tract. 9. cap. 8. num.* 6. quia hoc nullibi reperitur prohibitum, quia non requiritur interſtitiorum tempus inter characterem Sacerdotalem, & Epiſcopalem Epiſcopatus enim non imprimit novum characterem, ſed antecedentem auget, & extendit; ſicut poteſt ex Papæ diſpenſatione eadem die Dominica ordinari Sacerdos, & Epiſcopus, *Barb. lib. 1. de jure Eccleſ. cap. 9. num. 43.*

Sciendum eſt tertio, quòd locus idoneus, in quo fit conſecratio, ſi fiat extrà Curiam, eſt Eccleſia, ad quam promoti fuerint, vel in Provincia, ſi commodè fieri poterit, celebretur conſecratio, *Trid. ſeſſ.* 23. de *refor. cap. 2. Barb. alleg. 1. de poteſtate Epiſcopi num. 44. Layman. d. cap. 45. q. 166.* & fieri debet cum Miſſa, in qua inter epiſtolam, & evangelium conſecratur, *cap. quod ſicut §. 1. de elect.* & ideò tunc non poteſt ordines conferre, quia conſecratus concelebrat pariter celebranti. Solus verò Papa in die conſecrationis ſuæ ordines conferre poteſt, quia ante hymnum evangelicum conſecratur, & ipſe Miſſarum ſolemnia incipit, & perficit, ut ait *textus in d. §. 1. Durandus in ratim. divin. offic. lib. 2. cap. 11. num. 12.* Hæc autem Miſſa, in qua Epiſcopus conſecratur, non eſt de ſubſtantia conſecrationis Epiſcopalis, ſed ſolùm ad ſolemnitatem & reverentiam fuit inſtituta, *gloſſa 1. in d. §. 1. Henriquez in ſumma lib. 10. cap. 34. §. 3.*

Sciendum eſt quarto, quòd cujuſlibet Epiſcopi conſecratio à tribus Epiſcopis, & non paucioribus fit, *cap. 1. cap. comprovinciales cap. penul. 64. diſt. cap. porrò 66. diſt. cap. Archiepiſcopus, cap. nec Epiſcopi de tempor. ordin. Vaſquez de ordine diſp.* 243. *cap. 6 Genuenſis d. cap. 7. num. 26. Filiuccius p. 2. lib. 3. cap. 30. q. 3. Barb. d. lib. 1. cap. 9. num. 50. & par. 2. alleg. 1. num.* 45. qui ratione, & exemplo requiruntur, ratione quidem, ne tantum beneficium videatur furtivè præſtitum, & pro illo pariter preces ad Deum effundant, & exemplo quia & Jacobus frater Domini à Petro, & Jacobo Apoſtolis fuit ordinatus, *cap. porrò 66. diſt.* & habetur in noſtro textu. Cùm verò dicimus, quòd Apoſtoli ordinaverunt eum, intelligitur, id eſt, intronizaverunt eum ad adminiſtrationem certi loci, priùs enim erat S. Jacobus ſine titulo, lagas *gloſſam in cap. fin. 66. diſt. & Durandum in ration. divin. offic. lib. 3. cap. 11. num. 7. Barb. par. 2. tit. 1. cap. 5. nu.* 3. Poſſet verò Summus Pontifex diſpenſare, ut Epiſcopus ab uno tantùm conſecretur, quia quòd requirantur tres, eſt introductum ab Apoſtolis: ſed Apoſtolorum Decreta, quando juris divini non ſunt, poteſt Eccleſia mutare, ut in aliis id fecit; ergo. Undè Pontifex ſæpè in hoc ex cauſa diſpenſat, ut fecit Gregorius 1. in Anglia, & Gregorius 13. cum Patriarcha Æthyopiæ, ut refert *Henriquez*, & reſpondet ad *textum in d. cap. porrò*, quòd ibi forma non accipiatur pro ſubſtantia rei, ſed ſolùm pro ritu, ſeu ceremonia, quam Apoſtoli ſucceſſoribus relinquere volebant, neque ſemper forma cenſetur ſubſtantialis, ſed illa tantùm, quæ vel ex materia ſubjecta, vel ex mente conſtituentis talis apparet: *gloſſa ultima in cap. cum conſideres de ſenten. excommun.* Jura verò, quæ aſſerunt aliquandò, aliter factam ordinationem irritam eſſe,

ut

ut in *cap. Archiepiscopus 66. dist.* debent intelligi non quatenus ad veritatem sacramenti, sed quoad executionem officii pastoralis, *glossa in d. cap. Archiepiscopus*; quicquid dicat *Durandus lib. 3. cap. 11. num. 7.*

An verò possit Papa solo verbo creare Episcopos, quæstio est: affirmant multi, scilicet *Felynus, Bursatus, Parisius*, & alii apud *Card. Tuschum litt. E. concl. 233. num. 10. Scotus in 4. dist. 7. q. 1. de confirm.* qui dicunt Papam absentem posse Episcopos creare solo verbo: sicut dicunt multi, quòd possit Papa facere aliquem sacerdotem, dicendo alicui (sis sacerdos) & sic solo verbo: ego verò dico oppositum in utroque casu, quia requiritur materia, & forma in Ordine, prout in omni alio Sacramento, quæ materiæ, & formæ sunt immutabiles; & sic benè dicit *Barb. lib. 1. de jure Eccles. cap. 34. num. 21. & cap. 9. num. 52.*

Sciendum est quintò, quòd consecratio fit hoc modo, consecrator v. g. sacris indutus in medio sedet vertens renes altari; electus verò cum bireto medius inter assistentes Episcopos paratos, & mithratos ducitur ad consecratorem, quò cùm pervenerint ei reverentiam faciunt, electus nudato capite, assistentes verò cum mithra caput tantùm inclinant, sedent deinde omnes ante consecratorem, ubi aliquantulùm quieverint, surgunt, electus sine bireto, & assistentes mithris depositis, senior rogat consecratorem forma in Pontificali tradita, electus coram celebrante genuflexus legit de verbo ad verbum juramentum juxta formam præscriptam, assistentibus interim sedentibus cum mithris: præstito juramento electus, & assistentes sedent in suis locis, consecrator verò prosequitur examen, de quo in *cap. qui Episcopus ordinandus 24. dist.* quod legi debet semper in singulari, licèt plures examinentur, & assistentes sedentes cum mithris eadem submissa voce dicunt quæ Consecrator ipse. Consecrationis impositio manuum trium Episcoporum est materia, qua Episcopus consecratur; illa autem verba *Accipe Spiritum Sanctum*, sunt forma, post alios *Barb. d. lib. 1. cap. 9. num. 56.*

Datur consecrato baculus acutus in fine, rectus in medio, & retortus in summo, designans, quòd Episcopus debet pungere pigros, regere debiles sui rectitudine, & colligere vagos, juxta illud *Ezechielis cap. 34. Attrahat vagum, sustentet languidum, stimulet pigrum, Gavantus in rubricis Missalis, & breviarii tom. 2. tit. 1. num. 6. & par. 5. cit. 3. §. 3. Tamburrinus de jure Abbatum disp. 20. q. 1. num. 4. & q. 12. in fine Diana par. 3. §. 6. resol. 36.* Er quia regimen Episcopi est amoris, ideò datur annulus quatenùs suscipit sponsam Ecclesiam, quo annulo in Missa uti non potest ullus Doctor, etiamsi sit Protonotarius participans, ut declaravit sacra Congregatio, teste *Tamburrino ubi suprà.* Summus Pontifex non habet baculum, tùm quia eum dedit S. Afpremo Episcopo Neapolitano, ut etiam nunc servatur; tùm quia Papa à nollo alio habet auctoritatem, nisi à virtute divina, & sic à nemine recipit baculum.

Fit etiam consecratio die dominico, hora tertia, tùm quia ea hora Missa publica celebratur, *cap. de nocte de consecr. 1. dist.* & in hae hora Spiritus Sanctus dispersis linguis igneis super Apostolos descendit, in quorum locum successerunt Episcopi. In hac hora Christus crucifixus fuit, in hac hora consecraverunt Paulum, & Barnabam, *d. cap. ordinationes 1. dist.*

Imponitur super caput liber Evangelii, & dicitur *Accipe Evangelium, & vade prædica populo tibi commisso: potens enim est Deus, ut augeat tibi gratiam suam*, quasi dicatur, *Ne putetis in Paulo, Petro, & aliis munus Apostolorum desiisse*, potens est etiam Deus tibi dare gratiam suam, ungitur oleo & sacro Chrismate, ut significetur charitas ergà subditos, & odor balzami significat odorem boni operis, *cap. ultimo de sacra unctione*, imponitur mithra in capite, habens duo cornua, unum anterius, & significat testamentum novum, aliud posterius, & significat testamentum vetus, & designantur per hæc duo comua scientia, & charitas, æquitas, & justitia, *cap. Episcopus 23. dist.* facit deindè professionem fidei jurando fidelitatem secundùm *textin cap. 4. de jure jurando.*

Quibus peractis contrahitur vinculum cum Ecclesia, ad quam ordinatus est jure tantùm humano indissolubile, ut videmus fieri de facto plures translationes Episcoporum, ut latè *Sanchez de matrim, lib. 7. disp. 28. num. 13. Suarius tom. 3. de religione lib. 1. cap. 16. Barb. d. lib. 1, de jure Eccles. cap. 9. num. 72.*

Postquàm verò est consecratus Episcopus, tenetur quàmprimùm ad suam diœcesim accedere, & officium sibi commissum suscipere, & si fuerit in Romana Curia electus, non debet discedere sine litteris Apostolicis, ut in *extravag. injunctæ de elect. inter communes*: Visitabit Cardinales in eorum domibus, & Ecclesiam sibi creditam commendabit, *Castaldus lib. 1. sect. 10. cap. 1.* conabitur etiam obtinere indulta, ac privilegia à Summo Pontifice, præsertim indulgentiam plenariam pro populo suæ primæ Missæ adfuturo: cùm verò suam ingreditur Civitatem, est à clero, & populo honorificè suscipiendus, & ad Ecclesiam deducendus, quia Episcopi pro Christo legatione funguntur in terris, *can. omnes, qui 7. q. 1. can. accusatio quoque 2. q. 7. cap. in novo 21. dist.* ergo sicuti eidem Christo Hierosolymam ingredienti Civitas cum ramis palmarum occurrit, sic Christi legatus est honorificè accipiendus: quare indutus amictu, alba, cingulo, stola, & pluviali albi coloris. & denique mithra pretiosa ejus capiti imposita, conscendit equum serico albo undique tectum, & ornatum, & sic equitabit sub baldacchino, quod portabitur primo à magistratu Civitatis, deindè per cives nobiles usque ad Ecclesiam, & alia in tali receptione novi Episcopi adhibenda, tradit *Castaldus in praxi cerem. lib. 1. sect. 10. cap. 7.*

TITULUS XI.

De Receptione, et auctoritate Pallii.

Quia in Archiepiscopo ultrà solemnitatem electionis, confirmationis & consecrationis, reperitur quædam peculiaris ceremonia, sine qua munus Archiepiscopale exerceri non potest, quæ ceremonia est receptio pallii, per quam datur ultima auctoritas Archiepiscopis, ideò ponitur hic titulus, de cujus tituli materia agunt multi, relati per *Barb. in collect. 1. tom. lib. 1. decretalium tit. 8.* ad ejus intelligentiam

Sciendum est primo, quòd hoc nomen pallii est æquivocum, sumitur enim interdùm pro pallio honestatis ad operiendum homines. Verùm in materia nostra sumitur pro pallio dignitatis, competente Metropolitanis. Dicitur verò pallium à nomine palim, quod significat motum; & quia per hoc demonstratur debere prælatum esse vigilem, juxtà illud, *Invenerunt me vigiles, qui circuibant Civitatem,* vel

vel dicitur pallenm à pallore, quia est pallei coloris, significando mortificationem prælati.

Sciendum secundo est, quòd pallium definitur, ut sit Metropolitanorum ornamentum pastoralis officii plenitudinem designans de corpore Beati Petri desumptum.

Dicitur Metropolitanorum ornamentum, quia de jure tantùm Metropolitanis, non autem Episcopis competit, nisi ex privilegio speciali: competit etiam à fortiori Primatibus, Patriarchis, & Summo Pontifici, ità tamen, ut Papa ubique locorum possit uti pallio, Patriarcha verò, & Archiepiscopus non potest eo uti, nisi intra Missarum solemnia, & in Ecclesiis suæ provinciæ, non autem in processionibus extrà Ecclesias, *c. p. 5. extrà eodem tit. Quanta in verb. Archiepiscopi auctoritas. vers. 32. Auctoritas, Genuensis cap. 70. suæ praxis num.* 18 licèt interdùm reperiatur concessum à Papa, ut in processionibus utatur pallio. *Durandus in rationali divinorum offic. lib. 3. cap. 17.*

Dicitur (officii pastoralis plenitudinem designans) nam per receptionem pallii archiepiscopalis, recipit nomen Archiepiscopi, nec anteà illud habet, quamvis sit consecratus, *cap. nisi de authoritate, & usu pallii*, ubi latè *Barb.*

Dicitur (de corpore Beati Petri desumptum) id est de altari, ubi situm est corpus Beati Petri, quia benedicitur, & consecratur pallium à Papa super altare Beati Petri, & ibi ponitur, & ille, qui debet uti pallio, recipit illum de altari si est præsens, vel alius pro ipso si est absens, & sic sumitur de corpore Beati Petri, *gloss. in cap. significasti de electione.*

Sciendum est tertio, quòd in Ecclesiis suæ provinciæ in Missis potest Archiepiscopus uti pallio, *cap. cùm sit, cap. ex tuarum de auctor. & usu pallii, cap. pallium* 100. *dist.* etiam in loco exempto, *cap. Archiepiscopus de privil. Durandus lib. 3. cap. 17. Genuensis cap. 70. num. 18. Azor. par. 2. lib. 5. cap. 34. q. 7.* non autem semper, sed in certis temporibus, *cap. ad honorem, cap. ult. de auctor. & usu pallii*, qui autem sint tales dies, licèt satis in jure expressum, non esse dicat, *glossa in d. cap. ult.* eos tamen enumerat *Durandus d. cap. 17.* & *alii* supra. *Rodriquez, tom. 4. ti. 4. tit. 14. Quaranta, Genuensis, & alii ubi suprà, Castaldus lib. 1. in praxi sect. 10. cap. 10.* ted melius est recurrere ad formam privilegii, ut in diebus tantùm in pallii concessione expressis, eo uti liceat, sicut expressit textus in d. cap. ultimo. & notat glossa ultima in d. cap. 1. Multi etiam Episcopi ex particulari Papæ concessione utuntur pallio, videlicet Hostiensis, quia Papam consecrat, & eo utitur ex institutione Marci Papæ, Papiensis in Lombardia, Lucensis in Tuscia, Bambergensis in Germania, & alii, de quibus *Durandus d. cap. 17. & Barb. in d. cap. fin. de auctor. & usu pallii.*

Neque Archiepiscopi utuntur pallio in omnibus actionibus, sed tantùm in Missarum solemniis, *cap. pallium* 100. *dist.* vel si contigerit Episcopum consecrare, vel in ordinationibus clericorum, *cap. quod sicut 28. §. super eo de electione*, ex quo textu juncto illo textu in *cap. bonæ 4. in fine de postulat. prælat.* deciditur venit quæstio, utrum Episcopus factus Archiepiscopus ante receptionem pallii possit ordines conferre; nam *in d. cap. super eo* decidit Pontifex, quòd non tanquàm simplex Episcopus, sed tanquàm Archiepiscopus ordines conferre videtur, & alia pontificalia exercere non potest, At verò in d. *cap. bonæ* decidit fortiùs Archiepiscopum translatum in aliam Ecclesiam, antiquo pallio uti non posse, nec sua uti potestate ante novum acceptum, quòd intrà suam provinciam subditos ordinando de plano procedit, sed si fuerit invitatus ab aliquo Episcopo, ut in sua Diœcesi ordines conferat, videtur admittendum, quòd ordines conferat ante pallium acceptum, velut Episcopus nullius Diœcesis, *Prosper de Augustino in addit. ad Quarantam d. vers.* 33. Ille verò Archiepiscopus, qui renunciavit Episcopatui, & sic loco, & non dignitati, non potest exercere pontificalia cum pallio in Diœcesi, & provincia renunciata, etiam cum consensu Archiepiscopi successoris, & suffraganeorum, sed tantùm exercere pontificalia sine pallio cum consensu prædictorum, quemadmodùm in aliis Diœcesibus cum consensu Diœcesanorum, quia illo pallio ampliùs uti non potest, sed debet retinere penès se, & eum eo sepeliri, & ante receptionem pallii, nihil de Ecclesiæ proventibus recipere potest, *extravag. 2. in fine de electione inter communes.*

Ex quibus nota Archiepiscopum non posse sine pallio ea munera obire, quæ sunt potestatis, ordinis, vel jurisdictionis, undè neque potest se nominare Archiepiscopum, nec convocare concilium, nec chrisma conficere, nec dedicare basilicas, ordinare clericos, & Episcopos consecrare, nec pontificalia exercere, quamvis sit consecratus Episcopus, nec alia sui officii persolvere, quæ non tanquàm Episcopus simplex, sed tanquàm Archiepiscopus facere videtur *cap. quod sicut, §. penult. de elect. Castaldus d. cap. 10. num. 3.* alii verò potest exercere si fuerit confirmatus, *cap. transmissa de elect.* suffraganeum tamen suum electum potest per alios suffraganeos consecrare, *cap. suffraganeis eod. tit.* & alia pontificalia per alium exercere, dummodò non sit in mora petendi pallium, *Castaldus ubi suprà*, quod quidem intra tres menses à die consecrationis, vel confirmationis petere tenetur à Romano Pontifice, vel à suo Patriarcha, *cap. 1. 100. dist.* hodie verò ex *Trid. sess. 7. de refor. cap. 9.* alii tres menses dantur ad petendam consecrationem, qui etiam ad petendum pallium consequenter dari censentur, quia non dantur nisi instanti, petenti & exigentibus meritis, *cap. priscâ 100. dist.* & de ceremoniis petendi pallium, & tradendi leg. *Castaldum d. cap. 10. sect. 10. lib. 1.* neque impeditur pallii traditio per objectum criminis, vel aliquem defectum, *extravag. malitiis de auctor. & usu pallii*, nec datur ante præstitum juramentum fidelitatis, *cap. significasti de electione, cap. antiqua de privil. cap. ad eum 10. dist.* Tale itaque pallium, in quo tanta est antiquitatis veneratio, & auctoritas, dignè, & honorificè conservari debet, serico obvolutum in capsula intùs, & extrà pulchrè ornata, ut ipso uti possit Archiepiscopus temporibus suis, *Castaldus dicto cap. 10. num. 9.*

Sciendum est quartò, quòd pallium est personale, undè non potest accomodari, *Durandus lib. 3. in rationali divin. offic. cap. 7. num. 12. Layman de elect. cap. 14. q. 559.* neque in morte alicui relinqui, sed cum eo Archiepiscopus sepeliri debet in sua provincia ipsum habebit circà humeros infrà planetam. Si verò extrà provinciam sepeliatur ponendum erit sub capite Archiepiscopi defuncti, *Castaldus d. cap. 10. num. 52.* Archiepiscopus si ad aliam Ecclesiam transferatur novo indiget pallio, DD. cit. *Diana par. 3. tract. 6. miscell. resol. 37.* quòd si Archiepiscopus renunciaverit Archiepiscopatui exercens pontificalia, tàm in provincia, quàm alibi, non potest uti pallio, etiamsi Episcopi permitterent DD. citati: quòd si fiat Episcopus, relicto Archiepiscopatu, neque poterit uti pallio, post alios *Diana d. resol. 37.* Quòd si transferatur ad alium Archiepiscopatum, habere debet novum, ut dixi, sed si ab hoc

hinc iterùm redeat ad primum novo indiget pallio, sicut si spontè renunciet Episcopatui, & posteà iterùm ad eundem eligitur, adhuc novum requiritur, quòd si detur eventus, ut igne comburatur pallium, vel alio modo perdatur, poterit pontificalia exercere sine novo pallio, legas *Dianam d. resol.* 37.

Sciendum est quinto, quòd aliud signum est Episcoporum, scilicet Crucem ante se deferre transiens per totam provinciam etiam in locis exemptis, *cap. antiqua de privilegiis. clem. Archiepiscopo eod. tit. Quaranta in verb. Arch episcopi auctoritas, vers.* 28. ubi ampliat etiam extrà visitationem, & limitat, nisi esset præsens Legatus Papæ, vel Cardinalis non Legatus, seu Nuncius cum facultate Legati de latere.

Quod tamen intellige post sumptum pallium, anteà verò minimè, quia statim illo accepto ad benedictionem elevatur Crux, *Castaldus d. cap.* 10. *num.* 17. qui ait, quòd semper cùm Archiepiscopus in sua provincia dat solemnem benedictionem ante ipsum defertur Crux, & tunc ipse erit sine mithra, & quòd in ingressu Archiepiscopi ad suam Ecclesiam observantur omnia, quæ dicuntur de Episcopo; advertendo tamen, quòd Archiepiscopus statim ac suam Provinciam intr veris, facit antè se deferri Crucem per aliquem ex suis Capellanis, imagine sanctissimi Crucifixi ad se conversa, & cùm in cathedrali recipitur a Canonicis Crux præcedit, ità ut inter Crucem, & Archiepiscopum nemo sit, nisi dignitates, & Canonici.

Utitur etiam Archiepiscopus in tota provincia Mozzettâ violaceâ supra Rocchettum, *Castaldus d. cap.* 10. *num.* 18. & subditos occurrentes per totam provinciam benedicit dextera elevata, & extensa signum Crucis formans etiam in loco exempto. *d. Clem. Archiepiscopo de privil. Quaranta ubi sup. vers.* 30. ubi intelligi tam de benedictione solemni per illa verba *Sit nomen Domini benedictum*, quam simplici, quæ iterando præstatur, & etiam ut habetur in *d. Clem. Archiepiscopo*, potest ibidem divina officia celebrare in pontificalibus, & ab aliis in sua præsentia sine pontificalibus celebrari facere, *Quaranta ubi suprà vers.* 30. ubi advertit, quòd pro celebratione in pontificalibus potest collocare sedem, quia spectat ad honorem episcopalem, & est de accessoriis ad celebrationem, & his pontificalibus utitur sine jurisdictionis exercitio, vel officio, ut missam celebrando, vel prædicando, sed si jurisdictione, vel officio uti vellet, id non poterit sine licentia Episcopi, vel superioris loci exempti, ut ordinare chrismare, degradare, vel similia faciendo, *glossa in d. Clem. Archiepiscopo, Covarr. pract. cap.* 9. *num.* 2. ubi intelligit id etiamsi vellet ea exercere in subditum suum, non solùm in loco exempto, sed etiam in Diœcesi sui suffraganei.

TITULUS XII.

De Vita, et Honestate Clericorum.

Visum est suprà qualiter prælati fiant: videndum erat qualiter laudabiliter gerant vitam, ac mores, meritò ponitur hic titulus de vita, & honestate clericorum, ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo hoc nomen vitæ multipliciter accipi; primo enim sumitur pro esse naturali, & sic dividitur in vegetativam, Sensitivam, & rationalem, de quibus *Aristot. lib. de anima, S. Thomas* 1. *par. q.* 88. *art.* 1. Secundo accipitur pro operatione vitali, secundùm quam operationem alia est activa, alia contemplativa, *cap. nisi de renunciatione, cap. licèt de regularib.* Tertio sumitur pro his, quæ sunt necessaria ad vitam conservandam, *l. verbo victus, ff. de verbor. signif.*

Sciendum secundo est honestatem dici quasi honoris statum, undè excludit omnem turpitudinem animæ, & corporis, quæ habeat malum culpæ.

In principio tituli.

Concludit Auctor noster in hoc textu, quòd Episcopus sine crimine esse debet, ad finem suum, ad quem electus est, commendè consequendum, quod totum reducitur, ut sit exemplaris in operibus, & in doctrina verborum. Ratio autem quare in Episcopis magna requiratur probitas ea est, quia in Ecclesia Dei non est major dignitas, quàm dignitas Episcopatûs; sunt enim ipsi summi sacerdotes, & quandòque Pontifices vocantur, *cap. inclita, & cap. de persona* 11. *q.* 1. *cap. qui Ecclesiasticis, cap. si officia* 59. *dist.* ipsi enim sunt majores Cardinalibus, quandòquidem Fratres appellantur à summo Pontifice, Cardinales verò Filii, *cap. frater noster* 16. *q.* 1. *Barb. lib.* 1. *de jure eccles. cap.* 10. *num.* 42.

In §. primo cum duobus sequentibus.

Prima conclusio horum jurium est, quòd Episcopi debent se abstinere ab improborum hominum commercio, *cap. pervenit* 2. *q.* 7. & secum habere debent boni testimonii viros, *cap. fin. ead. quæst.* undè eis præcipiunt sacri Canones, ut clericos domi, cella, & ubicumque fuerint comites habeant, quorum bono testimonio vivant, *cap. interdixit cum sequenti* 32. *dist, cap.* 1. 34. *dist. juncta tota dist.* 81. *& in cap. cum pastoris* 2. *q.* 7. & nullum majus indicium bonæ mentis Princeps ostendere potest, quàm ut adjungat sibi viros virtute, & fama celebres, nam omnes statim judicabunt eum talem esse, quales illi, qui apud eum, nam ut ait *Cassiodorus lib.* 4. *var. epistol. epist.* 3. ex clarisate servientium erescit fama dominorum; undè *Trid. sess.* 2. *cap. unico*, instruit Episcopos, ut familiares suos erudiant, ne sint vinosi, impudici, cupidi, elati, blasphemi, & voluptatum amatores.

Secunda conclusio horum jurium est, quòd Episcopi non debent amare contentiones, & litigia, sed ea vitare tenentur, *cap.* 1. *& per totam* 46. *dist. cap. Episcopus* 88. *dist. Paulus* 1. *ad Tim. cap.* 3. *&* 1. *ad Cor.* 6. *glossa in summa* 46. *dist. in verbo sequitur.* quia litigare est officium contemptibilis personæ, *cap. ex his* 11. *q.* 1. ergo debet Episcopus ab omnibus litibus & sæcularibus negotiis abstinere, *cap. te quidem* 11. *q.* 1. & prohibetur etiam esse Episcopum fidejussorem, *cap. clericis de fidejussor.* & procurationem, vel advocationem exercere, *cap. fin: cum glossa* 5. *q.* 3. etiam in causa propria, in qua debet per procuratorem agere non per seipsum, etiamsi sit causa suæ Ecclesiæ, excepta causa criminali contrà seipsum: prohibetur etiam, ne executiones testamentorum suscipiat, nisi in legatis ad pias causas, *l. nulli licere, C. de Episcopis & clericis, cap. Episcopus, & per totam* 14. *q.* 1. ubi cavetur, ne Episcopi possessiones conducant, aut pro rebus transitoriis litigent, etiam provocati, neque ullo turpi lucro, aut inhonesto negotio victum quærant, sed viduarum, pupillorum, & peregrinorum gubernationem, non per seipsos, sed per Archipresbyterum, seu Archidiaconum agere debent, ut in tota 14. *dist. &* 21. *q.* 3. *per totam, & cap. præcipimus* 12. *q.* 1. Apostolorum exemplo, qui septem Diaconos

Diaconos ordinarunt, ut ministrarent mensis, & necessitatibus viduarum, ipsi verò possent prædicationi verbi Dei instare *Actor 6.* magis autem Episcopis hæc omnia prohibentur, si hujusmodi negotiis incumberent lucri causa, nam *Apostolus 1. ad Tim. 3. & ad Titum 1.* prohibet, Episcopos esse turpis lucri cupidos, deindè hoc est etiam sacris canonibus interdictum, præcipuè in *cap. 1. & per totum 47. dist. cap. virum ead. dist. cap. irrefragabili §. fin. de offic. ordinarii, cap. suam de pœnis.*

Monet etiam Apostolus ubi suprà, Episcopos, ne sint percussores, potiùs enim debet Episcopus correctione verborum, quàm verberum asperitate timeri, ut in tota 45. *dist.* & in corrigendis delinquentibus severitatem cum lenitate miscere debent, *cap. sunt namque ead. dist.* undè *Apostolus ad Tim. cap. 4.* ait, *Argue, obsecra, increpa in omni bonitate, & sapientia*, ut refertur in *cap. 1. cap. cùm Beatus* d. 45. *dist. & Leo Papa* relatus in *d. cap. 1. 45. dist. & in Trid sess. 13. de reform.* undè non est licitum Episcopo suis manibus aliquem cædere, *cap. non liceat 56. dist. §. omnibus autem Episcopis. Auth.* de *sanctissimis Episcopis*: aliàs si membrum abscindat, & immoderatè castigare præsumat, ab officio deponi debet, & excommunicationem incurrit, *can. Episcopum cap. 2. de clerico percussore, cap. Beatus 45. dist.* sed cavere etiam debent, ne prætextu lenitatis, aut severitatis vitandæ causa alienis peccatis maximè autem clericorum consentire videamur; undè *S. Augustinus*, de quo in *cap. qui nec regiminis 2. q. 7.* ait Episcopos, qui sacerdotum crimina non corrigunt magis appellandos esse canes impudicos, quàm Episcopos, eos verò, qui malorum laudibus gloriantur, pastores miserrimos appellat Summus Pontifex in *cap. nihil 85. dist. & Innocentius Tertius in cap. qualiter il. 2. de accusat.* ait Episcopum non posse omnibus complacere, *cap. 1. 83. distin.*

In §. In primis.

DEclarat hìc *Paulus*, principale munus Episcoporum, quod est prædicare, & docere, *Paulus ad Titum, & ad Timot.* ad intelligentiam.

Sciendum est primo, hoc munus prædicandi nulli licere, nisi illis, quibus competit ex officio, ut habentes curam animarum, vel illi, quibus id à prælato injungitur, *cap. adjicimus*, ubi *glossa notabilis 16. q. 1. & in cap. cùm ex injuncto*, ubi *DD.* de *hæreticis.* Undè Romanus Pontifex omnibus prædicat per literas, & legatos, *cap. fin.* de *offic. delegat.* Episcopi in diœcesibus suis per se, vel per alios, non verò extrà illas, cùm possint prohiberi ab ordinariis propriis, quorum sunt Diœceses, ubi fortè degunt: ità declaravit Clemens Octavus in persona Episcopi Pedemontis de Alifa, volentis prædicare in Ecclesia S. Mariæ Nunciationis de Neapoli, fuit dictum, ut peteret licentiam ab Archiepiscopo Neapolitano, qua de re *Piasecius in praxi Episcopali par. 2. cap. 3. num. 16. Riccius in praxi dec. 543. in prima editione*, aliàs 465. *in 2. & in decisionibus par.* 2. dec. 180. *Campanilis rubrica 12. cap. 13. Gratianus cap. 393. à num. 9.* Censuit tamen sacra Congregatio Episcopum posse prædicare in omnibus Ecclesiis etiam regularium suæ Diœcesis, nec ab aliquo potest impediri quominùs prædicet, si voluerit, nam privilegium est Episcoporum, ut per universum Orbem possint prædicare, de quo *Matth. 9. Marci ult. cap. in novo 21. dist.* intelligitur, nisi in alienis Diœcesibus prohibeantur ab Episcopis locorum, *Gratianus ubi suprà. Barbosa lib. 1. de jure Eccles. cap. 13. num. 7.* licèt putet *Diana in dubiis regular. decis.* 109. posse prohiberi à regularibus Episcopus, ne prædicent in suis Ecclesiis.

Alii Rectores, & Plebani Ecclesiarum suis plebibus prædicare possunt, & tenentur *cap. adjicimus.* ubi *glossa 16. q. 1.* & alia *glossa in cap. in sancta, 192. dist.* Monachi de jure antiquo non possunt prædicare, *d. cap. adjicimus, cap. Monachus, cap. juxtà cum aliis 16. q. 1.* Sed posteà ex peculiari privilegio concessum est primum Regularibus Ordinis Prædicatorum, & Minorum, *Clem. Dudùm.* ubi *DD. de sepulturis*: hodie verò neque in eorum Ecclesiis possunt prædicare Regulares, nisi fuerint examinati, & approbati à suis superioribus, & approbati personaliter Episcopo præsentantur, à quo benedictionem accipiunt. In Ecclesiis verò, quæ suorum ordinum non sunt, ultrà licentiam suorum superiorum tenentur habere Episcopi licentiam, & approbationem de scientia, vita, & moribus; quandò verò in Ecclesiis suorum ordinum, nudam petent benedictionem, etiam non obtentam, ità ex *Trid.* colligitur *sess. 24 de reform. cap. 2. Miranda tomo 1. in manuali prælat. q. 50. ar. 2. Rodriquez tom. 3. quæst. Regul. q. 32. art. 1. Campanilis in diversor. rubr. 12. cap. 13. à num. 6. Riccius in praxi resol. 290. Homobonus de bonis in exam. Eccles. tract. 12. cap. 3. q. 36. Barb.* de *potestate Episcopi par. 3. alleg. 75. num. 18. & lib. 1. de jure Eccles. cap. 13. num. 15.* Idem *Riccius in praxi par. 1. resol. 633. in 2. editione, & par. 2. dec. 219.* & licèt *Trid. sess. 24. cap. 4.* dicat, Regulares non posse prædicare Episcopo contradicente, id tamen intelligitur eo tempore, & hora, qua Episcopus prædicat, vel coram se facit prædicari, non verò aliàs, ne contrariari videatur *textui in d. cap. 2.* de quo suprà.

Quam licentiam prædicandi regularibus non debet Episcopus denegare, si fuerit idoneus præsentatus, neque potest ad libitum suspendere, verùm si ex causa suspendat, non tenetur eam exprimere, *Franciscus de Leone in Thesaur. fori Eccles. par. 1. cap. 8. num. 9. Campanilis* d. *cap. 13. num. 8. Barb. alleg. 76. num. 22.* quia potest Episcopus interdicere regulari, ne prædicet licentia non petita, etiam non reddita causa, *Piasecius par. 2. cap. 3. nu. 41. Barb. d. alleg. 76. num. 28.*

Sciendum secundo est, quòd Prædicatores regulares, si absque licentia Episcopi prædicaverint in Ecclesiis, quæ suorum ordinum non sunt, quamvis contrafecerint, *Trid. d. cap. 2.* tamen non poterunt ab Episcopo puniri, sed tantùm à suis superioribus Regularibus secundùm communem opinionem, quam tenent *Quaranta in summa Bullarii, in verbo privilegia regularium, Zerola in praxi episcopali §. 1. in verb. excommunicatio, Piasecius in praxi par. 2. cap. 3. num. 41. Campanilis d. cap. 13. num. 10.* Sed contrarium teneas, quia ità statuit *Gregorius 15.* in Bulla, quæ incipit *inscrutabili*, de qua *Barb. d. alleg. 76. num. 24. & lib. 1. de jure Eccles. cap. 13. num. 18. Diana par. 3. in dub. regul. resol.* 209.

Notant verò *Barb. Rodriquez, & Diana ubi suprà*, Parochum, seu Curatum posse dare licentiam viro docto, & noto, etiam regulari, ut bis, vel ter concionetur in sua Ecclesia sine Episcopi approbatione.

Et Concionatores regulares semel approbati in uno Episcopatu itinerantes possunt prædicare ubi voluerint, non contradicente Parocho, & proprio loci Episcopo ex concessione Gregorii 13. facta Societati Jesu, qua per communicationem frui possunt alii communicantes in privilegiis, *Barb.* & alii ubi suprà, & addit idem *Barb. ubi suprà num.* 23. probabile esse, quòd prædicatores regulares etiam secundùm terminos *Conc. Trid. loc. cit.* non debent ab Episcopis examinari, quia solùm requiritur licentia ipsorum Episcoporum ad prædicandum extrà suas Ecclesias, & nullum sit verbum de exami-

ne,

ne, ut patet legenti *textum Trid.* licèt contrarium servetur in praxi ab Episcopis.

Sciendum est tertiò laicis omninò prohibitum esse publicè in Ecclesia prædicare, & feminis multo magis, *cap. cum ex injuncto de hæret. cap. mulier* 23. *dist. cap. mulier de consecrat. dist.* 4. quod specialiter vetuit Apostolus Paulus, ex quo tempore legitur etiam Mariam Magdalenam desiisse. Verùm laicis non præsentibus clericis, vel præsentibus, & id permittentibus, licitum est, non quidem publicè prædicare, sed inter spirituales personas utiles habere sermones, *d. cap. ex injuncto.* Noto tamen, quòd prædicare non est actus Ordinis, nam licèt in d. *cap. adjicimus* 16. *q.* 1. dicatur nulli licere præter Sacerdotes prædicare, id tamen intelligitur de illis, qui propria auctoritate prædicare præsumunt, *Navarrus cons.* 2. *de tempor. ordin. in antiquis*, aliàs *cons.* 7. *de officio delegati in novis*, nam etiam clerico, qui non sit in sacris potest Episcopus committere prædicationis munus, *Sayrus in floribus decisionum in tit de tempor. ordin. dec.* 2. *Rendina recept. senten. tit.* 17. *nu.* 24. *Ugolinus de potestate Episcopi cap.* 42. *§.* 2. *Possevinus de offic. curati, cap.* 3. *nu.* 14. licèt ego putem oppositum, ex adductis per *Henriquez lib.* 6. *summu cap.* 28. *§.* 8. dùm ait *Paulum Tertium Societati Jesu* concessisse, ut ipsius regulares valeant prædicare, licèt sacris initiati non sint.

Sciendum est quarto omnes Episcopos, & alios, ad quos curam prædicandi spectat teneri per se ipsos prædicare si legitimè impediti non fuerint, *cap. inter cætera de offic. ordin. Trid. sess.* 5. *cap.* 2. *& sess.* 24. *de reform. cap.* 4. si verò sint impediti, tenentur viros assumere idoneos & ad Episcopum pertinet deputare prædicatorem: *d. cap. in cæteru*, nisi in contrarium sit consuetudo ab immemorabili tempore, *Zerola in praxi Episcopali par.* 1. *in verb. prædicatio §.* 7. *Franciscus de Leone in Thesauro fori Eccles. par.* 1. *cap.* 8. *Campanilis d. cap.* 13. *num.* 14. & sic tales prædicatores pro aliis Ecclesiis à solo Episcopo sine eorum consensu deputari possunt. Capitulum verò in electione prædicatoris in cathedrali Ecclesia nihil potest: tenentur verò prædicare singulis diebus Dominicis, & aliis festivitatibus per se, vel per alios, *cap. Episcopus* 18. *q.* 1. *Concil. Trid. sess.* 28. *cap.* 4. *de reform.* & arbitrio Episcopi relinquitur in tempore Quadragesimæ; & Adventûs quotidie, vel tribus diebus in hebdomada, ut prædicetur, *Barb. d. alleg.* 76. *num.* 30. videas *textum in cap. sicut vir.* 7. *q.* 1. *cap. Diaconi il.* 2. *dist.* 93. ubi prædicanti Episcopo septem diaconos instituit, qui ei assistant prædicanti, & prædicat Episcopus Sacerdotibus assistentibus cum mithra, & baculo pastorali, *glossa in cap. nullus Episcopus de consecr. dist.* 1.

Sciendum est quinto Archipresbyteros, & alios curam animarum habentes teneri per se, vel per alios prædicare, quos deputaverint debent eorum impensis deputare, qui tenentur, vel solent, *Trid. sess.* 5. *de reform. cap.* 2. *& sess.* 24. *cap.* 4. *de reform.* semper enim prædicatores sunt deputandi expensis eorum, qui eas præstare, vel tenentur, vel solent; idem die pro Ecclesia cathedrali, & semper recurritur ad consuetudinem ad hoc ut videamus quis teneatur salarium præstare, *Riccius in praxi* 5. *tom. resol.* 468. *& Paponius lib.* 1. *Arrest. art.* 9. *in glossa litt. A. Maynardus dec.* 34. 35. *&* 36. *Barb. d. lib.* 1. *de jure Eccles. cap.* 13. *num.* 28. *& sequenti.*

Debet etiam Episcopus monere teneri unumquemque parochiæ suæ interesse, ubi commodè fieri potest ad verbum Dei audiendum, *Trid. d. cap.* 4. *Zerola in praxi par.* 1. *in verb. prædicatio §.* 4. *Azorius par.* 1. *lib.* 7. *cap.* 3. *q.* 7. *& lib.* 11. *cap.* 2. *quæst.* 1. undè populus est monendus, ut diebus Dominicis, & festis majoribus frequentet suas parochias, sed non est per hoc excommunicandus si monitioni non paruerit, *Barb. d. alleg.* 76. *num.* 34. *&* 35.

Sciendum est sexto fidelibus esse prædicandum quinque, scilicet quid credendum, quid servandum, quid vitandum, quid timendum, quid sperandum: hæc enim sunt illa quinque quæ volebat Apostolus in Ecclesia loqui, 1. *Cor. cap.* 14. scilicet sunt prædicandi articuli fidei, *cap. Symbolum de consecr. dist.* 4. præcepta divina servanda, peccata vitanda, æternum supplicium timendum, & præmium æternæ vitæ sperandum, *Clem. cupientes, vers. & quia de pœnis*, & prædicator debet esse vita irreprehensibilis, eruditus, & in dicendo maturus, & pavidus, *cap. Oportet* 8. *q.* 1. *cap. in sancta* 92. *dist.* neque debet esse multùm prolixus ne odiosus fiat, argum. *textus in cap. sit Rector* 43. *dist.* quare prædicatores monentur in *§. Ecce* 36. *dist.* ut sacris litteris semper insistant, ne tunc discere studeant, quandò alios instruere debent, Doctores enim vocantur, & docendi munus exercent, *glossa in cap. unico de summa Trinit. in* 6. Apud rudem plebem difficiles quæstiones proponere non debent, quod si contingat errores prædicatores disseminare, debet eis prohiberi prædicationis officium; latè *Barbosa d. lib.* 1. *de jure Eccles. cap.* 13. *nu.* 36. Neque prohiberi aliquis debet Ecclesiam ingredi ad audiendum verbum Dei, etiamsi sit infidelis, vel hæreticus, *cap. Episcopus nullum de consecr. dist.* 1. etiamsi sit interdictus ab ingressu Ecclesiæ, *cap. responso de sent. excommun.* Sed ad divina officia non admittentur tales, *d. cap. Episcopus nullum in fine*: excommunicati verò excommunicatione majori, evitandi, non permittuntur accedere, nisi totus populus esset innodatus tali excommunicatione.

Sciendum est septimo, quòd ad Episcopos spectat providere, ut subditi sui scientias tàm liberales, quàm sæculares discant, & Ecclesiasticas, *cap.* 1. *& cap. quia de Magistris Trid. sess.* 5. *de refor. cap.* 1. ut lectio sacræ Theologiæ, & sacræ Scripturæ expositio in singulis eorum diœcesibus habeatur, & in Monasteriis Monachorum, ubi id fieri commodè potest lectio sacræ scripturæ habeatur. Undè si superiores in hoc sint negligentes, possunt Episcopi uti legati Sedis Apostolicæ, eos compellere, *Franciscus de Leone in Thesau. fori Eccles. par.* 2. *cap.* 2. *Piasecius in praxi par.* 2. *cap.* 3. *num.* 41. *Campanilis rubr.* 12. *cap.* 13. *num.* 5. non tamen requirunt examen Ordinarii in illa lectione sacræ scripturæ in conventibus regularium habenda, *Barb. de potestate Episcopi alleg.* 56. *num.* 12. qui refert Paulum V. determinasse in sua Bulla, quæ incipit *Apostolicæ servitutis anno* 1610. ut in omnibus Regularium domibus, seu Monasteriis lectio linguarum Hæbraïcæ, Græcæ, Latinæ, & Italicæ habeatur, & a regularibus diligenter addiscatur.

Non tamen potest aliquis extrà regularium Monasteria, sive publicè, sive privatè admitti ad officium legendi, nisi priùs sit examinatus ab Episcopo loci de vita, moribus, & scientia *Trid. d. sess.* 5. *cap.* 1. *de reform.* pro qua docendi facultate nihil accipi debet, *cap.* 2. *&* 3. *de Magistris*: quòd si pro ea pretium detur, vel recipiatur nulla simonia committitur, quia actus docendi non est res sacra, *Suarius tom.* 1. *de religione lib.* 4. *de Simonia cap.* 18. *num.* 19. *Filiuccius tract.* 45. *cap.* 9. *q.* 8. *nu.* 12. *Lessius lib.* 2. *de just. cap.* 35. *dub.* 13. *num.* 82. *Bonacina de simonia q.* 4. *§.* 10. *num.* 10. & debent Episcopi procurare, ut idonei studia litterarum adeant, *cap. fin. de Magistris*, undè *Trid. sess.* 23. *cap.* 18. statuit fieri ab Episcopo Seminarium clericorum, de quo *Barb. alleg.* 77. *de potestate Episcopi cap. de*

quibusdam 37. *dist. d. cap.* 1. *& fin. de Magistris.*
Quibus Magistris pro munere docendi multa conceduntur privilegia, præsertim ut præbendarum suarum fuarum, & beneficiorum fructus percipere possint in absentia, dum publicè in scholis docent, *d. cap. fin de Magistris Trid, d. sess.* 5. *cap.* 2. *Moneta de distribut. quotid. par.* 2. *q.* 10. *Barb. alleg.* 56. *num.* 58. Verùm requiritur ut doceant pulicè causâ stipendii, decisum refert *Garsias par.* 3. *de benef. cap.* 2. *num.* 59. *& Barb. ubi suprà*, & in scholis generalibus, dicuntur verò studia generalia erecta per Papam, Regem, vel Principem.

Qui etiam Magistri tenentur facere professionem fidei, juxtà Bullam Pii Quarti, quæ incipit, *In Sacrosancta*, in manibus Superiorum, seu Rectorum studiorum, *Ricciullus lib.* 1. *de jure personarum cap.* 13. *Riccius par.* 4. *decis.* 84.

In §. Sed Nec.

Conclusio hujus textûs est, Episcopos debere esse hospitales, ut monet *Apostolus* 1. *ad Tim.* 3. & sepissimè docuerunt id Sancti Patres, ut videre licet in tota *dist.* 42. *& can. unico* 85. *dist.* qoia domos Episcopi, ot ait Gregor. relatus *in cap. fratrem* 86. *dist.* ad hoc est instituta, ut sine personarum acceptione omnes in hospitalitatem recipiat, undè non debet habere canes. quia non morsibus, & latratibus canum, sed hymnis custodienda sit ejus domus ne hi, qui confidunt ibi se inventuros levamen miseriarum suarum, versa viee morsibus canum lanientur, undè S. Gregorius relatus in *cap. fratrem nostrum* 86. *dist.* ait Episcopos debere esse liberales ergà pauperes, & in *cap.* 5. 82. *dist. & cap.* 5. *& cap. divinæ* 87. *dist.* dicitur debere Episcopum ergà pauperes, orphanos, & viduas exercere misericordiam, nndè potiùs dicuntur ei commendatæ substantiæ, ut inter pauperes distribuat, *cap. fine exceptione* 12. *q.* 2. *cap. res Ecclesiæ* 12. *q.* 1. commendat *Barb. lib.* 1. *de jure Eccles. cap.* 10. *num.* 26. undè *Trid. sess.* 25. *de reform. cap.* 1. ait Episcopos, nec consanguineos, nec familiares debere ditare de bonis Ecclesiæ, & plura exempla Summorum Pontificum, qui id fecerunt, affert *Barb. ubi suprà num.* 28. *&* 29.

Tenetur ergo Episcopus eleemosynam facere, quæ eleemosyna est actus, quo aliqoid alicui ex compassione damus ad ipsius sublevandam necessitatem, propter amorem Dei, quæ eleemosyna est actus misericordiæ corporalis, ad differentiam actuum misericordiæ spiritualis, de quibus *S. Thom.* 2. 2. *q.* 32. *art.* 2. *Bellarminus de bonis operibus cap.* 2. adeò ut putet *Layman* eum peccare mortaliter, qui cùm possit sepelire mortuum, id non facit nec adest alius, qui hoc faciat, nam prætermittit grave opus misericordiæ, *Layman lib.* 3. *Theolog. moralis tract.* 5. *cap.* 12. & non solùm ex præcepto, sed etiam de jure naturali tenemur proximum adjuvare, & ex præcepto divino, ibi, *Esurivi, & non dedistis manducare. sitivi, &c.* ubi multi damnantur ob omissam eleemosynam, ergo est præceptum, consequentia patet, nam nemo damnatur ob violationem consilii, sed ob mortalem transgressionem, & quòd sit obligatio naturalis, patet ex illo principio legis naturalis, *Quod tibi non vis, alteri ne feceris:* est autem indigentia pauperum triplex, scilicèt extrema, gravis, & communis: Dicitur extrema, qoandò quis eis caret, quæ necessaria sunt simpliciter naturæ, gravis quandò desunt necessaria secundùm decentiam, & conditionem statûs, communis est, quam patiuntur, qui mendicant, quia cùm ab omnibus petant, moraliter non potest iis deesse: Nos verò sub peccato mortali tenemur subvenire pauperibus solùm quandò existunt in extrema necessitate, non verò si in gravi reperiantur, est communis apud *Sanchez in opusculis lib.* 1. *cap.* 5. *dub.* 5. *num.* 61. post alios *Diana par.* 5. *tract.* 8. *resol.* 2. & tenemur de illis bonis subvenire pauperibus, quæ sunt superflua ad vitam, sed non ad statum, quia nullus tenetur statum suum dejicere, aut deprimere ob proximi necessitatem extremam, qoia Reipublicæ utilis est opulentus civium status, magis quàm vita alicujus privati, & defectio statûs est gravissimum damnum, cum quo nemo tenetur providere homini privato, immò neque tu teneris magnas divitias expendere, v. g. ter, vel quater mille aureos pro redimenda vita cojuslibet privati, etiamsi deinde à statu cadere non debeas, *Castrus Palaus tom.* 1. *tract.* 6. *disp.* 1. *p.* 2. *num.* 6. *Bannes* 2. 2. *q.* 118. *art.* 5. *Diana par.* 5. *tract.* 8. *resol.* 7.

Nota tamen primo, quòd non tenentur privati homines pauperes inquirere. quia molestissima esset talis obligatio, ita post alios *Sanchez in opuscul. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 39. *Suarez*, & alii apud *Dianam par.* 5. *tract.* 8. *resol.* 3. Potest tamen Judex compellere divites ad eleemosynam, & ipsi pauperes possunt contrà divites implorare officium Judicis, post alios *Diana ubi suprà resol.* 4. Neque satisfacit dives præcepto, si in extrema necessitate pauperi subveniat mutuando, quia tenetur ex justitia subvenire, ergo. Sed alii putant probabilius satisfacere, quia præcepto satisfacit quis, si det id, qood liberat ab indigentia, sed ad id sufficit mutuatio eom obligatione restituendi, cùm possit, ergo, legas DD. apud *Dianam resol.* 5.

Nota secundo, quòd putant *Filiucius tract.* 28. *cap.* 3. *num.* 76. *Azor. lib.* 12. *cap.* 8. quòd teneatur dives pauperes redimere apud Turcas quandò non habent undè se redimant: sed *Hurtadus de Mendozza* 22. *S. Thomæ disp.* 159. *sect.* 3. *§.* 21. tenet oppositum, quia captivitas non est extrema necessitas, ergo, præcepto de adjuvando extremè indigenti nullus tenetur redimere captivum, sequuntur alii apud *Dianam* d. *par.* 5. *tract.* 8. *resol.* 6. quòd si quis ante extremam necessitatem furatus sit aliquam rem, quam posteà in dicta necessitate consumpsit, non tenetur eam restituere, *Castrus Palaus tom.* 1. *tractat.* 6. *disp.* 2. *p.* 10. *num.* 3. *Coninch. de charitate disp* 27. *dub.* 10. *num.* 166. quicquid putent *Lessius, Vasquez*, & alii, quos rejicit *Diana ubi suprà resol.* 8. undè à fortiori, neque teneris restituere rem, quam accepisti in extrema necessitate, *Sotus de justitia, & jure lib.* 4. *q.* 7. *art.* 1. *Aragonia* 2. 2. *q.* 31. *art.* 6. *Azorius tom.* 2. *lib.* 12. *cap.* 8. *quæst.* 7. quicquid dicat *Lessius lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 1. *num.* 8. quem benè refellit *Diana d. par.* 5. *tract.* 8. *resol.* 9.

Nota tertio, quòd si creditor, & debitor stant in eadem necessitate extrema, debitor non tenetur solvere creditori, quod debet: ità *Paludanus, Sotus, Cajetanus, Vasquez, Turrianus, Lessius, Hurtadus*, & alii, quos sequitur *Diana par.* 5. *tract.* 8. *resol.* 11. *cum Azorio tom.* 2. *lib.* 12. *cap.* 8. *quæst.* 6. ratio est, quia debitor possidet, & melior est conditio possidentis, tùm quia in tali necessitate omnia sunt communia, & licèt deberetur priùs talis res creditori, tamen adveniente necessitate facta est usu communis, ergo potest debitor ea uti ad tuendam vitam suam, quòd si qois in extrema necessitate rem abstulerit alteri extremè indigenti, restituere tenetur, quia sicut fur est in auferendo, ita fur est in retinendo, nam est violentus, non legitimus possessor rei, & sic procedit opinio *Scoti*, de qua *Diana par.* 5. *tract.* 8. *resol.* 11.

Nota quarto, quòd spes ascendendi ad statum superiorem

riorem liberat ab onere faciendi eleemosynam de superfluis, ut v. g. ego, pro statu futuro, quem possum legitimè acquirere, opus habeo multis rebus, istas res conservo, quæ licèt sint superfluæ ad statum præsentem, tamen non sunt superfluæ ad statum futurum, non teneor ego de istis bonis sic superfluis facere eleemosynam, post alios *Diana par. 5. tract. 8. resol. 20.*

Nota quinto, quòd si quis recipiat eleemosynam simulans paupertatem tenetur ad restitutionem secundùm communem opinionem; alii verò putant id limitari in ostiatim mendicantibus quia in talibus parvis, & quotidianis eleemosynis præsumitur animus charitatis, & pietatis potiùs, quam quòd ex paupertate moti sint dantes, & sic quòd noluerint eis imponere obligationem restituendi præsumitur, ut post alios tenet *Diana par. 5. tractat. 8. resol. 21.* quandò verò est magna eleemosyna, restitui debet, vel donanti, secundùm quod dicunt aliqui, vel pauperibus, secundùm alios, de quibus *Castrus Palaus tom. 1. tract. 6. disp. 2. p. 14. num. 7. Vasquez in opusc. de restit. cap. 3. dub. ultimo, num. 24. Dianam par. 5. tract. 8. resol. 28.*

Nota sextu, quòd clerici beneficiati, Episcopi, & alii, & etiam Summus Pontifex tenentur de superfluis fructibus ad eorum statum necessitatis dare partem pauperibus. Quantitas verò congrua reputatur pro unoquoque beneficiato habita ratione scientiæ, litteraturæ, & similium. Undè DD. communiter apud *Filiuccium tract. 41. cap. 7. q. 4.* assignant pro beneficiato infimæ sortis eam quantitatem, quæ sufficiat pro ipso, uno famulo, uno equo, & uno coquo: pro beneficiato Doctore assignant, pro se, duobus famulis, coquo, & equo; pro beneficiato nobiliori pro se ipso tribus famulis, duobus equis, cum curru, coquo & Rhedario, Cardinalibus verò assignant ducatos mille in mense, exceptis Cardinalibus Principibus, & Nepotibus Summorum Pontificum, quibus assignant mille aureos in unaquaque hebdomada ad sui, & familiæ sustentationem: Milites verò Divi Jacobi, Calatravæ, & S. Joannis, non tenentur si habeant commendas ad opera pia, sed satis est si non in usus profanos consumant suas commendas. *Azor tom. 1. lib. 13. cap. 4. quæst. 6. Diana par. 5. tract. 8. resol. 30.*

Nota septimo, religiosos posse eleemosynas facere si egeni sint in extrema necessitate, vel alias gravi nec pateat aditus ad superiorem, vel si ex licentia superioris sint extra Monasterium, vel si ad suum usum habeant aliquos annuos reditus a Monasterio: ita *Sanchez in summa lib. 7. cap. 19. num. 96. usque ad num. 104. Lessius lib. cap. 18 dub 11. num. 85. Filiuccius tom. 2. tract. 28. lib. 12. cap. 10. quæst. 3.* Alii etiam putant, quòd possint Religiosi eleemosynam facere quandò res sunt parvi momenti, & quæ communiter solent dari pauperibus, quia præsumitur superioris voluntas, post alios *Diana par. 5. tract. 8. resol. 32.* Neque tenentur Monasteria de introitibus, quæ superabundant in sustentatione eleemosynas facere, nisi adsit necessitas, *Suarez de religione tom. 4. tract. 1. lib. 2. cap. 26. num. 13. Peyrinus de prælato tom. 2. q. 1. cap. 15. num. 57. Diana par. 5. tract. 8. resol. 33.*

Uxores possunt tuta conscientia vigesimam partem lucri annualis mariti dare in eleemosynam DD. communiter apud *Dianam tract. 1. miscell. resol. 33. par. 2. & par. 5. tract. 8 resol. 34.* qui alios ponit casus, in quibus uxor potest facere eleemosynam.

Tutores, & Curatores possunt de bonis pupillorum facere moderatas eleemosynas, quia id pertinet ad rectam bonorum administrationem, quæ illis commissa est, ut in bonum pupilli, & minoris ce-

dant, ipsisque consentire tenentur, *Reginaldus tom. 1. lib. 4. cap. 21. num. 270. Azorius*, & alii apud *Dianam par. 5. tract. 8. resol. 35.*

In §. Res suas.

Conclusio hujus textûs est Episcopos, & omnes alios clericos non debere vacare ludis, & ludibriis Histrionum, idem dicit *tex. in cap. donare 86. dist.* turpe enim est res suas donare Histrionibus, *d. cap. donare*, ubi *Barb.* & notatur *in l. 2. ff. de his*, qui notantur infamia, & in *Trid. sess. 22. cap. 1. & in cap. penul. de vita, & honest. Cleric. & in cap. Episcopus 35. dist.* ubi *DD. & in cap. inter dilectos de excessibus prælator.* quòd si clerici in sacris comediis intersint ob solam curiositatem sine periculo probabili lapsûs in peccatum mortale, non est peccatum mortale ex *Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 46. nu. 41. Diana par. 2. tract. 17. resol. 35. & par. 5. tract. 1. miscell. resol. 81. & sequenti*, cessante scandalo, quod hodie cessat, dicit *Sanchez*, cùm frequentissimum sit clericos illis interesse, neque obstant prohibitiones sacrorum canonum, quia sunt solùm recepti de honestate, ut ait *Innocentius in d. cap. penul. de vita, & honest. cleric.* vel cum *Cajetano in summa, in verb. clericorum peccata*, non obligant sub peccato mortali cessante scandalo & contemptu, sequitur *Barb. in collect. 2. tom. in d. cap. penult.*

Neque est licitum clericis ad aleas & taxillos ludere *Paulus Comitolus lib. 1. respons moral q. 90. Borrellus in summ. decisionum in tit. de vita, & honest. Cleric. tit. 11. num. 33. Carolus de Grassis effect. 22. Bellitens in disquis. cleric. par 1. §. 24. de discipl. cleric. Trid. d. sess. 22. cap. 1. & sess. 24. cap. 12. de reform.* ex ludo enim plura oriuntur incommoda, scilicet desiderium lucrandi, & sic cupiditas, quæ est radix omnium malorum. Secundo voluntas spoliandi proximum, & sic est rapina. Tertio multiplicata mendacia, & blasphemiæ: undè *P. Ribadeneira in vita B. Francisci Borgia cap. 5.* dicit tria pretiosa in ludo amitti, tempus scilicet pecuniam, & devotionem, ac sæpè conscientiam: ludus verò, qui consistit in ingenio, puta schacchorum non est prohibitus clericis, qui quidem ludus, licèt sit ingenii, non tamen multum litteratis hominibus convenit, quia mentem jam defatigatam literarum studiis recreare magis convenit cessatione, & quiete quam nova meditationis labore graviore, qua de re *Barb. in collect. ad textum in d. cap. penult.* prohibetur etiam clericis ne ludis intersint in *d. cap. penul.* & sic pœna contrà ludentes comprehendit etiam ludum spectantes, *Farinaccus in praxi q. 109.* Latissimè *Barb. in d. cap. inter dilectos de excessibus prælat.* jura etiam civilia adeò ludos detestantur, ut imponant pœnam confiscationis domûs, in qua ludus exercetur, *Auth. alearum usus*, & si tempore ludi committitur furtum in ipsa domo, actio domino non competit, *l. 1. §. prætor ait, ff. de aleatoribus*, quia est maximè perniciosus, & detestabilis, *l. fin. C. de religios. & sumpt. funerum, Diaz in pract. criminali can. cap. 64.* ubi *Ignatius Lopez in addit. lit. A.*

Nota tamen primo, quòd prædictæ leges civiles prohibentes talem ludum taxillorum, & aleatum, sunt contraria consuetudine abrogatæ, undè ludentes talibus ludis ex vi talium legum, neque venialiter peccarent, *Salas de ludo, dub. 3. Filiuccius tom. 2. tract. 38. cap. 4. num. 58.*

Nota secundo, quòd exponentes domum ad ludendum peccant mortaliter, ratio est, quia est illicitum ministrare res indifferentes, quandò in tali tempore, & loco moraliter quasi semper destinantur ad pravum usum: sed hoc est in casu nostro ergo. Major patet ex *Suarez de charitate disp. 10. sect. 4. nu.*

2. & Coninch. de actibus supernaturalibus disp. 18. dub. 13. num. 217. & ratio est, quia tunc talia præbere, esset præbere moraliter occasionem peccandi. Minor patet ex lacrymabili experientia, nam talis domus in tali tempore, & loco semper moraliter destinatur ad pravum usum, nam vel ibi ludunt minores, vel blasphemant, & rixæ excitantur, vel dilapidantur bona, vel furta committuntur, vel adsunt perjuria, vel uxorum ornamenta amittuntur, vel pro vili pretio venduntur; unde ait *Sanchez in summa tom. 1. lib. 1. cap. 7. num. 39.* quòd talis ludus ratissimè sine peccato mortali exercetur. & sic ex lege naturali erit quis obligatus non ministrare talem materiam sic ludentibus: & ultra *Sanchez*, *Bartholomaeus à S. Fausto in speculo Confessariorum cap. 32. q. 28. Bellochius de casibus reservatis par. 2. q. 4. à nu. 492. usque ad 504.* ubi ait, quòd ludus supradictus est seminarium omnium malorum, & quòd debent Episcopi, & Domini sæculares ludos prædictos chartarum, & taxillorum prohibere, tales etiam exponentes prædictas domus ad ludendum, teneatur ad restitutionem, quandò principales lusores non restituunt, *Naldus in summa, in verb. ludus, Bellochius loco citato*, neque potest Princeps laicus, vel alius dare licentiam exponendi domum ludo, quia non potest Princeps dare licentiam peccandi mortaliter, sed ut suprà probavimus, exponens domum ad ludum peccat mortaliter ergo, & tenentur positivè exponentes tales domos punire: DD. citati contrà *Molsesium in summa tom. 2. tract. 12. cap. 21. num. 40.*

N que dicas posse Principem permittere ludum, in quo aliqui destinantur triremibus, vulgò dicti *Della bona voglia*, & ludum militum, vulgò dictum *Nel corpo di guardia*, ergo mala nostra doctrina. & opinio communis.

Respondeo, quòd in supradictis ludis impeditur majus malum, quod est abundantia malorum hominum in Civitate, & ità optimum est illos ad servitium Regis destinare; & milites non ludendo irent per vicos, & plateas Civitatis committendo majora mala, quæ omnia non militant, dùm aliqua domus exponitur Civibus ad ludendum, ità *Diana tract. 15. resol. 65.*

Nota tertio, quòd ludus est contractus, qui ludentes res suas periculo exponunt propter spem accipiendi rem alterius: ex quo infero, quòd si quis cæpit ludere, potest cogi ab alio collusore ad perficiendum ludum, vel ad solvendum, quòd sua interest perfici ludum, nam de ratione contractûs est, ut non possit alius ab eo cessare cum damno alterius contrahentis inviti, *Azor. par. 3. lib. 11. cap. 29. dub. 7.* unde etiam sequitur ludum non esse ex se prohibitum, quia potest esse actus virtutis, si fiat ad honestam recreationem cum debitis circumstantiis: est verò illicitus ex circumstantiis, purà si quis ob ludum omittat sacrum in die festo, vel si committuntur blasphemiæ, & perjuria, vel si dolo vi, vel metu, vel si cum eo exercetur, qui non potest ludere, & alienare, vel ratione personæ, ut in clericis, qui tamen si ludant, non peccant mortaliter, quia ut suprà dixi canones non sunt recepti in hac materia sub peccato mortali, sequitur *Azor. par. 3. lib. 5. cap. 27. Filiucrius tract. 37. cap. 4. q. 6. Salas de ludo dub. 24. Graffius par. 2. dec. lib. 3. cap. 9.* qui ponit omnes ludos clericis permissos, & hodie pœna clerici ludentis est arbitraria Episcopi, *Diaz in praxi crimin. canonica cap. 70. Menoch. casu 399. Farinaceus d q. 109. num. 97.*

Nota quarto, neque clericos debere (prout nec laici) torneamenta facere ad ostentationem virium, & audaciæ, unde mortes proveniunt; & si quis in eis, vel eorum occasione moritur, in Ecclesia non sepelitur, licèt ipsi pereunti non sit deneganda pœnitentia, *cap. 1. de torneamentis*, ubi *Barb.* refert Bullam Pii V. de Taurorum agitationibus non videndis in Regnis Hispaniarum, & pœnas prædictæ Bullæ Pii sustulit quoad laicos Clemens 8. firmis remanentibus quoad regulares, & addit quòd decedentes in agitationibus Taurorum, non sunt privandi Ecclesiastica sepultura.

Nota quinto, quòd si clericus sponte alicui duellum obtinet, vel oblatum acceptavit, est deponendus, sed si non est secuta mors, vel mutilatio potest cum eo Episcopus dispensare, *cap. 1. de clericis pugnantibus in duello.* In *Trid.* verò *sess. 25. de reform. cap. 19.* excommunicatur ipso jure duellans, quæ pœna imponitur ex Bulla Clementis 8. quæ incipit *illius vices contra pugnantes, vel contra litteras mittentes &c.* de qua re *Barb. in collect. in rit. de clericis pugnan. in duello*, & à pœnis, de quibus in *Trid.* contra duellantes nullus præter Papam potest absolvere, quandò verò duellum esset occultum, posset absolvere Episcopus, *Bonacina de censuris q. 4. pun. 2. nu. 55. Barb. in d. cap. 1.* & notat idem *Barb. ubi supra cap. ultimo*, quòd licèt olim Episcopus posset dare beneficium simplex clerico homicidæ voluntario, ut ex d. textu colligit, tamen hodie ex *Trid. sess 14. cap. 7. de refor.* non potest.

Nota septimo esse etiam excommunicandos eos qui exercent artem balistarum, & sagittariorum contra Christianos, *cap unico de sagittariis*: est autem balistarius, seu sagittarius, qui tradens animam, & corpus dæmoni, eum eo facit pactum, ut quem volunt ipsi longissimè irę infallibili ictu trajiciant, ità *Malleus maleficorum par. 2. q. 1. cap. 16. Martinus del Rio disquisit. magicarum lib. 3. cap. 2. q. 4. sect. 4. Torreblanca de Magia lib. 2. cap. 39. Barb. in cap. 1. de sagittariis.*

In §. Sobrius.

PRæcipitur etiam clericis sobrietas, quæ consistit in usu moderato cibi, & potûs, juxtà illud Sancti Petri, qui ait *Fratres sobrii estote, &c.* est autem sobrietas virtus quædam media contraria ebrietati, & crapulæ, quæ clericis præcipitur, ne sint de numero illorum, de quibus ait Apostolus ad Philipp. 3. *quòd sunt inimici Crucis Christi, propterea quòd eorum Deus venter est*, à quibus decet nos caveri, uti habetur in *cap. à crapula de vita, & honest. clericorum, cap. vinolentum, cap. ante omnia 35. dist. & Lucæ cap. 21.* Christus Dominus discipulos admonebat, dicens, *Attendite autem vobis, ne fortè graventur corda vestra crapula, & ebrietate; & Paulus ad Ephes. cap. 5.* ait *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Et Sancta Mater Ecclesia quotidie admonet in hymno primæ horæ canonicæ, dùm dicit. *Carnis terat superbiam potûs, cibique parcitas*; immò ponens encomia Sanctorum Confessorum, in hymno Vesperorum ipsorum dicit, *sobrius, castus, humilis, pudicus, &c.* tenet verò *P. Diana par. 5. tract. 1. miscell. resol. 40.* quòd si quis comederet usque ad vomitum, non esset peccatum mortale, quia non ponitur in hoc ultimus finis, adducit aliquos pro se.

Ex quibus nota Episcopos debere à crapulis, & ebrietatibus abstentes esse, dùm *Paulus* scribens ad *Tim. Epist. 1. cap. 3.* ait debere esse sobrium, & non vinolentum, qua de re plures Sancti Patres composuerunt diversos sacros canones in tota *35. dist.* & tota *44. dist.* quibus monentur Episcopi, ne frequenter conviviis se occupent, *cap. multis 44. dist.* nam ubi regnat ebrietas, ratio exulat, & inter vinum,

vinum, & epulas difficiliter servatur pudicitia, *cap. Ecclesia* 35. *dist.* undè *Trid. sess.* 25. *de reform. cap.* 1. monet Episcopos supellectili modesta, mensa, & victu contentos esse debere, & quòd sacra lectio ad mensam eorum recitetur, *cap. pro reverentia* 44. *dist.* mensam quoque debent benedicere antequàm comedant & post cibos gratias Deo referant, *cap. non licet d.* 44. *dist. & Seneca lib.* 2. *de beneficiis cap.* 32. ponit elegantem similitudinem de ludo pilæ, in quo egregii lusoris est pilam acceptam retorquere, sic, qui à Deo, quod comedit accepit, debet idem deferre.

Nota secundo, quod debet Episcopus præcipere facto, & exemplo jejunium servandum tempore suo, scilicet si festum venerit die Lunæ, & adest jejunium in vigilia, debet jejunari, & fieri vigilia in Sabbato antecedenti. *cap.* 1. *de observatione jejuniorum*, ubi etiam præcipitur jejunium in vigilia nativitatis, & assumptionis, & in vigilia nativitatis collatio potest sumi in magna quantitate, puta potest excedere uncias sexdecim, *Fagundez in præceptis præcepto* 4. *lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 19. *Diana par.* 1. *de jejunio resol.* 35. *Barb. in d. c.* 1. *de observ. jejun.* qui in rubrica num. 2. ait ex pluribus, quòd jejunium frangens pluries in eadem die comedendo, non peccat toties, quoties comedit, sed una sola vice peccat, dummodò non comedat carnes, quia carnes comedendo toties peccat, quoties comedit, quia illud est præceptum affirmativum, sed præceptum non comedendi carnes est negativum, quod obligat semper, & ad semper, *Lavor. de Jubilæo cap.* 20. *de jejunio*. *Diana de jejunio loco citato*, plures refert *Barb. ubi suprà*, ubi etiam addit, quòd non jejunans in vigilia S. Matthiæ, quæ modò venit in Quadragesima, unum peccatum committit, non plura, quia sunt duo præcepta, quæ pertinent ad unam virtutem, latè *Sanchez in præceptis lib.* 42. *cap.* 11. *num* 42. quæ verò vigiliæ sint illæ, in quibus est præceptum jejunium, legas *textum in cap.* 2. *de observation. jejunior.* ubi etiam datur licentia comedendi carnem ob necessitatem in Quadragesima.

Præcipit *Honorius Tertius in cap. ultimo de observat. jejunior.* quòd si feria sexta venerit nativitas Christi, omnibus licitum est vesci carnibus, exceptis illis, qui votum fecerunt, vel professi fuerint, quæ duo verba hoc modo intelliguntur, qui voverunt scilicet si quis vovit comedere carnes feria sexta, & Sabbato, si postea evenerit festum nativitatis, non poterit comedere: post alios *Diana resol.* 22. *de jejunio*, & plures laudat *Barb. in d. cap. fin. de observat. jejunior.* illa verò verba, nec regulari observantia intelliguntur hoc modo. Illi, qui regulari observantiæ adstricti sunt puta Monachi, qui sunt obligati feria sexta jejunare, isti enim non possunt carnes comedere si venerit in ea feria sexta Nativitas Domini, *Rodriquez quæstion. regul. tom.* 3. *q.* 45. *art.* 2. 3. *&* 4. ille verò religiosus, qui in sua religione erat ex voto obligatus non comedere carnes feria sexta, si fiat Episcopus eximitur à voto, poteritque ad libitum vesci carnibus tali die si festum nativitatis celebretur, quia religiosus factus Episcopus, licèt teneatur ad vota substantialia Religionis, non tamen tenetur ad vota, quæ sunt extraordinaria, & propris in aliqua religione, v. g. Religiosus scholarum piarum factus Episcopus, non tenetur ad scholas faciendas, &c.

In §. Sicut.

Concluditur in hoc textu clericis prohibitum esse cupiditatem, scilicet desiderium lucrandi; nam est hæc cupiditas multorum malorum causa, & ejus occasione solent fieri multa negotia illicita, ad cujus intelligentiam

Sciendum est primo, quòd clerici non possunt negotiari, & mercaturam facere, *cap. negotiatio* 88. *dist. cap. secundum* 6. *ne Clerici, vel Monachi*, ubi dicitur, ut excommunicentur, & in *cap. sed nec eodem titulo*, ubi præcipitur, ut suspendatur ab eodem officio Ecclesf. *& in cap. Clericus* 49. *dist.* ubi imponitur pœna depositionis, & in *cap. canonum.* 14. *q.* 4. unde peccant mortaliter exercendo mercaturam, *Marta de jurisdict. casu* 3. *Squillante de obligat. just. par.* 2. *num.* 39. *Farinaceus in fragmentis, in verb. Clericus à num.* 147. *Bellectus par.* 1. *de disciplin. Cleric. §.* 21. *Diana de contract. resol.* 72. *Carolus de Grassis effect.* 6. quocunque contractu negotientur, etiam conducendo possessiones propter cupiditatem, *cap.* 1. *ne Clerici, vel Monachi Genuensis in praxi cap.* 62. *num.* 12. nisi necessitas instet, pro sui scilicet, vel suorum sustentatione, *Costa de remediis subsid. remed.* 73. *Genuensis, & Bellectus ubi suprà*, qui dicunt, quòd potest clericus conducere omnes obventiones Ecclesiæ, ut ipse habeat curam regiminis Ecclesiæ eam afficiendo, & de proventibus respondendo in certa quantitate, vel nisi conductori succedat, quia poterit prædictus clericus perseverare in conductione, usque ad tempus, quo durare debet conductio, *glossa in dicto cap.* 1. *in verb. Conductores*, ubi *Abbas num.* 8. tunc verò dicitur mercatura, & negotiatio, quandò aliquid emit clericus, ut lucrum quærat: sed si emat, ut reducat ad aliquam formam, vel si vendat ea, quæ sunt collecta ex suis prædiis, non est prohibitum, *de Grassis effect.* 3. *Quaranta in summ. Bullarii, in verb. vectigal. Bonacina disp.* 2. *de contract. q.* 6. *puncto* 2. quòd si clericus semel, vel bis negotietur, non peccat mortaliter, quia non diceretur negotiator. Idem dicas si clericus negotietur per alium, neque enim, peccat, *Diana ubi suprà de contra. d. resol.* 72. *Lessius, Squillante* & alii, quos sequitur *Barb. in lib.* 1. *de jure Ecclesf. cap.* 40. *num.* 121.

Sciendum secundo est, quòd potest clericus locare sua animalia, ut boves, &c. si habet ex decimis, vel ex successione, vel si habet multa pascua emit eadem animalia, ut illa depascat ad sustentationem sui, vel suorum, *Bonacina*, & alii apud *Barb. n.* 123. sic potest agros proprios colere, ut fructus vendat, lapides, vel metallos ex suis fundis cedere, vel eruere, sive ea mutet in aliam speciem, sive non: greges in suis prædiis alere, ut ex fœtu, lacte, & lana pecuniam conficiat, vel ut ipsa animalia adulta, & saginata vendat, *Less. de just. & jure lib.* 2. *cap.* 15. *dub.* 1. *Comitolus lib.* 1. *responsorum. respons.* 53. Posset etiam clericus à locis piis terrena in affictum accipere, neque debet prætextu illicitæ negotiationis molestare, ut rescripsit Sacra Congregatio Nuntio Neapolitano, teste *Barb. d. lib.* 1. *cap.* 40. *num.* 125. Posset etiam clericus vinum suum minutim vendere, ut rescripsit Episcopo Aversano Sacra Congregatio apud *Barb.* qui etiam refert decisum posse clericum sua bona patrimonialia, & beneficia, quæ obtinet colli facere, & emere animalia ad hunc effectum necessaria: licitum est clericis terras patrimoniales, & beneficiales suas per laicos colere, absque metu illicitæ negotiationis, & etiam pro usu culturæ licitum est emere animalia, & illorum fœtus justo pretio, & honesta ratione vendere absque metu negotiationis, & potest clericus habens in propriis bonis quercus, & castaneas, surs emere, eosque alere pro sui, & familiæ sustentatione, dummodò tamen in emendis, alendis, distrahendisque nihil sordidum, aut indecens Ordini clericali exequatur:

quantur: licitum est eisdem clericis foliis arborum arti fericæ operam dare pro se absque officii detrimento, pro sua, & familiæ sustentatione, dummodò in tali artificio personas non suspectas adhibeant, & quoad hoc Episcopi licentia, quæ gratis est concedenda, obtineatur.

Possunt etiam retinere, & locare boves, ut suprà, & eo die, quo ipsis non utuntur aliis ad mercedem concedere, eos verò boves, quos in suis prædiis natos ex suis vaccis educaverint, possunt concedere pro certâ tritici quantitate quolibet anno persolvendâ, quod vulgò dicitur à Giovanico, & possunt centum, vel quinquaginta emere, & ea aliis concedere pro certa caseorum quantitate pro usu suo, & familiæ. Possunt etiam clerici in suis molendinis triticum alienum recipere ad molendum; hæc omnia declaravit Sacra Congregatio, de qua *Barb. lib. 1. de jure eccles. cap. 40. à num. 127.*

Possunt etiam clerici vendere panem coctum, & ad minutim ex frumento collecto in prædiis canonicalibus sine metu illicitæ negotiationis, *Carolus de Grassis eff. 8. 6. nu. 33. DD. citati* apud *Bard.*

Quòd si clericus negotiet illicita negotiatione, ad vectigal, & onera gabellarum non tenetur antequàm ter admoneatur, ut mercaturam non exerceat; ità *ex textu in cap. ex litteris de vita, & honestate cleric.* docent communiter DD. apud *Barb. loco cit. num.* 130. etenim trina monitio debet præcedere ad hoc, ut clericus amittat privilegia, ut in *d. cap. ex litteris*, *Carolus de Grassis eff. 1. nu.* 847. *Paulus Camitolus lib. 1. resposor. q.* 53. *Camillus Borellus in summa decisionum in tit. de clerico. & Sacerdote num.* 70. *tom.* 1. *tit.* 7.

Non denegatur clericis exercitium artis non sordidæ, ut pingere, canistras viminibus plectere, & alia facere, de quibus in *cap. Presbyter*, *cap. Clericus victum.* 91. *dist. Gratianus cap.* 57. est verò eis prohibitus usus Alchimiæ, ut in extravaganti *Spondent de crimine falsi* inter communes, & ars medendi præsertim chyrurgiæ, *cap. fin. ne clerici. vel monachi*, *cap. tua nos. juncta glossa in verb. congruebat de homicidio*, *Ugolinus de potestate Episcopi cap.* 13. *§.* 14.

Neque debent clerici esse ministri negotiorum, nec Procuratores laicorum; quòd si moniti oppositum se erint, Ecclesia non debet illis subvenire, *cap. 2. ne clerici, vel monachi*, sequitur *Genuensis in praxi cap.* 62. *num.* 20. *in addit.* ubi probat non posse clericum officium majoris domûs alicuius Principis exercere. Quòd si clericus fiat officialis alicujus Principis laici, & in eo deliqueri; non poterit à Judice laico puniri, *Abbas in cap. cùm contingat. de foro competenti*. *Covarr. pract. quæst. cap.* 33. *num.* 6. *Masta par.* 4. *de jurisdict. casu* 127. *Bonacina disp.* 10. *de legibus q.* 2. *pun.* 1. *§.* 1. *num.* 24. *Duard. in Bullam cœna lib.* 2. *can.* 15. *q.* 11. *num.* 272. *& Diana par.* 1. *tract.* 2. *resol.* 18. quod idem dicis de Militibus Hierosolymitanis *Franciscus Marcus dec.* 479. *num.* 4. *par.* 3. *Gaballus resol. criminalium casu* 64. non obstante quòd Episcopus, & ejus Vicarius possit punire excessus familiarum laicorum, etiamsi delinquant in officio, *Boerius dec.* 9. *Sbrazzius de officio Vicarii lib.* 2. *q.* 146. & alii apud *Barb. in collect. tom.* 2. *in cap.* 2. *ne Clerici*, *vel Monachi*, qui alios etiam affert, tenentes posse talem clericum puniri à Judice sæculari, si delinquat in officio.

In §. Impudicus.

CONclusio hujus textûs est Episcopos, & clericos pudicitiam quoque habere debere, undè non possunt clerici cum mulieribus habitare, vel mulieres in habitationes suas recipere, & retinere, concubinas habere, cum suspectis feminis conversare, *cap. præter hoc. cap. interdixit cum sequenti* 32. *dist. cap.* 2. *cum sequenti* 34. *dist. cap. ut clericorum de vita, & honestate. & in tit. de cohabit. cleric. & mulierum. Trid. sess.* 25. *de reform. cap.* 14. *Campanilis in diversorio juris canonici rubrica* 4. *num.* 45. *Menochius lib.* 5. *de præsumpt. præsum.* 17. *Bellettus in disquisitione cleric. §.* 25. *Carolus de Grassis de effect. cleric. effect.* 26. tùm quia domus Cæsaris non solùm debet carere delictis, sed etiam suspicione delicti, tùm quia cohabitando cum muliere exponit se maximo periculo perdendi castitatem, quam difficile est servare cohabitando cum mulieribus; immò quasi impossibile, quemadmodùm stuppa, cera, aut stipula juxtà ignem, juxtà illud *Proverb.* 6. *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta ipsius non ardeant, aut ambulare super prunas, & non comburantur plantæ ejus, sic qui ingreditur ad mulierem, non erit immunis. & S. Hieronymus* ait. *Hospitolum tuum femina nullo modo teneat, cap. hospitol um* 32. *dist. cap. cum presbyteri* 34. *dist.* & apud Sacr. Congr. Cardinalium de negotiis Episcoporum, & regularium quodam Capitulum fuit propositum, an liceret cuidam Sacerdoti annorum 64. retinere in ejus domo famulam annorum 66. & respondit negativè, teste *Barb. lib.* 1. *de vita, & honest. Cleric. cap.* 40. *num.* 39. undè Sacerdos nullas retinere potest suspectas, sed eas solùm, quas jura permittunt, puta matrem amitam, sororem, & his similes, si illis indigeat in domo, *cap. penul. de cohabit cleric. & mulierum.* Concord. *tex. in l. eum qui*, *C. de Episcop & Clericis*, *cap. interdixit* 32. *dist.* & licet *textus in d. cap.* 1 prohibeat clericis retinere in domibus matres, & sorores; tamen id est de consilio, vel nisi essent suspectæ personæ, *glossa in d. cap.* 1. ut benè *Ugolinus de potest. Episcopi cap.* 13. *cap.* 27. *Barb. in collec. ad tex. in d. cap. cohab. C eric. & mulierum.* Quòd si Presbyter, Diaconus, vel Subdiaconus ter monitus inveniatur loqui, vel conversari cum femina suspecta de crimine fornicationis com eo, est excommunicandus, & femina canonicè punienda, *cap.* 2. *de cohabit Cler. & mulier.* ad incurrendam verò pœnam excommunicationis in crimine concubinatûs à clerico commissi requiritur trina monitio, *Trid. sess* 25. *de reform. cap.* 14. post quas denunciationes si moniti non destiterint, suspendi debent à beneficiis, *cap. sicut de cohabit. cleric & mulier.* neque sufficit una monitio in Synodo, *Riccius in praxi dec.* 307. *in* 2. *editione*, & 359. *in* 1. *editione*, Latè *Barb. in d. cap. sicut num.* 6. Non tamen sunt cogendi Clerici ad jurandum se non peccaturos peccato carnis, vel non retinere concubinas in domo, *cap.* 3. *de cohab. Cler. & mulier.* potest tamen Episcopus clericos concubinarios in majoribus, vel minoribus Ordinibus, si ter moniti non desistant, eos spoliare Ecclesiis, vel eorum portionibus appellatione postposita, *cap. si autem de cohab. Cler. & mulier.* Neque à clericis concubinariis publicis, vel ab Ecclesia condemnatis debemus divina ministeria audire, nec alia Sacramenta suscipere, non quòd in Sacramento sit defectus, sed ad ipsorum fornicatorum emendationem, *cap. vestra de cohab. Cler. & mulier.* quòd si concubinatus Clerici sit ità notorius, ut non egeat tergiversatione, non requiritur testis, neque accusator, *cap. tua nos de cohab. Cler. & mulier.* concubinarius verò clericus licèt sit vitandus attento jure communi, *in cap. quæsitum de cohab. Cler.* per solam sententiam; tamen hodie requiritur, ut sint denunciati, excommunicati, & publicati, ex extravaganti

vaganti ad evitanda scandala, *Garsia de beneficiis par. 7. cap. 14.. à num. 36. Barb. in cap. fin. de cohabit. Cler. & mulierum, & in cap. interdixit 32. dist.* dicitur feminas non licere habere subintroductas, scilicet, quæ libidinis causa intùs retinentur, hoc est, quæ non in luce, & oculis civium, sed intùs in domo habentur, *Anastasius Germonius lib. 2. animadversionum juris cap. 15. in fine Barb. lib. 1. de jure Eccles. cap. 40. num. 40.*

Primus verò, qui clericis celibatum præcepit fuit *Calistus Papa, cap. proposuisti 82. dist. & Alexander Secundus, & Nicolaus Secundus in cap. nullus cum sequenti 32. dist.* qui statuerunt etiam nullum debere audire Missam à Presbytero concubinatio, *& in cap. Clerici de excessib. Prælat.* determinatur contrà clericos nefandum crimen committentes, ut deponantur, & in Monasteria ad perpetuam pœnitentiam agendam detrudantur, *Campanilis in rubr. 11. cap. 22.* & fiunt irregulares quandò tale crimen exercent, *Diana par. 2. tract. 3. miscell. resol. 69. Barb. d. lib. 1. cap. 40. de jure Eccles. num. 47.*

Statuerunt etiam sacri canones, ut omnem quoque incontinentiæ suspicionem clerici vitare teneantur, undè *in cap. Clerici 81. dist.* Soli ad alloquendas feminas prohibentur accedere, sed boni testimonii viros habere jubentur lavacra quoque cum feminis communia habere, aut eas in habitationibus suis retinere non possunt, *cap. non oportet eadem dist.* nisi sint consanguineæ, in quas naturale fœdus non sinit ullam posse cadere suspicionem, *Barb. d. lib. 1. cap. 40. num. 51.*

Prohibetur etiam clericis, ne intersint choreis, & saltationibus, ne propter motus obscœnos oculi eorum contaminentur, *cap. presbyteri 19. dist.* nec debent intendere, & vacare Mimis, joculatoribus, & histrionibus, *cap. penul. cap. presbyteri 34. dist. cap. non oportet de consecr. dist. 5. Barb. in collect. ad tex. in d. cap. penult.* nec debent suscipere habitum personatûs, *cap. cum decorem de vita, & honest. Cler.* Neque debent cum habitu sæculari ad histriones se accomodare in comœdiis, quia si id faciunt sunt graviter puniendi, & poterit Judex Ecclesiasticus punire sæculares induentes habitum regularium per jocum, veluti in comediis, theatris, &c. *Bellectus par. 1. in tit. de favore Clericorum reali §. 1. num. 98.* Neque est clericis licitum ingredi cauponas, vel tabernas, nisi longioris itineris causa, *cap. non oportet cum duobus sequentibus 44 dist. cap. penul. de vita, & honestate Cler. Ricciullus lib. 8. de jure person. cap. 7. num. 15. Bellectus de disciplina Cleric. §. 10. in principio,* nam cauponarum institutio non fuit voluptatis causa, sed necessitatis *l. licet gratis, §. in factum ff. Nautar. caupon. & stabul.* Sed jam hodiè tabernæ sunt loca & fomenta intemperantiæ & incontinentiæ, *l. quæ in adulterium in principio,* ubi *glossa, C. ad legem Jul. de adulter. l. athlas, §. ait Prætor. ff. de his qui notan infam. l. palam, §. si qua cauponam, ff. de ritu nuptiar.*

Tabernæ verò vocantur loca, in quibus panis, vinum, & carnes coctæ venduntur, *glossa in Clem. 1, de vita, & honest. Cler. in verb. tabernariorum, l. tabernæ 183. ff. de verb. signif.* & a fortiori neque est licitum clericis habere tabernas, *cap. nullus Clerico 44. dist. Clem. 1. de vita, & honest. Cler. glossa in cap. unico eod. tit. in 6. in verb. ignominiosam,* undè debent clerici monere clericos exercentes officium tabernariorum, ut intrà certum terminum desistant, & si ter moniti non desistant, quòd amittant privilegia clericalia, *Bellectus d. §. 20.* quod procedit si talem artem exerceant de per se, secùs si per alios, *glossa in d. Clem. 1. in verb. publicè,* & personaliter *Menochius de arbitr. casu 413.* neque est licitum clericis scurrilibus, vel joculatoriis verbis, vel adulationibus, & proditionibus inservire, *cap. Clericum 46. dist. cap. 1. ne Clerici, vel Monachi,* sicut neque est licitum maledicere, detrahere, calumniare, maximè Sacerdotes, *cap. Clericus maledictus 46. dist.* Neque voces tumultuosas effundere, *cap. quandò autem 44. dist. cap. in locos q. 4. cap. unico de vita & honest. Cler. in 6.* Neque est licitum clericis habere canes, accipitres, vel hujusmodi ad venandum, *cap. 2. de Clerico venat. in fine;* nec venationes facere periculosas, seu clamosas, veluti Aprorum & cum armis, *cap. 1. cum sequentibus 34. dist. cap. 1. de Clerico venatore;* & Summus Pontifex in *cap. 1. dist. 34.* ait nullum venatorem legi fuisse Sanctum, & *glossa in d. cap. 1. in verb. venatorem* objicit de Sancto Eustachio, & resolvit dicens quòd deserviens venationi non est Sanctus, sed qui semel fuit venator, potest posteà effici Sanctus, peracta jam pœnitentia, ut declarant *Abbas in d. cap. 1. de Clerico venat. & Abulensis in Matth. cap. 6. q. 43. Franciscus Marcus dec. 529. par. 1. Petrus de Gregorio lib. 39. Syntb. cap. 10. num. 13.* Piscare verò non est Clericis prohibitum, exemplo Apostolorum, quos piscatores ad se Christus Salvator noster vocavit, *Matth. cap. 4. Marci cap. 1. Lucæ 15.* Verùm artem piscandi diebus præsertim solemnibus, quibus Ecclesiasticis officiis interesse debent, & inservire non exerceant, in aliis festis permittitur, ubi necessitas suaderet, *cap. licet de feriis.*

In §. Oportet.

PRæcipitur clericis honestas in vestimentis, de qua in *cap. fin. de vita, & honest. Cler.* & in nostro *textu, & in cap. Clerici, & cap. fin. 23. dist.* ubi dicitur clericos veste talari, & clericali tonsura suo ordini convenienti semper utantur, & ità publicè incedant, *Bellectus in disquisitione Cler. par. 1. de discipl. Cleric. §. 16. num. 13. Borrellus in summa decis. tom. 1. tit. 11. de vita. & honest. Cler. num. 39.* In minoribus verò ordinibus constituti ad id non adstringuntur, nisi habeant beneficium Ecclesiasticum; sed si voluerint uti veste talari, & clericali privilegio gaudere velint, etiam tonsuram deferre tenentur, *cap. si verò aliquis de sent. excom.* & etiam attento. *Concilio Trid. sess. 23. cap. 6. de reform.* id requiritur, nec sufficit gestatio habitûs, vel coronæ ex regula, *l. hac verba, ff. de verb. signif. Barb. in l. Titia num. 34. ff. sol matrim. Riccius par. 4. dec. 154. Barb. de potest. Episcopi alleg. 12. num. 19.* & talis clericus deferens habitum, & tonsuram, simulque inserviens alicui Ecclesiæ, vel Seminario, gaudet fori privilegio, *Garsia de beneficiis par. 2. cap. 2.*

Præcipitur etiam clericis, ut tonsuram deferant, mos antiquus à Nazaræis cœpit, qui caput radebant, & in actibus Apostolorum legimus factum *cap. 18 & cap. 21. Bonacina de Sacramentis disp. 8. q. unica puncto ultimo num. 8. Bellectus disquis. clericali par. 1. de disciplina Cleric §. 17. num. 19. Barb. alleg. 9. num. 10.* & fuit talis mos communis omnibus illis, qui votum continentiæ in clericatu, vel religione emittebant, *cap. prohibita, & cap. penult. 23. dist. cap. duo 12. q. 1. cap. Clerici officia de vita, & honest. Cler. cap. fin. de Cler. conjug. cap. Contingit de senten. excommun.*

Qui verò Clericus comam nutrit excommunicandus est *cap. si quis de vita, & honest. Cler. d. cap. prohibita, Carolus de Grassis effect. 37.* undè negandam esse absolutionem sacramentalem Clerico nutrienti comam, dixit *Navar. de orat. cap. 18. num. 77.* si tamen munitus generaliter, vel specialiter perseveraverit, quia tunc propter inobedientiam est dignus excommunicari, & peccat mortaliter, ut benè *Sayrus lib. 3. Clavis Regiæ cap. 7. num. 25.*

Significat clericorum caput in medio rasum, & extremitatibus capillorum duo, primum scilicet Regnum Christi,

Christi, quia Clerici in Christo Regnum habent, & illùm se, & alios virtutibus regunt, possunt dici Reges. & pilorum rasura denotat liberam mentem à mundi cogitationibus, *cap. duo sunt, vers. ratio* 12. *q.* 1. & licèt tempore Apostolorum cœperit, fuit tamen ordinata ab Aniceto Papa *d. cap. prohibitæ* 23. *dist. Platina in vitis Pontificum in ejusdem Aniceti vita.*

Prohibitum est etiam Clericis barbam nutrire, *cap. Clericus de vita, & honestate Cler. Salzedus ad Bernardinum, Diaz in pract. canonica cap.* 79. *& est Concilium Carthaginense* 4. *cap.* 44. sed per consuetudinem fit contrarium, debent verò Sacerdotes à superiori labro barbam ità tondere, ne corporis, & sanguinis divini Sacramentum sumentibus impedimentum afferant, *Navar. cap.* 25. *in manuali num.* 110. *Menoch. casu* 302. *num.* 27.

Reprobatur in Clericorum vestibus nimia brevitas, & longitudo, *cap. penul. de vita, & honest. Cler.* dicuntur verò decentes illæ vestes, quæ servantur de consuetudine in illa regione, *glossa in cap. si quis virorum* 20. *dist. & in d. cap. penul. de vita, & honest. Cler. & in Clem.* 1. *de elect. Riccinlius de jure personarum lib.* 7. *cap.* 6. *num.* 1. *Barb. par.* 2. *alleg.* 9. in colore vestium requiritur honestas, *in d. cap. penul. vers. pœnis, & in d. Clem.* 2. *eodem titulo in fine*, & rubeus color permittitur solum Cardinalibus, viridis solum Episcopis, *Menoch. de arbitr. casu* 132. *Carolus de Grassis de effect. Clericatûs in præludiis num.* 272. prohibetur etiam eis annulos deferre in digitis, nisi eis competat ex officio, & dignitate, *cap. penult. de offic. & honest. Cler. Carolus de Grassis effect.* 41. undè Doctores, & alii in Ecclesiastica aliqua dignitate constituti possunt eos deferre.

Crinium verò, seu capillorum nimius cultus, aut affectata compositio eis prohibetur, *cap. non liceat dist.* 23. Debent enim portare capillos ita tonsos ut aures pateant latè *Barb. lib.* 1. *de jure Eccles. cap.* 40. *num.* 26. *& sequenti* : habitum clericalem mutare licitum est, immò etiam deponere, si ex depositione ipsius causa sit, cur periculum evadat quis timoris. Undè *glossa in c. si quis ex Clericis de vita & honest. cler.* refert quòd dùm quidam Clericus transformatus in habitu reprehenderetur à Papa respondit illis verbis.

Tutius ut peterem laici sub imagine Romam.
Fas fuit ut sinerem luxuriare comam.

Undè Clericus, vel quilibet alius in terris Turcarum potest uti pileo turcico, vel tobalia alba, ut securiùs pertranseat absque ullo peccato mortali, ut contra multos apud *Layman. lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 11. tenet *Villalobos in summa tom.* 2. *tract.* 1. *diffic.* 5. *num.* 10. quia tales vestes non sunt per se, & directè potestativæ falsæ religionis; sed sunt res indifferentes, ergò poterit quis eo casu uti eis absque peccato mortali, *Diana par.* 5. *tract.* 7. *de scandalo in fine* : undè posset quis Romæ gestare pileum cum signo flavo more Judæorum, dùm ad necem quæritur incognitus, ut effugiat, sicuti ex justa causa licitum est uti vexillo ignito signis Turcarum in classe, vel exercitu, etiamsi esset signum Martis, Palladis, Lunæ, &c. *Layman. d. lib.* 2. *tract.* 5. *cap.* 11. & quod de clerico dixi, dicas de Monacho, *Portell. in dub. regular. in verb. habitus num.* 4.

Pro complemento nota, quòd quandò celebrantur divina officia clerici in choro debent stare à laicis separati, per cancellos, vel aliquid aliud, *cap.* 1. *de vita, & honest. Cleric.* etenim laicis non permittitur Sacerdotum locum ingredi, undè S. Ambrosius, neque Theodosio Imperatori permisit ingredi intrà cancellos chori, *Zerola in praxi, in verb. chorus.* Neque admitti debet patronus, ut decisum in Rota refert *Barb. in d. cap.* 1. *de vita, & honestat. Cler. num.* 2.

Secundo, quòd neque debent clerici portare arma, *cap.* 2. *de vita, & honest. Cler.* & possunt excommunicari, quia arma ipsorum sunt orationes, & lacrymæ, *cap. fin.* 36. *dist. cap. porrò* 16. *q.* 3. *cap. convenior, cap. non pila* 23. *q.* 8. *Carolus de Grassis effect.* 20. *Barb. in d. cap.* 2. *de vita, & honest. Cler.* sed si per loca periculosa transeant, possunt talia arma portare ad terrorem latronum, *glossa in d. cap.* 2. *de vita, & honest. Cler.* vel si essent in obsidione, vel si haberent inimicitias, *Barb. ubi sup. num.* 5. Quòd si reperiatur clericus, cum talibus armis, poterit capi à Judice laico, secundùm plures, quos refert, & sequitur *Carolus de Grassis effect.* 1. *nu.* 862. quicquid dicant plures, quos refert, & sequitur *Diana par.* 1. *tract.* 2. *resol.* 9. *& Barb. in d. cap.* 2. *de vita, & honest. Cler. num.* 6. idem *Diana resol.* 11.

Tertio nota, quòd presbyter habens Parochiam, debet habere clericum, qui secum cantet missam, & parentes admoneat ad filios mittendos in Ecclesiam, ut discant rudimenta fidei, *cap.* 3. *de vita, & honestate Cler.* ubi laté *Barb. in collect.*

Quarto nota, non posse clericos frequentare Monasteria Monialium sine rationabili causa, & superioris licentia, *cap. Monasteria de vita, & honest. Cler. Manuale Prælatorum tom.* 2. *q.* 4. *de sacris Monialibus ar.* 2. *concl.* 1. & etiam regulares prohibentur accedere ex decreto sacræ Congregationis, de quo *Campanilis rubrica* 12. *cap.* 16. *num.* 43. *Quaranta in summa Bullarii, in verb. Monasteria Monialium*, & refert *Campanilis* per sacram Congregationem fuisse decisum regulares non incurrere pœnam excommunicationis latæ ab Episcopo contrà accedentes Monasteria Monialium, si habeant prædicti regulares privilegium, ut non possint excommunicari ab Episcopo, refert idem *Barb. de potestate Episcopi alleg.* 102. *num.* 72. *& in collect. in d. cap.* 7. *de vita, & honest. Cler.* dicitur verò frequentia induci ex duabus vicibus: alii putant remitti Judicis arbitrio, plures relati per *Barb. in dicto cap.* 7.

Quinto nota, quòd potest Episcopus si facultates Ecclesiæ sufficiant statuere certum numerum clericorum, qui vivant in communi, & eos ad hoc compellere, *cap. quoniam de vita, & honest. Cler.* prout idem dicimus de numero religiosorum, nam ille constitui debet certus secundùm sufficientiam eleemosynarum, *Barb. par.* 3. *alleg.* 98. *& in d. cap. quoniam.*

Sexto nota, quòd clericis illicitum est coram Judice sæculari, & in causa sæculari advocare, vel procurare, vel causarum actus exercere coram eodem, *cap. nullus* 11. *q.* 1. *Marta par.* 4. *casu* 116. sed in causis Eccles. coram Judice Ecclesiastico id est licitum, *cap.* 1. *de postulando à contrario sensu*, sicut in causa propria id est licitum etiam coram Judice laico, *d. cap.* 1. *de postulando*, vel in causa conjunctorum, *cap. fin. de postulando*, & conjunctorum appellatione veniunt etiam conjuncti conjunctione spirituali, ut sunt canonici ejusdem Ecclesiæ, & quod veniant etiam amici refert *Rodericus à Cunna in comment. ad cap. perlatum* 88. *dist.* in negotiis vertentibus in Curia Romana omnes clerici litigant pro suis, & alienis negotiis, & aliis casibus, de quibus *Barb. in d. lib.* 4. *cap.* 40. *de jure Eccles.*

Septimo nota non licere clericis exercere actum Notariatûs, seu Tabellionatûs officium, præsertim in negotiis sæcularibus, *cap. sicut accepimus, ne Clerici, vel Monachi, Riccius collect.* 1613. *Carolus de Grassis effect.* 8. loquendo de clericis in sacris, vel beneficiatis, qui tamen in causa hæresis possunt esse

Tabelliones,

Tabelliones, seu Notarii, *cap. ut officium*, *§. ad conscribendas de haeret, in 6. Mastrillus dec.* 159. *de Grassis effect.* 8. vel in Curia Romana, ubi sunt Clerici habiles ad praedictum munus exercendum, vel in Curiis Ecclesiasticis, vel nisi esset clericus in minoribus. Quòd si interim clericus faciat instrumentum, & ei non prohibeatur per suum superiorem valebit, DD. apud *Barb. d. lib.* 1. *cap.* 40. *num.* 99. Quandò verò clericus sit quis, qui anteà fuerat Tabellio, potest veteres scripturas. & instrumenta perficere, esto novas nequeat recipere: *glossa in d. cap. ut officium*, *§. ad conscribendas in verb. permissa DD. citati.*

Octavo nota, non posse clericos testificari etiam in causa civili saeculari sine Episcopi licentia, *cap. testimonium* 15. *q.* 1. *cap. quanquàm* 14. *q.* 2. *Mascardus de probat. concl.* 306. *Marta par.* 4. *de jurisdict. casu* 128. *Bellectus par.* 1. *in titulo de Clerico teste §.* 2. *Carolus de Grassis effect.* 10. *per totum*, & conceditur licentia cum clausula, dummodò non deponat super articulis concernentibus criminalitatem, infamiam, vel repulsam, cujus licentiae formulam ponit *Bellectus ubi suprà*, de qua licentia constare debet in actis, quòd si de facto clericus sine licentia praelati ferat testimonium coram Judice laico, valet depositio, *Bellectus ubi suprà*. Potest verò deponere extrà judicium in contractibus, scilicet, & ultimis voluntatibus sine licentia superioris, *glossa fin. in cap.* 1. *de jure calumniae*, *Barb. lib.* 1. *de jure Eccles. cap.* 40. *num.* 107. contrà testes laici possunt cogi per excommunicationem, vel sub poenâ pecuniariâ ad ferendum testimonium veritatis pro Curiae Episcopalis informatione, ut deeisum per sacram Congregationem refert *Barb. ubi sup. num.* 108.

Nono nota, quòd clerici possunt judicare in causis civilibus, ubi habent jurisdictionem, vel quandò sunt arbitri constituti, quamvis talia onera, praesertim, qui curam obtinent animarum, debeant evitare: In causis verò criminalibus non possunt ferre sententiam sanguinis, *cap. à quibus* 23. *q.* 8. *cap. Clericis*, & *cap. sententiam sanguinis, extrà ne Clerici, vel Monachi, Farinaceus in fragmentis, in verb. Clericus num.* 369. *Bellectus disquis. clericali par.* 1. *§.* 26. *de disciplina cleric.* neque possunt exercere officium Vicecomitis, *d. cap. Clericis*, ibi, *ne quis Sacerdos*, immò quoscumque honores, & officia suscipere prohibentur, *cap. eos qui semel* 20. *q.* 3. quia eis prohibetur esse Gubernatores Regni, vel administratores Provinciae, *Gened. in collect. ad decretale collect.* 61. *Suarez lib.* 3. *de censuris cap.* 32. qui ait, quòd si interdùm Episcopi, & Cardinales fiunt Proreges, id fit de consensu Pontificis.

Decimo nota, quòd clerici non possunt dari tutores in testamento neque cogi ad suscipiendam tutelam legitimam, *l. generaliter*, *juncta auth. sed hodie*, *C. de sacros. Eccles. Auth. Presbyteros*, *C. de Episcopis*, & *Clericis*, *cap. pervenit* 86. *dist. Carolus de Grassis de effec. Cler. cap.* 16. *per totum*, *Sanchez in summa tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 14. *num.* 22. & in Episcopis probat *textus in Auth. de Sanctissimis Episcopis*, §. *Deo nobis autem. Alzedus in praxi Episcopali par.* 1. *cap.* 12. *num.* 31. Sed si velint possunt clerici esse tutores legitimi proximiorum consanguineorum. *glossa in d. l. generaliter*, & *in d. Auth. presbyteros*, & *in d. cap fin.* & *in cap. Cyprianus* 21. *q.* 3. *Gutierez de tutelis par* 1. *cap.* 1. *num.* 26. *Gratianus cap.* 57. *nu.* 32. *Marta casu* 110. ubi per totum eadem tractat, an Judex laicus possit dare tutorem clerico pupillo, & casu 148. resolvit non posse clericos tutelae, sive testamenti executionem suscipientes cogi coram Judice saeculari ad reddendas rationes, latè *Squillante de privil. Cler. cap.* 14. *à principio*, quandò verò possunt de jure esse tutores, benè poterunt negotiari res pupilli, ut declaravit sacra Congregatio, teste *Barb. lib.* 1. *cap.* 39. *§.* 50. *num.* 74.

Tutelam honorariam suscipere poterit Clericus, & Episcopus, *Guttierez par.* 1. *de tutelis cap.* 1. *num.* 3. est autem tutor honorarius ille, qui ideò datur, ut pupillus sit magis honoratus ejus auctoritate, & protectione, non autem ut saecularibus negotiis se immiscere debeat: putà si quis plebeius Magnatem aliquem, vel Antistitem, aut insignem Rempublicam tutorem, vel tutricem filio reliquit, quò filius magis ab omnibus coleretur, *Baeza de decima tutorum cap.* 6. *num.* 2. *Excobar de ratiociniis cap.* 28. *num.* 20. *Guttierez par.* 1. *de tutelis cap.* 17. *Alzedus cap.* 12. *num.* 32. & 34.

TITULUS XIII.

DE OFFICIO ARCHIDIACONI.

Visum est suprà de eis, quae ad praelatos majores pertinent, quantùm ad dignitatem, vitam & honestatem. Verùm quia earum cura nimis lata est: solent interdùm Episcopi officium suum per alios exercere, putà per Archidiaconos, qui Episcoporum coadjutores in jurisdictione nuncupantur: meritò ponitur hic titulus de officio Archidiaconi. Ad cujus intelligentiam

Sciendum est primo, quòd Archidiaconatus est prima dignitas Ecclesiastica in cathedralibus Ecclesiis, & dicitur ab Arcos graecè, quod latinè significat Principem Ministrorum, *cap.* 1. 21. *dist. Petrus Gregorius lib.* 25. *Synthagm. cap.* 20. *Azor par.* 2. *lib.* 3. *q.* 14. *Castaldus in praxi lib.* 1. *sect.* 8. *cap.* 7. & principalem habet dignitatem post Episcopum, *d. cap.* 1. ibi *post Episcopum de officio Archidiaconi*; undè digniorem esse Archipresbytero, & primiceio in voce, loco, & administratione, aliisque rebus, & consuluit *Barbatia cons.* 50. *lib.* 2. quem refert, & sequitur *Card. Tuschus lit. A. concl.* 482. quia de jure regulariter Archidiaconatus est prima dignitas, *Aretinus cons.* 23. *num.* 3. addentes ad *Greg.* 15. *dec.* 411. *nu.* 50. Describitur Archidiaconatus, ut sit praerogativa Ecclesiastica cum jurisdictione, *cap. ad haec de officio Archidiaconi*, *Hostiensis in summa de offic. Archid. num.* 1. cujus ratione dicitur Archidiaconus Vicarius perpetuus Episcopi, sed de consuetudine in multis locis non habet jurisdictionem, sed simplex officium, sed habet tantùm quandam administrationem rerum Ecclesiasticarum sine potestate judicandi, & observatur in hac re consuetudo loci. Debet verò eligi, ut sit oculus Episcopi in omnibus Ecclesiis, ubi fieri potest, ut sit Doctor, Magister, vel saltem licentiatus in jure canonico, vel civili, ut statuit *Trid sess.* 24. *cap.* 12. *Riccius par.* 4. *dec.* 305. *num.* 11. *Barb. de jure Eccles. lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 5. & *de potestate Episcopi*, *alleg.* 60. *num.* 60. quod tamen intellige de illis Archidiaconis, qui curam habent animarum, vel jurisdictionem, non verò de illis, qui eis carent, ut declaravit Sacra Congregatio, teste *Riccio in praxi in* 2. *editione resol.* 497. *Novarius in communibus conclus. in titulo de Archidiaconis concl. unica* idem *Riccius dec.* 348. *par.* 4. & *collect.* 2661. & debent esse Doctores in publico gymnasio, ubi requiritur, quòd sint Doctores, verùm quia hodie nullam habent jurisdictionem, ideò id non requiritur, ut bene *Garsia par.* 7. *de beneficiis cap.* 7. *à num.* 73. quandò verò Archidiaconus habet curam animarum, requiritur aetas

ætas 25. annorum, licèt in aliis dignitatibus, ubi non adest, ætas 22. annorum sufficiat completorum tamen. *Trid. d. cap.* 12. *Barb. d. alleg.* 90. *num.* 65. *Novarius in singul. canon. cand.* 55.

Sciendum secundo est, quòd officium Archidiaconi de jure communi versatur circà clerum præcipuè cùm ei omnium clericorum cura post Episcopum demandetur, ipse enim debet clericos omnes tertio quoque anno, si ipse Episcopus non possit, visitare, *cap.* 1. *& can. ad hæc de officio Archid.* & ideò dicitur oculus Episcopi, quia lustrans actus totius Ecclesiæ, & si quem videat proximum esse in peccato, referat ad Episcopum, *cap. Diaconi il.* 1. ubi *glossa* 93. *dist.* visitationem verò, si quam legitimè facere consuevit, assumpto notario de consensu Episcopi eam debet facere per seipsum tantùm, *Trid. sess.* 24. *cap.* 3. *de reform. Sbrozzius de offic. Vicarii lib.* 2. *q* 120. *Barb. allegat.* 73. *num.* 22. *de potestate Episc.* & ad illam expediendam poterit Episcopus ei terminum statuere, & præscribere, ne onerosi sit Ecclesiis, quas visitaverit, ut declaravit sacra Congregatio, teste *Piasecia in praxi par.* 2. *cap.* 3. *num.* 62. *Barb. alleg.* 73. *num.* 69. & interim dùm visitat propriam Ecclesiam [illegible], vel reditus suæ præbendæ non amittit, nec distributiones quotidianas, cùm visitando prædicta jura, & loca, serviet Ecclesiæ in re utili, ut per Sacram Congregationem fuit decisum, teste *Garsia par.* 3. *de benefic. cap.* 2. *num.* 333. *Barb. alleg.* 53. *num.* 163. Si verò non visitat propriam Ecclesiam, sed solùm Ecclesiam suæ Diœcesis, quamvis illam visitaret ex officio, & jure sibi competenti, tunc non potest percipere distributiones quotidianas, *Garsias cap.* 2. *de benefic. num.* 332. *Barb. alleg.* 53. *num.* 126. sic durante eadem visitatione non poterit ipse Archidiaconus percipere fructus illius canonicatûs, quem obtinet ex dispensatione, vel ex illius Ecclesiæ consuetudine, stante quòd fructus canonicatûs sunt distincti à fructibus præbendæ, nisi pro tribus mensibus vacationis ea causa à concilio permissis, ut decisum refert *Garsias* d. *cap.* 2. *num.* 332. nisi tamen extaret consuetudo, quòd Archidiaconus visitans fructus non lucretur, quòd talis consuetudo est servanda DD. citati.

Ad idem officium Archidiaconi pertinet Episcopo ministrare, & solemniter celebraturo Episcopo designare, qui Evangelium, & epistolam cantent. *cap. perlectis* 25. *dist. cap.* 2. *de offic. Archid. Azorius par.* 2. *lib* 3. *cap.* 14. *q.* 2. *Galganetus de jure publico lib.* 3. *at* 21. lectiones quoque, & responsoria divini officii lectoribus, & cantoribus assignare, atque Acholytos, qui cereos, & thuribulum ferant, & ordinare qui minora gerent officia, & omnia denique disponere, quæ ad divinorum officiorum celebrationem pertinent, *glossa*, *& DD. in d. cap.* 2. in choro tanquàm prima dignitas post pontificalem aliis superior, & major habetur: ad eundem pertinet vasa divinis Ecclesiæ usibus dedicata sedulò custodire, *cap.* 3. *de offic. Archid.* ubi DD. debet etiam examinare clericos ad ordines promovendos, eosque Episcopo nomine sanctæ Ecclesiæ ordinandos offerre, *d. cap. ad hæc cap. ut nostrum de offic. Archid. cap. unica de Scrut. in ord. fac. Barb. par.* 2. *alleg.* 10. *num.* 21. & in ipsa ordinatione, atque in consecratione chrismatis, & aliis similibus Episcopo ministrare. *cap. Acolytus*. *cap. Ostiarius* 23. *dist.* & demùm Episcopo celebranti solemniter, vel etiam Missam solemnem, & vesperas assistere à dexteris, modo, & loco suo, *Castaldus lib.* 1. *sect.* 8. *cap.* 7. debet etiam advertere, ut Primicerius, Sacrista, vel Custos injuncti sibi muneria sollicitudinem diligenter exequantur, *d. cap. perlectis* 25. *dist. cap. ea, quæ contra de offic. Archid.* Abbates, & Abbatissas in suas sedes collocare, *d. cap. ut nostrum de offic. Archid.* & habet jurisdictionem in multis, licèt inferiorem, *d. cap. ad hæc de offic. Archid.* & de jure communi clericorum lites, & jurgia, modica tamen audit, & auctoritate Episcopi punit, & privat beneficiis, *cap. licèt de pœnis*, *cap. referente de præbendis*, *& censuras imponit*, non tamen sine Episcopi auctoritate, *cap. Archidiaconis de offic. Archid.* vel ex speciali consuetudine, non verò proprio nomine, *Suarez de censuris disp.* 2. *sect.* 2. *num.* 9.

Potest etiam instituere in beneficiis etiam curam animarum habentibus de auctoritate tantùm, & mandato Episcopi d. *cap. ad hæc*, *cap. cùm satis eodem tit. cap. si in plebibus* 63. *dist. cap. nullus* 16. *q.* 7. vel si hoc habeat ex præscriptione, vel consuetudine, nomine, & vice Episcopi legitimè præscripta, *Barb. alleg.* 72. *num.* 185. non tamen potest ratione sui muneris curam animarum committere, *Galganetus d. tit.* 21. *num.* 6. & ipse est, qui tradit possessionem beneficii instituto ab Episcopo, *d. cap. ad hæc*. *Covarr. lib.* 3. *var. cap.* 16. *num.* 6. Sed hodie ad Episcopum spectat mittere in possessionem beneficiorum, *cap. licèt de præbendis in* 6. *Parisius de resignat. benefic. lib.* 10 *q.* 6. *num.* 32.

De jure datur jurisdictio ei in parvis causis civilibus, & in criminalibus in nullis habet jurisdictionem *cap. fin. cap. ad hæc de offic. Archid.* & post Episcopum dicitur in omnibus Vicarius, *cap.* 1. *de offic. Archid Barb. alleg.* 54. *num.* 16. unde ipso Episcopo, & officialibus ipsius absentibus exercet ipse munus Vicarii, *Card. Tuschus lit. A. concl.* 482. *Sbrozzius de offic. Vicarii lib.* 1. *q.* 2. *num.* 15. *& q.* 36. *num.* 50. non verò sede vacante, nec infra illos octo dies, quibus à capitulo sede vacante Vicarii electio facienda est, juxtà formam *Trid. sess.* 24. *de reform. cap.* 16. nam intrà illos octo dies totum capitulum debet administrare, *Riccius in praxi post resol.* 505. in materia Vicarii à capitulo sede vacante, *Barb. ubi sup.* à licèt Archidiaconum habere Vicarii vicem sede vacante, dùm agitur de electione Vicarii à capitulo teneat, *Sbrozzius lib.* 1. *q.* 51. *in addit. ad quæst.* 3. *d. lib.* 1.

Sciendum est tertio differre Archidiaconum à Vicario Episcopi, quòd officium Archidiaconi est dignitati annexum, nec potest ad nutum amoveri, sicut Vicarius simplex; præterea simplex Vicarius ea exequitur, quæ ad Episcopum ex officio pertinent, quibus tamen ob multas occupationes deservire non potest; at verò Archidiaconus habet officium separatum ab officio Episcopi, nec potest Episcopus ejus officium exercere licèt hodie de consuetudine jurisdictio Archidiaconi sit diminuta, & ad Vicarium Episcopi pertinet, licèt retineat officium in ministrando Episcopo, in collatione ordinum, & chrismatis confectione, & aliis similibus: Verùm secundùm consuetudinem Ecclesiarum ejus officium attenditur. Consuetudo enim per diversa loca in officiis prævalet, *cap. cùm olim de consuetud. cap. ad hæc de excessib. prælat.* ubi autem cessat consuetudo jus commune attenditur; ut in *tit. de offic. Archid.* at casu, quo Archidiaconus de consuetudine esset aliis dignitatibus inferior, prout in aliquibus Ecclesiis est tertia, vel quarta dignitas, retineret tamen officium ministrandi Episcopo in sacramentis, juxta ritum universalis Ecclesiæ.

Sciendum est quartò de jure communi Archidiaconum majorem esse omnibus post Episcopum, & Archipresbyter subjacet ejus jurisdictioni, *d. cap* 1.

cap.

cap. ad hac hoc tit. cap. 1. de offic. Archipræsb. & colligitur ex ordine titulorum de officio utriusque in decretalibus, *Gratianus cap.* 111. *num.* 80. *Azorius par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 15. *q.* 2. *Card. Tuschus lit. A. concl.* 482. & in hoc etiam prevalet consuetudo aliquarum ecclesiarum, ut Archipræsbyter, vel Præpositus, aut alia dignitas præferatur Archidiacono, & aliis dignitatibus, quia rationabilis esse potest diversa in talibus rebus consuetudo propter diversas causas, vel officia singulis dignitatibus attributa, *Card. Tuschus d. litt. A. concl.* 482. *num.* 22. & exemplum ponit *Alexander cons.* 142. *lib.* 6. in Civitate Paduæ, ubi Archipræsbyter præcedit Archidiaconum ex antiqua consuetudine, & sic installat Abbatissas exemptas, & beneficiatas in Civitate, Archidiaconus verò beneficiatos extrà Civitatem, quæ consuetudo cum sit contra jus canonicum debet esse præscripta per 40. annos, alias non valet, *Bartolus cons.* 136. *lib.* 1. *Card. Tuschus ubi supra.* Si verò petas rationem quare Archidiaconus præferatur Archipræsbytero, cum tamen præsbyter præferatur Diacono, *cap. Diaconos cum sequenti* 93. *dist. cap. statuimus, de major. & obed.* dicu id esse propter officium, & ministerium, quia semper Episcopo assistit, undè eius oculus dicitur; at verò Archipræsbyteri officium non est ministrare cum Diaconus, non præsbyter sit minister, sicut ergo Diaconus præsbytero, sic Archidiaconus Episcopo ministrat: Debent etiam cavere Archidiaconi, juxtà præceptum, *cap. fin.* 94. *dist.* nè dominari in Sacerdotibus velint, nec in clericos tyrannidem exercere, quod nec ipsis Episcopis est permissum.

Cum verò dicimus Archidiaconum præcedere Archipræsbyterum intellige in administratione, cum in divinis Archipræsbyter præcedat Archidiaconum, *glossa in cap.* 1. *de offic. Archipræsb. in verb. subesse, vers. sed duas, Riccius in praxi resol.* 556. *in* 2. *æditione, & par.* 4. *ejusdem praxis resol.* 394. Nisi Archidiaconus sit in præsbyteratus ordine constitutus, *Card. Tuschus lit. A. concl.* 482. *num.* 16. quia tunc cum sit par in ordine; & major in administratione, debet præcedere Archipræsbyterum absente Episcopo in celebratione missarum, in diebus solemnibus, & aliis relatis in quadam decisione sacræ Congregationis, de qua *Genuensis cap.* 52. *suæ praxis in ultima æditione*, & apud *Barb. lib.* 1. *cap.* 24. *de jure ecclef. num.* 4.

Archidiaconus debet Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum portare, absente, vel impedito Archiepiscopo in solemni ejus festivitate, & per octavam in processione deferre, & missas, ac vesperas pontificales cantare, diebus, quibus Archiepiscopus si esset præsens, vel non impeditus cantaret, & Archiepiscopo, vel Episcopo impedito; nec non Archidiacono ad secundam, tertiam, vel quartam dignitatem spectat, scilicet ad Archidiaconum, Archipræsbyterum, vel Primicerium: impeditis verò omnibus dignitatibus, vel absentibus: ad primum, vel secundũ Canonicum spectat, nisi ad alium pertineat absente Episcopo prædictas functiones facere, juxtà ecclesiæ constitutiones, vel consuetudinem, ut declaravit Sacra Congregatio, teste *Barb. lib.* 1. *de jure ecclef. cap.* 24. *num.* 43. Episcopo verò nolente, vel impedito missas pontificales celebrare, non poterit id committere alteri, sed competit Archidiacono, qui neque poterit alteri id committere, ut declaravit sacra Congregatio apud *Barb. ubi supra num.* 44.

Quando verò de eadem cathedrali concurreret in funeralibus Archidiaconus, potest prima dignitas, & Archipræsbyter, qui est secunda, cui etiam cura animarum incumbit, & defert stolam, debet præcedere Archipræsbyter, tam in Ecclesia, quàm in via ratione stolæ, quàm defert, sic declaravit Sacra Congregatio apud *Julium Lavor. tom.* 1. *tit.* 2. *cap.* 3. *num.* 211.

Debet etiam Archidiaconus si sit prima dignitas exercere officium præsbyteri assistentis cum pluviali ipsi Episcopo celebranti juxta formam ceremonialis, & illi candelam, & palmam benedictam ministrare, & est cogendus pœnis, & censuris, & dùm assistit apud Episcopum intelligitur præsens in choro, tàm in ecclesia cathedrali, quà in alia, ut decisum in Sacra Congregatione refert idem *Barb. d. lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 51.

Est etiam Archidiaconus sustinens baculum Episcopi, dùm celebrat solemniter, thurificandos immediaté post Diaconos assistentes, quamvis sit primus Archidiaconus, & alias prærogativas habeat, ut declaravit Sacra Congregatio, teste *Barb. ubi supra num.* 51. & licet Archidiaconus solitam habeat sedem, tamen Vicarius Episcopi illum semper præcedit, nam Vicarius Generalis Episcopi ipso absente debet habere primum locum super omnes dignitates, & canonicos non obstante qualibet consuetudine contraria, & præcedit capitulo, & clero, Vicarius verò foraneus ratione sui officij nullam habet præcedentiam in choro, vel processionibus pluries decisum in Sacra Congregatione refert idem *Barb. de jure ecclef. lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 57.

TITULUS XIV.

DE OFFICIO ARCHIPRÆSBYTERI.

Titulus hic ad præcedentes tali ordine continuatur. Visum est supra de illis, qui præsunt jurisdictioni, Episcopi, ut sunt Archidiaconi. Videndum erat de illis, qui curam animarum, Episcopo commissarum habent, ut sunt Archipræsbyteri. Meritò ponitur hic titulus. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quod ultrà Archidiaconum, de quo supra, datur in jure canonico Primicerius, Sacrista, Archipræsbyter, & Præpositus, de quibus omnibus ultrà ordinem Pauli Lancellotti agam in præsenti.

Primicerius est primus in choro cantantium, accipitur enim pro Cantore, & supplet Archidiaconi officium, cum ipse absens fuerit: ipsi namque Archidiacono subest, *cap.* 1. *de officio Primicerij*, & dicitur Primicerius quasi primus Cantor, seu primus ratione cantus, qui cæteros docet quid sit canendum in choro, *cap. perlectis. vers. ad Primicerium* 25. *dist. Petrus Gregor. lib.* 15. *Synthogm. cap.* 22. & initium hujus dignitatis credit *Azorius par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 16. ex eo processisse, quia olim in cathedrali ecclesia fuit cantorum schola instituta, quorum munus erat officia divina cantare in choro, huic scholæ unus præficiebatur, cujus cura clerici ad cantum destinati docebantur, qui præfectus Primicerius dictus fuit, alii dicunt dici ex eo, quod defert primam ceram dici primicerium, plures apud *Barb. de jure ecclef. cap.* 28. *num.* 3. est officium primicerij docere clericos cantandi formam, eisque distribuere lectiones ad officium *cap. unico de offic. primic. Petrus Gregor. d. lib.* 15. *cap.* 22. *Card. Tuschus lit. P. concl.* 650. *Galganetus lib.* 3. *de jure publico tit.* 21. quia verò est destinatus ad regendum chorum, ideò non est removendus à suo officio, ut Epicapo assistat, ut declaravit Sacra Congregatio, teste *Barb. lib.* 1. *cap.* 28. *num.* 7. *de jure ecclef.* locus tribuendus primicerio ait *Castaldus in praxi cerem. lib.*

lib. 1. sect. 8. cap. 7, n. 50. est honorificus inter omnes c no ico, sed standum est consuetudini, & Sacra Rituum Congregatio statuit, quod licet Primiceriatus dubitetur, an sit dignitas, debet tamen in processionibus capere pluviale sicut dignitatem, & non planetam sicut canonicum, Barb. d. lib. 1. cap. 28. num. 9.

Datur etiā Præcensor, sen Cantor, de quo fit mentio in cap. cum olim de consuetudin. & sic Præcensor, Cantor, & Primicerius idem sunt: Differunt verò solùm pro d versitate locorum, etenim alicubi vocatur Primicerius, alicubi Cantor alicubi Præcensor, Card. Put. decis. 89. par. 3. & sic cantor primus intonat, & dat ordinem gerendorum in choro, Azor. lib. 3. cap. 22. q. 1. qui q. 2 ait Juventinis officium, cujus fit mentio in cap. inter dilectos de excessibus prælat. esse, absente cantore, sive Præcensore incipere cantum in choro, a tiphonas, & psalmos, undè in aliquibus ecclesiis vocatur vicecantor, & in gubernando choro, nec archipræsbyter, nec alius debet se intromittere, ut decisum per sacram Congregationem refert Barb. d. lib. 2. cap. 28. num. 13.

Sacrista est custos, cui committuntur custodienda ea, quæ ecclesiæ competunt, quarum rerum custodiam h bebit in Sacristia, cap. 1. de offic. Sacrista, cap. 1. de officio Custodis, ad quem spectat etiam signa dare ad horas canonicas recitandas, luminaria ecclesiæ accendere, &c. & eleemosynas jussu arch diaconi inter pauperes distribuere, cap. 2. eodem tit. Azorius ubi supra par. 2 lib. 3. tit. 33. Datur etiam Thesaurarius à thesauro ecclesiæ custodiendo, cap. perlectis, vers. ad Thesaurarium 25. dist. cujus munus erat aperire januas ecclesiæ, easque claudere, & vocabatur Sacellarius, à parvo quodam sacco quem ferebat secum, vel habebat ad pecunias ecclesiæ in eo reponendas, & conservandas, græco nomine Thesaurarius Cimiliarcha etiam à Justiniano dicitur, l. ultima, § ultimo, C. de bonis auth. Judicis possid. idest rerum prætiosarum Custos, Petrus Gregorius lib. 15. Synthogm. cap. 39. & locus, ubi conservantur Cimiliarcnium appellatur in d. §. ultimo, & ciminile, sive cim nilia à nostris Pontificibus, cap. cum inter 29. de verb. signif. cap. ea quæ de offic. Archid. cap. 1. in fine 25. dist. & Thesauraria dicitur habere d gnitatem, Abb. in cap. de multa num. 23. de prab. Azot. par. 2. lib. 3. cap. 13. q. 1. 4. & 5. Rota apud Burattum dec. 473. Barb. d. lib. 1. cap. 27. in fine.

Archipræsbyter post archidiaconum primam habet dignitatem, cap. ultimo de officio præsbyt. undè sicut inter Episcopos eorum primus dicitur Archiepiscopus, & inter Diaconos, primus dicitur Archidiaconus, ità primus præsbyterorum dicitur Archipræsbyter, quasi præsbyterorum primus, sive præfectus, Marta in votis novissimis voto 77. undè dicitur Decanus præsbyterorum, Rota dec. 533. par. 2. in recensioribus, & dicitur major, ac dignior cantore, Rota dec. 315. par. 2. & olim sicut post Episcopum archidiaconus, honore, & dignitate primus erat, sic post archidiaconum primus est archipræsbyter, undè post titulum de offic. Archid. statim sequitur titulus de offic. Archipræsb. Azorius par. 2. lib. 3. cap. 15. q. 1. Sebastianus Cæsar de ecclesiastica hierarchia par. 3. disp. 12. §. 2. num. 1.

Est autem archipræsbyter, unus urbanus, & alius ruralis, seu foraneus, urbanus est, qui in urbe degens dignitati præest in cathedrali, vel collegiata, ecclesia ruralis verò, vel foraneus, qui ruri ecclesiæ præest parochiali, seu plebaniæ cap. si in plebibus 63. dist. & hic propriè dicitur Decanus in cap. ad hæc de offic. Archid. non quod necessario decem præesse debet. Sed quia facta translatione à perfectione denarij numeri. Decanna solet appellari omnis ille, qui alicujus ordinis primus, & præcipuus est Petrus Gregorius lib. 15. Synthog. cap. 21. num. 13.

Est officium archipræsbyteri Civitatis in cathedrali ecclesia primo curare, ut cæteri Sacerdotes divina officia, & missas celebrent, & eorum vitæ, & moribus post Episcopum præest, ut scilicet corrigantur, cap. perlectis, vers. Archipræsbyter 25. dist. cap. 1. 2. & 3. de officio Archipræsbyt. Azorius ubi supra cap. 15. q. 3. Galganetus lib. 3. de jure publico tit. 21. Sebastianus Cæsar §. 2. num. 5. missas distribuit inter canonicos non semper uni, sed successivè per ordinem, & impedito archipræsbytero jus distribuendi missas competit secundæ dignitati, deficientibus dignitatibus primo canonico, & sic per ordinem successivè.

Præfertur archipræsbyter Sacerdotibus Cardinalibus, cap. 2. de offic. Archipræsbyt. dicuntur verò Cardinales Sacerdotes canonici, quasi principales Sacerdotes, Duarenus de sacris eccles. minist. lib. 1. cap. 8. & cap. 13. qui sic textum prædictum intelligit: ad eum etiam spectat assistere Episcopo solemniter celebranti, & præcipere Sacerdotibus, ut sacris vestibus se induant, & quomodo ad missam procedere debent, cap. officium de officio Archipræsbyt. Azorius d. cap. 25. q. 3. & feriaquarta cinerum imponere cineres pænitentibus, Castaldus in praxi lib. 1. sect. 8. cap. 7.

Absente Episcopo, vel eo infirmo fontes benedicere, & pænitentiam, aliaque Sacramenta pro ipso Episcopo ministrare debet, cap. 2. de offic. archipræsbyt. & ipsi specialiter incumbit cura in communicatione corporis, & sanguinis Domini, d. cap. officium, juncta glossa eodem titulo, Azorius d. cap. 15. q. 3. & denique sicut archidiaconus deservit Episcopo, in hia, quæ spectant ad ministri officium, ità archipræsbyter in his, quæ spectant ad munus sacerdotis eidem Episcopo inservit, cap. 1. 2. & 5. eodem titulo, & est quasi parochialis sacerdos omnium post Episcopum, id administratione videlicet Sacramentorum, cap. in capite 50. dist. d. cap. officium, ubi glossa in verbo à foris, undè archipræsbyter omnibus de diœcesi Sacramenta ministrat, glossa in cap. 2. de pœnit. & remiss. in 6. in verb. Subditos, Sanchez lib. 3. de matrim disp. 27. & confessiones omnium de Diœcesi audit, & absolvit, ac pœnitentias injungit, d. cap. officium, Sbrozzius de officio Vicarii lib. 2. cap. 14. præterquam in casibus Episcopo reservatis sine ipsius auctoritate, Azorius d. cap. 15. q. 8. nec solemniter pænitentes eo inconsultò absolvit, vel reconciliat, glossa per textum ibi in d. cap. officium, cap. 2. eodem titulo. Hodie verò ex Tridentino sess. 24. de refor. cap. 8. vers. pænitentiarius, constituiturin singulis cathedralibus pænitentiarius ad confessiones audiendas pro Episcopo, de quo pænitentiario multa Garsia par. 5. cap. 4. num. 140. Novarius in singul. canonicis concl. 17. Barb. alleg. 55. & quo ad alia spiritualia archipræsbyter dicitur Vicarius natus Episcopi, glossa in d. cap. 2. de pænit. & remiss. in 6. in verb. subdito, Card. Tuschus litt. A. concl. 585. Sbrozzius lib. 2. de offic. Vicarii q. 14. & fruitur jurisdictione ordinaria in his omnibus, glossa in d. cap. ult. de offic. archipræsbyt. in verb. referant Narbona de appellat. à Vicario ad Episcopum par. 1. num. 30. Sed in his omnibus est diminuta jurisdictio archipræsbyteri, & spectant hæc omnia ad Vicarium Episcopi, Moneta de distribut. quotid. par. 2. q. 1. num. 28. qui refert per contrariam consuetudinem diminutam esse prædictam jurisdictionem, sicut de archidiacono diximus, & ejus officium attenditur secundum consuetudinem ecclesiarum, quæ in hac materia attenditur Rota dec. 9. de præben. in novis. Garsia

Garsia par. 3. *de benefic. cap.* 4. *nu.* 26. *& par* 5. *cap.* 1 *num.* 256. quamvis à jure communi id retinere videatur, qood fontes consecret, Episcopo celebranti assistat, & alia sacramentalia exequatur; *Castaldus ubi supra.*

Archipræsbyter ruralis præter parochiale officium, eam habet auctoritatem, quam Episcopus ei dare volnerit, *cap. cum ab Ecclesiar. de off. ord. Trid. sess.* 5. *de reform. c.* 2. ubi disponitur, ut archipræsbyteri diebus festivis plebes sibi commissas pascant salutaribus verbis, docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est, ad salutem, & debet totum, quod in suis ecclesiis subjectis accidit grave denunciare Episcopo, & nihil ipso inconsulto, nec contra ejus decreta facere debet, *Duarenus de sacris eccles. minist. lib.* 1. *cap.* 8. *Petrus Gregorius lib.* 15. *Synthogm. cap.* 21. *num.* 14. *Azorius d. cap.* 15. *q.* 4. *Sebastianus Cæsar d.* §. 2. *num.* 2.

Non tamen omnis plebanus est archipræsbyter, sed is, quem Episcopus statuerit, qui etiam solet vocari Vicarius foraneus, cujus opera utitur Episcopus in diœcesi, *d. cap. fin. de offic. Archipræsbyt.* Sunt verò archipræsbyteri præferendi in processionibus Vicariis parochialium, *Rota dec.* 326. *par.* 2. *diversorum*, quia archipræsbyteratus importat dignitatem, *Rota dec.* 9. *de præbend. in novis, & dec.* 1. *de offic. Archipræsbyt.* in antiquis, Vicarius verò non dicitur possidere proprio nomine, sed ejus, à quo deputatur, & potentius est jus, quod habet quis jure proprio, quam alieno, *Jason in l. more num.* 4. *ff. de jurisdict. omn. Jud.* decisum refert *Barb. d. lib.* 1. *cap.* 25. *num* 29.

Fuit à Rota Romana petitum an liceat archipræsbytero sumere informationes super matrimoniis à forensibus contrahendis, & illas transmittere ordinario pro gratia obtinenda, juxtà decretum *Trid. sess* 24. *cap.* 7. *de refor.* & respondit sacra Congregatio posse extrajudicialiter tantùm, non in forma judicii, nec cum receptione testium formaliter, quia hoc facere nun potest, qui non habet jurisdictionem, quam ipse archipræsbyter non habet, cum ejus officium sit omnia referre ad Episcopom, de qua decisione testatur *Farinaceus dec.* 129. *post* 2. *volumen conciliorum.* Secundo fuit petitum ab eadem Rota an possit archipræsbyter sibi inobedientes in ejus officio corrigere, & castigare? & fuit responsum negativè, quis non habet jurisdictionem, licet habeat facultatem eos admunendi, ut munera eis injungenda præstent, & facienda suo loco, & tempore faciant, prout decet, & in casu inobedientiæ habent facultatem referendi omnis Episcopo, ut contra eosdem procedat; *Rota* apud *Farinaceum ubi supra.* Tertio fuit decisum non posse archipræsbyterum lites dirimere ortas inter clericos in sua ecclesia, poterit verò amicabiliter componere eos litigantes, vel admonere eos, qui discordias seminant, non verò punire eos poterit, quia non habet jurisdictionem, qua de se legas *Barb. lib.* 1. *cap.* 25.

Præpositus dicitur, qui aliis præest, *cap. quamvis* 9. *de verb. signif. l. viros, C. de divers. offic. lib.* 12. *& in tit. C. de præpositis laboratorum, d. lib.* 12. *Vasquez ad tertiam partem S. Thomæ, q.* 151. *art.* 4. *Tiraquellus ad Alexandr. ab Alex. lib.* 4 *dierum genialium cap.* 2. *Card. Baron. tom.* 3. *annal. anno* 312. & licet Præpositus non habeat dignitatem à jure communi introductam, sed officium, tamen in quibusdam ecclesiis toti canonicorum collegio præficitur, *Riccius resol.* 558 *num.* 3. *in secunda æditione*, & licet in jure canonico nullus reperiatur specialis titulus de officio præpositi, tamen ejus non rarò fit mentio in responsis Romanorum Pontificum, ut in *cap. Salvator* 1. *q.* 3. *& in cap. cum inter* 25. *& in cap. Dudum* 22. *de elect.* & propriè dicuntur, qui in multis Germaniæ partibus, Poloniæ, Flandriæ, & Angliæ ecclesiis cathedralibus, sive collegiatis præcipuam gerunt dignitatem cum cura animarum, & jurisdictione, eo quod toti canonicorum collegio præsunt, & sic in archidiaconorum locum in illis partibus creduntur successisse, *Petrus Gregorius lib.* 11. *Synthagm. cap.* 18. *Azor. par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 18. *Castaldus lib.* 1. *sect.* 8. *cap.* 7. *nu.* 6. & ubi reperitur talis dignitas sedes ipsius post pontificialem esse debet dignior, qua de re *Massobrius in praxi habendi concursum ad parochiales prælud* 15. *dub.* 1. *& Farinaceus dec.* 866. *in prima col. novissima aliàs par.* 4. *diversorum.*

Datur etiam in jure Decanus, qui succedit in locum archidiaconi ipso absente *Rota dec.* 523. *par.* 2. *Riccius par.* 4. *resol.* 394. *Cassaneus in Cathalogo gloriæ mundi par.* 4. *consid* 37. & habet munus ordinandi processiones intra, & extra Civitatem absente Episcopo, sed hodie Vicario præsente ad illum hoc spectat, ut declaravit Sacra Congregatio apud *Barb. in d. lib.* 1. *de jure eccles. cap.* 26. qui de eo loquitur.

Dantur etiam in jure nostro Priores, qui alij sunt sæculares, alij regulares; sæculares alij dicuntur rurales, alij collegiales: rurales sunt, qui curam animarum absque collegio habent, & sic parochialem simplicem, de quibus loquitur *textus in cap. licet de electione in* 6. *Card. Tuschus tom.* 6. *lit. P. concl.* 707. Collegiales sunt, qui in collegiatis ecclesiis toti præsunt canonicorum collegio, ut colligitur ea super inscriptione *textus in cap. ultimo de major. & obed.* qui Prior utpotè habens curam animarum, debet esse ætatis 25. annorum inceptorum, *Garsia par.* 7. *de benefic. cap.* 4. *num* 65. *Filiuccius tom.* 3. *tract.* 41. *cap.* 5. *Barb. par.* 3. *alleg.* 60. *num.* 64. non tamen requiritur, ut sit Doctor, vel licentiatus in Theologia, vel jure canonico, *DD. ubi supra cap.* 7 *num* 33. Prior collegiatæ non habet præcedentiam supra canonicos cathedrales, verùm si ibi reperiatur simul cum canonicis duplici ductu thuriboli thurificandus est, ut ait Sacra Rituum Congregatio apud *Barb. lib* 1. *cap.* 30. *num.* 9.

Priores Regulares alij sunt Coventuales, alij Claustrales, Conventuales habent collegium, *cap. scriptum de elect.* & præsunt conventui Religiosorum, cum administratione bonorum, jurium, & administrationis, in illis, quæ concernunt regulam, de quibus agit *textus in cap. nullum* 18. *q.* 2. *Galganetus de jure publico lib.* 3 *tit.* 40. qui Abbatibus comparantur, *cap. fin. de regular* undè possunt absolvere Monachus se invicem verberantes nè detur Monachis materia vagandi, *Card. Tuschus d. lit. P. concl.* 708. & possunt esse executores, seu administratores, *cap.* 2. *de test. in* 6. *Clem. penul. juncta glossa de procur.* dicuntur habere dignitatem, *Clem. etsi principalis de rescriptis*, *Cardin. Tuschus d. lit. P. concl.* 708. quia prioratus est dignitas, *cap. nisi essent circa finem*, ibi *dignitas Prioratus de præbendis*, undè Judices delegati à Sede Apostolica dari possunt, *Azorius par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 20. *Massobrius de Synodo Diœcesana cap.* 4. *dub.* 13. *num.* 40. *Moneta de Conservatoriis cap.* 5. *num.* 28. *&* 94.

Priores claustrales sunt, qui post Abbatem, seu Priorem principalem eidem conventui intrà claustrum præficiuntur, cum administratione jurisdictionis tantùm circa ea, quæ ad claustrum, & regulam Monachalem spectant, & superiores, seu Vicarii noncupantur, de quibus agit *textus in cap. cum ad Monasterium, vers. Prior. de statu Monachor. Barb. d. lib.* 1. *de jure eccles. cap.* 30. *per totum.*

TITULUS XV.

De Officio Vicarii.

Visum est supra de iis, qui deserviunt ecclesiæ nomine proprio, nunc agit de his, qui alieno, quales sunt Vicarii, ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quod Vicarius dicitur à vice, quam gerit nomine alterius in jurisdictione, & judicio, *cap. 1. & 2. de officio Vicarii*, *l. Vicarius absenti numeris ff. deleg. 1.* Solet verò Vicarius appellari in sacris canonibus, *Missus Dominicus*, *seu missus simpliciter*, *cap. de Parentela*, *cap. ab isto 35. q. 6.* ibi *aut ejus misso*, *& cap. 2. juncta glossa de regular. cap. 1. de frigidis & maleficiatis*, dicitur etiam officialis Episcopi, qui ergo constituitur à Prælato in sui locum, dicitur Vicarius, & Vicemgerens, qui verò constituit in sui locum dicitur Vicarium constituere, *cap. clericos de officio Vicarij*, *glossa in Clem. 1. de regularib. in verb. horum.*

Sciendum secundo est, quod in jure ecclesiastico Vicariorum quatuor sunt species, quidam enim sunt (quicquid aliter distinguat, & dividat *P. Merolla de jurisd. cap. 6. dub. 1.*) Vicarij perpetui ecclesiarum parochialium, quos propter curam animarum constituit Episcopus, *cap. 1. cap. fin. de offic. Vicarii.* Sunt enim illi, qui in ecclesiis quibusdam parochialibus, in quibus directi Rectores animarum curam perpetuo exercere non possunt, Vicarii constituuntur, ut ecclesiis Monachorum, *cap. unico de cappellis Monach. in 6.* undè perpetuus Vicarius, scilicet non amovibilis in eis constituitur pro animarum cura, & talis Vicaria perpetua ad instar beneficij habetur.

Alij sunt Vicarii temporales, non perpetui, veluti coadjuvantes in Curia ad voluntatem, & libitum ipsius Rectoris, *cap. illud*, *cum sequenti 7. q. 1.* qui tamen non Vicarii propriè, sed aut Cappellani, aut Curati appellari consueverunt: alii sunt Vicarij, qui à Romano Pontifice in aliqua Provincia, vel Diœcesi Vicarij in spiritualibus Papæ constituuntur, qui Visitatores etiam dicuntur, de quibus agitur in *cap. fin. 61. dist. cap. charitatem in fine 12. q. 2. & in cap. is, cui de elect. in 6.* undè etiam Monachi in certis locis sibi Vicarios statuerunt, *cap. adjicimus 16. q. 1.*

Alii tandem sunt Vicarii, qui ad omnia, quæ sunt jurisdictionis ab Episcopis constituuntur, qui etiam sunt in duplici differentia; quidam enim constitui solent ad cognitionem causarum totius Diœcesis, & dicuntur Vicarij Generales: alii sunt deputati ad causas civiles tantum, vel criminales, & hi non propiè Vicarii, sed Officiales, vel adjutores propriè appellantur, *cap. 1. & 2. de officio Vicarii in 6.* Vicario verò Generali committuntur omnia, quæ sunt jurisdictionis contentiosæ, quamvis etiam ipse nomine officialis quandoque contineatur, *cap. ex frequentibus de instit. cap. 2. de consuetud. in 6. cap. fin. de officio Vicarii in 6.* Vicarius enim, & Officialis idem significant, & in effectu nulla inter eos, nisi in nomine intercedit differentia, *Hippolytus Riminaldus in rubrica de officio ejus num. 113. Covarr. lib. 3. var. cap. 20. num. 46. Gonzalez ad regul. 8. Cancell. glossa 5. §. 3. nu. 8.* patet in commissionibus, quæ fiunt in Urbe, ad Vicarios Italiæ, Unghariæ, &c. fiunt n. Vicario sub nomine Vicarij, sed illæ commissiones, quæ fiunt in Hispania, Germania, & aliis partibus ultrà marinis vocantur officiales, *Sbrozzius de officio Vicarii lib. 1. q. 2. num. 10.*

Sciendum est tertio, quod Vicarius eligitur ab ipso Episcopo sine consensu capituli, *cap. ea noscitur*, ubi DD. *de his, quæ fiunt à Prælatis*: sede vacante eligitur à *Capitulo Trid. sess. 24. de reform. cap. 16.* & dicemus infra, & talis eligitur, qui sit Doctor in jure canonico, vel saltem licentiatus, vel alias quantum fieri poterit idoneus, cum verò requirunt jura Vicarium esse Doctorem, sufficit si sit talis etiam sine scientia, quia revera est hic graduatus: ità post alios *Squillante de privilegiis cleric. cap. 4. num. 121.* loquens de Canonicatibus, & dignitatibus, in quibus requiritur, quod sit Doctor, & *num. 122.* idem docet, quando talis gradus fuit receptus contra Collegii, Universitatis, vel Academiæ statuta, ut quia falsò probavit cursus necessarios, vel descriptionem in matricula, aut quia non fuit servata forma in examine præscripta: Archidiaconi verò, & Vicarii, qui ubi commodè fieri potest, debent esse Doctores, non sufficit si sint doctorati à Comite Palatino, ut determinavit *Pius V. in sua peculiari Bulla*; quam post *Garsiam*, & alios refert *Novarius lib. 1. quæstion. for. q. 134. & in suis singularibus singul. 41.* est ergò necessarium, ut recipiant prædictum gradum in gymnasio publico; casu verò, quo quis fundavit Juspatronatus, & dixit ut præsentetur Doctor: sufficit tale privilegium Doctoratus habito etiam non à publico gymnasio: ratio est, quia cum simus in pœnalibus dicta Bulla extendi non debet, & alioquin talis Doctor venit appellatione Doctoris, & gaudet privilegiis concessis Doctoribus, *Riccius in praxi par. 4. resol. 69. Alphonsus de Leone de offic. Cappellani q. 4. praxi 6. num. 179.*

Debet etiam eligi clericus saltem primæ tonsuræ, non verò laicus, *cap in nova 16. q. 7. cap. Decernimus de Judiciis*, ubi *Abbas num. 12 Felynus num. 6. Decius num. 15. & Ripa num. 56 Barb. par. 3. de potestate Episcopi alleg. 54. num. 4. Merolla de jurisdict. disp. 7. cap. 6. dub. 4.* qui etiam docet non posse eligi clericum conjugatum, aut bigamum, etiam effectum clericum, nisi prius solutus fuerit ab impedimento bigamiæ. Monachus verò, & religiosus, cum consenso Abbatis potest eligi Vicarius, & licet putent aliqui, quod Episcopus teneatur sibi eligere Vicarium, ut putant *Boer. dec. 348. num. 6. Sbrozzius lib. 1. de offic. Vicarii q. 46 Azorius par. 2. lib. 3. cap. 29. q. 3.* tamen contrarium tenet *Rota Romana apud Puteum dec. 43. lib. 2. Mohedanus dec. 4. de offic. Vicarij Riccius collect. 1602.* & decisum fuit coram *Cavalerio dec. 418. Merolla disp. 7. dub. 9. cap. 73.*

Sciendum est quarto, quod Vicarius Episcopi est Judex ordinarius, eique solet Universitas causarum committi, *glossa in cap. perlectis 25. dist. in verb. & jurgia*, *& in cap. 2. de officio Vicarii in 6. in verb. officialem*, *& in cap. Romana de appell. in 6. in verb. generaliter*, *Barb. alleg. 54. num. 36.* immò ea, quæ requirunt speciale mandatum censentur commissa ab Episcopo Vicario, si illa Episcopus concesserit cum generali mandato, quia jurisdictio ordinaria, tanquam digna trahit ad se tunc delegatam minus dignam sibi annexam, *Sbrozzius lib. 2. q. 55. nu. 37. Garsia de benefic. par. 5. cap. 8. a num. 40. Moneta de commutat. ultim. volunt. cap. 5. num. 483.* Quod verò sit Vicarius Judex ordinarius, patet, quia à sententia Vicarii non appellatur ad Episcopum, *cap 2. ubi glossa notab. de consuetud. in 6. d. cap. Romana Barb. alleg. 54. num. 46. & in collect. ad tex. in d. cap. 2.* quamvis si recusetur suspectus, causa suspicionis ab Episcopo cognoscatur, *cap. si contra unum de offic. deleg. Barb. in d. cap. cap. 2. num. 15.* Episcopi enim, & Vicarij unum est tribunal,

bunal. & adjutorium, *d. alleg.* 54. *nu.* 45. quod ſi eſſet delegatus ad unam ſolum cauſam, vel ad omnes civiles, vel criminales tantum, tunc ad ipſum Epiſcopum ſit appellatio, *gloſſa in d. cap.* 2. *per textum in cap ſuper quorumdam de offic. de legati, & in cap. dilecti de appellat.* ſicut à ſententia Vicarij ſoranei, vel ruralis appellatur ad Epiſcopum, *gloſſa notabilis in clem.* 2. *de reſcriptis, in verb. foraneo, Bard. d. alleg.* 59. *à num.* 21, *& in collect. ad textum in d. cap.* 2. *num.* 8. quod enim dicimus idem, & unum eſſe tribunal Epiſcopi, & Vicarij, intelligimus de Vicario Generali, & ad omnes cauſas deputato, non verò de ſoraneo, & particulari, *gloſſa in d. verb. foraneo, per textum in d. clem.* 2. *& in d. cap. Romana de appellation. in* 6. Hoc tamen intellige in ſpiritualibus, nam ſi Epiſcopus habet in aliquo loco juriſdictionem temporalem tunc à Vicario licet ab ordinario appellatur ad ipſum tanquam ad aliud tribunal ſuperius: argum. *d. clem.* 2. *juncta gloſſa de reſcriptis.*

Sciendum eſt quinto, quod multa ſunt, quæ non poteſt facere Vicarius.

Primo non poteſt conferre beneficia, niſi ad hoc habeat ſpeciale mandatum, *cap. ultimo de offic Vicarij in* 6. *Merolla diſp.* 7. *cap.* 6. *dub.* 22. *Barb. alleg.* 54. *num.* 6. licet poſſit ex vi Vicariatus abſque ſpeciali mandato inſtituere clericum ad præſentationem Patroni in beneficio Juriſpatronatus, ſicut confirmare electos, quia non exercet liberalitatem, ſed juſtitiam, *gloſſa in cap. ex frequentibus de inſtit. & in cap, ultimo, in verb. non poſſunt de offic. Vicarij in* 6. *Sbrozzius lib.* 2. *de offic. Vicarij q.* 111. poſt alios *Garſia par,* 5. *de beneficiis cap.* 8. *num.* 83. *Praxis Epiſcopalis in verb. Vicarius* §. 18. *Gonzalez ad regul.* 8. *Cancellariæ, gloſſa* 9. §. 1. *à num.* 78. *Vivianus in praxi Juriſpatronatus par.* 2. *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 3. *Azorius par* 2 *lib.* 6. *cap.* 22. *q.* 3. *Narbona de appell. à Vicario ad Epiſcopum par.* 1. *num.* 187. *Barb. d. par.* 3. *alleg.* 54 *num.* 70. & ſecundum hanc opinionem reſpondit *Rota Romana* apud *Cavalerium dec.* 28. *num* 50. *& Sacra Epiſcop. Congregatio* apud *Garſiam, & Narbonam ubi ſup.* quicquid oretenus à me informatus, *Riccius* contrarium dixerit.

Neque poteſt Vicarius Epiſcopi beneficium ſupprimere, *Barb. d. alleg.* 54. *nu.* 71. nec beneficia unire, nec revocare unius, & eccleſias dividere, nec poteſt imperitis rectoribus eccleſiarum coadiutores dare, nec poteſt Juſpatronatus alicui reſervare, ex cauſa dotationis, fundationis, vel conſtructionis, nec poteſt donationi Juriſpatronatus decretum interponere, nec poteſt novas parochias erigere, nec poteſt imponere penſiones ſuper beneficiis, ubi Epiſcopus poſſet, nec poteſt æconomum eccleſiæ inſtituere, nec poteſt à ſuis officiis, beneficiis, vel adminiſtrationibus, aut ab ordine aliquos amovere, nec poteſt inter ponere auctoritatem in creatione dignitatis ſactæ, vel novum beneficium creare, nec poteſt præſentare in jure patronatus, quod pertinet ad Epiſcopi præſentationem. Nec poteſt Eccleſias collapſas in matrices, vel alias viciniores transferre, & ſi fuerit Vicarius ipſe Epiſcopus non poteſt ea, quæ ſunt ordinis Epiſcopalis conferre; nec poteſt cognoſcere de crimine hæreſis, nec publicas pænitentias imponere, nec publicé pænitentes poteſt reconciliare, nec voluntatem puellæ habitum ſuſcipere volentis, aut profeſſionis votum emittere nolentis explorare, nec ædificationi monaſterij per teſtatorem relicti aſſenſum, & auctoritatem interponere, nec poteſt indulgentias concedere, nec poteſt licentiam audiendi confeſſiones aliis concedere, nec matrimonij denunciationibus diſpenſare poteſt, etiam juſta cauſa interveniente. Sed contrarium puto cum *Barb. d alleg.* 54. *num.* 96. *Diana par* 3. *tract.* 4. *reſol.* 138. quod non procedit in Vicario ſoraneo, nec poteſt relaxare interdicta, nec poteſt ſubſtituere alium Vicarium, niſi ad modicum tempus, & ex cauſa ſeu ad unam, vel plures cauſas, nec poteſt Diœceſim viſitare, nec poteſt ſynodum congregare, nec pias voluntates deſunctorum exequi, nec poteſt in alienationibus rerum eccleſiaſticarum decretum interponere, nec de cauſa reſtitutionis in integrum poteſt diſceptare, nec poteſt decernere excommunicationes ad finem revelationis pro rebus deperditis, nec poteſt bona clericorum confiſcare, nec poteſt pœnas corporales convertere in pecuniarias, nec poteſt diſpenſare, nec exigere charitativum ſubſidium, qua de re *Barb. d alleg.* 54. *uſque ad num* 21.

Secundo non poteſt Vicarius Epiſcopi litteras dimiſſorias clericis dare, ut ab alio Epiſcopo ordinentur ſine ſpeciali Epiſcopi mandato, niſi tamen Epiſcopus ità in remotis degeret, ut nonniſi poſt longum tempus ſperetur eventus ejus, *cap. cum nullus, ubi gloſſa de tempor. ordin. in* 6. *Sbrozzius de offic. Vicarij lib.* 2. *q.* 41. *Piaſecius in praxi Epiſcopali par.* 1. *cap.* 1. *num.* 13. *Zerola in praxi epiſcopali par.* 2 *in verb. Vicarius* §. 3. *Campanilis rubrica* 9. *cap.* 8. *Barb. alleg.* 7. Si verò petas quando Epiſcopus dicatur in remotis, dico tunc, quando eſt ultra montes per *textum, ubi DD. in cap. nihil de electione:* alij dicunt arbitrio Judicis remitti, legas *gloſſam in d. cap. cum nullus & Riccium in praxi par.* 2. *reſol.* 18.

Tertio, Vicarius non poteſt corrigere, aut punire aliquorum exceſſus ſine ſpeciali Epiſcopi permiſſione, *cap.* 2. *de offic. Vicarij in* 6. *Sbrozzius lib.* 2. *q.* 142. *Barb. d. alleg.* 54 *num.* 1. 17.

Quarto in irregularitatibus, vel ſuſpenſionibus aliquibus ex delicto occulto provenientibus, non poteſt Vicarius diſpenſare, niſi ad id ſpecialiter deputetur, ut in *Trid.* eſt conſtitutum *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 6. *Suarius tom.* 5. *de cenſuris diſp.* 41. *ſect.* 2. *num.* 8. *Bard alleg.* 39. *num.* 10.

Quinto, nec poteſt Vicarius abſolvere à caſibus Epiſcopo reſervatis ſine ejus ſpeciali licentia, quia in generali conceſſione hæc non veniunt. *cap. penult de pæniten. & remiſſ. in* 6. *Sbrozzius lib.* 2. *q.* 19. *Barb. alleg.* 54. *num.* 116. Quod ſi Vicarius prædictus habet poteſtatem ſubdelegandi, poteſt abſolvi ab alio ipſe ſi incidat in caſum reſervatum à ſuo Epiſcopo · ſicut ſi Epiſcopus incidit in caſum reſervatum Pontifici, à quo ipſe alias abſolvere poteſt, delegando eam facultatem alteri, ab eo abſolvi valet, ita communiter DD. apud *Riccium in praxi par.* 1. *dec.* 445. quam ſequitur *Diana par.* 3. *tractat* 14. *reſol* 142. quicquid dicat *Graffius in appendice ad deciſiones aureas lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 22. Quod ſi ſubditus á Prælato pro una vice petit omnem ejus auctoritatem pro una perſona fidi ſubjecta; poterit talis uti facultate in perſona propria, *Alphonſus de Leone de poteſtate Confeſſ. tom.* 2. *recollect.* 6. *num.* 131. quia in generali ſermone comprehenditur perſona loquentis, quando loquens concipit verba in perſona alterius, *l. Paulus* reſpondit §. *fin ff. de pignoribus*, ità *Diana ubi ſupra.*

Poteſt autem Vicarius Generalis concedere dimiſſorias, quando ei fuiſſent conceſſi aliqui caſus ſpeciales cum generali clauſula, quia tunc illas concedere poſſet ad inſtar procuratoris, qui vigore talis clauſulæ ſubſequentis poteſt caſus ſpeciales expreſſos poteſt omnia, quæ etiam requirunt ſpeciale mandatum, *cap. qui ad agendum, ubi DD. de procur. in* 6. *& in cap. penul. in verbo committatur de offic. Vicarij in* 6. Idem dicas, quando de facultate

Vicarii constaret ex fama poblica, & voce, *Sbrozzius d. q.* 41. quod ultimum intellige si Episcopus sit absens, nam si sit præsens, etiam stante tali generali commissione non debet Vicarius expedire litteras dimissoriales sine ejus scientia, DD. ubi supra.

Quando etiam Vicarius Generalis non habens specialem facultatem concedendi licentiam ordinandi, sive dimissorias successisset aliquibus prioribus Vicariis, qui eas solebant concedere, tunc eas concedere posset justa ductus credulitate DD. ubi sup.

Sciendum est sexto, quod Vicarius Generalis Episcopi, dicitur constitutus in dignitate, diciturque prælatus, undè dicitur spectabilis, & de mediis magistratibus, & habet jurisdictionem rerum ecclesiasticarum, *cap. non putamus, juncta glossa in verb. videatur de consuetud. in 6. cap. Romana in principio de appellat.* undè potest esse Papæ delegatus, *glossa in clem. 2. de rescriptis, in verb. delegatus, Sbrozzius lib. 2. q. 22. Barb alleg* 54 *num.* 130 & executor gratiarum beneficialium, quæ expediuntur in Curia Romana, *Sbrozzius ubi supra q* 23 *num.* 6. licet sit Vicarius Episcopi electi, & confirmati, licet non consecrati, *glossa in d. clem. in verb. Episcopi, Sanchez lib.* 8. *de matrim. disp.* 27. *num.* 35. *Massobrius de Synodo Episcopi cap.* 4. *dub.* 13. *num.* 15.

Potest etiam Episcopus duos Vicarios sibi creare, ut causæ facilius expediantur, *cap. quoniam in plerisque* 14. *de offic. ordinarii, Merolla disp.* 7. *c.* 6. *dub* 11. *clem. si principalis, juncta glossa de rescriptis,* quo casu si fiat eis à Papa delegatio alicujus causæ; si unus ex illis sit principalior illi soli facta censetur commissio, *glossa in c. quoniam Abbas* 14. *de offic. delegati, in verb. substitutum, Sbrozzius lib.* 2. *q.* 62. *Squillante de privileg. cleric. cap.* 2. *num.* 201. *Sanchez lib.* 8. *disp.* 27. *num.* 36. sicut in simili quando fit commissio Archidiacono, & sunt plures, intelligitur de principaliori, quod si sint duo æque principales, nec constet, de quo Papa senserit, ait *glossa in d. c. substitutum* illum esse Judicem, quem actor elegerit: alii putant ambos esse Judices, & neutrum trum seorsum sequitur *Tiraquellus de jure primogen. q.* 17. *opin.* 6. *num.* 13. alij putant neutrum esse Judicem, donec Princeps declaret de quo intellexerit, sicut dicitur quando nominatur tutor incertus, *l. duo sunt Titii, ff. de testam. tutel.* sequitur *Squillante d. cap.* 2. *num.* 20. *Sanchez d. disp* 27. *num.* 37. qui etiam ait, quod non redditur delegatio, ut incerta nulla, sed valebit rescriptum, quamvis effectum non habeat donec declaret Princeps, quem eorum elegerit, qood ipsum probabile putat *Bonacina disp.* 1, *de legibus q.* 3. *p.* 8. *§.* 1. *num.* 8. qui tamen putat, quod partibus consentientibus quilibet illorum duorum eligi potest, quia quilibet habet auctoritatem, nec ulli fit injuria. In illis verò rescriptis, dispensationibus, & commissionibus, quæ contentiosæ non sunt, nec inter partes agitantur. Ille erit Judex, cui rescriptum fuerit præsentatum, *glossa in d. verb. substitutum,* sequuntur *Bonacina ubi supra num* 11. *Sanchez ubi sup.* qui etiam addit semel præsentatum rescriptum dispensationis, alicui ex officialibus æque principalibus Episcopi, ut illud exequatur, non posse alterum officialem æquè principalem adiri, sequitur *Squillante d. cap.* 2. *num.* 203.

Sciendum est septimo, quod Vicarius Episcopi præcedit canonicos, & dignitates etiam in Ecclesia, *Sbrozzius lib.* 2. *q.* 25. *num.* 4 sed Episcopo præsente, & stante in choro debet assignari Vicario locus conveniens extrà canonicos: debet etiam præcedere omnes Judices, & Magistratus suæ Diœcesis, & Capitaneos, non tamen Gubernatores Civitatis, quæ sunt capita Provinciarum, ut decisom per Sac. Congregationem refert *Barb. d. alleg.* 54. *num.* 144. *& lib.* 2. *de jure ecclesi. cap.* 15. *num.* 42. absente Episcopo, dùm divina celebrantur ab omnibus canonicis, etiam exemptis ex privilegio sub collectariæ, &c. est ei reverentia exhibenda. Si Vicarius sit etiam Canonicus suo loco sedebit tanquam canonicos, sunt ei dandæ candelæ, & palmæ ante canonicos, exceptis illis, qui cum paramentis assistunt Episcopo in sede Pontificali existenti, non tamen ei tradi debet liber evangeliorum osculandus, etiam si sit Vicarius Apostolicus, nec minus debet thurificari tripliciter, hoc enim fit solum Episcopo, & celebranti, ut decisum refert *Barb. d cap.* 15. *n.* 44.

Ejusdem Vicarii jurisdictio, & officium cessat primo per revocationem Episcopi, quia res, per quas causas nascitur per easdem dissolvitur, *cap. omnis de regul. juris in* 6 sed Vicarius fit nominatione Episcopi, ergo ejusdem revocatione tolli potest, ità *Sbrozzius lib.* 3 *q* 6. *n.* 7. *& q* 14. *n.* 5. *Azorius lib.* 3. *c.* 45. *q.* 14. *Barb. alleg.* 54. *num.* 14.

Expirat secundo Vicarii jurisdictio si Episcopus fuerit majori excommunicatione notatus, & publicè denunciatus, quia suspenditur jurisdictio Episcopi, *c. ad probandum* 24. *de sent. & re judic.* ergo & ejus Vicarij jurisdictio suspendi debet cum sit eadem jurisdictio, *Barb d. alleg* 54. *num.* 146.

Tertio expirat jurisdictio Vicarij per mortem Episcopi, *Barb. d. alleg.* 54 n. 151. *qui n.* 152. addit valere gesta per Vicarium ignorantem mortem Episcopi longè distantis, & n. 153. ait quod ante scientiam dictæ mortis potest conferre beneficia si potestatem habeat.

Sciendum est octavo, Vicarium Episcopi non teneri ad syndicatum, ut testatur *Genuensis in praxi c.* 58. *in noviss. ædit. Barb d. alleg.* 54. *n.* 183. quod si offendat Metropolitanum puta si nolit deferre appellationem ei, poterit puniri ab Archiepiscopo censura ecclesiastica, secundum *textum in c.* 1. *de offic. Vicarii in* 6. *c. Romana Ecclesia de appellat.* quando verò offendit partes, eisq; præjudicat in officio puniri potest ab Episcopo appellatione remota, *l nulli, C. quomodo appellat. non recipia Gratianus in c. ei, qui appellat.* §. *nulli quoq;* 2. *q* 6. *Lotterius de beneficiis lib.* 1. *q* 22. *n.* 100.

Sciendum est nono, quod Vicario debetur salarium, etiam si non sit à principio conventum, quia licet ad effectum exigendi salarium duo requirantur, scilicet, quod Episcopus solitus esset conducere, & Vicarius locare operas suas, secundum *Alexandrum cons.* 109. *lib.* 3. *Decium cons.* 132. *in fine,* tamen prædicta doctrina procedit in famulis, & aliis vilibus personis, quæ sæpe numero serviunt pro expensis sine salario, ut in terminis nostris *Marchesanus de comiss. par.* 1. *c.* 2192. *Barb. lib.* 1. *de jure ecclesi. c.* 15. *n.* 47.

Vicarius Papæ Romæ multas potest facere, de quibus *Barb. d. c.* 15. *n.* 48. De Coadjutore infra.

De Capitulo, et Vicario Capitulari.

SEde Episcopali vacante habet capitulum auctoritatem, & etiam ipso vivente in multis habet prædictam auctoritatem, & præcipua auctoritas est, quod una cum ipso Episcopo de rebus, & negotiis arduis ecclesiæ tractat, nam facit cum eo unum corpus, nam Episcopus est caput, capitulum repræsentat membra corporis, ondè non debent dividi, *Card. Tuschus litt. C. concl.* 54. & ideò sine consensu, vel consilio capituli multa non potest exequi Episcopus, ut in *tit. decretal. de his, quæ fiunt à Prælatis sine consensu capituli.*

Requiritur ergo consensus capituli, primo in administratione bonorum, & reddituum ecclesiæ, quia

cum

cum hæc sint communia inter capitulum, & prælatum, ad eos debet spectare administratio, *cap. novit, c. quanto, c. ea noscitur de his, quæ fiunt à Prælatis, Rodriquez tom. 2. quæst. regul. q. 62. art. 7. & 8. & q. 78. art. 12. & 13. Seraphinus dec. 339. Mantica dec. 207. num. 4. Cavalerius dec. 57. Rota dec. 16. & dec. 283. par. 1. in recensioribus.*

Secundo requiritur, quod consensus capituli in alienatione rerum ecclesiasticarum, quæ ad cathedralem ecclesiam pertinent, *c. sine exceptione 12. q. 2. c. super ꝯ. fin. de rebus eccles. non alien. c. 1. de his, quæ fiunt à Prælatis, Riccius in praxi par 1. dec 54. n. 1. addit. & in 2. est resol. 51. Seraphinus decis. 443. Barb. alleg. 95. num. 70.*

Tertio si una ecclesia esset alteri unienda, vel dignitati, vel præbendæ, vel si loco religioso donetur (præsertim si id fiat irrequisito Rectore, vel si vacabat desensore ei non existente) requiritur consensus capituli, *c. antepenult.* ubi *glossa fin. 12. q. 2. c. tua nuper de his, quæ fiunt à Prælatis, Seraphinus dec. 1078. Garsia par. 12. c. 2. num. 145, Riccius dec. 298. num. 17. par. 4. Sanchez tom. 1. summæ lib. 7. c. 29. num. 164.* qui consensus capituli potest intervenire etiam post unionem, *Garsia ubi supra num. 147. Gratianus c. 278. nu. 30.* quando tamen extaret consuetudo contraria, postet fieri unio per Episcopum absque capitulo, quamvis prædictam consuetudinem, putent alij non valere, leges *Garsiam ubi supra*, & requiritur capituli præsentia etiam ubi unio fit ab Episcopis tanquam delegati Sedis Apostolicæ, vigore *Trid sess. 21. de reform. c. 5. Garsia loco cit. num. 158. Barb. alleg. 66. num. 29.*

Quando verò Episcopus uniret ipsi capitulo non sufficit consensus capituli cum non possit in facto proprio auctorizare, sed requiritur auctoritas Papæ, *glossa per illum textum in d. clem. fin. de rebus eccles. non alien. Garsia d. c. 2. num. 168.* Secus dicas si fiat unio alicui dignitati, vel præbendæ capituli, *Rota dec. 778. par. 1. divers. Garsia ubi supra num. 170. Gratianus c. 274. nu. 34. in fine, Gonzalez in regula 8. Cancellariæ glossa 37. num. 25. Riccius collect. 1067. in fine, & in praxi resol. 488. in 1. addit alias 379. in 2. addit.* quando verò distributiones quotidianæ, & præbendæ tenues fuerint, vel quando nullæ sunt distributiones, & præbendæ tenues, vel econtrà, poterit Episcopus facere unionem omnibus præbendis, seu distributionibus simul, quia hoc casu tenuitati distributionum succurri potest per remedium, *c. 3. Concil. Trid. sess. 21. de refor.* ut declaravit *Sacra Congregatio* apud *Garsiam d. c. 2. num, 171. Barb. alleg. 76. num. 33.* Quando verò unio fieret à legato de latere ex facultate sibi à Pontifice concessa, non requiritur consensus capituli. Secus si ex vi suæ delegationis id vellet facere, *Sanchez in summa tom. 2. lib. 7. c. 29. num. 166. qui num 164.* ait canonicos nolentes consentire posse cogi, plura ponit *Barb. lib. 1. de jure eccles. c. 32. à num. 14.*

In decernendis illis, quæ visa fuerint opportuna in synodo est quæstio an Episcopus opus habeat consensu capituli. Putant aliqui non requiri, quia facultas condendi statuta est meri Imperij, *Bart. in l. Imperium num. 8. ff. de jurisd. omn. Judic.* quem exornat *Suarez de legib. lib. 1. c. 8. num. 6.* Sed hoc merum Imperium est in Episcopo, *Bal. in rubrica nu. 7. de constit. Imola* per eum *tex. in c. cum contingat de foro competenti*, ergo non est talis facultas communicabilis capitulo *Suarez lib. 4. de legibus c. 5. in 2. dubio*; undè quod scriptum legimus in *c. novit, & in c. quanto de his, quæ fiunt à Prælatis* sine consensu capituli circa consilium requirendum per Episcopum, intelligit *Suarez de statutis circa alienationem bonorum Ecclesiæ*, ut observat *Suarez ubi sup.* vel ad judicia, & jurisdictionalia, non verò ad ea, quæ pendent à mero Imperio, & sic dico, quod Episcopus in condendis statutis non requiritur ut petat capituli consilium, nisi in casibus à jure expressis, *Rota* apud *Achillem de Grassis dec. 57.* alias *29. de offic. ordin. Card. Puteus dec. 92. lib. 3.* & pluries decisum per Sacram Congreg. refert *Barb. d. lib. 1. de jure eccles. c 32. num. 23.*

Cessatio à divinis à capitulo fieri non potest sine Episcopi auctoritate, nisi prædictum capitulum talem facultatem cessandi à divinis ex privilegio, vel consuetudine acquisierit, *Covarr. in c. Alma mater par. 2. §. 2. num. 6. Rodriquez tom. 2. quæst. regul. q. 117. ar. 1. Avila de censuris par. 6. disp. 1. dub. 1. Sayrus lib. 5. de censuris c. 17. Suarez tom. 5. de censuris disput. 39. sect 3 Barb. de jure eccles. lib. 1. c. 32. num. 25.* quicquid dicat in *c, irrefragabili, §. caterùm de offic. ordin.*

Si collatio alicujus beneficij pertineat ad capitulum separatim ab Episcopo, & capitulum sit negligens devolvitur jus conferendi ad Episcopum tanquam ad immediatum superiorem, *c. 2. de concess. præben. glossa in c. irrefragabili de offic. ordin in verb. capitulum, Rebuffus in praxi benefic. in tit. de devolutione num. 21. Petrus Gregorius de beneficiis c. 9. num. 40. Azorius*, & alij apud *Barb.* quod si collatio communis sit inter Episcopum, & capitulum, tunc ex capite negligentiæ pertinet ad Archiepiscopum, *c. postulastis de concess. præben. Barb alleg. 126. num. 71.*

Tenetur capitulum vacante sede episcopali de rebus ecclesiæ conficere inventarium, *c. charitatem 12. q. 2.* & ubi incumbit munus fructuum percipiendorum debet constituere æconomum, qui gerat curam rerum ecclesiæ, & rationem reddet postea ei, ad quem pertinebit, *c hac hujus 12. q. 2. c. quoniam in fine 75. dist Trid. sess. 24. de refor. c. 16. in princ.*

Mortuo Episcopo infra octo dies constituere debet Vicarium, vel existentem confirmare, *Trid. d c. 16.* & infra illos octo dies jurisdictio fiat penès totum capitulum, *Quaranta in summa Bullarij, in verb. Capitulum sede vacante ꝯ. 12 Riccius post resol. 505.* in notabilibus in materia Vicarij à capitulo sede vacante, & *in dec. 305. p. 4. Raguccius de voce Canonici in cap. q. 37. nu. 2. Barb. par. 3. alleg. 54. num. 163.* & declaravit Sacra Congregatio apud eosdem, quicquid dicat *Sbrozzius lib. 1. de offic. Vicarij q 61.* qui ait residere penes Archidiaconum.

Non tamen arctatur capitulum intra illos octo dies ad constituendum Vicarium, & sic potest de per se administrare, *Quaranta ubi supra*, & prædictus terminus octo dierum currit capitulo etiam à die scientiæ translationis Episcopi ad aliam ecclesiá, & statim post tráslationem Episcopus perdit jura suæ primæ ecclesiæ, *Rota* apud *Farinac dec. 475. par. 1. Barb. in c. 1. de translat. Episcopi Massombrius in praxi habendi concursum, requisito 1. dub. 9* qui ait vacare ecclesiam, à qua quis transfertur, ab eo die, quo firmatur supplicatio in concistorio etiam ante expeditionem Bullarũ, post quarum expeditionem statim quod habuerit notitiam à Secretario Collegij, statim debet se abstinere ab exercitio jurisdictionis, & ipsa tráfit in capitulum tanquam sede vacante, & sic potest statim capitulum, & jurisdictione uti, & Vicarium eligere, & sedem vacantem publicare.

Nota tamẽ primo, quod unus tantũ Vicarius à capitulo sede vacãte eligi debet, nisi esset immemorabilis consuetudo contraria duos, vel plures eligendi, *Quarãta ubi supra, in verb. nono dubitatur, Barb. alleg. 54. num. 165. Raguccius de voce canon q. 40. num. 8. Riccius par 4. dec. 193.* & Sacra Cõgregatio statuit capitulũ sede vacãte duos Vicarios substituere posse, ut alternis mẽsibus Vicariatus munere fungãtur, si probetur legitima

consuetudo, & illis qualitatibus sint præditi, quas requirit *Trid. sess. 24. cap. 16. Garsia de benefic. par 5. c. 7. num. 37. in addit.* & huic Vicario, debet provideri de competenti salario, ut ait sacra Congregatio apud *Barb. lib. 1. de jure eccles. c. 32. num. 35.* Quod si discordia sit inter canonicos in eligendo prædictum Vicarium, & plures ad hoc officium assumuntur: magis idoneus, & habens qualitates *Trid.* remauere debet cæteris remotis, *Riccius post d. resol. 505. Garsia par. 5. c. 7. nu. 23.* ubi sic refert decisum per Sacram Congregationem.

Nota secundo, quod quamvis capitulum non teneatur eligere personam de gremio ipsius, si tamen adesset idoneus cæteris paribus illi est præferendus, *Garsia d. c. 7. num. 13. Quaranta ubi supra, vers sexto dubitatur, Riccius par. 1. dec. 180.* & declaravit Sacra Congregatio posse eligi Vicarium canonicum ejusdem ecclesiæ, qui in eadem ecclesia curam habeat animarum: secus si esset parochus ruralis.

Nota tertio, quod capitulum in commissione Vicarij potest præfigere tempus, & modum procedendi; sed non postea; undè potest Vicario certum tempus præfigi à capitulo, quo elapso jurisdictio expirat, *Riccius decis. 40. num. 14. Garsia in addit. ad tract. de beneficiis par 5. c. 7. num. 37.* & sic poterit eligi cum clausula, ut non duret nisi per annum; quando verò non præfigitur terminus durat durante sedis vacatione, *Quaranta ubi supra, Barb. alleg. 54. num. 173* & facta electione Vicarij non potest capitulum illum ad libitum revocare, & novum constituere, *Riccius collect 1602. in fine, & in dec. par. 4. dec. 187. Raguccius de voce canon. q. 37. num. 4. & Barb. de potestate Episcopi alleg. 54. num. 171.* nisi ex causa benè visa Sacræ Congregationi negotiis Episcoporum, ut ipsamet declaravit pluries, ut refert idem *Barb. d. lid. 1. c. 32. de jure eccles. num. 47.* quidquid dicat posse revocari *Quaranta ubi supra num 3. Zerola par. 1. in verb. Vicarius* ꝯ. *21. vers. 3. & Riccius* sibi contrarius *in praxi par. 1. resol. 505.* Vicarius verò deputatus a Metropolitano quando ob negligentiam capituli illum deputavit, potest ad libitum ejusdem Metropolitani removeri, ut censuit Sacra Congregatio apud *Bard. d. c. 32. num. 48.*

Nota quarto, quod Vicarius capituli sede vacante eligi debet Doctor, aut licentiatus in jure canonico, vel alias quantum fieri potest idoneus, *Trid. ubi sup. c. 16. Navar, cons. 2. aliàs unico de effic. Vicarij in novis, Sbrozzius lib. 1. de offic. Vicarij q. 36.* qui decisum refert nullam esse electionem Vicarij non Doctoris, *Riccius collect. 1602.* ubi id limitat in Vicario ecclesiæ collegiatæ sede vacante sui Prælati habentis jura episcopalia, *Raguccius d. q. 37. num. 26.* qui ait, quod debet doctori in aliqua publica universitate, non à persona privata. Quando verò non esset Doctor poterit capitulum in actu deputationis dare ei consultorem Doct. alioquin poterit ipse Vicar. eligere consultorem Doctorem sibi bene visum partibus non suspectum, in casibus, in quibus eo opus habet, *Sbrozzius d. q. 36. num. 13. Quaranta ubi supra nn. 3. Riccius post dictum resol. 505. & par 4. dec. 305. num. 15.* qui ait, quod, Doctor sacrorum canonum præfertur Magistro Theologiæ quoad hoc officium, *& num. 16.* ait *Riccius* electionem Vicarij capitularis Theologi omisso canonista valere: sed contrarium dicas tu, ut declaravit Sacra Congregatio apud *Barb. lib. 1. de jure eccles. c. 32. num. 54.*

Nota quinto, quod si infra octo dies post mortem Episcopi capitulum non providerit de Vicario, vel non idoneum elegerit, poterit Archiepiscopus deputare Vicarium, seu officialem in Ecclesia suffraganea, ut ait *Trid. d. c. 16. Quaranta in summa Bullarij, in verb. Archiepiscopi auctoritas num. 36. Genuensis c. 70. num. 6.* Quod si Ecclesia Metropolitana fuerit negligens, aut ecclesia exempta, & capitulum fuerit negligens tunc antiquior Episcopus ex suffraganeis in Metropolitana, & propinquior Episcopus in Ecclesia exempta Vicarium idoneum constituere poterit, *Trid. d. sess. 24. c. 16. Sbrozz. lib. 1. de offic. Vic. quæst. 58.*

Est autem quæstio, an Vicarius capitularis possit cognoscere de causis delegatis Vicario Generali Episcopi, & sic exequi dipensationes in matrimonij impedimentis, & listeras in forma dignum, quæ prædicto Vicario Generali committi solent.

Prima opinio affirmat, quia forma committendi non est Vicario Episcopi, sed Vicario Generali Diœcesis, sed Vicarius capitularis est Vicarius Generalis Diœcesis ergo, & ita docent *Salus de legibus disp. 20. sect 17. num. 124. Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 27. num. 32. & num. 33.* ait, quod Vicarius capitularis potest cognoscere de prædictis quamvis commissio sit directa Vicario Episcopi, quia capitulum non succedit Vicario Episcopi, sed ipsomet Episcopo, ergo.

Secunda opinio est negativa, ità *Garsia par. 6. c. 2. à num. 44. Bonacina de legibus disp. 1. q. 3. p. 8. §. 1. Riccius par. 1. dec. 44.* & Sacra Congregatio Cardinalium ità decidit, teste *Barb lib. 1. de jure eccles. c. 32. à. num. 58.* Ratio est, quia de stylo Curiæ & Cancellariæ Romanæ vacante sede Episcopali, non diriguntur litteræ in forma dignum; nec dispensationes Vicario capituli, quia non confidit de illo, sed Episcopo viciniori, seu ejus Vicario, ergo quia Curia, & Cancellaria non vult committere Vicario capituli sede vacante, apertè datur intelligi sub nomine Vicarii Episcopi absolutè prolati in litteris, quæ Vicario Neapolitano diriguntur, intelligi Vicarium Episcopi, non capituli. Verùm potest Vicarius capitularis sede vacante executioni demandare litteras Episcopo per Sacram Congregationem directas, & ab illo non executas, nec non illud, quod Episcopo mortuo per Bullam, seu Breve in causis jurisdictionem importantibus concessum erat, ut decisum in sacra Congregatione refert *Barb. lib. 1. de jure eccles. c. 32. num. 60. Sperellus dec. fori ecclesiastici 31.* ubi latè tenet hanc secundam opinionem, qui est videndus ad quæstionem an Vicarius possit cognoscere de causis immunitatis ecclesiasticæ.

Nota sexto, quod Vicarius capitularis in jura episcopalia subintrat, & potest omnia facere, quæ sunt jurisdictionis, nisi expressè prohibita reperiantur, *glossa, & DD. in c. his quæ, & in c. cum olim de major. & obed. & in c. illa ne sede vacante: glossa in c ad abolendam de haret. in verb. sede vacante, & in clem. 1. §. 1. eodem tit. & in c. quia sapè de elect. in 6. in verb. reservari, Navarr. cons. 44. de tempor. ordin. Garsia par 5. c. 7. de beneficiis, Card. Tuschus litt. C. concl. 56.*

Potest ergo primo Vicarius capitularis absolvere ab excommunicatione, à qua poterat ipse Episcopus, nisi ei fuerit à sede Apostolica interdicta specialiter talis potestas, *c. unico de major. & obed. in 6. Raguccius de voce, canon. in capitulo q. 36. num. 4. Suarez tom. 5. de censuris disp. 7. sect. 2.* Secundo potest confirmare, & instituere electos præsentatos per patronos, *Quaranta in verbo Capitulum sede vacante §. nono quæro, Garsia par. 5. c. 7. nu. 54. Barb. par. 3. alleg. 72. num. 183.* Tertio potest assignare Confessarium pro casibus Episcopo reservatus, *Barb alleg. 52. num. 21.* Quarto potest corrigere excessus, pront poterat Episcopus, *d. c. ad abolendam*

lendam

lendam, ubi glossa, & DD. de haret. Quinto potest cognoscere de crimine hæresis, *glossa in d. c. ad abolendam in verb. prærogativa, Sanctarellus de haresi c. 40.* Sexto potest visitare Diœcesim quamvis id à capitulo non sit sibi specialiter commissum, *Garsia d. par. 5. c. 7. num. 29.* & poterit visitare per se, vel per alium, *glossa in d. clem. 1. §. 1. de haret. in verb. Capitulum, Barb. alleg. 133.* tunc verò potest id facere Vicarius capitularis, quando est lapsus annus à postrema Episcopi visitatione, nec de proximo ecclesia est de pastore providenda. In qua visitatione servanda est forma famulorum, ut equitatum servata forma *Trid. sess. 24. c. 3. de reform. Barb. d. lib. 1. de jure ecclef. c. 32. num. 70.* & potest visitare etiam monasteria monialium non exempta; at verò exempta minimè, *Garsia par. 5. c. 7. num. 45.* Septimo potest cognoscere de causis ordinis, veluti de causis matrimonialibus, & de crimine hæresis, quæ inter majora computantur, *Quaranta in d. verb. Capitulum sede vacante, vers. Quinto quaro.* Octavo potest statuta condere, quæ ad statum ecclesiæ pertineant; & quæ durare debent etiam tempore Episcoporum succedentium, *Sbrozzius lib. 2. de offic. Vicarii q. 187. Zerola par. 1. in verb. Capitulum §. 15. Card. Tuschus tom. 1. litt. G. concl. 53. num. 1.* dummodò sint statuta utilia, non præjudicilia ecclesiæ, vel mensæ Episcopali, *Azorius par. 2. lib. 3. c. 37. quæst. 11. Moneta de distribut. par. 2. q. 13. num. 24.* Undè non poterit condere statutum, quo minuatur in futurum charitativum subsidium. *Barb. alleg. 87. num. 14.* Circa quotidianas distributiones nihil potest statuere etiam sede plena sine Episcopo, *Moneta par. 2. q. 15. num. 26. Barb. alleg. 53. num. 139.* neque potest habere pro præsentibus canonicos, & dignitates, qui nunquam fuerunt præsentes, & fidei professionem nondùm emiserunt, *Garsia par. 3. c. 3. n. 32. & Barb. par. 3. alleg. 61. num. 24.* Verùm Capitulum sede plena nihil potest statuere, quod tangat statutum generale ecclesiæ, vel jura Episcopi sine consensu ipsius, *glossa in cap. cum omnes, in verb. constitutum, vers. quia sine consensu de constit. DD. citati.*

Potest etiam exequi ultimas voluntates defunctorum; quatenus jure ordinario competebat Episcopis, *Covarru. in c. Joannes num. 2. de testam. Quaranta in verb. Capitulum sede vacante, vers. Septimo quaro, Zerola par. 2. in verb. Capitulum §. 9. Barb. par. 3. alleg. 82. num. 31.* Potest etiam compellere religiosos piarum voluntatum executores ad reddendas rationes administrationis, *Barb. d. par. 3. alleg. 82. num. 35.* Potest rationes exigere ab administratoribus piorum locorum, DD. ubi supra: Potest interdicere, & deponere, potest dispensare cum illegitimis ad beneficium simplex. Potest dispensare, & absolvere, vigore *Trid. sess. 24. de reform. c. 6.* quia talis facultas competit Episcopo jure communi ordinario, *Riccius collect. 721. & in praxi par. 1. resol. 533. in 1. aditione, & 466. in 2. aditione, Bonacina disp. 7. q. 5. de censuris pun. 1.* Potest cognoscere de causis in prima instantia vigore *Trident. sess. 24. de reform. c. 20.* quia succedit Episcopo in omnibus illis, quæ sunt jurisdictionis etiam voluntariæ, *Riccius*, & alij apud *Barb. par. 3. allegat. 81. num. 6.*

Potest assistere matrimonio celebrando, & alteri Sacerdoti præstare licentiam assistendi, juxtà formam *Trid sess. 24. de reform. c. 1. Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 28. Barb. alleg. 32. num. 123.* Potest concedere licentiam Sacerdotibus habentibus curam animarum volentibus ire ad studia, *Zerola ubi supra par. 1. in verb. Capitulum, §. 2.* quamvis hodie non possit, quia examinantur; qua de re infra. Potest dare licentiam ædificandi ecclesiam, ut acquiratur Juspatronatus, post alios *Bar. alleg. 70. num. 32.* Potest extero Episcopo licentiam concedere exercendi pontificalia in ecclesia vacante, & concedere licentiam, ut novitius disponat de bonis suis, *Barbos. allegat. 99. numero 5.* qui facultas concedendi spectat ad jurisdictionem, non ad ordinem: post alios *Barbos. alleg. 81. num. 21.* quæ potestas concedendi indulgentias, sicut & potestas dispensandi in votis, ac juramentis ab inferioribus prælatis per consuetudinem acquiri potest, *Sanchez lib. 4. moral. c. 38. num. 21. Layman lib. 5. tract. 7. c. 4 nu 3. Diana par. 5. tract. 12. resol 21.* Potest præficere œconomos, *c. cum vos 4. de offic. ordinarii.* Potest beneficia, & ecclesias commendare ad tempus: potest instituere clericos præsentatos à patronis, *Barb. alleg. 72. n. 183.* Potest recipere renunciationes beneficiorum spectantium ad Episcopi collationem, *Barb. alleg. 69. n. 8.* Potest præstare auctoritatem in permutationibus beneficiorum, *Garsia par. 11. c. 4. num. 75.* Potest unire beneficia, dummodò nihil detrahatur jurisdictioni episcopali: non potest tamen Capitulum sede vacante supprimere aliquod beneficium, & sibi unire, *Garsia par. 12 de beneficiis c. 2. num. 67. & sequenti.* Potest approbare Confessarios, *Fagundez pracepto 2. lib. 7. c. 2. num. 54.* Potest commutare ultimas voluntates, in quibus posset Episcopus de jure communi, *Moneta de commut ultim vol. c. 5. num. 427.* Potest cognoscere causas matrimoniales, *cap. veniens, juncta suprascriptione, de eo, qui duxit in matrimonium, Quaranta in verb. Capitulum sede vacante q. 5.* legas *Riccium in praxi par. 1. decis. 245. in 1. aditione*, aliàs 215. *in 2. aditione.*

Ea verò, quæ competunt Episcopo jure non ordinario, sed alieno, puta ex jurisdictione delegata non habet Vicarius capitularis, *cap. Pastoralis, §. praterea de offic. ordin. Garsia par. 5. c. 7. num. 42. Barb alleg. 92. num. 17.* etiam si Episcopus apposuerit manum ante obitum, *cap. quoniam Abbas de offic delegati, Marchesanus de commiss. super commissione appellat. extrà Romanam Curiam par. 1. c. 6. num. 32.* unde, quia Episcopus dùm vivit non visitat exemptos jure ordinario; sed delegato, *clem. attendentes, vers hoc igitur de statu Monachor. Trid. sess. 25. de regular c. 9* ideò non poterit eos visitare capitularis Vicarius, neque potest Capitulum sede vacante visitare Monasteria exempta Monialium; quæ visitat Episcopus auctoritate Apostolica, post alios *Barb. alleg. 73. num. 25.* Intellige quando delegatio fit Episcopo nomine dignitatis, hæc non transit ad capitulum: secus si fiat nomine officij, & muneris, quia hæc transit ad capitulum, *Barb. lib. 1. de jure ecclef. c. 32. num. 107.*

Et ideò non succedit capitularis Vicarius, primo in potestate conferendi beneficia spectantia ad solam collationem Episcopi, *c. 2. ne sede vacante, glossa in cap. his qua de major. & obed.* etiam si vacarent per renunciationem, etiam si essent parochialia beneficia: talia enim beneficia quomodolibet vacantia, sede Episcopali vacante sunt Pontifici reservata, ut in Bulla Pii V. quæ incipit *Sanctissimus in Christo Pater, Garcia par. 5. c. 1. num. 234.* & est dispositum hodie per regulam secundam Cancellariæ. Intellige de collatione libera, non verò de institutione, & confirmatione, quæ sunt necessariæ, & debitæ, ideò pertinent ad Capitulum sede vacante, *Quaranta in d. verb. Capitulum sede vacante, vers. nono quaro, ampliat. 3.* Neque potest Vicarius capitularis confirmare donationem Jurispatronatus, quia

necessa-

necessario intervenire debet Episcopi consensus, *Gratianus c. 303. num. 10. Barb. par. 3. alleg. 71. num. 24.*

Succedit capitulum sede vacante in illis, quæ poterat Episcopus facere ratione ordinis, putà potest exercere Pontificalia, ordines conferre, Chrisma conficere, consecrare Basilicas, &c. Sed hæc non facient Canonici de per se, sed per Vicarios Episcopos, *glossa in d. cap. his qua, & in c. si Episcopus de supplenda neglig. Prælat.* cum talia Pontificalia non nisi à consecratis Episcopis possit exerceri: & potest capitularis Vicarius clericis suæ Diœcesis dare dimissorias, ut ab alio Episcopo ordinentur, *cap. cum nullus de temp. ordin. in 6.* Sed ex *Trid. sess. 7. de refor. c. 10. & sess. 23. de refor. c. 10.* potestas prædicta limitatur, ut non valeat Capitulum sede vacante concedere dimissorias infra annum à die vacationis, nisi clerici beneficii suscepti, vel recipiendi occasione arctentur, *Navarrus cons. 19. alias 77. & cons. 20. alias 28. de tempor. ordin. Sayrus in floribus decisionum in eodem titulo dec. 21. 22. & 65. Riccius in praxi aurea resol. 106. & par. 4. dec. 185 Barb. alleg. 7 ex num. 10.* Verùm Vicarius Papæ post ejus mortem statim potest litteras dimissorias pro ordinibus concedere, *Barb. de alleg. 7. num. 13.* Immò si Vicarius concesserit statim post mortem Episcopi dimissorias ad ordines incidit in pœnas d. *sess. 23. c. 10.* ut subjaceat ecclesiasticæ interdicto; quamvis illis usus non fuerit is, cui concessæ litteræ fuerunt, quia actus fuit perfectus quoad Vicarium concedentem, per quem non stetit, & ità ex Sacra Congregatione tenet *Garsia in addit. ad tract. de benefic. par. 5. c. 7. num. 92.* Potest ergo Vicarius capitularis concedere dimissorias laico infra annum, qui expectat præsentari per patronos ad aliqua beneficia DD. citati. Neque potest Vicarius capitularis infra annum dare licentiam Episcopo commoranti in Civitate, vel Diœcesi, ut ordinet Regulares, etiam, prævio examine facto per ipsum Vicarium, *Ragucciusde voce canon. q. 39. num. 4.*

Litteræ verò testimoniales possunt concedi etiam infra annum à Capitulo sede vacante, *Navarrus cons. 19. in antiquis, alias 27. in novis de tempor. ordin. Bonacina de Sacramentis disp. 8. q. unica par. 4. num 24. Quaranta in verb. Capitulum sede vacante, vers. Decimo quaero limit. 3. Moneta de commut. ultim. volunt. c. 10 qui num. 182.* refert Modernum stylum Curiæ Romanæ habere, ut sede Episcopali vacante, ipse quoque testimoniales dentur ab ordinario viciniore, *Merolla disp. 7. c. 7. de jurisdict. capituli sede vacante dub. 6. num. 84.*

Potest etiam capitularius Vicarius ei, qui obtinuit licentiam à sede Apostolica se ordinandi cum licentia sui ordinarij, prædictum licentiam ordinatam concedere, *Barb. alleg. 7. nu. 14.* & poterit idem capitulum præfato anno durante concedere Episcopo extero exercitium Pontificalium, & ordinationes propriorum subditorum, sedis vacantis, *Quaranta in verb. Capitulum sed vacante q. 11. Genuensis c. 87. num. 33.*

Dicuntur arctati beneficiis suscipiendis illi, qui obtinent aliquod beneficium requirens servitium personale, ratione cujus de jure tenentur infra annum se promoveri facere, ut si quis obtineat parochiam, est enim arctatus ad sacerdotium infra annum: sic qui obtinet canonicatum ad ordinem illi annexum, & in aliquibus cappellaniis, requirentibus ex institutione servitium personale, seu aliquem ordinem, *Moneta, d. c. 10. num. 166. Riccius in praxi aurea resol. 98.*

Potest etiam Vicarius capitularis in temporum interstitiis dispensare cum suis ordinandis, quibus concedit dimissorias, prout poterat Episcopus, *Quaranta ubi supra, vers. quaero decimo, Riccius in praxi resol. 715. in 1. addit. & in 2. est resol. 483. par. 1.*

Prædictæ litteræ dimissoriæ à Vicario capitulari concessæ, non expirant per ingressum moderni Episcopi, *Quaranta ubi supra quaest. 20, Moneta d. c. 10. num. 179.* Consuluit verò ordinantibus *Molina*, cum aliis, præsertim *Guttierez lib. 2. c. 17. num. 12.* ut si tempore præsentationis dictarum litterarum coram eis sciant novum Prælatum, atque successorem adesse id Episcopatu, illas dimissorias non admittant, nisi confirmatæ fuerint à successore, vel ab ejus officiali ad id habente speciale mandatum, sequitur *Bonacina de suspens. omnibus in particulari disp. 3. q. 1. pun. 12. num. 26.* Quod verò à novo Antistite possint revocari per ædictum omnes, & quæcumque dimissoriæ à Vicario capitulari concessæ tenet *Rebuffus de formulis dimissorialibus num. 44.* & id justa subsistente causa admittit *Campanilis rubrica 9. c. 8. num. 36.*

Prædictus Vicarius capitularis, sicut Generalis Vicarius Episcopi, nisi habeat speciale mandatum, non poterit prædictas dimissorias concedere. Undè Vicarius capitularis exposcit mandatum capituli, & Vicarius Generalis mandatum Episcopi, *Rota Romana* apud *Barb. lib. 1. de jure eccles. c. 32. num. 129.* & quamvis mandatum speciale à Vicario non exhibeatur cum clausula facultativa concedendi dimissorias, tamen cum prædictum mandatum non possit probari per conjecturas, & præsumptiones, *Rota decis. 675. par. 2. diversorum*, ideò possunt tales concurrere conjecturæ, quæ indicent Vicarium habuisse speciale mandatum. Prima est, quando talis facultas solet concedi Vicariis. Secunda, quando ordinans, & ordinatus sunt notæ probationis, seu probitatis, quia faciunt jam facta præsumi licita, *cap. nisi essent de præben.* & alias conjecturas ponit *Barb. d. c. 32. num. 129.*

Quod si quis fuerit ordinatus in minoribus cum litteris dimissorialibus infra illum annum, exceptis duobus casibus, de quibus supra: statuit *Trident. ubi supra*, scilicet *sess. 23. c. 10.* ut nullo privilegio clericali, præsertim in criminalibus gaudeat. *Quaranta in summa Bullarii, in verb. ordo, vers. secundo limita. Campanilis rubrica 9. c. 2. num. 9.* Sed posset talis clericus habere beneficium quousque non privetur per sententiam, *Navarr. cons. 20. alias 28 sub tit. de temp. ordin. Quaranta in verb. Capitulum sede vacante q. 10. Sanchez lib. 7. de matrimonio, disp. 46. num. 18.*

Si autem sit ordinatus in majoribus ordinibus, ait *Trid.* suspensos esse ab exercitio ordinum ad beneplacitum futuri Prælati, *Suarez tom. 5. de censuris disp. 21. sect. 1. num. 20.*

Tandem nota, quod si quis sede vacante bona relicta, vel tempore vacationis collecta occupat, dissipat consumat, &c. est suspensus ab officiis, & beneficiis donec integrè restituat, non obstantibus, consuetudinibus, & statutis, etiam juratis, & à Sede Apostolica confirmatis, ità decidit *textus in c. quia sæpè 40. de electione in 6.* & ex eo colligit *Suarez 5. tomo de censuris disp. 28. sect. 3. Bonacina de suspensionibus omnibus in partic. disp. 3. q. 4. punt. 25. per totum.* Commissio, quæ fit Vicario capitulari à canonicis est videnda apud *Barb. lib. 1. de jure eccles. c. 32. in fine.*

TITU-

TITULUS XVI.

De Coadjutore.

Visum est supra de illis, qui adjuvant Episcopum in cura pastorali. Verum quia inter alios datur etiam Coadjutor. Meritò ponitur hic titulus. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quod Coaditor dicitur, qui ex auctoritate Romanæ sedis datur Episcopo ex evidenti necessitate, *Trid. sess. 25. de reform. c. 7.* puta si ob senectutem Episcopi petatur, *cap. unico de clerico ægrotante in 6. Campanilis rubrica 7. c. 6. num. 110.* vel si ob ægritudinem Episcopi petatur, de qua in *c. 1. 7. q. 1. & in d. c. unico Flaminius Parisius de resignat. benefic. lib. 7. q. 20.* quando scilicet pro majori parte annisit infirmus, ut non possit exercere ea, quæ muneri suo incumbant, vel sit cæcus, aut lepram habeat. Tertia causa est dementia Episcopi, *cap. unico, Parisius ubi supra.* Quarta causa si Prælatus sit suspectus de dilapidatione bonorum ecclesiæ, *Abbas in cap. licet Heli num. 8. de simonia, Parisius ubi supra num. 10.* Quinta causa est si alias sit inhabilis, ità ut non possit muneri sibi injuncto incumbere, *Parisius ubi supra.*

Sciendum secundo est, quod officium Coadjutoris Episcopi est omnia episcopalia exercere si est consecratus Episcopus, aliàs minimè, ut in Concilio Arausicano *cap. 2.* & ea facere, quæ non potest Episcopus, cui est datus; undè beneficia conferre non potest Coadjutor nisi esset datus dementi: datus verò dilapidanti bona Ecclesiæ, majorem habebit in rerum ecclesiasticarum administratione auctoritatem, quam verò dignitatem habeat Coadjutor datus Episcopo, vel Archiepiscopo cum futura successione, decrevit Sacra Rituum Congregatio; quam declarationem ponit *Prosper de Augustinis ad Quarantam in summa Bullarii, in verb. Archiepiscopi auctoritas num. 12. Piasecius in praxi par. 1. c. 1. nu. 10. Campanilis*, & alii apud *Barb. de potestate Episcopi alleg. 118.*

Sciendum est tertio, quod datur Episcopo Coadjutor à Sede Apostolica, *cap. unico, §. sin autem de clerico ægrotante in 6.* aliis inferioribus dari potest à legatis, Nuntiis, & Episcopis, & datur causa cognita. Neque potest Coadjutor Archiepiscopi uti pallio, quamvis habeat spem futuræ successionis, quia nondum est Archiepiscopus, & in præsentia ipsius principalis non potest Coadjutor uti baculo, neque mozzetta, nisi in absentia ipsius Episcopi principalis, ut refert *Selua de beneficiis, par. 2. q. 4.* & si est Coadjutor Monachus, nunquam potest portare Rocchettam, *Navarrus cons. ultimo de clerico ægrotante.* Datur verò Coadjutor, vel in perpetuum cum spe futuræ successionis, & hic post Episcopi mortem remanet principalis: Si verò est temporalis ob aliquam causam datus desinit cessante causa prædicta, *cap. grandi, ubi DD. de supplenda neglig. Prælatorum*, ubi etiam dicitur Regi inutili dandum esse Coadjutorem, ut ibi fuit Sanctio inutili Regi Portugalliæ fuit datus Alphonsus ejus frater in coadjutorem, & Regni administratorem, non verò in proprium ejus Regem, & successorem ex jure, & persona sua gubernantem, ut benè *glossa*, ibi ad exemplum prodigi, & furiosi, qui non privantur bonis, sed ipsorum administratione, *l. 1. & l. consilia, ff. de Curatore furiosi*: sic Regi minori ætatis datur Coadjutor, scilicet Curator, qui administrat Regnum, *Baeza de decima tutorum c. 9. num. 29. Gomezius in l. 40. Tauri n. 9. Guttierez de tutelis par. 1. c. 18.* quod est magnum indicium castigationis Reipublicæ; in pluribus enim sacræ Scripturæ locis habetur, quod Dominus aliquibus perversis regionibus Reges ætate minores pollicetur in earum supplicium, & ruinam, ut habetur *Isaia cap. 3.* ibi, *Dabo pueros Principes eorum, & ecclesf. c. 20* ibi, *Væ terræ, cujus Rex puer est*: & consonant hujus rei plura exempla non parum deploranda, & majorum temporibus deplorata, & congesta per *Caldas Pariera in l. si Curatorem, in verb. hunc contractum de integrum restit.* Rex ergo adultus cogitur recipere Curatorem, non in foro externo, sed in foro conscientiæ quoad vim directivam, *Barb. in d. cap. grandi de supplenda neglig. Prælat. in 6.* qui etiam notat, quod Coadjutor, qui datur Regi, debet esse ille, qui esset ei successurus in Regno.

Coadjutoria cum spe futuræ successionis habet obligationem recitandi divinum officium, DD. communiter apud *Dianam par. 5. tract. 1. resol. 75.* licet ipse teneat contrarium, quia talis coadjutoria non est beneficium.

Sciendum est quarto, quod Coadjutor perpetuus cum spe futuræ successionis non potest ingredi Civitatem pontificaliter, quia non habet jus in re, sed ad rem, & contingere potest, ut non succedat, sed præmoriatur. Neque potest uti in Divinis cruce, quia crux est signum, & ornamentum jurisdictionis, quam non habet Coadjutor; absente verò Archiepiscopo potest uti Cappa, dùm Pontificalia exercet, quia Cappa est ornamentum dignitatis: præsente verò Archiepiscopo potest uti Mantelletto, & Rocchetto, Mozzetta verò nunquam utetur, quia hæc est proprium jurisdictionis: sedere verò talis Coadjutor in sede Episcopi, vel Archiepiscopi non poterit, cum una sedes non capiat duos; eidem Coadjutor celebranti, vel Pontificalia solemniter exercenti tenentur assistere Canonici, & populum de licentia Episcopi poterit benedicere eundo per civitatem, eidem debent ire obviam venienti ad ecclesiam, saltem usque ad ostium, & eousque eum ducere obeuntem; non tamen poterit concedere indulgentias populo, ut decisum per Sacram Congregationem refert *Parisius lib. 8. de resignat. benefic. q. 20. Quaranta in summa Bullarii, in verb. Archiepiscopi auctoritas*, Coadjutor simul etiam coadjutus tenentur omnes residere, ut decisum refert *Barb. lib. 1. de jure ecclesf. c. 15. in fine.*

TITULUS XVII.

De Corepiscoporum usu sublato.

Visum est supra de Episcopis, eorumque coadjutoribus. Verum quia antiquitus erat in Ecclesia ordo Corepiscoporum, qui erant minores Episcopis, & præsbyteris superiores: meritò ponitur hic titulus. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quod hi Chorepiscopi erant quidam præsbyteri, qui in villis curam animarum exercebant, veluti Parochi fungentes officio Vicarii foranei, *Card. Bellarminus tom. 1. lib. 1. controv. 5. de clericis c. 17. Petrus Gregorius par. 2. lib. 15. c. 12. Vasquez tom. 3. in 3. par. disp. 238. num. 68. Filiuccius tom. 2. tract. 9. de ordine c. 5. num. 103. Moneta de conservatoriis, c. 5. num. 42.* & sic non poterant confirmare, consecrare ecclesias, Altaria, aut Virgines, nec ordines majores conferre, *cap. quamvis, cap. in ecclesiis in fine 68. dist.* cætera verò poterant, ut Episcopi, *Bellarminus d. c. 17.* unde poterant ordines minores conferre, & subdiaconatum licuisse conferre tradit *Concilium Antiochenum can.* 10.

&

& confirmatur ex d. *c. quamvis*, ubi solum vetat Chorepiscopos conferre sacerdotalem, & diaconatus ordinem, quasi reliqui eisdem permittantur, quia id habuerunt ex commissione Romani Pontificis, *Vasquez ubi supra d. tom. 3. disp. 243. c. 4.*

Sciendum secundo est, quod ultra Chorepiscopos ordinarios, de quibus diximus, dabantur alij extraordinarij, qui veram accipiebant episcopalem consecrationem, & dicebantur Chorepiscopi, quia in aliena Diœcesi ministrabant, ut sunt bodie Episcopi titulares, & de istis loquuntur multa Concilia, quæ eis tribuunt facultatem conferendi ordinem subdiaconatus, ità *Vasquez d. disp.* 138. *c.* 7. & in hoc sensu dicunt multi Linum, & Cletum fuisse chorepiscopos Petri Apostoli; quia verò multi Chorepiscopi ordinabantur, & consecrabantur, ideò consilium Antiochenum prohibuit, & jussit, ut chorepiscopus ab Episcopo loci ordinetur, idest ut chorepiscopus solum sit præsbyter, non Episcopus, *Gratianus in principio* 67. *dist.* Alij verò, & melius putant chorepiscopos non fuisse nisi simplices Sacerdotes, quibus credebantur res præcipuæ temporales, & cura pauperum, & eleemosynarum, & aliqua Episcopalia ministeria: sed quia postea eorum ambitione crescente gerebant se pro Episcopis, suoque officio non contenti audebant majores ordines, & omnia episcopalia exercere, & aliquando consecrationem, quæ Episcoporum est propria extorquebant; ideò meritò eorum ordo ab Ecclesia damnatus est, *cap. Chorepiscopi* 68. *dist. Barb. par.* 1. *de potest. Episcopi tit.* 1. *cap.* 6. *num.* 22.

TITULUS XVIII.

De Translatione Episcopi.

Visum est supra de conjugio Prælatorum cum ecclesiis, videndum erat quibus modis solvatur. Verum quia ultra mortem, translatione, renunciatione, & depositione dissolvitur, meritò ponitur hic titulus. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo translationem in materia nostra, aut esse Sanctorum, aut Monachorum, aut Prælatorum, aut ecclesiarum. Sanctorum est, quæ fit de reliquia ab una ad aliam ecclesiam, in qua translatione reliquiarum, & corporum Sanctorum si transferantur, & petas an requiratur consensus Papæ an Episcopi. Dico ex *Navarro conf.* 50. *de sepulturis in antiquis, alias conf.* 9. *eodem tit. in novis*, quod corpora, & reliquiæ Sanctorum, quæ perpetuæ sepulturæ traduntur, nec de una ecclesia ad aliam, nec de uno loco ecclesiæ ad alium ejusdem ecclesiæ locum, sine legitima auctoritate possint mutari, aut transferri, ideoque nec reliquiæ, & partes Sanctorum, quæ sunt legitimæ altaribus ad illorum consecrationem inclusæ sine licentia de illis ad alia mutari possunt, quia tali altari sunt perpetuò inclusæ, quæ verò sepulturæ perpetuò non sunt traditæ, sed extrà sepulturam in aliquo reliquiario, vel aliis locis manent, aliundè ad processiones, vel missas, vel alias devotiones sine licentia transferri possunt, *Azor. par.* 1. *lib.* 9. *c.* 8. *q.* 9. ubi ait sacrilegium non committere illum, qui facultate Episcopi, vel ejus, cui ecclesia commissa est reliquias, vel illarum particulas extulerit, quia pœna, de qua in d. *cap. corpora de consecr. dist.* 1. procedit quando quis furtim reliquia aufert; & aliò deportat, non autem in eo, qui facultate, sive auctoritate, vel consensu ejus ecclesiastici præfecti, cui reliquiarum locus facer una cum ipsis reliquis commissus est, *Rodriquez tom.* 3. *quæstion. regular. q.* 55. *art.* 2. & *q.* 62. *art.* 1. & 11. *Sanchez tom.* 1. *in summa lib.* 2. *c.* 40. *nu.* 27. & 28. & *c.* 43. *n.* 25. *Barb. in d. cap. corpora de consecr. dist.* 1.

Alia est translatio Monachorum, cum scilicet Religiosus transit de una ad aliam religionem, de qua dicemus infra in tit. fin. hujus primi libri.

Alia est translatio ecclesiarum, cum scilicet una ecclesia ad aliam transfertur, vel unum Monasterium in aliud, ubi nota, quod redditus primæ ecclesiæ applicantur secundæ, ad quam fit translatio.

Alia est translatio Prælatorum, cum scilicet Prælatus ex una ecclesia transfertur ad aliam ecclesiam, seu Prælaturam.

Sciendum secundo est, quod translatio Prælati debet fieri causa cognita, & solus Papa est, qui potest concedere licentiam, ut transfertur, *cap. fin. de translat. Prælat. cap. penul. eodem tit.* undè si Episcopus propria auctoritate se transfert utraque est privatus *Barb. de potestate Episcopi alleg.* 50. *num.* 50. ubi nota, quod si Episcopus etiam invitus transferatur ad alium Episcopatum, & superiori Episcopatu de redditibus illius emerit sibi libros, & aliqua ornamenta, non poterit illa asportare secum ad episcopatum, ad quem transfertur, sed illa remanere debent apud futurum episcopum: fructus verò jam perceptos, & res mobiles non pretiosas ex fructibus primi episcopatus acquisitas potest Episcopus transferre de uno ad alium Episcopatum, *Barb. in l. divortio par.* 2. *num.* 52. *ff. sol. ma'rim.* & *Augustinus Barb. in c.* 1. *de translatione Episcopi*. Si vero petas quando translatus de una ecclesia in aliam censeatur secundæ Episcopus. Dico statim firmata supplicatione, legas *Barb. in c.* 1 *de translat. prælat.* & *Mussbrium in praxi habendi concursum, requisito* 1. *dub.* 9.

Sciendum secundo est, quod causa, ob quam fieri potest ista translatio Episcopi de una ecclesia ad aliam est causa necessitatis, & utilitatis ipsius Episcopi, & ecclesiæ, *cap. mutationes, cap. scias*, 7. *q.* 1. neque potest fieri causa avaritiæ, vel ambitionis majoris lucri, sed ex causa necessitatis, vel utilitatis, ad exemplum S. Petri, qui de Antiochia transtulit se Romam, ut copiosius proficeret, *cap. non oportet de consecr dist.* 5 *cap. Clericus* 91. *dist. cap. si quis Episcopus* 7. *q.* 1. quod si quis Episcopus propter bona temporalia, vel ambitionem alium pinguiorem Episcopatum procurat, putant *Navarrus*, *Medina*, & alij apud *Barb par.* 1. *tit.* 2. peccare mortaliter, quia in d. *cap. si quis Episcopus*, imponitur pœna privationis utriusque ecclesiæ, si propter ambitionem, & avaritiam eam procuraverit, ergo non est solum veniale, sed mortale, quicquid in oppositum dicat *Homobonus in examine eccles. tract.* 15. *par.* 3. *c.* 7. *q.* 24. *resol.* 1. qui putat peccare solum venialiter talem Episcopum, quæ opinio est tenenda.

Potest etiam Episcopus transire ad monachatum; sed posteà non potest amplius fieri Episcopus, & ad primum statum redire, *cap. hoc nequaquam* 7. *q.* 1. ubi *Barb.* latissimè, & cujus requiratur licentia, legas *Suarez tom.* 3. *de religione c.* 2. *à num.* 41. *Bartholomæus de Vecchis in praxi observanda in admittendis Novitiis disp.* 2. *dub.* 3.

In §. Non absimilis.

Agitur hic de permutatione beneficiorum. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quod permutatio nihil aliud est, quam reciproca resignatio ad invicem inter permutantes facta, *Cassadorus dec.* 1. *de rerum permutatione*, *Parisius lib.* 11. *de resignat. benefic. q.* 5. *num.* 19. *Gonzalez in regula* 8. *Cancellariæ glossa* 14. *num.* 40. & debet

debet fieri ſervata forma juris, prout ſcilicet perſcribunt ſacri canones, *cap. ad quæſtiones, de rerum permutatione, cap. unico eodem tit.* in 6. *Clem. unica eodem titulo, Ugolinus de poteſtate Epiſcopi c.* 50. *Covarr. lib.* 1. *variar. c.* 50. undè non poteſt fieri privata auctoritate, *cap. quæſitum de rerum permutatione, cap. majoribus, cap. cum olim, cap. cum univerſorum eodem tit.* aliter facta ſimoniam continet contra jus humanum, *Suarius lib.* 4. *de ſimonia c.* 31 *num.* 50. licitum tamen eſt partibus agere inter ſe de permutando ſine conſu Epiſcopi, ſicut tractatus de renunciando non eſt prohibitus, ſed renunciatio ſolum, *cap. cum pridem* 7. *de pactis, Bonacina de ſimonia q.* 4. §. 12. *num.* 50. *Reginaldus lib.* 23. *num.* 262. *Suarez d. c.* 32. *num.* 7. qui etiam dicunt, quod volentes permutationem facere poſſunt pactum facere. & ſe obligare ad perſiſtendum in conventione, donec ſuper conſenſum denegaverit, ideò eis non erit liberum à conventione recedere antequam Prælatus conſenſum deneget.

Sciendum ſecundo eſt, quod permutari poſſunt omnia beneficia; ut conſtat ex toto titulo de rerum permutatione, *Suarez lib.* 4. *de ſimonia c.* 34 non ſolum, quæ habentur in titulum, ſed etiam in commendam, *Azorius lib.* 7. *c.* 29. *quæſt.* 11. *Pariſius lib.* 2. *q.* 17. *Garſia par.* 11. *c.* 4. *de beneficiis num.* 12. quamvis nondùm illorum ſit adepta poſſeſſio, quia habens jus in re, non tamen poſſeſſionem, poteſt cum alio permutare, *Garſia d. c.* 4. *num.* 15. *ubi à num.* 23. latè oſtendit an, & quando beneficia unita poſſint permutari. Intellige dummodò permutatio ſit inter duos, non triangularis, vel quadrangularis, *Caputaquenſis dec.* 325. *par.* 2. *Gonzalez d. gloſſa* 14. *num.* 58. *Garſia d. c.* 4. *num.* 22. & modò fiat de propriis beneficiis, *Garſia ubi ſupra num.* 16.

Quandò verò inter aliquos ſit permutatio beneficiorum, intelligitur ſtatim utrumque vacare, quia ex permutatione vera inducitur vocatio beneficiorum, DD. *in d. cap. unico de rerum permutatione in* 6. *Pariſius lib.* 11. *de reſignat. benef. q.* 5. *à num.* 20. quamvia non debeant niſi permutantibus beneficia ea illa cauſa reſignata conferri, nam alias beneficia ea cauſa permutationis reſignata ſi aliis conferantur non tenet collatio *Clem. unica de rerum permut. Covar. lib.* 1. *var. c.* 50. *Azorius lib* 7 *c.* 30. *q.* 8. undè cum beneficium vacet facta renunciatione ex cauſa permutationis, non poterit renuncians ad illud redire ſine nova collatione, etiam ſi permutatio non ſequatur, ſeu non teneat, nec habeat effectum, *gloſſa in d. cap. cum univerſorum, in verb. ſimplicitatis de rerum permut. Maſcard. de probat. concl.* 1401. *Rota dec.* 1. & 4. *de rerum permut. in novis. Garſia d. d. c.* 4. *num.* 5 *Gonzales gloſſa* 15. §. 2. *à num.* 40. qui addit, quod ſi duo reſignant ſua beneficia ea cauſa permutationis, & facta collatione uni alter decedat ante factam ſibi collationem, ſuperſtes non habet regreſſum ad beneficium à ſe dimiſſum, quia quoad eum permutatio habuit effectum, & permiſſum eſt ipſis commutantibus reintegra reſilire, *l.* 1. *ff. de rerum permut. l. ſi pecuniam, ff. de condict. cauſa data*, & cum per alterum ſtat ne permutatio ſequatur, alius eſt ad ſuum beneficium reſtituendus, *d. cap. cum Univerſorum.*

Sciendum eſt tertio, quod in permutatione beneficiorum plura requiruntur.

Primo requiritur, ut fiat in manu ſuperioris renunciatio utriuſque beneficij *d. clem. unica de rerum permut.* & altero recuſante non fiet permutatio, *d. cap. unico*, & fit reſignatio prædicta cum conditione permutationis. Verum differt ab illa reſignatione conditionali, quæ ſit in favorem alterius, quæ ſine Romani Pontificis auctoritate fieri non poteſt, eo quod in eo facile labes ſimoniæ cadere poteſt, ſecundum communem, de qua infra, quàm ordinarius porgare non poteſt, *cap. ex parte* 1. *de offic. ordin. Azorius par* 3. *lib.* 12. *de ſimonia cap.* 22.

Requiritur ſecundo juſta cauſa, quam Epiſcopus indagare debet, *d. cap. quæſitum de rerum permut. Garſia d. cap.* 4. *par.* 11. *num.* 44. aliqui præ tant cauſam debere eſſe neceſſitatem, vel utilitatem eccleſiæ, non verò ſufficere utilitatem perſonarum, ità *Boerius deciſ.* 205. *num.* 7. *Pariſius lib.* 11. *q* 5. *num.* 24 *Zerola in praxi par* 1. *in verb. permutatio* §. 3. *dub.* 5. *Card. Tuſchus litt. P. concl.* 365. *num* 5. qui requirunt utilitatem utriuſque eccleſiæ, ego tamen puto ſufficere expedientiam, ſeu utilitatem perſonarum, ità *gloſſa in cap. cum univerſorum, in verb utilitati*, ubi *Abbas num.* 7. *Garſia d. cap.* 4. *num* 43. *Riccius par.* 1. *dec.* 41. *Barb. lib* 3. *de jure eccleſ. cap.* 15. *num.* 172. & debet talis cauſa probari; non enim creditur Epiſcopo dicenti interveniſſe, *Novarius in coll. Bull. fol.* 109 Quod ſi ſit facta permutatio cum cauſa, quæ poſtea ceſſat, non poterit annullari dicta permutatio, quia ſufficit à principio adfuiſſe; poſt alios *Novarrius in d. collect. Bull. fol.* 110. qui etiam ait, quod non poteſt Epiſcopus diſpenſare in legibus ſuperioris, *cap. cum inferior de major. & obed.* conſtita cauſa tenentur Epiſcopi admittere permutationem, undè ſi eam negant ordinarij datur appellatio ad ſuperiorem: quando verò permutantur beneficia, quæ exiſtunt in diverſis Diœceſibus: ait *gloſſa in c.* 1. *de rerum permutatione in* 6. *in verb. collationem* fieri debere in manibus utriuſque liberam reſignationem, vel quilibet in manu ſui Epiſcopi, vel alter alteri committet, quod melius videtur *Garſia ubi ſupra num.* 65.

Requiritur tertio auctoritas ſuperioris alias erit permutatio ſimoniaca, *d. cap quæſitum*, & propria auctoritate permutantes illis privantur per ſententiam, *d cap. cum olim eodem titulo. Leſſius lib.* 2. *c.* 35. *num.* 100. *Garſia d. c.* 4. *num.* 56. Qui addit hodie per extravagantem deteſtabile de ſimonia illos ipſo jure videri privatos, & incurrere excommunicationem, de qua ibi in §. *Statuentes.* Superior verò eſt non ſolùm Papa, ſed etiam Epiſcopus proprius loci in quo eſt ſitum beneficium, *d. cap quæſitum de rerum permutat cap* 1. *eodem tit. in* 6. *Azorius lib.* 7 *c.* 29. *quæſt.* 4. *Garſia d. c.* 4. *num.* 60. *Bonacina de ſimonia q.* 4. §. 12 *num* 7. & licet *Pariſius lib.* 5. *q.* 6 *num.* 231. crediderit non benè; hodie Epiſcopos non poſſe admittere permutationes beneficiorum, eo quod Pius V. in ſua Bulla 42. ſuſpendit facultatem ordinariis recipiendi reſignationes, & permutationes beneficiorum, donec detur modus, & poſteà in alia Bulla 58. dando modum reſignationibus, nihil loquutus fuit de permutationibus, tamen ipſe non advertit ad dictam Bullam 58. ubi apertè datur facultas admittendi permutationes coram ordinariis, ut ben *Zerola in praxi* §. *permutatio dub.* 1. poſt alios *Garſia d. cap.* 4. *n.* 62. *Bonacina d.* §. 12. *n.* 7. qui id ampliat etiam ſi unum beneficium ſit pinguius altero, & in quolibet menſe etiam Apoſtolico, ut ait Sacra Congregatio apud *Barb. d. lib* 3. *de jure eccleſ. c.* 14. *n.* 174.

Si petas quis veniat in hac materia nomine Epiſcopi. Reſpondeo eum intelligi, qui juriſdictionem habet epiſcopalem, vel quaſi, etiam ſi fortè non habeat dignitatem epiſcopalem, quia talis facultas convenit ſuperiori ratione juriſdictionis, non dignitatis, ità *Abbas in d. cap. quæſitum, Azorius d. c.* 29. *q.* 4. *Bonacina d. q.* 4. §. 12. *num.* 7. *Garſia d. c.* 4. *num.* 7. undè poterit Capitulum ſede vacante inter-

ponere decretum, & auctoritatem, beneficiorum permutationi quando collatio spectabat ad Episcopum, & capitulum secus spectabat solum ad collationem Episcopi, ut supra dixi de Vicario Capituli: Vicarius verò Generalis Episcopi non potest permutationes expedire, nisi mandatum habeat speciale, *Azorius* c 29. q. 4. *Garsia* c. 4. *num.* 74. ubi ait non sufficere, quod habeat potestatem conferendi: si verò ipsi Episcopi voluerint permutare aliqua beneficia, quæ ipsi possident in sua Diœcesi ex dispensatione Apostolica, coram Metropolitano id facere poterunt, *Suarez lib* 4 *de simonia c.* 32. *num.* 9. *Filiuccius tract.*45. *cap.* 7. *q.* 8. *num.* 20.

Duo noto in permutationibus, quæ fiunt coram Episcopo. Primum quod non fiat permutatio beneficij cum pensione, sed cum beneficio, *Bonacina d. §* 12. *n.* 8. quia talis facultas sibi tradita est. Secundum noto, quod fiat purè, nam si fiat cum pensione, vel alio onere, non potest fieri coram Episcopo, sed solum coram Papa, *Suarez d. lib.* 4. *c.* 33. *Lessius, lib.* 2. *c.* 35. *num.* 36. *Filiuccius tract.* 45. *c.* 7. *num.*26. *Bonacina d.* §. 12. *num.* 8. undè non potest beneficium permutari cum auctoritate Episcopi pro pensione temporali, aut commenda militari, vel alia re temporali, alioquin committeretur simonia.

Neque potest coram ordinario fieri permutatio, cum pacto, ut unus solvat omnes expensas, vel expediat suis sumptibus Bullas ad utrumque pertinentes, quia non est pura permutatio, licet coram Papa fieri soleat, ubi id ei exprimitur, & ipse consentit. *Azor. par.* 3. *lib.* 12. *c.* 12. *q.* 4. *Suarius lib.* 4. *c.* 34. *ad finem.* Neque beneficia quamvis inæqualia in temporalibus permutari possunt cum pensione, aut alia re pretio extimabili coram Episcopo, etiam si pensio, vel alia res temporalis exigatur ratione beneficij, pinguioris, quia jam non esset pura permutatio, quia talis excessus fructuum beneficii, utpotè annexus rei spirituali vendi non potest, neque permutari sine Episcopi auctoritate, *Sotus de justitia lib.* 9. *q.*5 *art.*2 *& q.* 7. *art.* 2. *Covarr. lib.* 1. *var.c.*5. *num.* 8. *Filiuccius tract.* 45 *cap* 7 *quæst.* 11. *Suarez lib.* 4. *c* 34. *num.* 10. *Reginal. lib.* 23. *n.* 264. *contra Cajetanum* 2. 2. *q.* 160. *art.* 4. & alios existimantes inæqualitatem fructuum temporalium in beneficio posse compensari cum pecunia numerata; modo fiat permutatio auctoritate Prælati.

Requiritur quarto in permutatione consensus illorum, ad quos collatio, electio, seu præsentatio pertinet, quia ipsorum interest, quamvis Episcopus totum debeat expedire, *glossa in d. cap. unico de rerum permutatione*, *Garsia d. c.* 4. *n.* 72. *Bonacina d. §.* 12. *num.* 3 undè beneficium Jurispatronatus non potest permutari sine consensu Patroni, *Moneta de commut. ultim. volunt. c.* 10. *num.*369. *Gratianus cap.* 835. pluries decisum refert *Barb. d. lib.* 3. *c.* 15. *num.* 82.

Requiritur quinto, ut post resignationem, quæ in permutatione intervenit, à superiore admissam, fiat collatio beneficiorum sic vacantium, *Garsia c.* 4. *n.* 85. & etiam requiritur, quod litteræ permutationis simul expediantur, & quod antequam possessio accipiatur fiat publicatio de prædicta permutatione in ecclesiis permutatis, latè *Garsia par.* 12 *c.* 3. §. 4. *num.*289. *Barb. d. lib.* 3. *c.* 15. *num.* 186.

In §. finali.

Conclusio hujus textus est, quod si quis habuit expectativas à Summo Pontifice, ut primum beneficium vacaturum ipsi ab ordinario conferatur, non potest ipsi conferri beneficium resignatum infra illud tempus in illa Diœcesi, *cap. unico de rerum permutatione in* 6. ubi nota ex *Trid. sess.* 24. *c.* 19. *de reform. benef.* determinatum esse nullo pacto prædictas expectativas concedi posse, utpotè maximè odiosas, & cum fuisset dubitatum in Sac. Congregatione an creatus in canonicum supernumerarium cum spe futuræ præbendæ sit species expectativæ fuit responsum negativè, *Rota dec.* 445. aliàs 16. *in novis*, *Card. Puteus decis.* 378. *lib.* 2.

TITULUS XIX.

De Renunciatione.

Visum est supra de uno modo, quo conjugium spirituale inter Episcopum, & Ecclesiam dissolvitur, scilicet de translatione. Videndum erat de alio modo, meritò supra prædictus titulus de renunciatione. Ad cujus intelligentiam.

Suppono primo, quod renunciare apud J. C. & linguæ latinæ professores varia significat: aliquando enim sumitur pro eo, quod est deferre, ut in *l.* 1. *in principio*, *ff. si mensor falsum modum dixerit*: undè revelantes secreta Regis dicuntur renunciatores, *l. si quis aliquid* 38. *ff. de pœnis*, *Alciatus in l. detestatio*, *ff de verb. signif.* sed frequentius accipitur pro repudiare, resignare, vel cedere, ut colligitur ex *l.* 2. *ff. de divortiis*, *l.* 1. *C. de sponsalibus*, *cap. ex parte de clerico ægrotante*, *cap. susceptum in fine de rescriptis in* 6. & tradunt *Citannanus de verb. signif. in verb. renunciare*; quæ quidem renunciatio definitur, ut sit spontanea juris proprij dimissio, *Hostiensis in summa de pactis*, §. 1. *num.* 6. *Petrus Gregorius lib.* 17. *Syntbagm cap.* 17. *num.* 13. *Sebastianus Medices de definition defin.* 96. & hæc est communis definitio, teste *Flaminio Parisio de resignat. benefic. lib.* 1. *q.* 1. *num.* 30. Alij dicunt, quod est legitima beneficii dimissio à superiore admissa. Dicitur legitima, ad excludendas renunciationes dolo, vel alio illegitimo modo factas, quæ nullæ sunt, *cap. super hoc de renunc. cap. ad audientiam de his, quæ vi, cap. dilectus de præben.* Dicitur beneficij, quia ad propriam renunciationem requiritur, ut renuncians habeat jus in re non autem ad rem, quia talis juris dimissio dicitur potius cessio, quam renunciatio, *Petrus Gregorius lib.* 17. *Syntbagm. cap.* 17. Non nego tamen, verba hæc renunciare, cedere, & resignare confundi interdum inter se *Flaminius lib.* 1. *q.* 1. *num.* 70. Dicitur à Superiore admissa, quia de substantia renunciationis est, ut à Superiore admittatur, *DD. in cap. admonet hoc titulo*, *Garsia par.* 11. *c.* 3. *num.* 219. qui tamen *num.* 247. id limitat in renunciatione juris ad rem, seu litterarum ad beneficia, quia absque superioris auctoritate renunciari potest litteris ad beneficia, ac juri ad rem ad beneficium competenti, & *nu.*249. limitat etiam quando fieret renunciatio beneficij litigiosi, in qua si jus ambiguum sit superioris auctoritas non desideratur. Appellatione verò superioris in hac materia venit, qui potestatem habet instituendi, puta Papa *cap. denique* 6. *q.* 3. *legatus à latere*, *cap. Abbatem*, §. *fin. de elect. in* 6. *Episcopus cap. nullus* 16. *q.* 7. *cap. admonet de renunciat.* vel inferior, alius habens jurisdictionem episcopalem, & sic omnis superior ordinarios habens spiritualia, *Flaminius lib.* 7. *q.* 15. *Erasmus de Cochier de jurisdict. in exemptos par.* 4. *q.* 68. & Coadjutor datus Episcopo infirmo, vel seni, potest cum consensu Episcopi renunciationes recipere. Vicarius verò non potest, nisi habeat speciale mandatum, *Sbrozzius lib.* 2. *q.* 130. *Zerola in praxi par.* 1. *in verb. renunciatio* §. 4. *Flaminius lib.* 7. *q.* 24. *Riccius resol.* 741. *par.* 2. *Barb. par.* 3. *alleg.* 54.

qui

qui num. 67. probat, quod data facultate admittendi resignationes simpliciter, non censetur data facultas resignata beneficia conserendi. Capitulum verò sede vacante potest acceptare resignationem, *Quaranta in verb. Capitulum sede vacante quaest.* 10. *Riccius par.* 2. *resol.* 241. *Garsia par.* 11. *cap.* 3. *num.* 256.

Ex quibus infertur. Primo non posse beneficiatum ad sui libitum renunciare beneficium. Secundo solam renunciationem à superiore non admissam non abdicare jus à beneficiato, ñeque par consequens vacare beneficium, nisi fuerit acceptata renunciatio per superiorem, *Rota decis.* 352. *alias* 4. *in novis sub. tit. de renunciat.* & sic intelligitur *textus in cap. admones de renunciat. & in cap. susceptum de rescriptis in* 6. latè *Parisius de resignat. beneficij lib.* 8. *q.* 7. *à principio*, *& q.* 8. *à num.* 138. quando verò quis renunciat beneficium, ad quod habet jus ad rem; tunc non requiritur superioris licentia: *glossa in cap. si electio de elect. in* 6. *in verb. renunciat. & dec.* 308. *Rota dec.* 7. *de jure patron. & dec.* 8. *eodem titulo in novis.*

Infertur etiam difficilem reddi Pontificis decisionem in *cap. duæ sunt* 19. *q* 2. dùm dicit posse Parochum ecclesiam dimittere, & religionem ingredi invito Episcopo. Ratio difficultatis est, quia si beneficiatus non potest dimittere beneficium, nisi accedat consensus prælati: ergo neque poterit invito Episcopo religionem ingredi, nisi sui prælati consensus accedat, nè quod una via prohibetur alia admittatur, contra regulam *textus in cap. cum quid una via de regulis juris in* 6. *Glossa in d. cap. duæ sunt, in verb. afflatus* sentit difficultatem, & respondet, & cum ea communiter DD. *in cap. licet de regular.* Parochum, seu quemcumque alium beneficiatum, qui dimisso beneficio religionem ingreditur, lege Spiritus sancti duci, & ideò à lege sæculi liberari.

Sed contra quia eadem Spiritus sancti inspiratione, qua Parochus movetur, moveri potest servus, aut debitor, quia Spiritus ubi vult spirat, *cap. nisi cum pridem de renunciat.* & tamen servi invitis domivis, & debitores inconsultis creditoribus propter eorum præjudicium ad religionem non admittuntur, de servis est *textus in cap.* 1. *&* 2. *dist* 53. ergo prædictus parochus suam parochiam, cum maximo dispendio deserere non potoit, & ad religionem convolare, sed potius cum Beato Martino dicere debebat: *Domine si adhuc populo suo sum necessarius non recuso laborem.*

Augetur difficultas contra prædictum textum, quia nullus de perfectiori statu ad minus perfectum transire potest propria auctoritate, *cap. licet de regul. cap. qui potest*, ubi *glossa*, *in verb. latiorem eod. tit. in* 6. tradunt DD. in *cap.* 1. *& in cap. scripturæ*, *de voto*; sed status clericorum est perfectior statu religiosorum, *cap. sic vive*, *cap. si clericatus* 16. *q.* 1. *S. Thomas* 2. 2. *q.* 184. *art.* 8. ergo Clericus propriam ecclesiam, cui addictus est dimittere, & religionem ingredi non potest.

Augetur tertio difficultas, quia faciens contra publicam legem præcipientem, ut nullus inconsultò superiore beneficium dimittat, non est præsumendum, quod Spiritu sancto ducatur, *cap. nisi cum pridem, vers. Sed dices*, ibi, *Quomodo Spiritu Dei agitur, qui contra Spiritum Dei agit*, ergo non poterit clericus propria auctoritate dimisso beneficio ad religionem convolare.

Sed his non obstantibus veram trado dispositionem dicti textus, in *c. Duæ sunt* 19 *q.* 2. quia licet Parochus obligetur, tamen intelligitur perseverando in eodem statu, sed in casu nostro transit in meliorem ergo, &c.

Ad primum argumentum pro contrario respondeo, quod Deus non acceptat promissionem de meliori bono cum præjudicio tertij, *cap. una sola in fine* 33. *q.* 5. *S. Thomas* 2. 2. *q.* 32. *ar.* 7. ergo quia servi, & debitores præjudicarent Dominis, & creditoribus, ideò eis id non licet religionem ingredi, sed beneficiati non ità sunt, quia illa nova electio melioris boni non cadit sub prælati obligatione.

Ad secundum concedo clericorum statum perfectiorem esse statu religiosorum, quia licet religiosorum vita quasi regulari disciplinæ subdita sit præstantior vita clericorum, *Cap.* 1. *& cap. Duæ sunt* 19. *q.* 1. tamen status clericalis est statu religiosorum perfectior, ergo a priori medio mediantibus, scilicet divinis laudibus, & altaris ministerio, cui clerici sunt adstricti, ad divinam dilectionem dirigitur, ut explicat *Cajetanus* 2. *tom. opuscul lib.* 9. *q.* 1. & ideò quia antiquitus Ministerium altaris clericis non permittebatur, *cap. nemo*, *cap. ex auctoritate* 16. *q.* 1. ad Monachalem ordinem clericis, aut Canonicis regularibus transire non licuit, *cap.* 1. *&* 2. 19. *q.* 3. postquam verò licitum fuit Monachis esse clericos, & uterque status compatibilis est, cessat dispositio *textus in d. c.* 1. 19. *q.* 3. & ideò clerici religionem ingredi non prohibentur, quia potius laudabile est [illegible] statui clericali vitam adjungere monachalem, *S Thom.* 2. 2. *q.* 189. *art.* 8. *ad* 2. *Sotus de just. & jure lib.* 10. *q* 7. *art.* 3 Ideò *textus in d cap. sic vive* cum similihualoquuntur de tempore primitivæ ecclesiæ, quo Monachi Sacerdotes non erãt, ut ex *Dionysio de ecclesiast. Hierarchia* deducit *Sebastianus Medices in concordia decreti* 16. *q.* 1. *ar.* 1.

Ad tertium scilicet ad *textum in d. cap. cum pridem, in vers. Sed dices* Respondeo, quod agit de Episcopo, qui resignandi licentiam à Romano Pontifice postulabat; ut religionem ingrederetur, quod Episcopis propria auctoritate non licet facere; ratio est, quia quamvis contemplatione religiosorum contemplativa vita tutior, & melior sit activa, juxtà illud *Lucæ* 10. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*: tamen status episcopalis religiosorum statu perfectior est, *Sanctus Thomas* 2. 2. *q.* 182. *ar.* 2. obi *Cajetanus*, *vers ad tertium*, *& q.* 188. *ar.* 6. non sic tamen est dicendum de parochis, quorum status licet etiam versetur circa curam Pastoralem, ex se tamen imperfectior ex *S. Thoma*, & ibi *Cajetano* 2. 2. *q.* 184. *art.* 4. *&* 8. *Barb. lib.* 13. *de jure eccles. c.* 15. *in principio.*

Sciendum secundo est principaliter renunciationem beneficiorum duplicem esse, tacitam scilicet, & expressam, tacita est illa, quæ fit à lege sive hominis expressione, *Rebuffin in praxi de renunciat. benefic. de tacita num* 1. *Parisius lib.* 1. *q.* 1. exemplum est in eo, qui in minoribus contraxit matrimonium quia videtur renunciare clericatui, *cap.* 1. *& cap. quod à te de clericis conjugatis*, *Covar. par* 2. *de sponsalibus c* 6. §. 3. *Mascar. de probation. concl.* 182. *Diaz in praxi criminali canonica*, *c.* 80. Aliud exemplum est quando quis consequitur pacificam possessionem secundi beneficij incompatibilis cum primo, quia eo ipso primo renunci asse videtur, *cap. de multa de præben. extravag.* execrabilis *Joannis* 22. §. *qui vero eodem tit. Trid. sess.* 7. *de reform. c.* 4. *& sess.* 24. *de reform. c.* 17. *Mascar. concl.* 183. *Petrus Gregorius lib.* 17. *cap.* 17. *Hodieda de incompat. benef. par.* 1. *c.* 13. *Flaminius d. lib.* 1. *q.* 1. patet ex *texsu in Clem. Gratiæ de rescriptis* ibi renunciare videris: aliud exemplum est in *cap. transmissa de renunciatone*, ubi clericus bona, que ecclesiæ suæ donavit iterum repetit, quia ex tali repetitione colligitur prædictam ecclesiam voluisse dimittere. Aliud exemplum est in *cap. ex ore*, *de his*, *quæ*

sunt à majori parte, &c. ubi litigans super quadam propositura, ex eo quod colliganti suo reverentiam exhibuit juri suo renunciasse creditur, quia in utroque casu ex parte beneficiarij intervenit factum ad renunciandum ordinatum, ex quo lex talem præsumptionem elicere potuit; ideò si in terminis prædictorum jurium partia protestatio intervenisset cessabat omnis renunciationis præsumptio; est videndus *Barb. lib. 3. de jure eccles. c. 15. num. 41.* qui duos illos primos modos tacitæ renunciationis non vocat tales, sed dicit ibi in pœnam resultare privationem, secus in posterioribus modis; undè colligit in prioribus modis protestationem antecedentem nihil juvare, quia est lex, quæ in pœnam privat, secus in secundis.

Renunciatio expressa est illa, quæ fit expressis verbis, vel literis à renunciante servata forma juris, & hæc duplex est, alia simplex, & pura, quæ ex mera liberalitate absque ullo facto fit, altera verò conditionalis, quæ in favorem certæ personæ, vel sub aliqua conditione celebratur, *Flaminius lib. 1. q. 2.* & resignatio conditionalis fuit cognita etiam Pontificibus, tempore clementinarum, & Sexti, DD. in *cap. 1. de rerum permutat. in 6. & in clem. 1. eodem. titulo.*

Dantur differentiæ inter unam, & aliam renunciationem. Prima differentia est, quod simplex, & pura renunciatio à jure recepta est, & fieri potest coram Episcopo Diœcesano, ut in toto *tit. de renunciatione*; renunciatio verò conditionalis erat à jure reprobata, *glossa in cap. ex parte il 1. de offic. delegati in verb. permittere*: sed in praxi admittitur, quia sutt cognita, deinde apud Summum Pontificem: undè licèt possit quis renunciare beneficium, cum accessu, & recessu, & pensione, in favorem certæ personæ, vel alia conditione coram Pontifice, cùm à simonia, quam incurret quis de jure humano Summus Pontifex non ligetur, *glossa in cap cum pridem de pactis, in verb. illicitè, Cassadorus dec. 2 de simonia, Flaminius lib. 14. q. 13.* tamen secus dicas de Episcopo, Legato, Nuncio, vel quocumque alio inferiore Prælato, qui conditionales renunciationes, tanquam simoniacas admittere non possunt. *Abbas*, & alij in *cap. ex parte de offic. delegati, Covarr. lib. 1. var. c. 5. Suarez de religione tom. 1. tract. 3. lib. 4. c. 35 nu. 22. Bonacina de simonia q. 4. §. 14. n. 2.* Neque potest Episcopus, in cujus manu renunciatio fuit facta conditionalis, eam acceptare rejecta conditione, & beneficium tanquam vacans ex vi suæ potestatis ordinariæ conferre, *Decius in cap. cum venerabilis num. 18. de except. Flaminius lib. 1. q. 3.* quia actus sub conditione celebratus conditione non adimpleta nullum operatur effectum, argum. *tex. in cap. ex conditionali instit. de verb. obligat. l. item quia §. 1. de pactis*, nec actus cum qualitate gestus, rejecta qualitate acceptari potest, *Bart. in l. Aurelius, ff. de liber. legata*, sed in forma specifica est adimplendus, *l. Mævius, qui heredi, ff. de condict. & demonstr. Flaminius d. q. 5. num. 15.* ergo renunciatio beneficij sub conditione proponitur facta non poterit Episcopus conditione rejecta beneficium tanquam vacans alteri conferre, nec per talem renunciationem jus à resignante abdicatur; immò resignatio habetur pro infecta si cum prædicta conditione, & qualitate acceptata non fuerit, pro qua opinione ponderetur *textus in cap. beneficia de præben. in 6. & in Clem. unica de rerum permutatione*: alij verò putant talem conditionem rejici, & puram esse collationem faciendam ab Episcopo ad sui libitum, qua de re *Barb. lib. 3. c 15. num. 457. & sequenti.*

Ex quibus primò nota, quod renunciatio facta coram Episcopo, & cæteris ordinariis collatoribus sub conditione retinendæ pensionis, vel alterius rei temporalis esset simoniaca, *glossa in cap. ex parte de offic. de legati in verb. Dimittere, Suarius de simonia lib. 4. c. 35. Filiuccius tom. 3. tract. 45. cap. 8. quæst. 10. num. 34 Bonacina de simonia q. 4 §. 14.* quia apponitur conditio in spiritualibus, ergo non fit gratuita, *cap. tua nos de simonia.*

Nec quiquam facit *textus in cap. nisi essent de præben.* dùm approbat arbitrorum compositionem celebratam sub ea forma, ut alter ex litigantibus super beneficio liti cederet, & certam pecuniæ quantitatem ab altero singulis annis recuperaret, cum tamen simile arbitrium in *cap. ultimo de transactionib. & in cap. 2. de arbitris*, tanquam simoniaca improbetur.

Respondeo enim ideò in d. *cap. nisi essent* certam illam pecuniæ quantitatem, absque simoniæ labe dari posse, quia non ex conventione partium, sed ex arbitrorum providentia pro bono pacis id factum fuit, ut post alios *Padilla in l. ultima num. 13. C. de transact.* quod ut possit fieri simonia tria requiruntur. Primo, ut nulla inter partes conventio, aut conditio etiam pro bono pacis interveniat. Secundo, ut arbitri sint viri bonæ opinionis. Tertio, ut beneficium adjudicetur ei, qui bonum titulum habet, vel talis ex actis appareat, alias non solum injustitia, sed simonia pariter committeretur, quibus concurrentibus cessat omnis suspicio simoniæ, & aliquod temporale pro bono pacis ad vitam solius dantis dari potest. Immò realis etiam pensio ad recipientis vitam in solis fructibus beneficij potest constitui; dummodò ab ordinario Episcopo id fiat, qui solus post Romanum Pontificem pensionem ex causa constituere potest, *cap de cætero. cap. veniens de transact.* sequitur *Felynus in cap. ad audientiam de rescriptis, Gigans de pensionibus q. 6.*

Nec contrarium probat *textus in c. ult. de rerum permut* quia agit de arbitris judicantibus, ut pars spirituali juri renunciaret si temporalia acciperet, quo casu ex Judicis mandato simonia excusari non potuit, cum temporalia pro spiritualibus reciperentur, nec supra posita requisita intervenissent, ad quæ datio temporalis referri possit: at longè aliter se res habuit in d. *cap. nisi essent*, ubi pars juri suo spirituali non cessit, sed habenti titulum adjudicatum fuit beneficium.

Neque obstat *tex. in d. c. 2. de arbitris*, quia arbitrium ibi propter clericos malè arbitrantes fuit probatum, non propter simoniam, ut in serie *textus* intelliges.

Sciendum 2. est quæstionem esse inter DD. an renunciatio beneficij conditionalis in favorem certæ personæ sine ulla reservatione pensionis fieri possit coram ordinario, in qua quæstione *Boerius de potestate legati q. unica num. 111. Sotus de justitia lib. 9. q. 7. art. 2. Covarr. lib. 1. var. c. 5. num. 50.* & alij apud eos tenent id posse fieri dummodò nulla inter resignantem, & resignatarium interveniat conventio, vel repromissio. Probant, tum quia illa tantùm conventio reprobatur tanquam simoniaca, in qua datur temporale pro spirituali, *cap. 1. cum sequentibus par. 1. q. 1. cap. nemo, cap. tua nos de simonia*; sed conditio prædicta de se simoniam non inducit, *cap. significatum de præben.* ergo tùm quia renunciatio quæ fit ex causa permutationis conditionalis est, in qua continetur clausula (*nec aliter, nec alio modo*) ut docent DD *in cap. unico de rerum permut. in 6.* ibi, *quia alias nemo resignasset, Clem. unica eodem tit.* ibi, *ex causa permutationis resignata*: sed talis resignatio ex causa permutationis etiam sub expressa conditione valida est, *cap. ad quæstionem, cap. ultimo juncta glossa, in verb. temporalia de*

rerum

rerum permutatione, ergo conditionalis resignatio; cedit *text. in cap. cum Universorum*, ubi renunciatio facta in favorem tertij tanquam simoniaca non improbatur.

Alij verò putant prædictam renunciationem fieri non posse sine simonia *glossa in d. cap. ordinationem* 1. *q.* 1. *& in cap. dilecto de praben. & in cap. ex parte il* 1. *de offic. delegati*, *Navarr. in manuali cap.* 23. *num.* 107. *& in cap. si quando de rescriptis*, *Flaminius lib.* 14. *q.* 14. *Cassadorus dec.* 3. *de renunciatione*, *& dec.* 3. *de simonia*: tùm quia in beneficialibus omnis pactio rejicitur tanquam simoniaca, *cap. ultimo de pactis*, *cap. quæsitum de rerum permut.* sed talis resignatio, ut Titio conferatur patum continet, *l.* 1. *ff. de pactis*, ergo simoniaca dicitur, quamvis ille, cui renunciatur fit dignissimus; tùm quia resignatio ut valeat, debet esse libera, *cap. dilecto de prab.* ibi, *intendentis provideri nepoti suo liberè resignavit*, *cap. ex parte de officio de legati.* Sed hæc liberalitas tollitur ordinario si conferre teneatur illi, in cujus favorem fuit facta renunciatio, ergo.

Tu verò pro concordia dicas prædictam renunciationem attento juris rigore simoniacam non esse, sacris tamen canonibus est inimica. Prima pars patet, quia ut sit simoniaca requiritur, ut aliqua lege divina, vel humana prohibeatur ex *glossa in cap. ex parte de officio delegati*, sed nulla lex divina, vel humana id prohibet, ergo secunda pars probatur ex *cap. plerique* 8. *q.* 1. ubi *Hilarius Papa in Romana Synodo* decrevit, nè beneficiarij in suum locum alios designare, subrogare, aut eis gratificare possint, quia quæ Dei sunt ab homine dari non possunt, sed libera electione, *cap. Episcopo*, *cap. Moyses*, *cap. Apostolica* 8. *q.* 1. *cap. ad hæc de decimis*, *cap. consuluit de Jurepatronatus*: & sic intelligitur *textus in cap.* 1. *de praben.* hinc sacri canones prohibuerunt accessus, recessus, coadiutorias, cum futura successione, per quos beneficiati non simpliciter, & liberè, sed certis quibusdam conditionibus beneficia resignabant, *cap. Petiisti* 7. *q.* 1. *Trid. sess.* 25. *de reform. c.* 7. constat verò id non prohiberi ratione simoniæ veræ, aut præsumptæ, sed quia repugnat, ut beneficia, quæ Dei sunt ad congruam substentationem Sacerdotum instituta, *cap. cum secundum de praben.* ex ministrorum potius voluntate, quam ex prælatorum ordinatione deferantur, accedit alia ratio: quia qui verè Dominus non est, sed solum administrator, conditiones apponere non potest in rebus, quas administrat, *cap.* 1. *de resolution. c. ex præsentium de pignor. Molina de primog. lib.* 1. *c.* 8. *num.* 21. Sed beneficiatus sui beneficij non est Dominus, *c.* 2. *de donat.* ergo non potest conditiones apponere.

Ad argumenta pro parte contraria dico ad *textum in c. ult. de pactis* illa pacta prohiberi in beneficiis, in quibus datur temporale pro spirituali, *cap. audivimus de simonia*, *Trid. sess* 24. *de reform. c.* 14. & verba illa generalia, omnia pacta prohibentur, debent intelligi secundum terminos habiles, argum. *l.* 1. *C. de sacros. Eccles.* undè videmus etiam plures conventiones in spiritualibus dari posse absque labe simoniæ, *cap. ad quæstiones de rerum permut. cap. significatum de praben. cap. ad audientiam*, *juncta glossa de rescriptis*, *cap. super eo de transact.* ex pluribus aliis locis id probat *Covarr. lib.* 1. *var. c.* 50. *num.* 4. Ad *textum in d. c. Dilecto pro contrario*, ibi liberaliter. Respondeo, quod renunciatio conditionalis non admittenda per prælatum inferiorem, sed si admittatur dico non esse simoniacam, neque id probat textus prædictus si rectè ponderetur.

Neque dicas obstare *textum in cap. Nemo de simonia*, *& in cap. unico*, *vers. circa ut eccles. benef. sine diminut. confer.* quibus juribus carnalitas, & affectio animi simoniam inducit, ac si temporale intervenisset: sed prædicta conditio in favorem certæ personæ procedit ex affectu, & carnalitate, ergo est simoniaca.

Respondeo enim carnalitatem animi ibi non improbari, tanquam simoniacam, sed tanquam injustam, & iniquam in spiritualibus, ut benè *Covarr. in d. c.* 5. *Parisius lib.* 14. *q.* 7. *num.* 19. Nec *text. in d. cap. Nemo* contrarium probat, quia solum dicit non posse præsbyterum gratis, vel amore, seu consanguinitatis respectu, aut pro quocunque temporali emolumento peccatorem celare, & reconciliare in pœnitentem, aut pœnitentem à reconciliatione removere, quia utrumque simoniacum est, scilicet si in utroque temporale emolumentum, de quo egerat intervenisset, non autem si sola animi affectio, vel consanguinitatis respectus reperiretur, qui injustitiam, non simoniam inducit.

Et à fortiori colligitur renunciationem coram Episcopo factam ea intentione, & spe, ut certæ personæ conferatur non esse simoniacam, *glossa in d. cap. ordinationes* 1. *q.* 1. *in verb. prætio*, *Flaminius lib.* 14. *q.* 6 *num.* 5. & in utroque foro licitum est renuncianti post renunciationem liberè, & purè factam procurare, & humiliter postulare, ut beneficium illud certæ personæ conferatur, *cap. tua nos in* 2. *responso de simonia*, *Cassadorus dec.* 2. *eodem titulo*, *Suarez lib* 4. *de simonia num* 18. *Quaranta in summa Bullarij*, *in verb. Beneficij resignatio*, *Reginal. in praxi lib.* 23 *nu.* 249. *Filiuccius tom.* 3. *tract.* 45 *c.* 8. *q.* 9. *num.* 26. nisi renuncians intenderit spem ipsam in pactum, & conventionem deducere, *Navarrus cons.* 11. 38. *&* 43 *de simonia.*

Attenta verò Bulla Pij V. 58. in ordine incipiente, *Quanta Ecclesia*, omnes resignationes beneficiorum etiam simplices, apud ordinarios fieri prohibuit; posteà verò utilitatis gratia simplices permisit; ità tamen, ut nec nutu, nec verbo, nec signo, nec intentione in alterius favore fiant, nec consanguineis, affinibus, aut familiaribus resignantis, seu conferentis dentur, sub pœna nullitatis, & aliis, de quibus ibi, & sic servari refert *Parisius lib.* 11 *q.* 5. *nu.* 12. quæ tamen dispositio non procedit in resignante beneficium de suo jurepatronatus: hic enim potest præsentare quem vult ad dictum beneficium, & Ordinarius tenetur instituere, non obstante Bulla Pij V. & etiam hodie non obstante Bulla prædicta licitum est renunciare ea mente, & spe, ut certæ personæ conferatur, & id procurare potest renuncians, quia Bulla intelligitur de expressa intentione, vel tacita, sed in conventionem deducta, non verò de interna, ut benè *Flaminius ubi supra q.* 6. *num.* 7. *Navarrus cons.* 38. *de Simonia*, *Barb. lib.* 3. *de jure eccles. c.* 15. *num.* 65.

Secunda principalis differentia inter renunciationem puram, & conditionalem ea est, quia per puram renunciationem à quocumque legitimo superiore acceptatam, remittit renuncians omne jus, quod in tali beneficio habet, & tanquam vacans à quolibet impetrari, & conferri potest, *Abbas*, & alij in *cap. Solita de restit. spoliat. Cassadorus dec.* 4. *eodem tit. Puteus dec.* 158. *lib.* 3. *cap. super hoc de renunciat. Rota dec.* 597. *par.* 1. *divers.* & apud *Cavalerium dec.* 104. est tamen difficultas, an renuncians beneficium, acceptata renunciatione per superiorem, amittat possessionem, ità ut beneficio non sit restituendus si expellatur? Prima opinio docet amittere possessionem, nec restituendum si expellatur, & nudam retinere detentionem, ità *Innocent. in c. super hoc. de renunciat.* communiter receptus ex *Navarro*

n cap. accepta de restit. spoliator. opposit. 6. *Flaminius lib.* *1. q. 3. & d. c. accepta de restitut. spoliat.* sequuntur *Co- zarr. practic. c.* 23. *Barbo in collect. ad c. ex litteris de restitut. spoliat.* Alij putant beneficiatum per renunciationem non amittere possessionem, in qua sicut anteà insistit, & ideò est restituendus, si ab ea dejiciatur, patet quia per solam collationem beneficij antequam apprehendatur possessio, ipsa non acquiritur, *cap. cum venisset*, ibi, *nondùm esset adeptus de instit. c. licet de præbon. in* 6. ergo per solam renunciationem, quæ stricti juris est, & strictius interpretanda, antequam ea animo possidentis amittatur, non perditur; undè si beneficiatus post renunciationem antequam possessionem remittat: eandem licet injustè retineat validè continuabit, & si ab ea rejiciatur erit restituendus, *Rota dec.* 1. *de renunciat. in novis*, *Antonius Gabriel in tit. de restitut. spoliat. concl.* 1. *num.* 59. *Navarrus in c. accepta de restit. spoliat. oppos.* 7. *num.* 50. & dicunt multi DD. eum, qui post renunciationem beneficij, ipsum retinet, & in ejus possessione insistit, si spolietur est restituendus, quamvis præcesserit renunciatio, *Menoch. remed* 1. *de recup. poss. n.* 299. ergo per renunciationem beneficij ejus possessio non amittitur, quia diuturna insistentia, & perseverantia possessionem supplere non potest, juxtà tex *in l.* 2. *C. de præscr.* 30. *annor. l neque, C de usufructu*, licet titulum, & ejus præsumptionem inducere possit, & sic possessionem justificare, ex *regul. l. cum de in rem verso, ff. de usuris, l. cum filius, C. de petit. hæredit.* & licet *textus in c Solitæ de restit. spoliat.* dicat, renunciationem factam post spolium, non tamen probat à contrario factam ante spolium, restitutionem impedire, quasi per eam proprietas, & possessio amittatur, sed solum concludit posse aliquo casu obstare. quando scilicet renuncians cum proprietate possessionem simul dimitteret, quod nusquam potest contingere ubi spolium præcedit renunciationem. Neque obstat *textus in c. accepta de restit spoliat.* quia spoliatus, de quo ibi, non egit judicio possessorio ex interdicto unde vi, sed postulavit restitutionem sui beneficij per remedium petitorium, contra quod exceptio renunciationis, & quæcumque alia respiciens proprietatem opponi potest quod patet ex verbis ibi, *Perpetuum silentium imponatis*, quæ verba judicium petitorum respiciunt, juxtà *c. Cum Ecclesia de causa possessionis*, nec possessorio rectè conveniunt, in quo licet spoliatus succumbat, proprietatis tamen quæstio eidem salva manet *c Significaverunt in fine de testam. c. ex conquæstione de restitut. spoliat.* latè *Barb. de jure eccles. lib.* 3. *c.* 15. *num.* 69.

Licet ergo per simplicem, ac puram renunciationem à superiore admissam, renuncians omne jus, quod in beneficio habebat, amittat ipso jure, tamen per conditionalem, nec titulum amittit, nec ullum jus à se abdicare censetur, nisi conditionibus impletis, quæ si ad unguem, & in forma specifica servatæ non fuerint, perindè est, ac si facta non esset renunciatio, argum. *l. qui hæredi, §. Mevius, ff. de condit. & demon. Parisius lib.* 1. *q.* 3. *num.* 15. *Puteus dec.* 145. *lib.* 1. *Mandosius de signatura gratiæ tit. de regressu c.* 2. undè si beneficium renunciatum in favorem Titij, v. g. conferatur alteri deindè, tale beneficium vacare non censetur, sed ex antiquo titulo posset renuncians possessionem continuare, *Cassadorus dec.* 3. *de renunc. Flaminius d. q.* 3. *Gregorius* 15. *dec.* 159. *Garsia par.* 6. *c.* 2. *num.* 126. *Marchesanus de commiss* 1. *tomo fol.* 143. *Mohedanus dec. ultima de renunciat. Buratius dec.* 781. *Rota dec.* 1. *in novis*, *Rota dec.* 92. *par.* 2. *in recensioribus*; undè etiam dicas, quod si beneficium non sit acquisitum a resignatario, cui scilicet fuit renunciatum, vacare non dicitur, puta si resignatarius sit excommunicatus, si sit laicus, si absens, si acceptare noluerit, vel ante acceptationem moriatur, quia tunc in his casibus resignans nullum jus amisit: sicut etiam si quis beneficium Jurispatronatus absque patroni consensu, aut legitima derogatione resignavit alicui, eo casu resignatio est nulla, & jus penès resignantem manet, *Barsatus cons.* 411. *Parisius d. q.* 3. *nu.* 96. Idem dicas de eo, qui renunciavit in manibus alicujus non habentis facultatem recipiendi resignationem, *Guido Papa cons.* 127. vel si verus valor beneficij à resignatario expressus non sit, *Boerius dec.* 243. *num.* 8. *Parisius, ubi supra num.* 107. vel si in renunciatione non fuit dictum, quod renuncians reperiebatur ordinatus ad titulum beneficij resignati contra formam *Trid. sess.* 21. *de reform. c.* 2. *Parisius lib.* 2. *q.* 9. *num.* 36. & 39. *Gonzalez in regul.* 8. *Cancellariæ glossa* 5. §. 10 *num.* 35. *Garsia par.* 2. *c.* 5. *num.* 192. *Buratius d. dec.* 138. quod procedit etiam in renunciatione ex causa permutationis, *Rota decis.* 614. *par.* 3. *Coccinus dec.* 317.

Sic etiam patet, quod si renunciat quis servata pensione, & pensio non reservetur, vel reservatur in minori summa, quam fuerit præfinita à resignante, vel si reservatio pensionis ex aliqua causa contingat annullari, nulla erit resignatio, *Caputaquensis dec.* 216. *par.* 1. *Flaminius d. lib.* 1. *q* 3. *num.* 82. *Seraphinus dec.* 21. *Rota dec.* 419. & 699. *par.* 1. *divers.* & 92. *par.* 1. *recensior.* nec quando pensio in parte non subsistit, erit reducibilis ad minorem quantitatem, quia deficit consensus resignantis, & sic gratia corruit in totum, & resignans potest regredi ad beneficium resignatum, *Farinaceus dec.* 260. *par.* 2. *recensior. Puteus dec* 267. *lib.* 3. & ideò si in supplicatione à resignatario sit dictum pensionem à resignante impositam tertiam partem fructuum non excedere, cum tamen excedat, vel beneficium, super quod pensio imponitur liberum esse, cum tamen alias jam esset gravatum: de quo gravamine in supplicatione alias mentio facta non fuit: tunc tales litteræ sunt subreptitiæ, & resignatio nulla, poteritque resignans ad suum beneficium regredi, & si ipse bona fide renunciavit ad suum beneficium potest liberè redire, cum jus quæsitum non sit ei, in cujus favorem renunciavit: si verò mala fide sciens quantitatem pensionis esse superfluam, tunc neque titulum amisit, & poterit redire ad primum, neque auditur pars volens facere, ut pensio in eo, quod excedat moderetur, ità *Hieronymus Gabriel cons.* 185. *lib.* 1. *Flaminius d. q.* 3. *num.* 80.

Ex quibus infertur, quod cum renuncians retineat titulum, & possessionem, quousque per eum, cui fuit facta resignatio non quæratur beneficium, per consequens percipiet fructus sui beneficij renuncians, quousque non quæratur beneficium *Barb. lib.* 3. *de jure eccles. c.* 15. *num.* 85.

Ultimo infertur procuratorem constitutum ad renunciandum sub certo modo, & formula non posse transgredi formam mandati: undè si in favorem alterius non nominati à principali renunciet, vel si in diversa forma, aut cum minori pensione resignatio facta sit, nullius erit momenti, neque resignans titulum, & possessionem amittit: & si gratia juxtà formam supplicationis, & mandatum non venerit, poterit agere spolio adversus resignatarium talis resignans, cum mandatum non fuerit juxtà suos fines diligenter servatum, argum. *l. diligenter, ff. mandati, cap. cum dilecta de rescriptis, cap. cum olim de offic. delegati*, *Seraphinus*

dec.

dec. 265. Bursatus conf. 380. Flaminius lib. 9. q. 17. n. 3. Limitatur hoc quando procurator non servando formam mandati faceret conditionem meliorem v. g. si majorem pensionem fecerit reservare, quia tunc licet non secundum verba, tamen secundum mentem resignantis fecit, Flaminius ubi supra q. 17. num. 146. quod quomodo procedat legas eum, & Barb. lib. 3. de jure eccles. c. 15. num. 87.

Est tamen primo notandum, quod si quis procuratorem constituit ad resignandum sub certa forma, & conditionibus, & procurator aliter renunciet, est invalida renunciatio, ut dixi, neque per ratihabitionem validatur, quia in beneficialibus, ut actus valeat requiritur consensus renunciantis, & superioris, in casu nostro esset Papa, ergo solus consensus, & ratihabitio renunciantis nihil operatur, sed opus esset consensu Papæ, Barb. d. lib. 3. c. 15. num. 88.

Neque obstat textus in l. licet 56. ff. de Judiciis, ubi Judicium gestum per falsum procuratorem nullliter, accedente Domini consensu firmatur. Respondeo enim ideò ibi confirmari, quia solus consensus Domini est requisitus pro constitutione procuratoris, ideò eo solo ratum habente validatur, sed in casu nostro non ità se res habet.

Notandum secundo est, quod si in mandato dato procuratori apposita sit clausula (Prout Procuratori benè visum fuerit expedire) neque poterit excedere fines mandati, quia illa potestas censetur data circa causæ expeditionem, & litterarum, non verò circa principale negotium, Bursatus conf. 395. n. 25. Flaminius ubi supra, q. 17. num. 93. aliter dicas si dictum sit (modo, & forma eidem Procuratori bene visis) quia talis clausula sufficit ad majorem, vel minorem constituendam pensionem, dummodò pensio resignanti, non alteri constituatur, Flaminius ubi supra n. 92.

Nota ultimo, quod resignatio fieri non potest ad favorem procuratoris constituti ad resignandum, quando ille mandatum acceptavit; secus si non acceptavit, & si in uno mandato plures sint constituti procuratores, qui illud acceptavit, poterit acceptare ad favorem alterius comprocuratoris, qui non acceptavit, cum tunc ille reputetur, ut extraneus, Rota Romana apud Buratt um dec. 797. num. 1.

In ℣. Propter conscientiam criminis, cum quatuor sequentibus.

Agitur hic ex quibus causis renunciatio beneficij fieri possit, sunt enim certæ causæ, ob quas unusquisque Prælatus Ecclesiam suam cum superioris licentia renunciando dimittere potest: de quibus in cap. nisi cum pridem, ubi glossa & DD. hoc titulo, quæ solent his versibus comprehendi.

Debilis, ignarus, malè conscius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans scandala cedere possit.

Quæ quidem causæ, ut benè dicitur in cap. quidam eodem titulo, ad duas reduci possunt, scilicet ad utilitatem Ecclesiæ, & ad salutem propriam.

Debilis. Prima causa est debilitas; appellatione verò debilitatis venit infirmitas, vel impotentia talis, qua redditur quis ab officij executione inutilis, vel valdè difficilis, cap. nisi cum pridem hoc titulo, Flaminius lib. 5. q. 3. num. 13. vel si non potest sine periculo mortis in loco Ecclesiæ suæ permanere: cap. ad supplicationem de renunciat. illi verò, qui est senio confectus, si nihilominus sit Ecclesiæ utilis, non datur renunciandi facultas, sed potius ei coadjutor adjungitur, c. 1. supra eodem. Senectus verò, quæ prælatum impotentem reddit ad exequendum officium pastorale, Judicis, idest Summi Pontificis arbitrio relinquitur, Menochius casu 33. Mascar. concl. 1290. Genuensis c. 53. Rendina 1. tomo recept. sentent. propè finem in miscell. num. 4.

Ignarus, intelligitur, qui ex defectu scientiæ ità est Ecclesiæ inutilis, ut nec ea noscit, quæ ad officij sui executionem sunt necessaria, d. cap. nisi cum pridem, Flaminius q. 3 a num. 67. qui num 83. ampliat, ut propter defectum scientiæ non solum sit concedenda licentia Prælato petenti, & volenti renunciare, sed etiam si non petat poterit compelli, ut renunciet, & n. 84 interpretatur verbum, potest, de quo in d. cap nisi cum pridem, idest, debet, aliquando verò tam ardens in homine charitas esse potest, ut scientiæ defectum supplere valeat, d. cap. nisi cum pridem, ibi; & ideò imperfectum scientiæ ut de Macedonio, & Antonio Anachoretis cujus ... disciplinæ inexpertis, ob eorum incredibilem c... atem Sacerdotio digna, referunt Flaminius d. q. 3. nu. 112. Bellectus disquis. clericali §. 4. num. 37. Sed hoc casu datur etiam Coadjutor DD. ubi supra: & ideò nota, quod Ecclesia patitur detrimentum ex ignorantia, nam est ignorantia mater cunctorum errorum, cap. ignorantia 38. dist. & illiterati æquiparantur cæcis cap. post translationem, §. item si quis de renunciat. differt enim illiteratus à viro doctu tanquam mortuus à vivo, Rebuffus de privil. schol. priv. 27. neque acquiritur scientia, nisi cum magno labore, undè præsumptio est contra eum, quod nullam habeat doctrinam, qui parum studet, & maximè ventri incumbit: Scientia verò requisita sufficit mediocris, qua sciat quis resolvere dubia saltem per volvendo libros. In regularibus minor requiritur doctrina, quàm in secularibus præsbyteria: licet enim in Trid. sess. 23. de reform. c. 11. requiratur linguæ latinæ cognitio saltem in ordinandis, tamen poterit Episcopus ordinare regulares non benè ling am latinam scientes. Tamburrinus de jure Abbatum tom 2. disp. 1. q. 21 Hieronymus Rodriquez in compendio quæstion regul. resol. 160. quia in regularibus non requiritur tanta litterarum peritia, quia Religiosi non ordinantur ad curam animarum habendam, sicut clerici, undè potest Episcopus nescienti grammaticam, sed bonæ Indolis conferre ordines minores, quia Trid. videtur ubi supra id remittere arbitrio Episcopi, Diana de dub. regul. res. sol. 86.

Tertia causa sufficiens ad renunciandum est si sit malè conscius, puta si propter crimen commissum, ex quo non fuit privatus, petit renunciare, eo quod videatur habere impedimentum sui officij, cap. nisi cum pridem, ibi, Propter conscientiam criminis, Flaminius q. 3. num. 8. crimen verò debet esse tale, quod impediat ipsius officij executionem, prout est crimen simoniæ, cap. nisi, § Propter eod. tit. vel crimen homicidij, cap. minor 50. dist. vel aliud crimen, quod infamiam irrogat, cap. infames, §. Porrò 3. q. 2. quod locum etiam habet in Papa, qui si sit notoriè incorrigibilis, vel simoniacus compelli potest renunciare, Bal. in c. cum olim de rescriptis, Card. Jacobatius de conciliis lib. 9. art. 12. Si verò criminosus accusatus de crimine lite pendente cedit beneficio, non impeditur provisio alteri facienda, cum non sit lis super beneficio, sed super crimine, glossa, quam ibi sequuntur DD. in c. 2. extrà ut lite pendente in 6. Rebuffus in tit. de modis amittendi beneficia in praxi benefic. num. 51. sic pluries decisum refert Riccius in præsenti, & par. 2. dec. 214. Immò hoc intellige etiam si fuerit renunciatum in favorem alterius, & secundo intellige, ut pendente accusatione possit beneficium prædictum permutare; & etiam tertio id procedit quando quis impetrasset beneficium in eventu priva-

tionis, quia adhuc poterit accusatus validè renunciare, nec impedietur renunciatio, & effectus ex dicta impetratione, nec post renunciationem procedi poterit ad privationem, & intelige hoc totum, etiam si renunciatio fiat non facta de crimine mentione, nec de accusatione, seu inquisitione, aut processu, nec de privatione: immò poterit accusatus renunciare, etiam data sententia privationis si ab ea fuerit appellatum, quia per appellationem integrum manet jus ejus, *l. qui à latronibus, §. fin. ff. de testib. Covarr. pract. quæstion. c.* 23. *Riccius in præsenti; & dec.* 214. *par.* 2. *Novarius post.* 2. *volumen quæstion. for. q.* 6. quæ resignatio à criminoso fieri potest per procuratorem, & ad favorem coram Sommo Pontifice, *Riccius par.* 3. *in praxi resol.* 402. *Barb lib.* 3. *de jure ecclesi. c.* 15. *num.* 104.

Quarta causa sufficiens ad renunciationem est irregularitas, d. *cap. nisi*, ubi DD. puta si sit bigamus, vel viduæ maritus, ut ibi notatur, quia cum irrigularitas sit canonicum impedimentum, quo impeditur quis exercere ordinem, consequenter sufficiens est causa, ut possit renunciare, d. *cap. nisi, §. persona eodem titulo*, nisi sit dispensatus, ut dicemus infra *in tit. qui promoveri non possunt*: ubi nota, quod dispensatio ad prælaturam sit solum à Pontifice, sicut neque ad sacros ordines, neque ad beneficia curata, sed ad beneficia simplicia, & ad ordines minores dispensare potest Episcopus, *cap.* 1. *de filiis præsbyteror.* & stante prædicta irregularitate potest cogi prælatus renunciare, *Flaminius d. q.* 3 *à num.* 177. *&* 179.

Quinta causa est odium plebis, puta si populus, quem regit sit duræ cervicis, vel adeò moribus ipsius prelati adversarius ut in eis quicquam amplius proficere non valeat, hoc enim casu potest cedendi licentiam petere, d. *cap nisi cum pridem*, ibi, *Propter malitiam plebis*, ubi *Hostiensis num.* 4 *& Abbas num.* 10. *Flaminius d. q.* 5. *à num* 117 nam Apostoli Judæis adversantibus discesserunt, & ad gentes se converterunt *Actor.* 13.

Sexta causa est scandalum. Potest enim quis facile cogi ad cedendum, d. *cap. nisi*, *§. pro gradu. cap. non est de regul. juris in* 6. *cap tua nos de clerico ægrotante*, quod patet, quia etiam pro bono pacis inducendæ, & scandali evitandi præcepta juris relaxantur, *cap.* 1. *cap. jam nos* 28. *q.* 1. *cap. si fortè*, ubi *glossa* 63. *dist. Romanus cons* 332. *nu.* 16 exemplum est si sit scandalum vitæ doctrinæ, vel justitiæ, vitæ, ut si fortè Episcopus sit publicus concubinarius, vel quid simile faciat: doctrinæ, quia falsum docet in prædicando, justitiæ, quia vendit beneficia, injustitiam, vel alia similia facit *Hostiensis in titulo de renunciat S. Thomas* 2. 2. *quæst.* 43 *ar.* 1.

Ut autem hoc perfectè intelligas. Suppono primo scandalum esse duplex, aliud activum, aliud verò passivum: scandalum activum est oppositio obstaculi, vel occasionis; undè oritur ruina spiritualis proximi, & difinitur, ut sit dictum vel factum minus rectum, præbens occasionem ruinæ, *S. Hieronym. super. Math. c.* 18. & habetur in *glossa.* ibidem. Scandalum activum potest contingere per se, & per accidens; per se quando expressè intenditur peccatum alterius: vel quando licet non adsit intentio prædicta, tamen opus tale est; ut inducat alium ad peccatum: per accidens scandalum dicitur, cum intentio non est, neque conditio operis eo tendit, ut alter ruat, sed ex prava dispositione peccantis oritur, ut indè sumat occasionem, ubi non erat, quod verbo tantum dicitur scandalum. Scandalum merè passivum duplex est: aliud Pharisæorum, aliud pusillorum: primum dicitur, quod oritur ex prava malitia, vel ex ignorantia affectata, & crassa. Secundum dicitur, quod oritur ex ignorantia inculpabili, post alios *Dianna par.* 5. *tract.* 7. *resol.* 1. & primum dicitur scandalum Pharisæorum, quia Pharisæi ex rectis Christi actionibus occasionem peccandi sumebant, *S. Thomas* 2. 2. *q.* 43. *ar.* 1. *Sanchez in summa lib.* 1. *cap.* 6. *Azorius par.* 2. *lib.* 12. *c.* 16. *Filiuccius tract.* 28. *c.* 10. *q.* 6. *num.* 220. Cum verò quis peccat coram aliis potest excusari à peccato, vel quia illi sunt firmi in bono, ut nullo modo peccatis visis censeantur ad peccatum moveri, vel quia ità sunt deperditi, ut aliorum peccatum nullo modo eos moveat, *Sanchez d. cap.* 6. *Sancius in selectis disp.* 46 *Castrus Palaus tomo* 1. *tract.* 5. *disp.* 6 *pun.* 2. *Alphonsus de Leone de offic. Confess. tom* 1. *recollect.* 10. *num* 9. *&* 10. *Diana par.* 5. *tractat.* 7. *resol.* 3. est etiam licitum pictori sine ullo scandalo pingere imaginem concubinæ suo amasio ex gravi causa. puta ex timore mortis, vel vulneris; alias peccat mortaliter, *Castrus Palaus tom.* 1. *tract* 6 *disp.* 6. *pun.* 13. *nu* 6. *Alphonsus de Leone tom.* 1. *de offic. Confess. recoll.* 14. *num.* 34. *&* 36. *Sanchez tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 7. *num.* 40. quia talis imago est fomentum, & incitamentum turpis amoris, sequitur *Diana* d. *par.* 5. *tract.* 7. *resol.* 5 est etiam licitum sine ullo scandalo consulere minus malum ei, qui paratus erat majus efficere, v. g. vult aliquis efficere adulterium, ego possum consulere fornicationem, *Vasquez de scandalo q.* 43. *ar.* 1. *dub.* 1. *Pontius de matrim. lib.* 5. *c.* 18 §. 5. *num.* 16. *Diana par.* 5 *tract.* 7. *resol.* 18.

Ultra hos casus Pius V. in Bulla 58. quam refert *Quaranta in summa Bullarij, in verb. Beneficiorum resignationem, & Flaminius lib.* 5. *q.* 6. enumerat alias causas.

Prima scilicet sit sint senio confecti, vel valetudinarij, qui autem dicantur tales Judicis arbitrio remittitur, considerata personarum qualitate propter complexionum diversitatem, *Menoch. casu* 59. *Flaminius d. lib.* 5. *q.* 6 *Genuensis c.* 53.

Secunda causa si sint corpore impediti, puta si sit leprosus, paralyticus, vel alio morbo laborans, de quibus *Genuensis c.* 53. *Flaminius dec.* 96. vel si sit corpore vitiatus, puta cæcus, claudus, habens manum mutilam, vel articulatam ad utendum inefficacem.

Tertia causa est crimen, ob quod non debent; neque possunt beneficio inservire puta si sit clericus bannitus dæmoniacus, mutus, vel si turpiter, & scandalosè vivat, vel si sit lunaticus, vel si patiatur stomachi languorem & sic vomitum, vel illiteratus.

Alia causa est si fiat beneficiatus monachus, quo casu debet expectari annus, ut conferatur beneficium, *Flaminius d. q.* 6. *à. num.* 163 ad differentiam renunciationis beneficij, quæ fit ob matrimonium, quo casu statim tali matrimonio contracto potest conferri, quia vacat DD. ubi supra. Addas si beneficiatus habeat inimicitias capitales in loco beneficij: puta litem super omnibus bonis, vel majori illorum parte, vel criminalem accusationem, vel si moveatur quæstio status, *Barb. alleg.* 41. *num.* 11. & cum renunciatur beneficium advertere debet Episcopus, ut renuncians coram eo, si sit in sacris habeat aliundè undè vivat, *Trid. sess.* 21. *c.* 2. *de reform. Riccius in praxi dec.* 314. *in* 1. *æditione, alias* 272. *in* 2. *æditione*, *Garsia per.* 2. *c.* 5. *de benefic. nu.* 217. *Campanilis rubrica* 8. *c.* 6. & casu quo renunciat quis, tenetur facere mentionem, se ad titulum beneficij renunciati fuisse ordinatum, adeò quod hoc de forma requiratur, neque possit adimpleri per æquipollens, *Garsia ubi sup. num.* 193.

Et

Et tandem nota, quod renunciantibus beneficia clericis, non debent ordinarij, qui recipiunt resignationes prædictas, ea conferre suis, vel consanguineis renunciantium, vel affinibus, aut familiaribus etiam per circuitum, quia si hoc facerent, prædicta renunciatio præsumeretur facta tacitè, & indirectè ad favorem, quæ coram eis fieri non potest, *Flaminius d. lib. 5. q. 6. Franciscus Leo in Thesauro fori ecclesiast. par. 2. c. 3. num. 69. Bulla Pij V. 58.* de qua *Garsia par. 11. c. 3. num. 270.*

Rogabis quando, & intra quod tempus rejectio, vel admissio renunciationis factæ in manibus ordinarij debeat ab ipso ordinario fieri, & à proviso publicari?

Respondeo adesse pro hia *Bullam Gregorij 13.* de publicandis resignationibus, incipientem *Humano vix judicio*, ex qua colligit *Flaminius lib. 11. q. 2.* quod in resignationibus, quæ fiunt extra Curiam, illi, coram quibus fiunt, debent admittere, vel rejicere illas renunciationes intra mensem, & intrà eondem conferre beneficia illa vacantia per resignationem si eam admiserint; idem dicit *d. lib. 11. q. 5. n. 4. & sequentibus*, sequitur *Garsia par. 11. de benefic. c. 3. n. 285. & n. 357.* alij verò putant, quod prædicta Bulla solum loquatur de admissione, vel rejectione renunciationis, non verò de collatione, quæ remittitur ad jus commune, in *c. 2. de conceß. præben.* ubi debent conferri infra sex menses, *Riccius par. 2. resol. 184. Garsia par. 10. c. 2. Barb par. 3. alleg. 58 Filiuccius tom 3. tract. 41. c. 4 n. 171.* & elapso semestri statim transit facultas ad Papam hodie *Barb. in d. c. 2. le conceß. præben.* & in parochialibus, in quibus fieri debet concursus, *Trid sess. 24. de reform. c. 18. Bulla Pij V.* quæ incipit: *in conferendis*, qui concursus infrà sex menses fieri debet *Maßobrius in praxi habendi concursum requisito 7. dub. 1.*

Ex quibus infertur, quod ad hoc, ut valeat renunciatio requiritur, ut fiat ex una causa ex supra enumeratis. Secundò, ut fiat liberè, & purè sine aliqua pactione, conditione, vel modo: alias est simoniaca, *cap. cum pridem, cap. fin. de pactis, cap. tua nos de simonia, Flaminius lib. 14. q. 3. Garsia par. 11. c. 3. num. 145.* Tertio debet fieri sponte, non coactè, neque per metum, *cap. Abbas, cap. ad audientiam, de his, quæ vi, metusve causa fiunt, Flaminius lib. 13 q. 1 & 2. Garsia par. 3. an. 1.* alias venit rescindenda *d. cap. Abbas*, ibi, *debent in irritum revocari*; actus enim gesti propter mætum regulariter rescindi debent, *Seraphinus de juram. privil. 110. Sanchez lib. 4. de matrim. disp. 8. Guttierez de juramento, c. 76.* Quarto debet fieri in manibus legitim. superioris, undè non potest fieri in manibus laici, *cad ad aures, cap quod in dubiis de renunciat. Flaminius lib. 7. q. 9.*

Est tamen primo notandum, quod siquis petit facultatem renunciandi, & obtinuit, renunciare omninò compellitur, quia id, aut propter commodum Ecclesiæ suæ, aut propter salutem suam præsumitur petiisse, *cap. quidam de renunciat. Cassadorus dec. 3. & 2. de renunciat. Flaminius lib. 3. q. 18. num. 48.* ubi *n. 59.* asserit procedere non solum in simplici beneficiato, sed in habente dignitatem ecclesiasticam etiam Episcopalem, & *n. 62.* ampliat sive fuerit petita licentia à Papa, sive etiam ab aliis inferioribus ordinariis, & *n. 63.* dicit, sive fuerit talis licentia petita per se, sive per alios, de mandato tamen, & ad instantiam beneficiati, & *à n. 67.* dicit decisionem, *d. cap quidam* hodie non procedere in beneficiis inferioribus, & dignitatibus, quæ expediuntur extrà cōcistorium, quia in his licita est pœnitentia post petitam, & obtentam licentiam renunciandi; donec consensus fuerit extensus in Camera, vel Cancellaria, & *à n. 68.* refert procedere etiam hodie in Episcopis, qui si petierint, & obtinuerint licentiam possunt posteà cogi resignare.

Secundo nota, quod renunciationes reciprocæ inter legitimos filios clericorum, & ipsos parentes, ut scilicet alter alterius beneficium consequatur nullius momenti sunt, *Trid sess 25. de reform. c. 15.* alias factæ censentur in fraudem sacrorum canonum, & ideò illis clericorum filiis nullatenus suffragantur, *Navarr. conf. 5. in antiquis. alias 10. in novis de renunc. Flaminius lib. 14 q 9* quod quidem concilium solum loquitur de reciprocis resignationibus, post ipsum concilium in favorem filiorum faciendis.

Tertio nota, quod potest quis non solum per se ipsum, verùm etiam per procuratorem unum, vel plures conjunctim, vel divisim clericum, vel laicum beneficio renunciare, *c. 1. d. procurat. in 6. Flaminius lib. 9 q 6.* Præsens in Curia non potest procuratorem constituere, sed personaliter debet renunciare: *Flaminius lib. 8. q. 8. num. 22.* quamvis sit in magna dignitate etiam Cardinalatus, undè Cardinales quando resignant præstant consensum per schedulam, quam mittunt Notariis, vel ipsi Notarij accedunt ad eorum palatia ad recipiendum consensum, *Navarr. in cap. accepta oppos. 7. nu. 37. de restitut spoliator.* aliter, verò fit in Camera, [illegible] quando præstatur ibi consensus Notarij Cameræ, admittunt procuratores etiam præsentium, *Flaminius lib. 9. q. 12. & lib. 8. q 8.*

Quarto nota, quod si renonciatur beneficium Jurispatronatus, ultra consensum renunciantis requiritur consensus Patroni, & admissio superioris, *Rocchus de Curte de Jurepatron. in verb. Honorificum col. 3. Covar. pract. c. 36. Flaminius d. lib. 8 q. 10.* qui consensus præstari potest in renunciationem post & ante eam, sic beneficia electiva debent consentire illi, qui habent jus eligendi ad hoc, ut conferantur *Flaminius d. q. 10. n. 11.* sic beneficia, quæ sunt ad nominationem alicujus Cardinalia ad hoc, ut conferantur, requiritur consensus ipsius, *Flaminius d. q. 10. num. 4.*

Rogabis secundo, quæ beneficia resignari possint? Respondeo omnia, quamvis maxima renunciari posse, *cap. admonet*, ibi, *Universis personis de renunciat. cap. 1. eodem titulo in 6. Flaminius lib 6. quæst. 1.* quia unusquisque favori suo renunciari potest, tàm in temporalibus, quàm in spiritualibus, *l penult. C. de pactis. cap quam periculosum, 7. q. 1.* immò renunciare possunt infirmi, licet proximi ad mortem, *cap. quamvis 7. q. 1.* sicut possunt testari, *l 2 ff. de testam. l. jubemus, C. eodem*, matrimonium contrahere, *cap. 2. verf. leprosi autem*, ubi DD *de conjugio leprosorum* testimonium ferre, *cap. quoniam frequenter, cap. nisi fortè extrà ut lite non contestata*: sed hodie ex regula Cancellariæ de infirmis resignantibus, quadisponitur, quod si quis in infirmitate constitutus, sive simpliciter, sive ex causa permutationis beneficium resignaverit, & postea infra 20. dies à die præstiti consensus numerandos, de ipsa infirmitate decesserit, si beneficium per talem resignationem conferatur, collatio nulla est, & beneficium vacare censetur, quæ regula à Bonifacio Octavo fuit condita, & ab aliis Pontificibus confirmata, fuit autem emanata ad fraudes evitandas, & nè beneficiatus infirmus de beneficiis suis per viam successionis disponere videatur, contra regulam *textus in cap. 1. de præben. & in cap. ad decorem & in cap. ad abolendam de filiis præsbyteror.* illa namque, quæ Dei sunt, ab homine dari non possunt, *c. pleriq. 8. q 1. Flaminius lib. 12. q. 1. à n. 25.* sub qua regula de infirmia omnia beneficia comprehuntur etiam litigiosa, & etiam Jurispatronatus, *Flaminius lib. 12. q. 3. num. 28.* & procedit dicta regula in renunciationibus etiam factis coram

coram ordinariis, *Gomes in d. regula quæst.* 26. *Flaminius lib.* 12. *quæst.* 5. *Azorius lib.* 7. *cap.* 26 *quæst.* 4. cum ratio fraudis, in qua fundatur regula prædicta, locum habeat in quacumque renunciatione.

Ampliatur dispositio, ut possit renunciari beneficium, etiam si statim vacare debeat: exemplum est in eo, qui parochialem Ecclesiam obtinuit, & in fine anni, intra quem promoveri tenebatur, juxtà *cap. licet de elect. in* 6. eam renunciavit, talis namque renunciatio tenet, etiam si fiat in ultima die anni, *Cassadorus dec* 27. *de locatione, Rota dec.* 38 *de præben. Parisius lib.* 3 *quæst* 2 *num.* 8. potest etiam quis beneficium, quod adhuc non est adeptus in possessionem renunciare, *Boerius dec.* 308. *Flaminius lib* 2. *quæst.* 26. Potest etiam quis beneficium, in quo est pensio alteri renunciare, dummodò sibi non reservet aliam pensionem, quam si voluerit reservare tenetur facere mentionem prioris pensionis, *Gigans de pensionibus quæst.* 29. *Cassadorus d. dec* 3. posset etiam major 14. annis, minor 25 annis de jure communi beneficium renunciare absque curatoris auctoritate; *glossa in cap. ex parte de restit. spoliat in verb. quamvis, Covarr. lib.* 5. *variar. cap.* 5. *Flaminius lib* 2. *quæst.* 7. & etiam beneficia reservata sedi Apostolicæ possunt renunciari coram ordinariis, quia reservatio solùm afficit quoad potestatem conferendi, *Rota dec.* 4. *de renunciat. in novis, & dec.* 8 *de præben. Petrus Gregorius lib.* 17 *cap.* 17. *Vivianus lib.* 13. *cap.* 10 *num.* 35. & sic potest Episcopus prædictas renunciationes recipere, non tamen conferre, quod si petas an ex tali renunciatione dicatur jus à renunciante abdicatum? Respondeo distinguendo, aut beneficium erat reservatum ratione personæ obtinentis, puta quia erat familiaris, vel officialis, & tunc per renunciationem factam coram ordinario non vacat, non quia reservatum, sed quia renuncians erat exemptus à jurisdictione ordinarij. si verò est specialiter reservatum ad favorem certæ personæ, & tunc vacat *Rota Romana anno* 1627. coram *Merlino* apud *Barb. lib.* 3. *de jure ecclef. cap.* 15. *num.* 137.

Ampliatur etiam, ut possit Episcopus recipere resignationes beneficiorum existentium in sua Diœcesi, etiam si sit in Curia, quæ tamen non potest conferre, quia tunc beneficia dicuntur in Curia vacare per resignationem, & ideò eo casu collatio spectat ad Papam. *Covarr. lib.* 3. *cap.* 20 *Flaminius lib.* 7. *quæst.* 14. *Prosper de Augustino ad Quarantam, in verb. Beneficiorum resignationes*, qui tamen adhibent hanc cautelam in conferendo, ut exeant ab Urbe, ad hoc, ut dicantur esse in aliena Diœcesi.

Illud verò beneficium, ad cujus titulum, quia ordinatus, eum renunciat, quis debet asserere se ad illius titulum ad sacros ordines promotum fuisse & aliundè commodè posse vivere, aliter facta resignatio nulla est, *Trid. sess.* 21. *de reform cap.* 2. *Flaminius lib.* 2. *q.* 6 Neque Jurispatronatus beneficium sine Patroni consensu, quo casu si fiat contrarium, non est nulla ipso jure, sed potius annullanda, nisi consensus expressus Patroni, vel tacitus superveniat, vel nisi interveniat Papæ derogatio, quæ solet concedi. Primo in vacatione per obitum apud Curiam. Secundo in vacatione per resignationem ex causa permutationis. Tertio quando Juspatronatus est litigiosum Quarto quando Patroni in præsentatione commiserunt simoniam. Quinto quando provisio est pro filio patroni, vel compatroni, Sexto quando Juspatronatus est mixtum, *Mohedanus dec.* 156. *Flaminius lib.* 4. *quæst.* 4 *Garsia par.* 5. *cap.* 1. *§.* 11. *num.* 583. Neque potest resignari beneficium, quando alicui est pensio reservata, qui egit pro ea non soluta contra beneficiatum ad privationem, seu ad regressum, *Cassadorus dec.* 4. *de locato.*

Rogabis tertio, qui sunt effectus renunciationis, Primus est (ex quo alij nascuntur) quia per renunciationem à superiore admissam beneficium vacat: ergum. *textus in cap susceptum de rescriptis in* 6. *cap. quod in dubius hoc titulo, Flaminius lib.* 1. *quæst* 5 *Vivianus lib.* 13. *cap.* 10. *de Jure patronatus, cap. ex transmissa eodem titulo, glossa in cap. quamvis* 38. *de præben. in* 6. *in verb. Cedentium, Campanilis rubrica* 11. *cap.* 27. *num.* 60. Et ideò post renunciationem admissam rem amplius detinere non potest: aliter dicas tamen in renunciatione conditionali in favorem certæ personæ celebrata: quo casu potest renuncians incumbere possessioni, & omnia ad illud spectantia exercere, donec resignatarius eandem possessionem apprehendat: ego verò melius puto dicendum, scilicet per simplicem resignationem non amitti naturalem possessionem, civilem verò amitti, dico etiam ante apprehensionem per renunciatarium, quia renuncians amisso titulo, justam, & civilem possessionem amittit, sed titulum amittit, statim quod jus renunciatario fuerit quæsitum ergo &c.

Secundus effectus renunciationis est, quia non potest resignans post admissam renunciationem fructus percipere, cum per illam canonicus titulus sit extinctus, sine quo beneficium justè possideri nequit; quod quidem in pura, ac simplici renunciatione de plano procedit quoad fructus à solo separatos ante diem resignationis, *Rota dec.* 279. *par.* 2. *Barb. alleg.* 117. in renunciatione verò conditionali distingue tres casus. Primus est usque ad tempus, quo jus à renunciante abdicatur, & resignatario quæritur, purificatis scilicet conditionibus, & hoc casu renuncians est Dominus interim, & facit fructus suos. Secundus casus est, quando resignanti non constat de acceptatione, & purificatione conditionum, ac gratia concessa, & hoc casu usque ad tempus scientiæ, cum sit bonæ fidei possessor, & justam possessionem præcedente titulo adhuc coloratam retineat, sicut quilibet possessor bonæ fidei, ità ipse fructus facit suos, juxtà distinctionem, quam inter consumptos, & extantes tradunt *Bart. & DD. in l. ex diverso, ff. de reivendic. & in l. certum, C. eodem, Covarr. lib.* 1. *var. cap.* 3. *Barb in l. divortio par.* 2. *in principio num.* 49 *ff. soluto matrim.* Tertius casus est à tempore notitiæ, donec beneficij possessio per resignatarium capta sit, & hoc tertio casu quoscumque resignans percipit, aut percipere potuit, deductis expensis tanquam malæ fidei possessor resignatario restituere tenetur, quæ autem scientia in resignatario requiratur, tradit *Barb ubi supra, & Flaminius lib.* 1. *quæst.* 6. ex quo etiam fit non teneri resignantem ad pensionem, si quæ sit in beneficio, ab eo die, quo fructus non percipit, ad decursam verò tenetur usque ad diem renunciationis, *Flaminius lib.* 1. *quæst* 8. quare tenetur ad pensionem, quousque fructus percipit: neque tenetur post renunciationem admissam horas canonicas recitare, nisi ad eas recitandas ratione sacri ordinis teneatur, aut aliundè obligetur, argum. *cap. cum. cessante de appellat. Flaminius lib.* 1. *q.* 19 Est tamen quæstio de resignatario, à quo die teneatur ad officium recitandum?

Prima opinio est *Navarri de horis canonicis cap.* 7. *num.* 19. qui ait statim post collationem teneri, quia per eam consequitur quis beneficium, *cap. si sibi absenti de præben. in* 6.

Secunda opinio est *Parisij d. lib.* 1. *quæst.* 9. qui cum communi, & magis recepta tenet, teneri post captam possessionem, quia tunc fructus incipit recipere, & ab eo tempore esse computandos sex menses per Leonem Decimum, & Pium Quintum præfinitos ad privationem fructuum incurrendam, de quibus *Navarrus in manuali cap.* 25. *num.* 122. *cons.* 14. *de celebr. missar. aliàs* 17. *eodem titulo in novis.*

Tu

Tu verò dicas, quod si loquamur de fructibus præbendarum cathedralium, & aliorum beneficiorum, qui non dantur nisi præsentibus, tunc ad resignatarium non pertinent, nisi post apprehensam possessionē: si verò loquamur de aliis beneficiis, quorum fructus post resignationem successori reservantur, tunc dico resignatarium obligari ad officium post collationem, cum jam beneficii dominium obtineat, & fructus in effectu consequatur, & in hoc casu vera est opinio prima *Navarri*, ut benè *Barb. d. lib. 3. de jure eccles. cap. 15. num. 153.*

Eodem modo discurras in missia, & residentia, quas non tenetur præstare renuncians post renunciationem; in renunciatione verò conditionali, quousque fructus percipit tenetur.

Rogabis quarto, quando, & quomodo sit publicanda resignatio?

Respondeo, quod requiritur primo, ut omnes resignationes, etiam causa permutationis, de quibuscumque beneficiis factæ in manibus Papæ, publicentur cum litteris Apostolicis desuper confectis infra sex menses; si beneficium sit infra montes; si verò ultra montes fuerit, intra novem menses a data concessionis gratiæ.

Secundo requiritur, quod prædicta publicatio fiat in cathedrali, & in Ecclesia beneficii, vel Ecclesiis, si illud in pluribus sit, & si Ecclesia est rura lis, in parochiali intra cujus limites consistit, quod si locus bello, vel peste infectus sit, in proxima parochiali, & dùm populus ad missam convenerit, palàm omnibus prædictas litteras Apostolicas, earumq; transumptum Authenticum exhibere debet, & clara voce pronunciare renunciationem, ac beneficii qualitatem, & invocationem, seu cedentia, & illius, in cujus favorem facta est cessio, de quibus omnibus scriptum exemplar in januis Ecclesiarum affixum relinquitur.

Tertio requiritur, quod intra dictum tempus possessionem recipiat renunciatarius.

Quarto requiritur, quod renunciatio beneficij etiam ex causa permutationis in manibus ordinarij, vel aliorum inferiorum Papæ facta, infra mensem admittatur, vel rejiciatur, & provisione facta debet provisus infra tres menses à die factæ provisionis illam publicare, & possessionem beneficij capere, alioquin nulla erit provisio, & beneficium vacare censetur, eiusque collatio ad Sedem Apostolicam spectat. Hæc omnia desumuntur ex Bulla Gregorij 13. incipiente *Humano vix judicio*, relata per *Flaminium lib. 11. in præfat. & per Quarantam in summa Bullarii, in verbo Beneficiorum resignatorum publicationes.*

Prædicta vero Bulla comprehendit renunciationes commendarum, & Jurispatronatus, *Seraphinus dec. 1289.* & Hospitalium, tùm quæ dantur in titulum, quam quæ dantur in administrationem, *Flaminius lib. 11. quæst. 3. n. 45.* non tamen veniunt Episcopatus, & Arciepiscopatus, *Flaminius d. lib. 11. q. 3.* comprehendit etiam resignationes nullas, seu invalidas, ut in ipsa Bulla dicitur, *Garsia par. 11 cap. 3. num. 276.* qui idem limitat, nisi renunciatio esset nulla ex defectu consensus, quia tunc non est vera resignatio, & *n. 779.* pariter limitat, ubi resignatio fuerit nulla, quia resignans in sacris constitutus non habet aliundè undè commodè vivere possit, ut Papa vult, *Garsia, & alij ubi supra.*

Fit verò publicatio hoc modo (*Notum sit omnibus, quatenus N. resignavit in manibus suæ Sanctitatis beneficium simplex Ecclesiæ N. hujus Civitatis, seu beneficium curatum Ecclesiæ loci de N. hujus Diœcesis, & de eo facta est gratia N. ut constat ex his Bullis, seu litteris Apostolicis, aut transumpto authentico, quas in manus habeo*) nec opus est prædictas legere, nec earum datam, *Flaminius lib. 11. quæst. 6. n. 41. Nicolaus Garsia d. cap. 3. num. 290.* debetque fieri publicatio alta voce, nec in choro tantum, sed in ipsa Ecclesia; ideò publicatio facta in choro coram Canonicis, & Præsbyteris tantum, est nulla, *Flaminius d. quæst. 6. n. 18. Garsia d cap 3. num. 294.* exemplar, & transumptum affigitur in januis Ecclesiæ, & sufficit si in una parte affigatur integra copia ipsarum litterarum, quia ergo requiruntur actus publici, ideò non satis erit si resignatarius publicè sit missus in possessionem beneficij, enim ultra illud requiritur solemnitas publica, quidquid dicat *Antonius Faber lib. 1. C. tit. 2. defin. 14. & 59.* Publicatio verò probatur facta ex instrumento, ubi Notarius refert se fecisse dictam publicationem in omnibus, & per omnia, juxtà formam Gregorij 13. quæ relatio sufficit, *Flaminius lib. 11. quæst. 6. Rota apud Vrvianum post praxim Jurispatronatus dec. 52.* Quod si quis impetraverit beneficium tanquam vacans ob non factam publicationem, tenetur probare eam non factam, *Parisius lib 11. quæst. 14. Garsia par. 11. cap. 3. num. 313.* & si non probetur publicatio, nihil sufficit triennalis, vel decennalis possessio, *Flaminius lib. 11. quæst. 6. num. 92. & 112.* qui ergo impetrat ob non factam publicationem beneficium tanquam vacans: probabit per canonicos, & alios clericos, qui solent diebus festivis Ecclesiis interesse; non esse factam publicationem; & aliis modis, de quibus *Garsia num. 316. cum sequentibus.*

In §. Abbas.

Conclusio hujus textus est, Abbatem volentem renunciare & immediatè subditum Ecclesiæ Apostolicæ existentem, non posse renunciare, nisi licentia à Romano Pontifice legitimè impetrata, ad cujus textus intelligentiam.

Sciendum est primo, quod Abbas dicitur à nomine Hæbreo, quasi Patre, *cap. fin. de regularib. glossa in clem. 1. de rescriptis, Nicolaus de Lyra in epistola ad Galatas cap. 4. Lexicon juris in verb. Abbas. S. Augustinus epist. 177. Tamburrinus de jure Abbatum disp. 1. q 1.* Habet Abbas dignitatem, & cum Prælatis multa communia, *cap hac constitutione de offic. delegati in 6. glossa in cap. à Subdiacono 93. dist. cap ut Apostolicæ de privil. in 6. cap. si quis deinceps 16. q. 7. Tamburrinus tom. 1. de jure Abbatum disp 1. quæst. 2.* qui dicit eos venire appellatione Prælatorum, in favorabilibus tamen, non in odiosis, *cap. Decernimus, de Judiciis*, ibi, *Sed Episcopi, Abbates &c. cap præsenti de offic. ordin. in 6.* quam Abbatum dignitatem exornarunt multi docti Abbates, inter quos Abbas Joachim tempore Urbani III. 1 88. qui multa doctè scripsit, cujus meminit *textus in cap. 2. in principio de summa Trin. & fide cathol.* dùm refertur, fuisse damnatum à Concilio Lateranensi sub Innocentio anno 1215. ejus libellum, quem edidit contra Magistrum sententiarum, dùm in eo voluit trinas esse personas, & quaternitatem dabat ex substant a divina, ut in *d. cap. 2.* quem tamen in fine textus excusat, quia omnia sua scripta submisit Sanctæ Matri Ecclesiæ, *Card. Tuschus litt. A. concl. 3. num. 24.* & hic fuit ille Joachim, qui ante institutos ordines Dominicanorum, & Franciscanorum, jussit S Franciscum, & S. Dominicum Venetiis depingi in templo S. Marci supra ostium ærarij publici, eo habitu, quo postea usi sunt, & addit Sancto Francisco quina Christi vulnera, prout hæc omnia videntur adhuc in eodem templo. *Chronica Minorum par. 1. lib. 10. cap. 3. Ribadiniera in vita Sancti Francisci 4 Octobris* 3. Fuit alius Abbas S. Miniati, qui scripsit super Jure Canonico, &

& dicitur Abbas antiquus, *Card. Tuschus litt. A concl.* 5. *num.* 25. Fuit Abbas Panormitanus, qui scripsit super Jure Canonico, & fuit Abbas Monasterij Monacensis, Papæ Referendarius, & Auditor Cameræ, & tandem fuit Cardinalis, *Tuschus ubi supra concl.* 5. *num.* 26.

Sciendum secundo est, Abbates alios esse sæculares, alios regulares: primi dicuntur, qui habent beneficia ecclesiastica, *cap. transmissa*, ubi *glossa in verb. Abbatis de renunc. & in cap. cum ad Monasterium de statu Monachorum, cap. cum de beneficio*, ubi *glossa in fine de præben. in* 6. & isti interdum dicuntur cum mytra, & baculo, quia habent usum utriusque, alij sunt, qui istis carent. Abbates regulares aliqui habent jurisdictionem episcopalem, ut sunt Abbates Cassinenses, & Sanctæ Mariæ Fraemitanæ Congregationis Lateranensis, Insulæ in mari Adriatico, & alibi. Sunt etiam alij Abbates, sub se regulares tantum subditos habentes, quorum regimini, & gubernationi præfecti sunt: juxtà *textum in d. c. cum ad Monasterium, vers. Abbas vero, cap. in singulis de statu Monachorum, Parisius lib.* 7. *quæst.* 15. *de beneficiis*, & olim unumquodque Monasterium suum habebat Abbatem, *cap. Abbates, cap. Monasteria*, 18. *quæst.* 2. alij sunt Abbates solo nomine, originem traxerunt Abbates à primis illis Eremi Patribus, quorum primus cum titulo, & beneficio Abbatis fuit, Antonius, inter eos verò, qui primus possedit temporalia, & Monasteria, fuit Sanctus Benedictus. Cum verò eligitur Abbas, debet esse ejusdem Religionis professus, *cap ex eo*, §. *in Ecclesiis, de elect. in* 6. debet esse in sacris, *d. cap. in Ecclesiis, Tamburrinus d. disp.* 5. *quæst.* 8. Tertio requiritur, ut sit legitimè natus, vel alias dispensatus per Papam, *Emanuel Rodriquez tom.* 1. *quæstion. regul. quæst.* 13. *art.* 5. *Tamburrinus disp.* 5. *quæst.* 14. *Barb. in cap.* 1. *de filiis præsbyteror. num.* 3. Quarto requiritur, ut non sit pœnitentiarius per sanctum officium, vel aliter irregularis, *Tamburrinus disp.* 5. *q.* 21. Nec potest unus esse Abbas duorum Monasteriorum, *cap. unum Abbatem* 21. *quæst.* 1. *cap. ultimo de religiosis domibus, Trid. sess.* 25. *de regul. cap.* 7. *Tamburrinus disp.* 5. *quæst.* 24. nisi unum Monasterium ab alio dependeat, *cap. ult.* 25. *q.* 2.

Sciendum est tertio, electionem Abbatis faciendam esse secundum antiquos canones ab ipso Monasterio, & Monachis, quibus est præficiendus, *d. cap. Abbatem cum sequenti* 18. *quæst.* 2. non ab Episcopo, *cap.* 2. §. *Ecce eadem quæst.* sed solum ab Episcopo accipiebat confirmationem, ab eo præsertim, cui subjiciebatur, *Abbas in cap.* 1. *de supplen. neglig. Prælat.* nisi fuisset ab ejus jurisdictione exemptus, quo casu confirmabatur à Romano Pontifice, vel Legato de latere, *cap. si Abbatem de elect. in* 6. *cap. cum Monasterium eodem titulo*: Postea verò, quia cœperunt regulares Summorum Pontificum privilegiis ab Episcoporum jurisdictione eximi, Abbates ideò obtinuerunt, ut statim quod eligantur, censeantur confirmati, *Rodriquez tom.* 2. *quæst.* 52. *Laurentius de Peyrinis tom.* 1. *privileg. constit.* 2. *Clementis IV.* §. 2. & *tom.* 2. *in constit. Pauli III.* §. 2. Hodie vero Abbates eligi solent à Generali cum definitorio, cujus indiget confirmatione, & quidem eo ipso, quod eligit, videtur confirmare, *glossa in verb. Electiones, in cap. ut circa, & in verb. Promissionem in cap.* 1. *de elect. in* 6. *Sigismundus à Bononia de elect. dub.* 119. & in promovendis ad prædictas Abbatias, est formandus processus, sicut in Episcopo: Bulla Gregorij 14. incipiens, *Onus Apostolicæ*, est de eis videnda Bulla Pij 4. quæ incipit *Sanctissimus*, quam refert *Quaranta in verb. Beneficiorum possessio*. Verum tamen est, quod Abbates benedicuntur ab Episcopis propriis, *cap.* 1. *de supplenda neglig. Prælat. cap. cum contingat de ætate, & qualitate, Sbrozzius de offic. Vicarii lib.* 2. *quæst.* 8. *Barb. alleg.* 27. *Tamburrinus tom.* 1. *disp.* 11. *quæst.* 9. nisi aliud habeant ex privilegiis: Idem *Tamburrinus quæst.* 10. & 11. quæ benedictio non fiat, nisi die Dominico, vel festivo, *Tamburrinus disput.* 9. *quæst.* 7. & est petenda infra annum ab electione, *Clem.* 2. §. *Statuimus de Statu Monach. Tamburrinus ubi supra quæst.* 8. & semel Abbates benedicti si ad aliam transferantur, non sunt iterum benedicendi: licet enim talis benedictio non imprimat characterem, tamen non sequitur esse reiterabilem, ut benedictio nuptiarum, quæ non repetitur, *cap.* 1. & 3. *de secundis nuptiis*, nec etiam pœnitentia solemnis reiteratur, *cap. quamvis, cap. in capite de consecrat. dist.* 3. *Barb. d. alleg.* 27. *num.* 51. *Tamburrinus disp.* 9. *quæst.* 6. Quod si Episcopus tertiò requisitus, ut Abbatem benedicat, nolit id facere, possit Abbas non expectata benedictione officium ministrare, & ordines minores conferre, *d. cap.* 1. *de supplen neglig.* ubi DD. ex concessione diversorum Pontificum, & ità hodie omnes ferè regularium Abbates ex privilegiis etiam si non benedicantur exercent omnes functiones, *Tamburrinus disp.* 11. *quæst.* 14. & de ritu benedicendi Abbates agit *Castaldus in praxi cerem. lib.* 1. *sect.* 9. *cap.* 2.

Sciendum est quarto, habere plures Abbates ex privilegio Sedis Apostolicæ Episcopalia insignia, sicut nonnulli alij Prælati inferiores Episcopis, *glossa in cap. Abbates de privilegiis in* 6. sunt autem ista usus mythræ, & baculi Episcopalis, *cap. ut Apostolica eodem tit. Barb. par.* 3. *alleg.* 93. & habent usum benedicendi in propriis Ecclesiis tantum post missarum solemnia, vesperas, & matutinum, non verò alibi, nec alio tempore, nisi hoc sit eis specialiter ab Apostolica Sede concessum, *cap. Abbates de privil. in* 6. dummodò non sit præsens Episcopus, vel alius major Ecclesiæ Prælatus, *cap. denique* 21. *dist. cap. ministrare* 26. *quæst.* 6. *cap. cum ad celebrandas de consecr. dist.* 1. circa mithram illa tantum possunt uti Abbates, quæ eis concessa est, non tamen est licitum Abbatibus uti baldachino, nisi ex speciali concessione Papæ, ut per Urbanum Octavum in Bulla 97. reperitur concessum Patribus Olivetanis die 4. Aprilis 1629. & Abbatibus Cassinensibus in Bulla 101. die 11. Julij ejusdem anni, concessit enim uti licere baldachino tribus tantum festivitatibus, sine auro tamen, & pompa: non tamen possunt tenere sedem firmam propè altare ad exemplum Episcoporum, *Barb. lib.* 1. *de jure eccles. cap.* 18. *numer.* 59.

Possunt Abbates benedicere paramenta, & ornamenta suarum Ecclesiarum, ut declaravit Sacra Congregatio, teste *Gavanto in rubrica Missalis*, & *Breviarij tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 19. *num.* 22. Vasa, calices consacrare, &c. illis Abatibus conceditur, quibus privilegio Pontificis est demandatum, qua de re *Tamburrinus tom.* 1. *de jure Abbatum disp.* 23. *quæst.* 2. *usque ad* 14. & ordines conferre potest minores suo subdito tantum regulari, non verò clerico sibi non subdito, vel alteri regulari venienti cum dimissoriis proprij sui Episcopi, *Trid. sess.* 23. *de reform. cap.* 10. *Seraphinus dec.* 985. *par.* 1. *Barb. alleg.* 3. *Tamburrinus tom.* 2. *disp.* 2. *quæst.* 7. *Pertellius in dubiis regul. in verb. Abbas*, & contrarium faciens, remanet suspensus à collatione ordinum per annum, *Trid. ubi sup. cap.* 8. *Bonacina disp.* 3. *quæst.* 8. *punt.* 3.

Idem dic si conferat ordines regularibus aliarum Religio-

Religionum, de consensu, & eum litteris dimissorialibus suorum Prælatorum, & Episcoporum, ità *Quaranta in verb. ordo propè finem Bonacina de sacram. disp. 8. quæst. unica punct. 4. Tamburrinus de jure Abbatum tom. 2. disp. 2. quæst. 7.* In illis verò casibus, in quibus possunt Abbates concedere litteras dimissoriales, vel ordines, possunt in interstitiis dispensare, *Barb. par. 2. alleg. 18. & alleg. 3. num. 6.* Neque sunt examinandi ab Episcopis, sed ab Abbatibus, consuluit *Navarr. cons. 13. in antiquis, aliàs cons. 14. in novis sub titulo de privilegiis.* Novitiis tamen non possunt ordines conferre quia Novitius non est regularis, *Barbos. allegar. 3. Tamburrinus tomo. 2. disput. 2. quæst. 27.*

Possunt etiam Abbates Monachos suos absolvere à peccatis omnibus, & censuris, nisi alteri à jure specialiter reserventur, *Tamburrinus tom. 2. disp. 14. quæst. 12.* à sententia verò excommunicationis ob injuriam clericorum, licèt Romano Pontifici reservata, tamen absolvunt Abbates ex concessione Romani Pontificis, *cap. Monachi, de sentent. excommun. Tamburrinus disp 14. quæst. 10. & 11.* à votis quoque & juramento suos subditos exemptus absolvit Abbas, prout alii Prælati regulares Episcoporum exemplo *Sanchez tom. 1. lib. 4. cap. 39.* quod à fortiori locum habet in Abbatibus habentibus territorium cum jurisdictione Episcopali respectu subditorum prædicti territorii, *Sanchez ubi suprà.* In ætate, ut ordinetur quis ante tempus, poterat Abbas dispensare antiquitùs, *cap. Monachus 77. dist.* Sed hodie id non potest ex *Trid. loco citato* Dispensare potest cum Apostata, ut ministret in ordine suscepto; dummodò non sit ordinatus in Apostasia, quo casu dispensat solus Papa, *cap. fin. de Apostatis, Suarez tom. 5. de censuris disp. 31.* multa numerat *Barb. d. cap. 18. lib. 1. de jur. Eccles.* sic consecrare potest campanas ex privilegio Pontificis, *Diana de dub. regul. resol. 15.*

Ille verò Abbas, qui est ordinarius quasi Episcopus potest omnia, quæ regulariter potest Episcopus in sua Diœcesi, juxta *glossam* communiter receptam *in clem. 1. in verb. proprii de reb Eccles. non alien.* quam commendat *Navarr. cons. 50. de sponsalibus, Seraphinus dec. 1052. & 1386. Tamburrinus tom. 1. disp. 1. quæst. 3. & tom. 2. disp. 1. q. 5.* undè potest talis Abbas concedere litteras dimissoriales suis clericis, sæcularium Confessores deputare, denonciationes matrimonii dimittere, matrimoniis contrahendis interesse, absolvere, & dispensare, ex *Trid. sess. 24. de reform. cap. 6. Sanchez in summa lib. 2. cap. 11.* quicquid dicat *Barb. alleg. 39.* potest dare licentiam Prædicatori prædicandi in suo districtu, beneficia conferre, concursum facere, Synodum vocare, auctoritatem interponere in renunciationibus, vel permutationibus beneficiorum, Subditos visitare, alieno Episcopo tradere licentiam Pontificalia exercendi, cognoscere de causis matrimonialibus, Indulgentias dare, quas possunt Episcopi, commendatitias Epistolas clericis tradere, & dùm solemniter celebrat, debet habere Diaconum & Subdiaconum, clericos, qui ministrent, & alios clericos, non tamen tenentur clerici ei obviam ire exeunti de sua domo, ut declararavit Sacra Congregatio apud *Barb. d. lib. 1. cap. 17.*

In §. De Romano Pontifice.

Conclusio hujus textûs est posse Summum Pontificem renunciare Papatui, quia licèt non habeat Summus Pontifex suprà se potestatem aliquam in terris, ut dicunt communiter Theologi apud *Cajetanum 1. tomo, opusc. cap. 2. de auctoritate Papæ, & Concilij.* Datur tamen potestas aliqua declarativa in terris, quòd scilicet renuncians non sit ampliùs Papa; undè poterit Summus Pontifex renunciare, prout etiam fecerunt multi, qui electi in consistorio renunciaverunt, prout fuit Marcellinus, cui successit Marcellus, Cletus, cui successit Linus, & demùm Cœlestinus renunciavit Papatui, qui abiit in Eremum Montis Mayellæ, ut *in cap. 1. de renunc. in 6.* ubi *glossa, & DD.* & advertit *Cajetanus ubi suprà*, quòd per illam renunciationem corrumpitur illa conjunctio Papæ cum papatu, non à potestate, quæ sit suprà Papam, nam hæc in terris non datur; sed à potestate declarativa, seu applicativa Papæ ad papatum, quia papatus est de jure divino, applicatio verò Papæ ad Papatum est opus Ecclesiæ; quare cum Papa renunciat, tollitur illa conjunctio, & applicatio. Legendi sunt *Parisius lib. 2. quæst. 1. & lib. 7. quæst. 5. Azorius par. 2. lib. 4. cap. 6. quæst. 1. Paulus Comitolus lib. 1. responsorum moralium quæst. 100. Gonzalez in regul. 8. Cancellariæ §. 5. in proœmio, Peregrinus de jure fisci lib. 1. tit. 3.* & in aliquibus casibus tenetur Papa renunciare, *Joannes Gerson tom. 1. suorum operum, in tract. de auferibilitate Papæ ab Ecclesia fol. 159. consid. 9.* scilicet ob grave scandalum subditorum, vel quandò prælaturæ occupatio vergit evidenter in detrimentum salutis propriæ, &c. *Avendanus lib. 2. de mentis cap. 14. in fine.*

Neque dicas, renunciationem esse faciendam coram superiore, sed Papa non habet superiorem, ergo.

Respondeo enim, majorem illam non esse universaliter veram; sed quandò fit renunciatio jure ordinario, quando verò fit à Papa, res aliter se habet.

TITULUS XX.

De Depositione, Seu Degradatione.

Visum est suprà de duobus modis, quibus conjugium spirituale dissolvitur, scilicet de translatione, & renunciatione, nunc ponitur alius modus, quos prælatura finitur per infelicem exitum, scilicet per depositionem, seu degradationem, ad cujus intelligentiam

Sciendum est primo, quòd degradatio, & depositio conveniunt in hoc, quòd utraque est dignitatis, & officii, & privilegii privatio; verùm differt degradatio à depositione, nam depositio est de sententia, nondùm in executionem mandata, per quam nondùm amittuntur privilegia clericalia; degradatio verò est exequutio depositionis, DD. *in cap. 2. de pœnis in 6.* undè degradatio eximit clericum à foro Ecclesiastico; depositio verò est verbalis per sententiam; DD. ubi suprà, & degradatio differt etiam à suspensione; nam suspensus non privatur spe consequendi id, à quo est suspensus, sicut privatur degradatus, & depositus, quare depositus in criminibus majoribus adulterio, vel degradatus verbaliter, aut realiter, à nullo præter quàm à Pontifice in pristinum statum potest restitui, *cap. 1. & 2. 50. dist. l. 1. in fine. ff. de quæstionibus*, ita communiter, teste *Filiuccio tract. 18. cap. 8. quæst. 2. num. 193.* ratio est, quia inferiores Summo Pontifice non possunt in jure communi dispensare, sed depositio ex juris dispositione inducere solet privationem officii, & beneficii sine spe illius consequendi, ergo; differt etiam ab excommunicatione, & irregularitate, quia irregularitas, & excommunicatio non privat beneficio acquisito, sicuti privat depositio, &

& degradatio, *Suarez*, & alii apud *Filiuccium num.* 195.

Dicitur verò degradatio quantùm ad nomen, quasi de gradu ejectio, undè est privatio executiva ordinis privilegiorum, & jurisdictionis ob crimen facta, absque spe restitutionis, *d. cap.* 2. de *pœnis in 6.* & appellatur etiam exauctoratio, nam privat degradatio degradatum omni auctoritate, *Covar. lib.* 1. *var. cap.*10. *num.* 10.

Sciendum est secundo, degradationem aliam esse verbalem, aliam actualem, seu realem, quæ non solet inferri, nisi in illos, qui sunt in sacris, constituti, *Emanuel Sà in verb. degradatio nu.* 3. verbalis est, quæ appellatur etiam depositio, & est sententia Ecclesiastica, qua persona Ecclesiastica privatur omni officio, & beneficio in perpetuum sine spe illius consequendi non amisso privilegio clericali. Degradatio verò actualis est pœna Ecclesiastica, qua persona Ecclesiastica privatur omni beneficio, officio, & privilegio clericali in perpetuum, absque ulla spe illius consequendi cum quadam solemnitate; undè collige idem esse degradationem verbalem, & depositionem; *Flaminius Chartarius de executione sententiæ capto bannito, cap.* 1. *num.* 289. *Menoch. de arbitr. casu* 415. *Scaccia de Judiciis par.* 1. *cap.* 15. *nu.* 71. *Carolus de Grassis de effect. Cleric. effect.* 1. *nu.* 816, crimina verò, quæ merentur degradationem verbalem, seu depositionem sunt illa, de quibus *Barb. alleg.* 120. *num.* 10. & nos dicemus infrà.

Ex quibos colligo etiam actum, quo quis traditor Curiæ sæculari, esse effectum degradationis actualis, qui effectus non semper comitatur degradationem realem, cum non omnia degradatus realiter tradendus sit brachio sæculari, quicquid dicat *Julius Clarus in §. fin. quæst.* 36. & alii apud *Ambrosinum de immun. cap.* 17. *num.* 35. Quare in actuali degradatione degradatus privatur privilegio clericali, quamvis non semper tradatur brachio sæculari, præter quàm in delictis gravibus, & enormibus, ut in homicidio sui Episcopi, vel delicto valdè perniciosо Reipublicæ, puta hæresis, falsitatis litterarum papalium, &c. de quibus *Barb. d. alleg.* 110.

Sciendum est tertio, differre degradationem realem à verbali in multis. Primo, quia actualis solet fieri cum majori solemnitate, nam fieri solet adstantibus Abbatibus mythratis, id est habentibus jus mithræ, & baculi, aut assistentibus aliis in dignitate constitutis, *Trident. sess.* 13. *cap.* 4. qua de re infrà.

Secunda differentia est, quia verbalis potest fieri in absentem contumacem: realis autem in præsentem, *cap. novimus de verb. signif. cap. veritatis de dolo, & contumacia.*

Tertia differentia est, quia depositus actualiter non gaudet privilegio fori, & canonis, *d. cap. degradatio de pœnis in 6.* Depositus verò verbaliter. Primo fruitur privilegio canonis, undè qui illum percutit, incurrit pœnam excommunicationis. Verùm nota, quòd Magister triremis, qui percutit clericum depositum verbaliter, & damnatum ad triremes, non incurrit excommunicationem, si percutiat ex officio, sicut solet percutere cæteros remigantes: ratio est, tùm quia fungitur officio suo; tùm quia clericus damnatus ad triremes, censetur damnatus ad pœnas, & omnia consequentia: si verò percutiat ob alias causas incurrit excommunicationem, quam incurrunt alii percutientes clericum prædictum depositum verbaliter. Item clericus depositus verbaliter, gaudet fori privilegio, & consequenter nec potest cogi, nec puniri à Judice sæculari, nisi fortè post depositionem verbalem factus sit incorrigibilis, *Suarez disp.* 32. *de censuris sect.* 2. *num.* 3. *Filiuccius tract.* 18. *cap.* 8. *quæst.* 2. *num.* 193. Dicitur verò incorrigibilis quandò perseverat in prioribus criminibus.

Sciendum est quarto, quòd in degradatione verbali requirebatur quædam solemnitas antiquitùs, scilicet in degradatione Episcopi, 12. alii Episcopi requirebantur præter Metropolitanum, & ultrà illum, qui proferebat sententiam, id est ordinarium, prout in *summa* 3. *quæst.* 8. in presbytero verò degradando sex Episcopi ultrà ordinarium requirebantur, *cap.* 2. *de pœnis in* 6. *Innocentius in cap. gravi de præben.* In degradatione verò Diaconi requirebantur tres Episcopi, *d. cap. Degradatio de pœnis in 6.* Verùm hodie servatur, quòd in sententia degradationis ferenda sufficiat solus ordinarius, qui verbaliter pronunciet sententiam degradationis, *Trid. sess.* 13. *cap.* 4. *de reform. Salzedus in praxi criminali canonica cap.* 143. *Julius Clarus in §. fin. quæst.* 79 *Menochius casu* 415. *Zerola in verb. Degradatio Sbrozzius lib.* 9. *quæst.* 157. *Carolus de Grassis effectu* 1. *à num.* 814. *Paulus Layman. lib.* 1. *tract.* 5. *par.* 3. *cap.* 6. *Barb. alleg.* 110. *Genedus collect.* 65.

In reali verò degradatione post factam sententiam, & latam ab ordinario devenitur ad actualem degradationem. In qua comparet degradandus, vestibus indutus, quos accepit in sua ordinatione, & gradatim ab eo auferuntur. sic auferuntur etiam vasa sacra, pertinentia ad illum ordinem, à quo degradatur, & fieri solet in Ecclesia, ubi deliquit clericus, vel in sua si fuerit Monachus, vel si presbyter in Ecclesia etiam cathedrali solet fieri, & si fuerit Sacerdos venit cum vestibus suis, tanquàm si venisset ad dicendam Missam, quæ omnia aufert degradans cum ignominia, & gradatim auferendo vestes utitur verbis contrariis, quibus usus est in ordinatione in singulis actibus v. g. auferendo vestem dicit, *auferimus à te vestem*, & sic de cæteris, *Pontificale Romanum pag.* 633. *& sequenti*, *Castaldus in praxi cerem lib.* 2. *sess.* 15. si degradandus sit Archiepiscopus. Primo aufertur ei pallium, dicens Minister *prærogativa Pontificalis, &c.* si fuerit Episcopus; primo aufertur ei mithra Pontificalis, deindè liber Evangeliorum, & dicitur. *Redde Evangelium*, posteà anoulum fidei, dicens, *Annulum fidei, &c.* deindè baculum, deindè leviter pollices, ac manus abradit cultello, vel vitro: si verò degradandus fuerit Diaconus omnibus suis ordinis paramentis indutus, traditur ei liber Evangeliorum, quem Episcopus amovens à manibus dicit, *amovemus à te, &c.* Si fuerit Subdiaconus, induitur paramentis sui ordinis, & deindè degradator aufert librum Epistolarum, dicens, *Auferimus, &c.* Quando auferuntur vestes, auferuntur cum indignitate, *DD. in d. cap.* 2. *de pœnis in 6.* & etiam possunt degradari Clerici usque ad primam tonsuram, *d. cap. degradatio.* Sed hodie non est in usu degradatio clerici in minoribus. *Alterius de censuris tom.* 2. *disp.* 12. *cap.* 8.

Sciendum est quinto, Episcopum solum electum, & confirmatum, sed non consecratum non posse degradare actualiter, & realiter, quia actualis degradatio est actus contrarius ordinationi, sed ordinatio fieri non potest, nisi ab Episcopo consecrato, ergo etiam degradatio, quia uterque videtur actua pendens ab ipsa consecratione, secùs dicas de depositione verbali, etiamsi ad actualem degradationem referatur, quia hæc pertinet ad potestatem jurisdictionis, quam Episcopus electus exercere potest, etiamsi nondùm sit consecratus, *Abbas*, & alii apud *Barb.* d. *alleg.* 110. *num.* 24. & potest Episcopus delegare alteri prædictam facultatem degradandi verbaliter, putà suo Vicario, *Trid. sess.*

seß. 13. *cap.* 4. facultas verò degradandi actualiter potest delegari Episcopo consecrato, quia qui per alium facit per seipsum facere videtur, *cap. qui per alium regul. jur. in 6.* DD. ubi suprà. Decet etiam, ut fiat degradatio in Ecclesia, licèt non sit de substantia, *cap. Episcopus* 11. *q.* 3. & usu receptum est, ut utatur vestibus Pontificalibus, licèt non teneatur ex juris dispositione eas habere, quia nullus textus afferri potest, qui hoc dicat.

Sciendum est sexto non posse aliquem degradari absque accusatore per solam denunciationem, *cap. dilectus filius il.* 2. *de simonia*, ubi DD. ratio est, quia fuit inquisitionis juxta jus canonicum non est depositio, sed mitior pœna: ita *Molina*, *Ambrosinus*, & alii apud Doctores citatos, quod tamen limitatur primò, nisi delictum sit notorium, puta si delinquens sit deprehensus in crimine à Judice cum aliis; potest puniri pœna degradationis, sive procedatur per viam accusationis; sive inquisitionis; nam certò constat de crimine, nec subest ratio, ob quam Judex meliùs agere teneatur. Idem limita, nisi delinquens spontè fateatur crimen, cùm enim major certitudo de crimine haberi non possit, quam per voluntariam sui confessionem, sentiendum videtur, delinquentem condigna delicto pœna puniri posse: ità *Innocentius & Abbas in cap. qualiter, & quandò de accusat. Alterius*, & alii citati, & in degradatione verbali clerici sufficit solus Episcopus, vel alius Vicarius Generalis de mandato Episcopi, *cap. si quis cap. si autem* 13. *quæst.* 7.

In §. Quin immò cum sequenti.

Agitur hìc de causis, ob quas quis degradatur, & de effectu degradationis realis. Ad cujus intelligentiam

Sciendum est primò, quòd crimina, quæ merentur verbalem degradationem, sunt Adulterium, Concubinatus cum perseverantia post monitionem, simonia notoria, stuprum, incestus, furtum, perjurium, homicidium &c. Delictum, quod committit Parochus permittens, ut parochianus suus subditus moriatur sine Sacramentis, & præterea alia crimina atrocia, & maxima, quæ inferunt irregularitatem de quibus *Barb. dicta allegat.* 110. *& in collectan. ad textum in dicta cap. secundo de pœnis in 6. & Alterius tom.* 2. *disp.* 2. *de censuris cap.* 1. tradit regulam generalem, quòd in omnibus casibus, in quibus venit imponenda pœna mortis de jure civili, imponitur pœna depositionis de jure canonico; sed monent DD. prædicti Episcopos, ut in imponenda pœna depositionis, non respiciant canones antiquos, quia illi faciliores erant ad imponendam pœnam depositionis, Si verò clericus fuerit frequenter fornicarius, non erit statim deponendus, Sed gradatim cum eo agendum erit, ità ut priùs Judicis arbitrio puniatur, habita ratione loci, personarum, temporis, & aliarum circumstantiarum, & si monitus à superiore non resipuerit ipso facto privatus sit tertia parte fructuum beneficiorum, & pensionum applicandarum fabricæ Ecclesiæ, vel alteri pio loco, & si adhuc in delicto permaneat, servanda sunt, quæ statuit *Trident seß.* 25. *cap.* 15.

Crimina verò, quæ merentur actualem degradationem sunt crimen hæresis, assassinium, vel proditorium, & alia, quæ Judicis arbitrio relinquuntur *Barb. d. alleg.* 110. *Menochius dicto casu* 266.

Quòd si in jure invenias clericum esse deponendum, intelligitur de depositione verbali, *Alterius ubi suprà cap.* 3. quicquid dicat *Toletus lib.* 1. *cap.* 17. ratio est, quia pœnæ sunt restringendæ

Est etiam quæstio, an degradatus verbaliter sit alendus de fructibus beneficii?

Respondeo duas esse opiniones. Prima dicit alendum esse: ità *Sayrus de censuris cap.* 22. *nu.* 28. *Avila par.* 4. *dub. unico.* Idque ne mendicare cogatur. Alia opinio tenet non esse alendum de fructibus prædictis, quia sibi imputate debet quòd beneficio, & fructibus privetur, *Covarr. lib.* 3. *var. cap.* 13. & hæc opinio videtur usu recepta, teste *Bonacina de degradatione num.* 8

Sciendum secundo est, quòd degradatus traditur Curiæ sæculari post actualem degradationem, & si fuerit assassinus, debet declarari per Judicem Ecclesiasticum, quòd talis fuerit *Julius Clarus in §. fin. quæst.* 36. quicquid dicat *Capycius dec.* 112. *num.* 7. fuisse factam declarationem per Judicem laicum, & in *dec.* 155. *Grammaticus voto* 8. *& voto* 11. quandò autem sufficiat degradatio realis, quandò verbalis, tradit *Menoch. de arbitr. casu.* 414. Quandò verò Judex ecclesiasticus tradit clericum Curiæ sæculari, protestatur ne illum morte condemnet, & dicit hæc verba. *Tradimus tibi hunc hominem, qui non est ampliùs nostra jurisdictionis, & te precamur, ne eum morti tradas*; quibus dictis Judex sæcularis capit illum, & potest petere copiam processûs, eum sententia declarationis, ut instruatur de causa, & ecclesiasticus tenetur illam dare, nisi sit causa hæresis, quia Judex sæcularis non potest cognoscere de causis fidei, *cap.* 1. *de offic. ordinarii, cap. Inquisitionis, §. prohibemus de hæretic in* 6. *de Marinis cap.* 204. *Diaz in praxi criminali canonica cap.* 143. & ideò Judex ecclesiasticus tradens Curiæ sæculari non fit irregularis, quia nihil aliud facit, nisi declarare illum non esse suæ jurisdictionis, & sic non dicitur propriè tradere; undè nulla est irregularitas, præsertim, quia dicuntur illa verba, *Precamur te, ne morti tradas*. Inquisitores autem hæreticæ pravitatis habent amplissima privilegia, & ideò irregularitatem non incurrunt, & privilegium est concessum à Paulo Quarto, & Pio V. Ideò contra *Covarr. in clem.* 1. *par.* 2 *§.* 5. *num* 6. *de homic.* tenent communiter DD. quòd si Judex laicus differat executionem sententiæ, possent Inquisitores & Consultores instare, ut exequatur sententia absque ullo timore irregularitatis, *Barb. in collect. tom.* 2. *lib.* 5. *tit.* 7. *cap.* 13. *Diana par* 4. *tract.* 8. *resol.* 51. & sic tradentes hæreticos Curiæ sæculari, non tenentur præmittere protestationem, de qua in *cap. novimus de verb. signific.* & generaliter tradit *Diana*, Fiscalem, Denunciatores & alios Officiales in tribunali Inquisitionis non incurrere irregularitatem, licèt omittant dictam protestationem. Episcopus etiam committens alicui Judici laico in particulari causam alicujus Rei digni morte, si sequatur deindè mors, nullam irregularitatem incurrit. *Hurtadus de irregul. disp.* 2. *diffic.* 11. *num.* 42. *Diana ubi suprà par.* 4. *tract.* 5. *resol.* 78.

Sciendum est tertio, effectus degradationis esse, ut scilicet non possit ampliùs clericus degradatus se immiscere in divinis, aliàs esset irregularis, & statim excommunicatus fit, si Sacramenta, vel Sacramentalia exerceat *cap.* 1. *&* 2. *de clerico excommunicato ministrante, & Paulus hìc. Ricciullus de jure personarum lib.* 4. *cap* 2. Verùm, quia degradatus retinet caracterem in quo fundatur spiritualis potestas: consequenter si utatur debita materia, & forma cum intentione, conficiet Sacramentum. *Covarr. lib.* 1. *variar. cap.* 10. *glossa in d. cap.* 2. *Bonacina disp.* 4. *de degradatione puncto unico nu.* 5. *Barb. in d. cap.* 2. & talis degradatus vel excommunicatus ad ea, quæ sunt oneris clericalis, tenetur; ideò debet officium divinum, & horas canonicas dicere

ſecretè quidem, cum ſocio etiam niſi eſſet excommunicatus, quo caſu ſine ſocio dicere debet, & omittere illum verſiculum, *Dominus vobiſcum*, ac illius loco more laicorum dicere, *Domine exaudi orationem meam. Alterius 1. tom. de excommunic. diſp. 10. cap.* 4. Si verò excommunicatus cum alio celebret; peccat mortaliter, & in eandem culpam incidunt alii ſi audiant eum recitantem. Si talis clericus degradatus contraheret matrimonium, invalidè contraheret, quia retinet votum caſtitatis; & Epiſcopus degradatus conferendo ordines, validè conferret, quia verè retinet actum primum, ſeu potentiam ordinandi, licèt impediatur exequutio ordinis, *gloſſa in cap. dolentes* de *celebr. Miſſar. Barb. alleg.* 110. *num.* 50. Poteſt tamen degradatus audire Miſſam, quia non eſt excommunicatus: poteſt etiam in Eccleſia ſepeliri, & pro eo poſſunt ſacrificia offerri. Fieret verò excommunicatus quandò exerceret actum ſui ordinis, ut habetur ubi ſuprà, quæ excommunicatio eſt Pontifici reſervata, *Majolus de irregul. lib.* 3. *cap.* 22. eſt tamen prædictus clericus realiter degradatus, privatus utroque privilegio, fori ſcilicet, & canonis, & omne aliud Eccleſiaſticum privilegium amittit, *d. cap.* 2. *de pœnis in* 6. *Farinaceus in praxi criminali quæſt.* 8. *num.* 73. *Julius Clarus in §. fin. quæſt.* 36. *Bovadilla in politica lib.* 2. *cap.* 18. *nu.* 38. *Carolus de Graſſis effect.* 1. *num.* 824. & poteſt coram Judice ſæculari conveniri abſque alia traditione, *Maranta par.* 4. *diſt.* 11. *num.* 71. *Menochius caſu* 415. *num.* 6. At verò ſi ſit verbaliter degradatus, gaudet privilegio canonis, *Si quis ſuadente Diabolo* 17. *quæſt.* 4. ità ut qui illum percuſſerit, ſit excommunicatus, *Barb. in d. cap.* 2. *num.* 9. *de pœnis.*

Sciendum eſt quarto non poſſe clericum degradatum, ſeu depoſitum realiter reſtitui in priſtinum ſtatum per Epiſcopum, *cap. ſi lapſis*, *cap. qui ſemel* 50. *diſt.* niſi tamen depoſitio, & degradatio ſit nulla, pura, quia probatur ſententiam latam per falſos teſtes, per falſa inſtrumenta, vel ſine citatione, aut delinquentem non eſſe convictum, tunc enim poſſet Epiſcopus diſpenſare, & eum in priſtinum ſtatum reſtituere, *cap. Epiſcopus Presbyter.* 11. *quæſt.* 3. *contrà Sylveſtrum*, *in verb. degradatio*, *Bonacina de degradatione num.* 19. quo caſu requiritur aſſiſtentia eorum Prælatorum, qui ad ſententiam degradationis cooperati ſunt, dùm reſtitutio auctoritativè, & judicialiter fit, quia res per eaſdem cauſas naſcitur, per quas diſſolvitur, *cap. verbum de pœnitentia* 1. *diſtin. Bonacina ubi ſuprà contrà alios.*

Quæ quidem reſtitutio, cùm fit à Papa nullus requiritur ordo, neque modus eſt neceſſarius, ſed ſolo verbo fieri poteſt, quia jure canonico ipſe non ligatur, niſi fiat reſtitutio ad majores dignitates, putà ſi depoſitus fuiſſet Cardinalis, vel Epiſcopus, quia tunc eſt facienda reſtitutio cum ſolemnitate, quæ ſervata fuerat in primâ collatione dignitatis, *Majolus de irregularitate lib.* 3. *cap.* 22. *num.* 50. Si verò fieri debet reſtitutio ab Epiſcopo, tunc ſervanda eſt ſolemnitas, de qua in *d. cap. Epiſcopus presbyter*, ubi habetur Epiſcopum depoſitum debere coram altari de manibus Epiſcoporum recipere ſtolam, & annulum, baculum, & alia inſignia Epiſcopalia: presbyter verò debet recipere planetam, & alia. Diaconus recipere debet albam, & alia. Subdiaconus debet recipere calicem, & patenam. Si verò quis fuit depoſitus ſolùm verbaliter ſine ordine ad ſolemnem degradationem, hoc caſu poterit per Epiſcopum reſtitui, modò depoſitio fuerit facta ob adulterium, vel alia crimina adulterio minora, in his enim criminibus facultas datur Epiſcopo diſpenſandi poſt peractam pœnitentiam à reo, *cap. At ſi clerici de Judiciis*, ubi *Abbas num.* 14. *Barb. alleg.* 110. *Bellectus in diſquiſ. clericali*, *in tit. de favore clericorum perſonali §.* 10. *num.* 9. *Bonacina ubi ſuprà*; immò etiam capitulum ſede vacante ſuccedit in juriſdictione Epiſcopi, ſed poteſtas diſpenſandi pertinet ad juriſdictionem & non eſt actus ordinis ergo, undè poſſit concedi etiam ab Epiſcopo ſolùm electo, & confirmato, ſed non conſecrato, & ideò patet differentia inter diſpenſationem cum depoſito, & inter depoſitionem actualem, quod capitulum, aut Epiſcopus non conſecratus, non poteſt actualiter deponere, cùm depoſitio actualis, & ſolemnis ſit veluti quidam actus ordinis; diſpenſatio verò eſt actus juriſdictionis, *Abbas*, *& Decius in d. cap. At ſi Clerici.*

Ex quibus optimè colligitur poſſe Epiſcopum clericum, quem depoſuerat à beneficio; iterùm ad illud reſtituere, dummodò beneficium non ſit Juris patronatûs: Ratio eſt, quia beneficii reſtitutio non fit, niſi per novam conceſſionem, ſed nova conceſſio Juris patronatûs fieri non poteſt abſque conſenſu Patroni, ergo. Secùs dic ſi reſtitutio fieret à Papa, vel etiam à Legato de latere; ab his enim fieri poteſt reſtitutio Juris patronatûs Eccleſiaſtici ipſi clerico depoſito, cùm tale beneficium ſubſit illius poteſtati, & conſequenter poteſt derogare Juri patronatûs, & de facto derogare cenſetur, ſi id exprimat, ſecùs ſi non exprimat, *cap. quamvis de reſcriptis in* 6. *Hoſtienſis in cap. tranſmiſſa de renunciatione*, *& in cap. innotuit de electione*, *Alterius de cenſuris tom.* 2. *diſp.* 2. *cap.* 9.

Collige ſecundo Epiſcopum poſſe reſtituere ſine conſenſu capituli aliquem clericum depoſitum attenta conſuetudine, & praxi, de qua teſtatur *gloſſa in cap. cum ex eo*, *in verb. Epiſcopi de elect. in* 6. Dico de conſuetudine, quia de jure id non poteſt fieri ex *textu in d. cap. At ſi clerici*, ibi poteſt Epiſcopus cum clericis poſt peractam pœnitentiam diſpenſare, ubi notanda eſt illa loquendi formula, Epiſcopus cum clericis, quæ indicare videtur cauſam efficientem diſpenſationis.

TITULUS XXI.

DE SACERDOTIBUS IN INFERIORI GRADU CONSTITUTIS.

Viſum eſt ſuprà de Sacerdotibus exiſtentibus in gradu ſuperiori, ſcilicet de Summo Pontifice, Epiſcopis, &c. Videndum erat de iis, qui ſunt in inferiori gradu conſtituti meritò ponitur hic titulus. Ad cujus intelligentiam

Sciendum eſt primo, quòd Sacerdos eſt vir auctoritate divina, nempè ex Chriſti inſtitutione firmiter deputatus cultui veri Dei, nempè ad ſacrificia præparanda, & alia hujuſmodi, patet ex *Trid. ſeſſ.* 23. *cap.* 14.

Dicitur vir, ad differentiam mulieris, quæ eſt incapax ordinis, ſolus enim maſculus baptizatus eſt ſolùm capax ordinis, etiamſi ſit infans carens uſu rationis, aut inſanus, vel hæreticus, *S. Thomas* 3. *par. quæſt.* 39. *art.* 2. *Filiuccius tract.* 9. *cap.* 4. non tamen omnes Chriſti fideles ſunt actu Sacerdotes, uti blaſphemarunt Lutherani: licèt enim *Sanctus Petrus* 1. *epiſt. cap.* 2. dicat, *Vos autem Genus electum*, *& Regale Sacerdotium*, *& Apocalypſi cap.* 20. dicitur, *Erunt Sacerdotes Dei & Chriſti ejus*, tamen loca prædicta loquuntur de Sacerdotio inviſibili, & ſpirituali, quo Chriſtiani hoſtias ſpirituales, & laudes Deo offerunt, ſcilicet opera bona. Undè 1. *Petri cap.* 1. dicitur

dicitur offerentes hostias spiritu ales, & in *Apocalypsi* agitur de Beatorum Sacerdotio in Cœlo, qua de re *Marchinus de ordine par.* 8. *cap.* 3. *num* 10.

Ex quibus infertur fœminas non posse ordinari, quia eis loqui minimè licet 1. *ad Tim.* 2. ergo multò minùs licebit illas promoveri ad ordines sacros, qui pro fine habent administrationem sacramentorum, quod est quid majus, quam loqui in Ecclesia: tùm quia nusquàm legimus Christum alios ministros instituisse, quam viros, ergo soli viri sunt capaces sacramenti ordinis, *Vasquez. disp.* 245. *in* 3. *par. Coninch. disput.* 20. *dub.* 10. *num.* 94. *Filiuccius tract.* 19. *cap.* 4. & alii communiter cum *S. Thoma* 3. *par. q.* 39. *ar.* 1.

Dices in canone *Diaconissam* 27. *q.* 1. *& in cap. mulieres* 32. *dist.* fit mentio mulierum presbyteratum, & diaconissarum, quæ prohibebantur ordinari ante quadragesimum annum, ergo mulieres possunt ordinari saltem post quadragesimum annum.

Respondeo, mulieres nusquam ad ordines assumptas fuisse, sed dico, quòd Diaconissæ illæ, presbyteræ, & Episcopæ mulieres, de quibus multa Concilia mentionem faciunt, relata per *Marchinum de ordine par.* 7. *cap.* 5. erant quædam mulieres, quarum viri ad diaconatum, presbyteratum, vel Episcopatum assumebantur, & ideò uxores diaconorum diaconissæ, presbyterorum presbyteræ, & Episcoporum Episcopæ dicebantur, *Card. Baronius anno Christi* 34. *num.* 280. *Campanilis in diversi. rubrica* 11. *cap.* 2. *Vasquez in* 3. *par. disp.* 245. *cap.* 3. *Basilius Pontius lib.* 7. *de matrimonio cap.* 25. sæpiùs verò nonnullæ mulieres ob ætatem presbyteræ appellabantur, quia erant quædam Viduæ, nocte, dieque in templis Deo servientes, quas nunc Beguinas dicimus, quibus res Ecclesiasticæ in custodiam tradebantur, *glossa in dicto cap. presbyter*, & quia presbyter græcè idem est ac latinè senior, ideò non ab aliquo Ecclesiastico ordine, sed à senectute presbyteræ dicebantur, & eligebatur diaconissa ætate 40. annorum ad habendam curam rerum Ecclesiæ & ipsa instituebat mulieres baptizandas, & dùm baptizabantur, illas nudabat ad collum, & abstergebat, titubantes mulieres in fide propter persecutiones instituebat, præerat foribus Ecclesiæ, per quas solæ mulieres ingrediebantur, emittebat simplex votum castitatis *Paulus* 1. *ad Tim. cap.* 5. & sustinebatur communibus Ecclesiæ redditibus, & illius benedictio vocabatur ordinatio. Fuit deindè in Ecclesia hic modus ordinandi has Diaconissas sublatus; & primo apud Græcos in Concilio Laodiceni sub Sylvestro anno 320. *can.* 11. de quo in *d. cap. mulieres* 32. *dist.* In latina Ecclesia fuit sublatus in Concilio Arausicano 1. *cap.* 26. Quòd si de diaconissis plura scire velis legas *Campan. rubrica* 11. *cap.* 2. *à num.* 30. *Vasquez in* 3. *par. disp.* 245. *cap.* 3. *Basilium Pontium de impedim. matrim. cap.* 10. *Julium Lavorium tom.* 1. *var. lucubr. tit.* 4. *cap.* 29. *num.* 28. *Galganetum de jure publico lib.* 3. *tit. de Diaconissis, Barb. lib.* 1. *cap.* 26. *Marchinum dicto cap.* 5. *par.* 7.

Infertur secundo ex definitione, Hermaphroditum validè non posse ordinari, si æquè aut magis participet fœmineum sexum, quis dicitur fœmina: si verò æqualiter participet, tunc non magis dici potest masculus, quàm fœmina, subjectum autem ordinis sunt masculi: si verò prævalet sexus virilis, validè potest ordinari cùm dicatur vir, seu masculus, licitè tamen non potest ordinari, cùm sit irregularis, juxtà DD. communiter, licet *Toletus lib.* 1. *cap.* 63. *num.* 6. *& Farinaceus de ordine cap.* 3. *num.* 1. dicant, & meliùs non esse irregulares modò res non sit notoria; nam si res est notoria, admitti non possunt ad ordines ratione scandali.

Dicitur in definitione (cultui veri Dei deputati) ut denotetur tàm reverentis interior, quàm exterior, quam Deo vero debemus, ut excludatur cultus falsorum Deorum, gentium; sunt enim errores gentium, quæ per Dæmonum illusiones, ac superbiam (voluit enim Dæmon fieri similis Deo) & sic procurat per ejus membra, ut sunt infideles, ut cultus divinitatis, qui soli Deo debetur sub velamine falsorum Deorum ipsi Dæmoni detur, at soli Deo honor, & gloria debetur.

Dicitur in definitione (auctoritate divina deputatus) quia solus Deus veros habet Sacerdotes, & ipse solus eos constituit, & ideò omnes alii, qui ab Episcopis Sacerdotes verè consecrati non sunt ex divina ordinatione, ut nonc sunt in Ecclesia Dei, non sunt veri ministri, nec Sacerdotes, sed latrones, & fures, ut de fide est definitum in *Trid. sess.* 23. *cap.* 4.

Sciendum secundo est, quòd Sacerdos dicitur etiam presbyter, quod est verbum græcum, latinè importans seniorem, non tàm ætate, quàm moribus, & officiu, *cap. Cleros, vers. presbyter græcè* 21. *dist. Petrus Gregorius par.* 2. *lib.* 16. *Syntagm. cap.* 8. *Galganetus de jure publico lib.* 3. *cap.* 13. *Barb. par.* 2. *alleg.* 14. *& lib.* 1. *de jure Eccles. cap.* 34. *num.* 1. *Marchinus par.* 7. *de ordine cap.* 1. & licèt Sacerdos ætate plerùmque sit junior, sic tamen vivere & conversare decet, ut ejus probata vita senectus sit, *Trid. sess.* 23. *cap.* 14. & dicitur etiam Sacerdos, quasi sacrum dans, *d. cap. Cleros*, Diaconus, & Subdiaconus laiè accepto vocabulo Sacerdotis nomine continetur, *cap.* 1. *in fine* 15. *quæst.* 5. *cap. si quis piam* 81. *dist. cap. Subdiaconus* 77. *dist. cap* 2. *de cohab. cleric. & mulierum*, ubi *glossa in verb. Sacerdotum*, præsertim quandò agitur de materia favorabili; in materia verò odiosa strictè sit pro solo presbytero interpretatio: ordo autem, seu gradus Sacerdotum fuit à Christo Domino institutus, & designatus in septuaginta duobus discipulis: undè est verum, & proprium Sacramentum novæ legis à Christo institutum, *Card. Bellarminus de Sacram. ordin. lib.* 1. *cap.* 2. Neque dicas obstare *textum in cap. in novo* 21. *dist.* ibi à Petro Sacerdotalis cœpit ordo, &c. quia intelligitur de ordine Episcopali; quia cùm Petrus fuerit primus Episcopus consecratus à Domino, in hunc sensum Episcopalis ordo ab ipso dicitur cœpisse, *Bellarm. lib.* 1. *de Romano Pontifice cap.* 23. *Coninch. dis.* 20. *de ordine dub.* 4. *num.* 25. Ordinandus verò presbyter debebat antiquitùs habere annos 30. *Auth. de sanctissimis Episcopis, §. Clericos collat.* 9. sed hodie sufficit si habeat 25. annum inchoatum *cap. ultimo* 78. *dist. Clem. ultima de ætate, & qualitate, Tridentin. sess.* 23. *cap.* 12. *de reform.* & debet, qui ordinatur Sacerdos, per annum unum antecedenter in diaconatu ministrasse, nisi aliud Episcopo videbitur, & debet de vita, & moribus fieri examen, *Trid. d. sess.* 23. *cap.* 14. Episcopus potest dispensare, ut non elapso anno Diaconus fiat Sacerdos si concurrat Ecclesiæ necessitas, & utilitas, *Bonacina de ordine disp.* 8. *q. unica pun.* 6.

Sciendum est tertio, quòd presbyteri ordinatio fit cum duabus partialibus ordinationibus, ideò duas partiales materias, & duas formas ad complementum essentialem constitutionem requirit, & prioris quidem ordinationis materia est traditio calicis cum vino, & patenæ cum pane, Forma verò sunt illa verba, *Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia Dei.* Alia verò pars substantialis ordinationis est manuum impositio, & quòd sit substantialis, patet ex *Paulo ad Tim.* 8. Resuscita gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum, & ad *Tim.* 1. *Vide, ut citò manus imponas, & Trid. sess.* 4. *cap.*

cap. 13. definit ministrum extremæ unctionis, ut sit Sacerdos ab Episcopo per manuum impositionem ordinatus; unde sicut Sacerdos in sua ordinatione duas recipit potestates, ità duo sibi imprimuntur caracteres, quia verò traditin calicis cum vino, & pateræ cum pane, seu hostia est materia, ideò si calix vino careat, aut aquam contineat, vel hostia non sit ex vero pane ex negligentia magistri ceremoniarum, non esset collatus ordo, nec promotus acciperet caracterem; ut post *Barb. lib. 1. de jure Eccles. cap.* 34. *num.* 17. qui subdit, ut attentè Magistri ceremoniarum videant apponi vinum, & quòd Episcopi cautiùs agant procurantes, ut discooperiatur calix, ut videant necne adsit, priusquàm ad materiæ traditionem properent: calicem autem, & insuper patenam, ac hostiam non opus est necessariò tangere; unde diceretur presbyteralis ordo enll tus, quamvis tantùm calix tangatur *Sotus in 4. dist.* 24. *quæst.* 1. *art.* 2. *Campanilis rubrica* 2. *num.* 16. *Bonacina de Sacram. disp.* 8. *quæst. unica cap.* 3. *nu.* 10. & est verum Sacramentum, quamvis Sacerdos tangat cum una manu calicem, & cum alia patenam non hostiam, vel hostiam, & non patenam, quia sicut vinum sufficienter tangitur, tacto calice in quo est, ità hostia sufficienter tangitur, tacta patena, in qua est, vel etiam calice, in quo est patena cum hostia, quia etiam in aliis rebus humanis non solent specialiter tangi omnia, quæ traduntur, quandò unum eorum est in alio: quidquid dicant aliqui debere ordinatum tangere calicem, ac patenam, & hostiam, refert *Coninch. disp.* 20. *de sacram. dub.* 7. *num.* 57. *Nugnus in addit. ad 3. par. tom* 2. *quæst.* 24. *art.* 5. *diffic.* 2. & ego probabiliter puto, non opus esse ut ordinandus tangat physicè materiam, sed sufficit, ut extensione manuum ostendat se eam ab ordinante acceptare, quia Concilium Florentinum de ordine nihil meminit de tactu, sed tantùm de traditione, cùm tamen diligentissimè egerit de necessariis pertinentibus ad essentiam Sacramentorum: tùm quia traditio instrumentorum solùm deservit ad determinandam potestatem, quæ datur, ad quod non requiritur contactus, sed ostensio præsens cum signo acceptativo, & ità dicunt *Armilla in verb. ordo num.* 4. *Molphesius tom.* 1. *tract.* 2. *cap.* 1. *nu.* 42. quæ omnia sunt intelligenda de necessitate Sacramenti, nam de necessitate præcepti ordinandus tenetur tangere saltem calicem; sequitur *Diana tractat.* 2. *miscell. resol.* 3. *Layman. lib.* 5. *tract.* 9. *cap.* 50. *num.* 4. Neque obstat hanc doctrinam esse contra praxim Ecclesiæ, nam ex tali praxi nihil aliud colligitur, nisi quòd talis ceremonia sit de necessitate præcepti, non autem quòd sit de necessitate Sacramenti.

Sciendum est quarto, Papam non posse Sacerdotem ordinare solo verbo, puta dicendo, esto Sacerdos, *Abbas in cap. firmiter*, §. *una de summa Trinit. & fide Catholica*, *Azorius par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 29. quia deficeret materia, & forma, ergo &c. sequitur *Barb. lib.* 1. *de jure Eccles. cap.* 34. *num.* 21.

Sciendum est quinto, officium Sacerdotis, ut habetur in *cap. perlectis* 25. *dist.* esse Corporis, & Sanguinis Christi Domini Sacramentum conficere, & Deo in sacrificio offerre, super populum orare, à peccatis absolvere, & benedicere dona Dei, baptizare etiam, & alia Sacramenta populis ministrare præter confirmationem, & ordinem, quæ ad solos Episcopos pertinent, & tandem officium ejus est verbum Domini prædicare, quæ omnia officia divino jure Clericis, Sacerdotibus competunt. Neque potest Papa committere non Sacerdoti potestatem conficiendi Corpus Christi *gloss. in cap. pervenit* 95. *dist. Abbas in cap. quanto num.* 9. *de consuetud. Campanilis rubrica* 6. *cap.* 2. *num.* 15. & ideò talis potestas competit Sacerdotibus, ut etiam si sint excommunicati, hæretici, &c. adhuc conficiant Sacramentum Eucharistiæ, quia talis potestas non distinguitur à caractere indelebili, *glossa in cap.* 2. *de Apostatis*, in *verb. injuria. S. Thomas* 3. *par. quæst.* 63. *art.* 5. & patet ex *Trident. sess.* 7. *can.* 9. *& sess.* 24. *can.* 4. unde Ecclesia sicut non potest impedire caracterem, ità neque poterit impedire prædictam potestatem consecrandi, *glossa in cap.* 2. *de clerico excommunicato. Fagundez præcepto* 3. *lib.* 3. *cap.* 1. Potestas etiam dispensandi Corpus Christi ex divino jure competit Sacerdotibus; sed poterit eam committere Sacerdos Diacono in causa necessitatis, *Suarius tom.* 3. *in* 3. *par. disp.* 72. *sect.* 1. *Layman. lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 7. *nu.* 2. Casu verò, quo infirmus vellet communicari, & proprius absit Sacerdos, vel præsens non possit facium communionem deferre, tunc quilibet Diaconus, Sacerdote alio non existente, deferre poterit, licentiam, quam ipsi sacri Canones, & præsumpta voluntas superioris Episcopi, & Papæ in tali casu tribuunt DD. communiter, quos sequitur *Layman d. lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 7. *num.* 2. *in fine.*

Sciendum est sexto, solos Sacerdotes habere potestatem administrandi sacramentum Pœnitentiæ, & potestatem ministerialem peccata remittendi, *cap. quidam dicunt de pænit. dist.* 1. *Trid. sess.* 14. *can.* 3. quod verum est etiamsi Sacerdotes sint improbi, *Trid. sess.* 14. *can.* 20. *& cap.* 6. *Fagundez præcepto* 2. *lib.* 7. *c.* 1. quia hoc ministerium non fundatur in sanctitate ministri, sed in potestate illi tradita in ordinatione, quæ propter peccatum non amittitur, *cap. multi*, *cap. Dominus*, *cap. non nocet cum aliis* 11. *quæst.* 1. *Trid. sess.* 7. *de Sacramentis in genere*, *can.* 12. Sacramenti verò Baptismi Sacerdos ex suæ consecrationis vi potest esse ordinarius minister, *cap. constat de consecr. dist.* 4. *cap. Diaconos* 93. *dist. Layman. lib.* 5. *tract.* 2. *cap.* 7. Sacramentum Extremæ Unctionis à solo Sacerdote administratur, ut est de fide, & ex *S. Jacobo epist. cap.* 5. *inducat presbyteros*, *Trid. sess.* 14. *cap.* 3. *& can.* 4. *de Sacramento extremæ unctionis*, *Bonacina de sacram. disp.* 7. *quæst. unica. p.* 4. latè *de presbyterio*, *Galganetus de jure publico lib.* 3. *tit.* 23. *Barb. lib.* 1. *de jure Eccles. cap.* 34. *Castald. in praxi cerem. lib.* 2. *sect.* 14. *cap.* 8.

Tandem sciendum est *Paulum Lancellottum* hic errasse, dùm asserit presbyteros ex commissione Episcopi posse chrismare, quod falsissimum esse suppono, cùm de sacramento chrismatis: quia semper solo Episcopo potestas chrismandi fuit, *cap. quanto de consuetudin. Trid. sess.* 7. *cap.* 3. sicut neque permittente Episcopo poterit chrisma conficere neque ordinare, neque Ecclesiam consecrare, *cap.* 1. *& sequentibus* 26. *quæst.* 6. *cap. presbyteris de consecrat. dist.* 4. *cap. quamvis eadem dist.*

TITULUS XXII.

DE IIS, QUI SUNT IN SACRIS CONSTITUTI.

Visum est suprà de Sacerdotibus, verùm quia alii in sacris constituti, eis, ut ministri immediatè serviunt: meritò ponitur hic titulus. Ad cujus intelligentiam

Sciendum est hoc nomen sacrum posse accipi dupliciter, primo sumitur, pro omni Deo dedicato, secundùm quam acceptionem etiam constituti in minoribus

ribus dicuntur in sacris, & sic omnis ordo sacer est *S. Thomas in 3. par. q. 63. art. 4.* ubi *DD. glossa in summa 32. dist.* Secundo accipitur specificè, quo sensu dicuntur in sacris, qui immediatè circà vasa sacra versantur, ut sunt diaconi, & subdiaconi post Sacerdotes, *glossa hic in principio.*

Super principium textus juncto §. 1.

Agitur in hoc textu de ordine Diaconatûs. Ad cujus intelligentiam

Sciendum est primo, quòd hoc nomen Diaconus est Græcum, & latinè ministrum denotat, quia sacerdoti ministrat &, aliis clericis ministeria dispensat, & res sacras populo administrat, *c. Cleros, vers. Graecè Diaconi 21. dist. Petrus Gregorius lib. 15. Syntbag. cap. 20. Galganetus lib. 3. de jure publico. titulo 25. Barb. alleg. 14.* quia licet alii quoque Clerici sint ministri, tamen solus Diaconus sortitur hoc nomen, quia solus circà res sacras presbytero ministrat, easque fidelibus distribuit, *cap. Diaconi 93. dist.* Alii verò potiùs dicuntur assistentes, *cap. nullus Acholytorum 24. dist.* & Diaconus appellatur Levita à tribu Levi, à qua Diaconi originem ex veteri lege traxerunt, *d. cap. Cleros, d. cap. Diaconi sunt:* qui ordo fuit à Christo figuratus quandò distribuit panes inter discipulos, *Guillelmus Durandus in rationali divinorum offic. lib. 10. cap. 9.* elegerunt posteà Apostoli 7. Diaconos, quorum primus, & sanctitate præcipuus claruit Beatus Stephanus, & post aliquot tempora insignis floruit Beatus Laurentius; undè putant aliqui, tunc fuisse institutum Diaconatûs ordinem, *Durandus lib. 2. in rationali cap. 3. Card. Bellarminus tom. 2. lib. de Sacrum ordinis cap. 6. Cardin. Baronius tom. 1. anno Christi 34. pagina 269.* Alii, & communiter Theologi putant Diaconatûs ordinem fuisse à Christo institutum, quia est talis ordo Sacramentum. *Trid. sess. 23. cap. 2. & cap. 3. & can. 6.* & licèt Christus nullum ordinaverit Diaconum, *cap. Dominus 93. dist.* tamen non sequitur eum non instituisse hunc ordinem, sicut licèt nullum confirmaverit, non tamen sequitur eum non instituisse Sacramentum confirmationis

Sciendum secundò est, quòd Diaconatûs ordo est spiritualis potestas, per quam Diaconus potest exercere omnia ea, quæ suum concernunt officium, quod officium est assistere sacerdoti in sacrificiis, eique panem, & vinum tradere, *cap. perlectis 25. dist.* Evangelium populo cantare, qui cùm illud canit debet ascendere ad altiorem locum: juxtà illud *Isaiæ cap. 4. Super Montem ascende tu qui evangelizas Syon, & Dominus in Monte docebat turbas, Matth. cap. 5.* & cùm canit Evangelium, debet faciem adversùs Aquilonem vertere, ut ostendat verbum Dei contra eum dirigi, cui Spiritui sancto semper fuit contrarius, nam per Aquilonem Diabolus intelligitur, ex eo quia durus, & frigidus ventus sit, effectus, quos Diabolus in illis, quos possidet, operatur, teddendo scilicèt eos frigidos, & torpentes in amore charitatis, & dilectionis: quòd verò per Aquilonem designetur Diabolus: apertè ostendit *Isaias cap. 14.* dicens, *Lucifer quid dicebas in corde tuo, sedebo in lateribus Aquilonis, &c.* & ratio quare Diacono lecto Evangelium detur benedictio secùs subdiacono, quandò illi traditur epistola ad legendum, est quia Deus legem, & Prophetas invisibiliter misit; Apostolos verò, & Evangelistas, quorum officium gerunt Diaconi visibiliter misit eum osculo sponsæ, scilicèt Ecclesiæ, *Durandus lib. 2. divin. offic. cap. 23. num. 11.*

In primitiva Ecclesia officium Diaconi consistebat circà administrationem eleemosynarum, & bonorum communium Ecclesiæ, *Card. Baronius tom. 1. anno Christi 34. pag. 269.* nam illi septem Diaconi constituti ab Apostolis ministrabant viduis in locum Apostolorum, quos non decuit derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis, & ideò ad eos pertinebat ministrare calicem, quandò eo tempore cum sanguine fidelibus ministrabatur, *Henriquez lib. 10. cap. 13. §. 2.* ad eos quoque spectabat assistere Episcopis prædicantibus, & eos custodire, ne ab insidiatoribus infestarentur, & ideò oculi Episcopi appellantur, *cap. Diaconi qui, cap. Diaconi Ecclesiæ 93. dist.* & Diaconorum numerus, qui Episcopo prædicanti assisterent in quacumque etiam minima Civitate, septenarius requirebatur, *cap. Diaconi qui, cap. Diaconi septem, 93. dist. cap. illud. 7. q. 1. cap. Episcopus Deo de consecr. dist. 1.*

Prædicandi munus est quæstio, an Diacono competat? & prima pars affirmativa probari videtur, ex *cap. perlectis 25. dist. & cap. sancta 92. dist.* & facit quia Stephanus, & Philippus ab Apostolis electi primò in Diaconos, prædicaverunt, & Vincentius Martyr, qui tantùm erat Diaconus concionabatur, teste *Augustino serm. 2. de eodem Vincentio.*

Negativa opinio quæ placet aliis probatur ex *cap. adjicimus 16. quæst. 1.* ubi *glossa in verb. Sacerdotis, Medina lib. 1. de contin. cap. 30.*

Quas contrarias opiniones sic concordia, quòd prima procedit, quandò intervenit licentia Episcopi, Prælati, vel alterius, habentis ad illud munus jurisdictionem. Secunda opinio procedit ex vi suæ ordinationis cùm ratione officii prædicandi munus Diacono non sit concessum, nec illis, ut proprium tribuatur, *Navarrus cons. 7. de offic. delegati, Valentin tom. 4. de ordine disp. 9. q. 1. par. 3. Vasquez tom. 3. in 3. partem disp. 236. cap. 8. num. 89.* Quare ad jura illa in *d. cap. perlectis & in d. cap. sancta,* respondeo intelligi non de prædicatione, hoc est de explicatione Evangelii, sed de ejus lectione à Diacono decantanda, *Navarrus dicto cons. 7. num. 3. glossa in d. cap. adjicimus, in verb. sacerdotes; Durandus in rationali cap. 9. lib. 2. num. 10.* Religiosi verò Societatis Jesu, etiam sacris ordinibus non initiati, verbum Dei prædicare possunt *Gregorius 13. in Bulla 95.* incipiente *vigore,* quæ in Bullario est *tom. 2. pag. 481.*

Sciendum est tertio, quòd licèt olim in primitiva Ecclesia propter penuriam ministrorum solemniter possent Diaconi baptizare, ut dicunt *Sotus in 4. dist. 24. quæst. 5. art. 3. Ancoratensis lib. 3. var. cap. 16. num. 6.* hodie tamen ratione officii id facere non possunt, nisi de licentia Episcopi, vel presbyteri, *cap. Diaconos 93. dist. cap. constat de consecr. dist. 4. Vasquez in 3. par. quæst. 67. disp. 147. nu. 5. num. 23.* Absente verò Episcopo, & presbytero, ac necessitate cogente poterit Diaconus non solemniter baptizare, *glossa in d. cap. Diaconos 93. dist. in verb. necessitas,* sicut licèt non possint Diaconi ratione officii Eucharistiam ministrare fidelibus, cùm id tantùm sacerdotibus competat, *cap. firmiter §. si verò de summa Trinit. & fide cathol.* tamen in absentia sacerdotis, vel in ejus præsentia data necessitate possunt, *d. cap. Diaconos. cap. præsente 93. dist.* & dùm tales Diaconi ministrant, non requiritur, ut sint in gratia, *Layman. lib. 5. tract. 1. cap. 5. num. 10. Barb. lib. 1. de jure Ecclesiæ cap. 35. in fine.*

Sciendum est quarto, ordinandum esse in Diaconum eum: qui sperat in Domino se posse continere, *cap. quicumque 77. dist.* & est abrogatus *textus in can. Diaconi 28. dist. cap. 1, 27. dist. cap. 1.*

1, 27. *dist. cap.* 1. 31. *dist. cap. conjugatus de convers. conjugat. cap. de his* 28. *dist.* est autem ordinandus Diaconus hodie in anno 23. suæ ætatis, *Trid. sess.* 23. *cap.* 12. *de reform.* licèt antiquitùs ætas 25. annorum requireretur, *cap. in veteri* 77. *dist. cap. placuit*, *cap Episcopus* 77. *dist. cap. Nemo* 78. *dist.* & eandem ætatem *Justinianus* exprscit *in auth. de sanctissimis Episcopis*, §. *presbyteram autem*, & *in cap. generalem de ætate & qualitate*, requirebatur ætas viginti annorum.

Sciendum est quinto materiam ordinationis Diaconi esse impositionem manuum Episcopalium cum traditione alicujus rei, per quam potestas, & officium illius significatur. Forma autem sunt verba, quæ cum talibus materiis proferuntur, *Vasquez in* 3. *par. disp.* 238. *cap.* 4. *à num.* 43. *Layman lib.* 5. *tract.* 9. *cap.* 5. *num.* 2. Quòd verò impositio manuum fiat, colligitur, tùm ex forma verborum, quæ simul ab Episcopo pronunciantur, *Accipe Spiritum sanctum*, tùm ex *cap.* 6. *Actorum*, ubi dicitur diacones per manuum impositionem fuisse ordinatos: sicut ibidem annotarunt interpretes. tùm denique ex *Concilio Carthaginensi* 4. *cap.* 4. ibi Diaconus cùm ordinatur, solus Episcopus, qui eum benedicit super eum manum imponit: undè ex Conciliis & Sanctis Patribus colligitur ad solam ordinationem Diaconi spectare manuum impositinnem, *Petrus Sotus de sacramento ordinis lect.* 5. quòd verò spectet etiam traditio alicujus rei ad ordinationem Diaconi; colligitur ex Florentino Concilio, & ex Patribus apud *Layman*, qui etiam ait, credibile esse, quòd Dominus noster Jesus Christus instituerit omnes istas materias ordinum, non quidem in particulari monendo Apostolos, ut ordinea conferrent per ceremoniam instrumentalem, quibus significaretur eorum potestas, quare nihil refert, quòd in primitiva Ecclesia ordinando in Diaconum non fuerit liber Evangeliorum traditus, aut missale, ut nunc, cum eo tempore nondùm essent scripta; potuit enim olim, præter manuum impositionem, alia materia exhiberi, per quam, & altaris ministerium, & alia annexa officia Diaconi significarentur, quod quidem congruentius est dicere, quam eum *Soto in* 4. *dist.* 24. *quæst.* 1. *art.* 4. & *Henriquez lib.* 40. *cap.* 8. §. 1. tempore primitivæ Ecclesiæ sine traditione Evangeliorum, ac proindè absque propria, & vera hujus Sacramenti materia ex divina dispensatione fuisse prædictum ordinem collatum, vel etiam cum *Vasquez* asserere materiam hujus Sacramenti eo tempore fuisse tantùm manus impositinnem, scriptis verò libris Evangeliorum, tunc ipsius cœpisse esse materiam. Diaconus non fit irregularis (licèt peccet mortaliter) quandò stola utens novum in die Paschatis panem, vel agnum benediceret, quòd id facere non est actus ordinis sacerdotalis primo, & per se: sed solùm secundario; ex opposito verò si Missam celebret Diaconus, vel ceptam deficiente Sacerdote perficiat, fieret irregularis & per triennium ab usu diaconatûs suspenderetur, non tamen à beneficio, si quod baberet, *cap.* 2. *de clerico non ordinato ministrante*; si verò petas, cur diaconus stola ad sinistrum humerum conversa utatur, Sacerdos ad pectus: subdiaconus autem usum stolæ non habeat. Respondeo, quòd usus stolæ, significat officium prædicationis: sed officium prædicationis per se primo Summo Pontifici convenit: undè ille semper utitur stola, quæ Episcopis, & aliis sacerdotibus etiam convenit; ideò etiam isti utuntur stola ad pectus, & quia post eos convenit diaconos ideò ipse etiam utitur stola ad sinistrum latus, quia ei minùs principaliter competit, & quia subdiacono nullo modo competit prædicationis officium; ideò nullo modo usus stolæ ei licet, ut colligitur ex *Concilio Toletano* 4. *can.* 59. & habetur in *can. unum orarium* 25. *dist.* unum, inquit orarium, id est stolam oportet Levitam gestare in sinistro humero: propterea quòd orat, id est prædicat: multa de diacono agit *Marchinus par.* 7. *de ordine cap.* 3. & *cap.* 4. requisita moralia ponit de diaconis, & exempla notabilia.

In §. Subdiaconos cum sequentibus.

Agitur hîc, de subdiacono ad cujus intelligentiam

Sciendum est primo, quòd subdiaconus dicitur Græcè Hyppodiaconus, quasi subministrans diacono, *cap. Cleros*, *cap. Hyppodiaconas* 21. *dist. Barb. alleg.* 14. *num.* 3. & est subdiaconatus sacramentum à Christo institutum, & de eo est *textus canonicus inter canones Apostolorum* 40. Non tamen reputabatur in primitiva Ecclesia ordo sacer, *cap. nullus* 60. *dist.* & tempore Syricii Papæ anno 385. non erat ordo sacer, *cap. quicumque*, ubi *glossa*, *vers. ad Diaconi* 77. *dist.* & tempore Lucii Papæ, *cap. ministri* 81. *dist. Barb. in cap. multis de ætate*, & *qualitate*, & *in cap. Laodicensis cap.* 21. non permittebatur subdiacono tangere vasa sacra, neque habebat ordo sacer annexum votum castitatis, *cap. nullus in Episcopum* 60. *dist.*

Sciendum secundo est, calicem vacuum cum patena esse materiam hujus subdiaconatûs, *Concilium Carthaginense* 4. *cap.* 5. *Toletanum* 4. *can.* 57. putant verò communiter DD. duplicem esse materiam prædictam, scilicèt librum epistolarum, & calicem vacuum cum patena, teste *Filiuccio tract.* 9. *cap.* 2. *num.* 45. ego verò puto librum epistolarum non esse materiam substantialem subdiaconatûs, quia olim diaconus solum legebat epistolam, *Cathechismus Romanus de subdiaconatu*, & solum post *Concilium Rhemense can.* 4. Id fuit concessum subdiaconis: tùm quia actus legendi epistolam non ex vi ordinis, sed ex præcepto Ecclesiæ competit, *Henriquez lib.* 10. *cap.* 13. & probatur quia in aliquibus locis eam ex consuetudine legit *Acolytus*, & ex privilegio id habent minoritæ, ità post alios *Diana par* 2. *tract.* 4. *resol.* 189. *de sacram. Marchinus par* 6. *cap.* 1. *Barb. lib.* 1. *de jure Eccles. cap.* 37. calix verò, ut sit apta materia necessariò necessitate sacramenti debet esse consecratus. *Sylvester in verb. ordo il.* 2. §. 2. *Fornarius de ordine cap.* 2. *num.* 7. *Marchinus de ordine par.* 6, *cap.* 1. *dub.* 1. *contra Patrem Dianam par.* 3. *tract.* 4. *de sacram. resol.* 189. & *Barb. lib.* 1. *de jure Eccles. cap.* 37. & ratio nostra est, quia calix non consecratus non distinguitur à laico calice, nec est instrumentum idoneum, & vas proximè aptum continere Eucharistiam, ergo requiritur, ut sit consecratus, tùm quia Christus Dominus, cùm consecravit in ultima cœna, suo contactu calicem consecravit, quem effectum eùm non possint præstare nostri Episcopi solo contactu, necessariò sequitur ipsum debere esse consecratum ex Ecclesiæ institutione, & patena simul cum calice est necessaria materia hujus sacramenti, necessitate quidem sacramenti, *Marchinus ubi suprà dub.* 2. & cùm traditur calix cum patena, licèt Episcopus non utatur verbis imperativis, puta, *Accipe potestatem*, &c. utitur tamen verbis istis, *Videte cujus ministerium vobis traditur*, *ideò vos admoneo*, *ut ità vos exhibeatis*, *quòd Deo placere possitis*, quæ verba loco formæ habentur, quæ verba sunt substantialia: Alia verò puta, (ideò vos admoneo) sunt accidentalia, & hortatoria, *Vasquez in* 3. *par. disp.* 238. *cap.* 5. *num.* 51 *Marchinus par* 6. *cap.* 1. *dub.* 3. & character subdiaconatûs non imprimitur in traditione libri epistolarum, sed in traditione

ditione calicis vacui; tùm quia liber epistolarum non est materia subdiaconatûs: tùm quia si est materia, est solum secundaria, *S. Thomas* 3. *par. quæst.* 37. *art.* 4. *ad* 3. tùm quia quandò in ordine est duplex materia; semper caracter imprimitur in traditione materiæ magis principalis, & proximioris ad Corpus Christi conficiendum, sed liber Epistolarum non pertinet proximè ad Corpus Christi conficiendum, ergo in sola traditione calicis imprimitur caracter subdiaconatûs, *Marchinus par.* 6. *de ordine cap.* 2. *in fine.*

Sciendum est tertio, quòd munera subdiaconatûs sunt. Primo præparare aquam ad ministerium altaris, Secundo diacono ministrare. Tertio pallas altaris, & corporalia abluere. Quarto calicem, & patenam in usum sacrificii eidem offerre. Quinto panem consecrandum pro populo in altari ponere, & sexto crucem in processionibus gestare. Septimo epistolam in solemni missa canere, *cap. si subdiaconus* 34. *dist. ubi* DD. si autem quis non subdiaconus canit epistolam, Dalmatica indutus, sed sine manipulo, vel sine stola evangelium; potat *Abbas in cap. quisquis de vita, & honestate cleric.* fieri irregularem, sed opposita sententia est verior, quia ad administrandum solemniter requiritur, ut recitet quis epistolam cum propriis ornamentis ordinis sui, *Henriquez lib.* 10. *cap.* 13.

Sciendum est quarto, clericum in subdiaconatûs ordinem ascendere non posse, nisi ex tribus titulis, scilicet vel ex titulo paupertatis in religione approbata, vel ex titulo patrimonii, aut beneficii: & Pius V. in Bulla, quæ incipit *Romanus Pontifex sacrorum*, Novitios antè solemne paupertatis votum prohibet sub pœna suspensionis à sacris ordinibus initiari, & Federicus Borromeus Mediolanensis Archiepiscopus à regularibus, antequàm ordinarentur, juramentum exigebat, quo affirmabant se spontè solemnem professionem emisisse, vel nunc ratam, & firmam habere, quod juramentum propria ordinandi manu firmatum in Archiepiscopali Archivio posteà servabatur, *Diana par.* 8. *tract.* 2. *resol.* 82. *Gavantus in manuali Episcoporum, in verb. Ordines majores num.* 28. Societatis verò Jesu Religiosi ante solemnem professionem, post emissa vota simplicia possunt quemcumque sacrum ordinem recipere de mandato Præpositi Generalis, ex concessione Gregorii 13. quòd si contingat, eos ejici à societate in sacris constituros, & carentes beneficio, vel patrimonio, tunc Prælati ejusdem societatis de honesto victu illis providere debent, donec sufficiens beneficium fuerint consecuti, *Sacra Congregatio in Triden. sess.* 21. *cap.* 2. *Marchinus par.* 6. *cap.* 5. Quòd si religiosus nulliter professus ordines scienter recipiat, suspensionem incurrit, & celebrando, irregularitatem; quia ordinaretur sine ullo titulo: secùs si haberet beneficium, vel patrimonium, *Bonacina de clausura quæst.* 2. *punct.* 10; *diffic.* 5. *Diana par,* 4. *tract.* 2. *resol.* 82.

De Titulo Beneficij.

Beneficium, ad cujus titulum petit quis ordinari debet esset sufficiens ad congruam sustentationem, *Trid. sess.* 21. *de refor.* & nihil refert, an sit simplex, vel curatum, duo, vel unum, in propria, vel aliena Diœcesi: dummodò enim sufficienter in vita sustentetur clericus, sufficit, ad quod maximè facit arbitrium Episcopi, undè sufficit beneficium etiam duorum scutorum, *Barb. de jure pontificio lib.* 1. *cap.* 33. *num.* 38. *Diana par.* 4. *tract.* 4. *resol.* 51. qui referunt declaratum per sacram Congregationem, promotum ad ordines cum collatione unius beneficii reditûs duorum scutorum annuorum, & captum à satellitibus, incedentem in habitu clericali, gaudere fori privilegio. sequitur *Marchinus par.* 5, *cap.* 6. *diffic.* 5. *Sanchez in opusculis tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 27. *num.* 7. *contra Riccium par.* 3. *dec.* 77. *Squillantem de obligat. cleric. cap.* 4. *dub.* 18. *num.* 138. Putant verò aliqui, quòd possit subdiaconus ordinari ad titulum beneficii certi de futuro, quod scilicet spe certa habiturus est, vel ad titulum Coadjutoriæ perpetuæ, quia sufficit titulus de futuro, *Sayrus de censuris lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 29. *Majolus de irregul. lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 59. *Campanilis in divers. rubrica* 8. *cap.* 4. *num.* 10. Sed hæc sententia est contra mentem *Triden. sess.* 21. *cap.* 2. quia prærequirit titulum de præsenti, eumque pacificè possessum, ergo non sufficit titulus de futuro, *Garsia par.* 2. *de benefic. cap.* 5. *num.* 130. *Barb alleg.* 19. *num.* 28. Poterit verò quis subdiaconatum recipere ad titulum beneficii præsentis, licèt fructibus illius non statim gaudeat, sed solùm post receptum presbyteratum illis frui incipiat, ut fuisse decisum per sacram Congregationem referunt *Garsia ubi sup. num.* 120, *& Barb. nu.* 29. quæ decisio mihi videtur difficilis, nam ex ea sequeretur promotum ad subdiaconatum, vel diaconatum, si non habeat undè vivat, cogi interim mendicare, quod à clericali honestate alienum sacri canones abhorrent, undè neque poterit quis ordinari ad titulum coadjutoriæ etiam perpetuæ cum futura successione, quia est titulus beneficii de futuro, & non de præsenti: secùs si ratione præsentis coadjutoriæ haberet congruam sustentationem, tunc enim posset ordinari, *Garsia ubi suprà num.* 532. & sic procedit doctrina *Gonza ex. in regul* 8. *Cancell. glossa* 5, *§.* 9, *num.* 8. qui absolutè docet, posse aliquem promoveri ad titulum coadjutoriæ, intellige enim perpetuæ, & habentis de præsenti congruam ad victûs sustentationem, quo casu posse aliquem ordinari, tradunt etiam *Navarrus de oratione cap.* 20. *num.* 58. *Ledesma de ordine cap.* 7. *concl.* 5. *dub.* 2. *Ugolinus de potestate Episcopi cap.* 26. *num.* 8. *Moneta de optione canonica cap.* 4. *q.* 8. *num.* 169. *Marchinus de ordine par.* 6. *cap.* 6. *diffic.* 3. Quòd si quis habeat beneficium, sed ei possessio sit prohibita per Judicem, laicum putat *Rodriquez in summa par.* 2. *cap.* 55. *num.* 11. posse ordinari in sacris ad illius titulum, quia habet hic talis titulum, & absquè sua culpa arcetur à tali possessione; sed *Marchinus ubi suprà diffic.* 4. putat non posse ordinari sine suspensione, quia concilium exposcit beneficium pacificè possessum, ergò suspensus esset ordines recipiens; intellige, me loqui secundùm eam sententiam, quæ docet, ordinatum cum ficto patrimonio, vel beneficio esse suspensum, de cujus rei veritate agam infrà.

Et quia beneficium, ad cujus titulum quis ordinatur, debet esse perpetuum: ideò non potest quis promoveri ad titulum temporalis Vicariatûs, vel alterius officii amovibilis, secùs si officium esset perpetuum, tunc enim posset in titulum conferri, *glossa in cap. constitutus, in verb. perpetuus Vicarius*, ubi *Abbas num.* 5. *de filiis presbyterorum*, *Riccius par.* 2. *dec.* 190, *Campanilis rubrica* 8. *cap.* 4. *num.* 8. *Barb. alleg.* 19. *num.* 25. *Garsia par.* 1. *cap.* 2. *num.* 83. Posset verò quis ordinari ad titulum quotidianarum distributionum, quæ licèt non sint propriè beneficia, sunt tamen perpetua, & sufficiunt, ne quis mendicare cogatur, *Campanilis d, rubrica* 8. *cap.* 5. *num.* 29. *Barb. alleg.* 59. *num.* 24. *& in Trid. sess.* 21. *cap.* 2. *num,* 13. potest etiam quis ordinari ad titulum perpetuæ Capellaniæ, dummodò ante ordinationem illi conferatur, ità de stylo Rotæ refert *Rodriquez*

Rodriquez in summa par. 2. *cap.* 15. *num.* 14. quia Capellania est beneficium Ecclesiasticum perpetuum, quare obtinens Capellaniam in Capella Papæ, potest ad illius titulum ordinari, quia ipsæ non sunt ad nutum amovibiles, ut malè *Barb. ubi suprà num.* 20. sed sunt perpetuæ, ut ait *Navarrus cons.* 10. *de temp. ordin.* dicens Capellanias Papæ esse perpetuas, nec vacare per mortem Papæ: sequitur *Marchinus ubi suprà diffic.* 5. *num.* 21.

Potest etiam quis ordinari ad titulum præstimonii: sunt autem præstimonia quidam reditus abstracti ex beneficiorum reditibus, adolescentibus quibusdam concessi, ut studiis incumbentes se possint sustentare, instructi autem Ecclesiæ inserviant: quod intelligo, dummodò non solùm pro tempore studiorum, sed in futurum, & in perpetuum illis concedantur, *Salzedus in sua practica canonica cap.* 8. licèt oppositum dicat *Diaz in sua practica cap.* 10. & *Ugolinus de potestate Episcopi cap.* 26. *§.* 8. *num.* 3. sed mea opinio probatur; quia licèt præstimonium non sit beneficium Ecclesiasticum, ut tenent communiter DD. quos sequitur *Suarez de religione tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 22. *num.* 2. tamen erit secundùm omnes pensio Ecclesiastica, sed potest quis ordinari ad titulum perpetuæ pensionis, & ad victum sufficientis, *Trid. d. sess.* 21. *cap.* 2. ibi, *patrimonium verò, vel pensionem obtinentes.* & ità fuisse decisum refert *Garsia ubi suprà num.* 93. *Barb. alleg.* 19. *num.* 74. illi verò, qui petunt admitti ad ordines ad titulum patrimonii, vel pensionis, non sunt omnes generaliter admittendi, sed quos Episcopus judicaverit pro necessitate, vel commoditate suarum Ecclesiarum, ex *Trid. ubi suprà.* Neque potest ordinari ad titulum patrimonii, vel beneficii quis insufficientis ad victum, quod posteà reddatur sufficiens ob Missas, vel eleemosynas, quæ in dies occurrunt, quia hæc omnia sunt incerta, & non firma, & perpetua: ità decisum per sacram Congregationem refert *Quaranta in verb. ordo*, *Zerola in verb. dimissoriæ §.* 5. *dub.* 2. *Garsia d. cap.* 5. *num.* 125. posset verò quis ordinari ad titulum beneficii habentis reditus incertos, & casuales defuncturum, & anniversariorum, si communiter ad certam summam pro victu sufficientem redigantur, *Genuensis in praxi cap.* 83. *nu.* 9. Potest etiam quis ordinari ad titulum perpetui obsequii alicui Ecclesiæ, accedente Rectoris consensu, modò nec posteà amoveri possit, *Quaranta in verb. ordo pag.* 362. *Zerola in verb. dimissoriæ par.* 1. *§.* 5. *dub.* 1. quicquid dicat *Garsia d. cap.* 5. *num.* 98. Ratio, est quia talis titulus est perpetuus: undè certæ Ecclesiæ adscriptus à nullo Episcopo est recipiendus sine litteris dimissoriis, *Parisius de resignat. benef. lib.* 2. *quæst.* 6. *num.* 34. *Marchinus ubi sup. num.* 29. Clericus verò seminario inserviens, non potest ad sacros ordines promoveri ad titulum ipsius seminarii, quia hic non est titulus perpetuus. Verùm si ex bonis beneficialibus seminarii annua pensio ei assignetur, donec congrua sustentatione provisum illi fuerit, licita erit promotio; sic decisum à Gregorio 13. refert *Garsia ubi suprà cap.* 5. *num.* 104. *Barb. alleg.* 19. *num.* 32. *Quaranta in verb. ordo, vers. accepit, Piasecius in tit. de conferendis ordinibus num.* 45. Neque est licita ordinatio ad titulum mensæ Episcopalis, vel cujuslibet stipendii ab Episcopo, vel ab aliis assignati, quod non sit perpetuum, *Garsia ubi suprà num.* 43. Sed si congrua pensio Ecclesiastica super mensa Episcopali ordinando daretur, liceret ordinari, & hac ratione Mediolani ordinantur ad titulum S. Sepulchri oblati ibi, à qua Ecclesia habent jus alimentorum, donec de sufficienti beneficio fuerit illis provisum: ex qua etiam ratione ob penuriam Sacerdotum licita est ordinatio ad sacros ordines sub sola alimentorum promissione, *Parisius d. quæst.* 6. *nu.* 11. *Campanilis d. rubrica* 8. *cap.* 4. *Barb. d. alleg.* 19. *num.* 73. *Marchinus par.* 6. *nu.* 35, *de subdiaconatu.*

An verò possit quis ordinari in sacris ad titulum litteraturæ, puta quia est quis in sacra Theologia, vel Canonibus doctoratus, vel licentiatus, qui tamen titulum non habet, quæstio est: Affirmant multi, & dicunt sic consuluisse peritissimos Theologos apud *Henriquez lib.* 10. *de ordine cap.* 17. & *lib.* 14. *de irregul. cap.* 5. eandem opinionem sequitur *Campanilis rubrica* 8. *cap.* 4. *num.* 6. *Gonzalez in regula de mentibus gloss.* 4. *num.* 36. *Salzedo in praxi Episcopali par.* 2. *cap.* 5. *num* 6. sed ego puto conformius esse *Sacro Concilio Trid.* si dicamus, non posse ad talem titulum aliquem ordinari, patet ex *Trid. d. sess.* 21. *cap.* 2. ubi dicitur, quòd licèt aliquis sit scientia sufficiens, non tamen possit ordinari; voluit *Trid.* nisi habeat sufficiens patrimonium, vel beneficium, ergo non sufficit titulus scientiæ, ut declaravit sacra Congregatio, teste *Diana par.* 4. *tract.* 4. *resol.* 52. *in fine.* & *par.* 5. *tract.* 10. *resol.* 50. *in fin.* sequitur *Garsia par.* 2. *cap.* 5. *num.* 127. *Barb. alleg.* 19. *num.* 72. *Marchinus d. p.* 6. *cap.* 6. *num.* 37.

Est etiam notandum non, posse aliquem beneficio renunciare, ad cujus titulum fuit ordinatus *Trid. d. sess.* 21. *cap.* 2. Quòd si quis ingrediatur religionem, & renunciet prædicto beneficio, debet etiam in renunciatione asserere, se ad titulum illius beneficii fuisse ordinatum: alias est nulla renunciatio, *Marchinus ubi suprà nu.* 38. & etiam procedit, si quis juraverit ante ordinationem se beneficium prædictum renunciaturum, quia esset tale juramentum vinculum iniquitatis, sed ad cautelam est petenda absolutio à juramento, ut declaravit sacra Congregatio apud *Garsiam par.* 2. *de benefic. cap.* 5. *num.* 230. *Basilius lib.* 2. *quæst.* 6. *num.* 43, *Hugolinus de potestate Episcopi, cap.* 28. *§.* 8. *num.* 4. *Barb. alleg.* 19. *nu.* 46. esset verò valida hujus beneficii renunciatio etiam sine mentione, quòd ad titulum illius quis erat promotus, quandò unum beneficium in æquipollens permutaretur, ut ait sacra Congregatio apud *Garsiam*, & *Barb. ubi suprà.* Secundo valeret renunciatio, quandò renuncians haberet aliud beneficium, vel patrimonium ad victum sufficiens, ut expressit Concilium. Tertio valeret renunciatio, quandò super idem beneficium alteri renunciatum reservaret sibi pensionem quinquaginta aureorum, quia eum his posset commode vivere, *Marchinus ubi suprà num.* 40. qui verò renunciat beneficio, ad cujus titulum est ordinatus absque mentione tituli, & non impetrata ab Episcopo facultate, si non habet undè vivat, privatur is beneficio, nec ampliùs poterit id obtinere in pœnam, sed à solo Pontifice est petendum, & ordinarius, qui talem renunciationem admisit, si mala fide processit, tenetur ad alimenta clerico resignanti præbenda: est Bulla Pii V. de qua *Garsia par.* 2. *de benefic. cap.* 5. *num.* 227.

De Titulo Patrimonii.

INtelligimus nos in præsenti pro patrimonio non solùm bona, quæ habet filius à patre, vel matre sed omnia, quæ quocumque modo sibi donata sunt, & ad titulum patrimonii prædicti; vel pensionis solùm possunt ordinari illi, quos Episcopus judicaverit pro necessitate, vel utilitate Ecclesiæ, *Trid. sess.* 21. *cap.* 2. undè potest Episcopus denegare facultatem ordinandi ad titulum patrimonii, & de facto quidam Episcopus denegavit clerico talem facultatem, licèt

eèt haberet patrimonium 300. ducatorum *Navarrus de tempor. ordin. conf.* 14. *in novis*. Ad cujus intelligentiam

Sciendum est primo, teneri patrem filio volenti ascendere ad ordines sacros jure obligationis naturalis dare sufficiens patrimonium exemplo filiæ, cui nubenti tenetur pater dare dotem, *l.* 1. *ff. sol. matrim. l. quilibet, ff. de ritu nuptiarum*, *Menoch. lib.* 4. *præsumpt.* 189. Qui idem docet de filia volente ingredi religionem, quam tenetur pater dotare, ergo eadem ratione tenetur patrimonium assignare filio volenti ad sacros ordines ascendere, quia favorabilius est spirituale matrimonium omni carnali, ità *Ayman. Cravetta conf.* 136. *Avendanus respons.* 17. *nu.* 3. dicens, quòd talis donatio, quam pater facit filio, est ob causam necessariam, ad quam posset pater invitus cogi, sequitur *Gutierez pract. quæstion. l.* 2. *quæst.* 65. *Genuensis in pract. Ecclesiast. quæst.* 622. *Sanchez lib.* 4. *de matrim. quæst.* 26. *num.* 7. *Barb. de potestate alleg.* 19. *num* 63. *Campanilis rubrica* 8. *cap.* 5. *num.* 14. *contrà Riccium in pract. par.* 1. *resol.* 594. & contrà *Marchinum par.* 2. *resol. miscel. resol.* 71.

Quantitas patrimonii relinquitur arbitrio Episcopi, qui respicere debet qualitatem personæ nobilis, vel ignobilis, loci, & temporis, quicquid dicant *Ledesma de ordine cap.* 7. *conclus.* 7. *& Garsia par.* 2. *de benefic. cap.* 5. *num.* 114. qui dicunt prædictas circumstantias non esse attendendas. Undè *Jacobus de Graffiis cens.* 4. *de tempor. ordin.* refert se vidisse in aliquibus locis assignatum patrimonium scutorum decem, & octo, alibi 25. alibi 36. In Archiepiscopatu Bracharensi ascendere debet ad scutos 25. *Barb. alleg.* 19. *num.* 8. In Civitate Neapolit na debet esse 36. ducatorum, *Genuensis in praxi cap.* 81. *Molfesius tract.* 2. *cap.* 15. *num.* 6. In Provincia Mediolanensi requiritur patrimonium scutorum 50. *Marchinus par.* 6. *cap.* 7. *num.* 50. Ex quo potest Episcopus definire quantitatem patrimonii in Diœcesi spectata ubertate Regionis, & clericalis status decentia, quòd si post definitam quantitatem, quis adducat patrimonium, quod deficiat in tribus, vel duobus docatis, adhuc licebit Episcopo illius ordinationem facere. & de modicis non est curandum, *Sanchez in opusc. tom.* 2. *lib.* 1 *cap.* 1. *dub.* 75. *num.* 8. *Diana par.* 4. *tract.* 4. *resol.* 52.

Sciendum est secundo circà qualitatem patrimonii parùm referre, si illud in una re, vel in pluribus consistat, vel illud commune habeat cum fratribus, vel sit separatum, *Azorius par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 4. *quæst.* 9. quòd si sit patrimonium tenue, poterit jungi cum beneficio, modò ex his duobus congrua vitæ sustentatio insurgat. *Congregatio Concilii ad Trid. sess.* 21. *cap.* 2. debet esse res certa, & stabilis: undè animalia non possunt afferri pro titulo, quia facilè mori possent, *Garsia par.* 2. *cap.* 5. *num.* 105. *&* 111. Neque debet esse alteri prædictum patrimonium obligatum; undè Episcopus antequàm ordinet, & patrimonium admittat, debet facere Edicta, ut qui jus aliquod in dictis bona habent, intrà certum tempus comparere teneatur, & docere de jure suo, quo tempore elapso omni jure in dicta bona esse spoliatos meminerint, & sic Episcopi non solùm ordinandis, sed sibi ipsis provident, quia ab onere alimentorum eximuntur, *Quaranta in verb. ordo, vers. quod intellige*. Quare si post dictam diligentiam compareant creditores, & tale patrimonium evincerent, talis revocatio fieret irrita, & Episcopus ad nihil teneretur. *Navarrus conf.* 14. *&* 46. *de tempor. ordin. Molfesius in summa par.* 2. *cap.* 15. *nu.* 5. *Sanchez lib.* 6. *de matrim. disp.* 32. *num.* 7. *&* 8. Neque potest admitti ad ordines, quis ad titulum legati consequendi, quia talis voluntas est revocatoria, usque ad mortem, *Maceratensis lib.* 1. *var. resol.* 112. *casu* 18. Neque potest admitti illud patrimonium, in quo alius habet utile, sed clericus directum dominium, *Decius in cap. Episcopus de præben. num.* 12. posset tamen illud directum dominium vendere, & pecuniam convertere in stabilia. Idem dicas si illud directum emolumentum sufficiens causet, puta magnum canonem, est etiam recedendum à *Sua. de alimentis tit.* 7. *quæst.* 37. *num.* 2. qui dicit posse ad sacros ordines admitti eum, qui ex bonis paternis, vel maternis pingue expectat patrimonium, hoc tamen ei non est assignatum, quia non sufficit jus ad rem, sed in re, *Hugolinus cap.* 26. *§.* 9. *nu.* 3. *Campanilis rubrica* 8. *cap.* 5. *num.* 3. *Barb. alleg.* 19. *num.* 60. *Marchinus cap.* 7. *citato num.* 52. posset tamen quis ordinari ad titulum patrimonii, quod consistat in censu, tàm vitalitio, quàm perpetuo, & redimibili, *Garsia par.* 2. *de beneficiis c.* 5. *num.* 45. quia census est titulus per se frugifer, certus ac firmus, ex quo quis acquirit jus habendi certam pensionem, ex qua possit congruè vivere, & adhibebitur in constitutione tituli hæc cautela, ut in casu redemptionis, & extinctionis pecunia ex Episcopi decreto iterùm quàmprimùm in beneficium ejusdem promoti implicetur. Sufficientia verò patrimonii est attendenda tempore litterarum dimissorialium, vel tempore ordinationis, *Graffiis de tempor. ordin. conf.* 4. *Marchinus par.* 6. *cap.* 7. *diffic.* 2. *in fine*. Neque valet assignatio patrimonii facta uni filio in præjudicium legitimæ aliorum, quia pater non potest donare uni filio omnia sua bona, spolians alios debita legitima, nisi in casibus à jure expressis, *Cevallos communes contra communes quæst.* 527. *&* 582. quòd si cæteri fratres sint perfectæ ætatis, & consentiant in dicta donatione totius patrimonii in commodum ordinandi, tunc poterit eo casu ab Episcopo ordinari; licèt autem alii fratres, & pater non haberent undè viverent, hoc tamen nihil impedit, quominùs illud non sit justum, & legitimum sacri ordinis patrimonium, quia potest quilibet cedere juri suo, quæ facta cessione, jam filius ordinandus dicitur habere sufficiens patrimonium à *Tridentino* requisitum *Marchinus difficul.* 3.

Sciendum est tertiò, quòd si Episcopus ad sacrum ordinem aliquem assumat absque titulo sufficientis patrimonii, vel beneficii, obligatur eum alere suis sumptibus, donec beneficium ei congruum conferatur, *cap. cùm secundum de præb. cap. cum accepimus de ætate, & qualitate*, quandò tamen mala fide eùm ordinavit, nam si facta diligentia sufficienti eum sic ordinavit non tenetur ad aliquid: ratio est, quia pœna non imponitur sine culpa, sed in casu nostro nulla est culpa, ergo: ità *Decius in d. cap. Episcopus num.* 12. *Navarrus de tempor. ordin. conf. ultime in novis, in veteri est consilium* 14. *&* 46. & à fortiori non tenetur Episcopus clericum alere, quandò post Subdiaconatum perit patrimonium, ut benè *Marchinus ubi sup. diffic.* 4. & licèt multi Canonistæ, quos refert & sequitur *Barb. alleg.* 20. *num.* 11. *&* 14. dixerint teneri Episcopum pereunte patrimonio subdiaconum alere tamen sunt intelligendi non de obligatione speciali, consurgente ex ordinatione facta, sed de obligatione generali, qua Episcopus omnibus pauperibus, & præcipuè constitutis in ordine clericali providere debet *glossa in cap. cùm secundum de præb. in verb. donec*, & ità tenent *Sanchez lib.* 6. *de matrim. disp.* 32. *nu.* 8. *Hugolinus de potestate Episcopi cap.* 26. *§.* 11. Idem dicas si patrimonium evincatur ob magna patris debita, *Molfesius*

Molfesius in summa tract. 2. cap. 15. num. 5. Quòd si Episcopus Archidiacono, Vicario, vel examinatoribus ordinandum committat. ut de sufficientia tituli invigilent, si ipsi se negligenter gesserint, & ex hoc Episcopus ordinem sacrum confecat, in hoc casu non tenetur illum alere suis sumptibus, quia nulla culpa intervenit, sed potiùs examinatores, Archidiaconus, vel Vicarius suis sumptibus sustentare debebunt, qui si non habent, undè possint alere: actio dabitur contrà Episcopum, *glossa in cap. cum secundum de præb. Quaranta in Bullario, in verb. Episcopi obligatio.*

Non tamen tenetur Episcopus ad alimenta, quandò ordinatus habet aliundè undè vivat, vel quia post ordinationem, hæreditatem, vel beneficium aliquod fuit consecutus, vel quia suis honestis laboribus, ut docendo grammaticam, vel alio modo sibi victum quærendo, quia si pater non tenetur dare alimenta filio quandò filius de suis laboribus potest vivere, *l. si quis à liberis, §. Sed si filius, ff. de liber. agnosc.* ubi *Bart. & DD.* multò minùs tenetur Episcopus, pro quo facit *textus in d. cap. Episcopus de præben.* Neque tenetur Episcopus ordinato sine titulo alimenta præstare, quandò patrem habet divitem, ut contrà *Parisium lib. 2. de resignat. beneficii quæst. 6. nu. 28.* docet *Bar. alleg. 20. à num. 4. usque ad 10.* Neque tenetur Episcopus ad alimenta subdiaconis absque titulo ordinatis, quoties non essent sibi subditi, & tulissent dimissorias a proprio Episcopo, tunc enim actio alimentorum datur contra dimissorias concedentem, sive Episcopus is sit, sive Capitulum sede vacante, sive Vicarius, qui omnes tenentur, antequàm dimissorias concedant, de sufficientia tituli acentè investigare. *Quaranta in verb. ordo, §. extende ad capitulum, in verb. obligatio Episcopi. Hugolinus cap. 26. num. 15. Barb. alleg. 20. num. 21.* & casu, quo Episcopus, vel Vicarius tenetur alimentare, transit obligatio, etiamsi transferatur ad alium Episcopatum, vel Vicariatum. quæ etiam obligatio mortuo Episcopo ad successorem transit, *cap. cùm secundùm Apostolum §. 2. in fin. de præb. Quaranta, & Hugolinus ubi suprà, Campanius rubrica 8. cap. 5. num. 21. Bonacina disp. 8. de Sacram. quæst. unica puncto 5. num. 27. Barb. alleg. 20. num. 23.* Quòd si contingat Titium ab uno Episcopo ordinatum Subdiaconum, vel Diaconum, & ab alio Presbyterum, tunc uterque pro rata tenetur ad alimenta, quia uterque culpabiliter sacros canones violavit, *cap. Episcopus de præben.* ubi *Decius num. 1. Quaranta in verb. ordo. Hugolinus ubi supra §. 15.* & ità fuisse decisum testantur *Fornarius de ordine cap. 8. num. 10. Bonacina ubi suprà num. 39. Barb. num. 22.*

Quandò verò Episcopus de alterius mandato aliquem absque titulo sacro ordine ordinavit, est quæstio, an mandans, vel ille, cui mandatur ordinatio, alimenta præstare teneatur?

Respondeo, quòd aut mandatum fuit speciale, ut certas personas ad sacros ordines assumeret, vel fuit generale. Primo modo tenetur mandans ministrare, quia ipse debebat videre, an ordinandi titulum haberent sufficientem, quare cùm ipse deliquit, ipse tenetur. Si verò secundo modo fit mandatum, tunc suscipiens tenetur lege alimentorum, *d. cap. si Episcopus de præben. in 6. Marchinus ubi suprà diffic. 4. in fine.*

Siendum est quarto, quòd si quis ordinetur patrimonio ficto, data antapocha, quæ vulgo dicitur (contrascriptura) aut data fide, vel juramento, se post ordinationem patrimonium illi assignatum redditurum, vel fructus nunquàm petiturum, est quæstio, an teneatur stare promissis? Prima opinio negat *Navarrus lib. 1. cons. de tempor. ordin. cons. 13.* post alios *Garsia par. 2. cap. 5. num 164. Avila de censuris 3. par disp. 5. dub. 5. Bonacina disp 8. de Sacramentis, quæst. unica punct. 5. nu. 20. & 21. Diana par. 2. tract. 2. resol. 184. de Suram.* Ego tamen puto peccare mortaliter talem sic donantem & in foro externo nullam habere actionem, tamen in foro interno est ei restituendum, quia non illud amisit, quia non verè donavit, ità *Sanchez lib 6. de matrim disp. 32 num. 8. Garsia* sibi contrarius *d. cap. 5. num. 152 ad 156.* & in foro externo potest rescindi prædicta retrodonatio in pœnam donantis, qui Episcopum, & Ecclesiam decipere tentavit, ità *Marchinus ubi sup. diffic. 5. in fine*; illi verò, qui cum patrimonio ficto ordinantur, licèt antiquitùs pœnam suspensionis incurrissent, *cap. neminem. & cap. Sanctorum 70. dist.* tamen fuit talis suspensio sublata, *cap. cùm secundùm Apostolum de præben.* & impositum solum Episcopis onus alimenti donec illi de sufficienti titulo fuerit provisum, & quandò *Trid. sess. 21. cap. 2.* dicit, *innovantes pœnas sacrorum Canonum contrà taliter ordinatos*, non innovat pœnas canonum, *Neminem, &c.* sed onus tantùm alimentorum, ut declaravit Sacra Congregatio apud *Pisecinm in praxi Episcopali par. 1. cap. 1. ar. 7. num 20. Diana par. 1. tract. 16. Miscell. resol. 5. per totam, & par. 5. tract. 10. resol. 50.* qui *resol. 48.* tenet, ordinatum sine titulo cum sola fidejussione alimentorum nullam pœnam incurrere, quia cessat finis *Triden.* ne cogatur mendicare, *Navarrus lib. 1. quæstion. for. quæst 144.* & sic practicatur in sacra pœnitentiaria, in qua nunquam ordinati cum patrimonio ficto habentur pro suspensis; sequitur *Genuensis in praxi cap. 81. Sbrozzius de officio Vicarii lib. 1. quæst. 56 Barb. alleg. 20. num. 27. & in collect. ad textum in d. cap. cùm secundùm Apostolum de præben.* Neque etiam dicas obstare Bullam Sixti V. *de malè promotis.* quia illa fuit redacta ad terminos juris communis Concilii Trident. à Clemente Octavo. Neque etiam obstat Bulla Pii Quinti, quæ incipit *Romanus Pontifex*, ubi supponens Summus Pontifex, clericos sæculares ordinatos sine titulo incurrere in pœnam suspensionis, extendit eandem suspensionem ad regulares antè professiones sine titulo ad sacros ordines ascendentes. Respondeo enim loqui solùm de religiosis Pium Quintum, qui motus fuit ad id disponendum potiùs contrà religiosos, quàm contra clericos, quia possent de facili homines ingredi religionem sub spe suscipiendi ordines sine titulo tempore novitiatûs, & posteà exirent, ut benè *Marchinus ubi suprà difficultate 6.* Posset etiam Episcopus talem clericum punire pœna extraordinaria, & forsan posset eum privare alimentis, cum ipse non fuerit in culpa, sed deceptus ab ordinato, *Gonzalez ad regul. 8. Cancellariæ glossa 5. §. 10.*

Quandò verò quis ordinem subdiaconatûs reciperet pacto interveniente cum Episcopo de non petendis alimentis, vel cum præsentante de non petendo provisionem, tunc incidit in pœnam suspensionis, *cap. si quis ordinaverit de simonia, Diana par. 5. tract. 10. resol. 4.*

Licèt verò de jure communi ordinatus cum patrimonio ficto, nullam pœnam incurrat suspensionis, tamen in multis Episcopatibus per constitutiones Synodales suspenduntur, ut in Civitate Neapolitana, teste *Genuensi cap. 81.* & de Synodo Mediolanensi, & Bononiensi, de quibus *Marchinus ubi suprà difficultate 7.* & quandò quis ordinatur Subdiaconus sine patrimonio, & posteà fuit à suspensione absolutus, si accedit ad Diaconatum sine novo titulo, iterùm

iterum in pænam suspensionis incurrit, ut declaravit Sacra Congregatio apud *Fornarium de ordine cap. 8. Quaranta in verb. ordo.*

Alienans prædictum patrimonium, vel beneficium ad cujus titulum fuit ordinatus, licet peccet mortaliter, non tamen incurrit pœnam suspensionis, quia in jure talis suspensio non reperitur, *Salzedo in praxi cap. 18. Navarrus in manuali cap. 27. n. 158. Diana par. 5. tract. 10. resol. 57.* hæc tamen alienatio patrimonij esset irrita *d. sess. 21. cap. 2.* etiam si clericus habeat aliundè unde vivat, sed requiritur licentia Episcopi, quia *Trid.* requirit Episcopi licentiam, non quidem quando clericus non habet aliunde, quia tunc certum est, Episcopum non eam daturum, sed requiritur tunc licentia, quando habet aliundè, ut benè *Barb. alleg. 19. n. 90. & in Trid. de sess. 21. cap. 2. num. 41. Marchinus difficul. 9.*

Est tamen primo difficultas, an bona à patre in titulum patrimonij donata filio, ut ad sacros ordines ordinetur, computentur in legitimam, & veniant in divisione bonorum cum alijs fratribus?

Prima opinio negat, tale patrimonium succedere loco legitimæ, & in divisione bonorum enumerandum inter fratres, sed clericum (dicit hæc opinio) censeri melioratum à patre, ità *Faber, Cassaneus, Gomesius, Spino, Rebuffus,* & alij, quos sequitur *Barb. alleg. 19. à nu. 64. Gratian. cap. 159 à n. 31. Riccius in praxi resol. 394. in 1. edit. & resol. 522. in 2. editione, Campanilis rubrica 8. cap. 6. n. 11. Marta de jurisdict. par. 4. casu 94. nu. 7. Duardus in Bulla Cœnæ can. 8. quæst. 6. à num. 3.*

Secunda opinio, cui ego constanter adhæreo dicit, talem donationem computandam in legitimam, nisi de expressa patris voluntate constet, pinguiorè voluisse esse clerici portionem, ità *Covarr. in cap. Raynaldus §. 2. n. 7. de testamentis, Bernardus Diaz. in practica criminali canonica cap. 18. n. 16.* qui dicit in facti contingentia cum peritissimis consuluisse, & obtinuisse, sequitur *Vasquius de success. creatione lib. 3. §. 22. n. 44. Vivius in Sylva commun. opin. 324. Petrus Avendanus responso 17. n. 3. Guttierez lib. 2. pract. quæstion. quæst. 65. nu. 12. Molina de justit. disp. 238. Hugolinus de potestate Episcopi cap. 26. §. 9. Genuensis in pract. eccles. quæst. 627. Petrus Ledesma de ordine cap. 7. concl. 6. Garsia par. 2. cap. 5. de benefic. n. 159. Bonacina de contractibus, disp. 3. quæst. 6. puncto 6. §. 5. & in Bulla Cœnæ disp. 1. quæst. 19. punt 3. §. 1. n. 14. Marchinus de ordine par. 6. cap. 7. num. 13.*

Probatur, tùm quia conjectura semper est patrem velle filios esse æquales inter se, nisi aliud exprimat, *Crotus in l. Gallus, §. & quid si tantum n. 55. ff. de liberis, & posthumis Menoch. lib. 4. de præsumpt. præs. 26. n. 22.* repugnat enim æquitati naturali, inter filios non servare æqualitatem: immò si locus est conjecturis, & præsumptionibus, potius debemus dicere mentem patris esse, laicum esse pinguiorem ob conservationem, & splendorem familiæ, quàm clericum: tùm quia sic colligitur ex *l. omni modo, §. imputari, C. de inoffic. testam.* ubi dicitur, quod emptum est à patre filio, conferendum esse, quando ad hæredes potest transmitti, sed patrimonium clerici ad hæredes potest transmitti, ergo in divisione legitimæ necessario supponendum est esse computandum; tùm quia donatio ob causam necessariam, ad quam quis officio Judicis cogi potest, computatur in legitimam, sicut donatio propter nuptias, *Auth. ex testamento, C. de collatio.* sed donatio patrimonij ad ordines sacros recipiendos est donatio propter causam necessariam, ad quam potest cogi pater ab Episcopo, ergo, &c.

Dices primo legitima potest à filio vendi, & alienari, *l. omni modo, §. imputari, C. de inoffic. testam.* argum. sumpto à contrario sensu. Sed patrimonium clerici est alienabile absque Episcopi consensu, *Trid. sess. 21. cap. 2. de reform.* ergo, &c.

Confirmatur, quia bona data pro alimentis non veniunt in collationem, & legitimæ computationem, *Surdus de alim. tit. 8. quæst. 57. num. 2. & tit. 9. quæst. 54. Molina de justit. tract. 2. disp. 308.* Sed patrimonium clerici pro suscipiendis sacris ordinibus datur titulo alimentorum, ne mendicare cogatur, ergo, &c.

Respondeo ad argumentum, quod patrimonium, ad cujus titulum quis est ordinatus de sua natura est alienabile, DD. communiter apud *Covarruviam* ergo hoc sufficit, ut imputetur in legitimam, & licet non possit alienari, tamen si Episcopi adhibeatur consensus poterit alienari, & etiam posita tali prohibitione adhuc transmittitur ad hæredes, ergo erit computandum in legitimam.

Ad confirmationem respondeo, quod falsa est propositio, nam etiam dos datur pro alimentis, & tamè computatur in legitimam, & deinde dico aliud esse alimenta ipsa in legitimam non computari, aliud verò capitale non cōputari, primū verum est, non secundū.

Dices secundo peculium castrense, vel quasi non venit in computationem, nec computatur in legitimam, sed patrimonium clerici est peculium quasi castrense, ergo, &c.

Respondeo, non esse quasi castrense, & licet tale esset, nihilominus venit computandum, quia est donatio ob nuptias spirituales, ut benè *Marchinus par. 6. cap. 7. diffic. 10.*

Est secunda difficultas, an donatio patrimonij facta clerico causa suscipiendi sacros ordines ad hæredes transmittatur, an verò mortuo donatario ad donantem revertatur, &c.

Respondeo transire ad hæredes donatarij post ejus mortem, non verò ad donantem, vel ejus hæredes, ità *Gallectus in sua Margarita casuum conscientiæ in verb. conditio, vers. 2.* quia talis donatio fit irrevocabilis, ut in toto titulo *ff. & C. de donat. causa data, & causa non sequuta, l. 1. ff. de donation.* sed hæc donatio fuit facta clerico causa suscipiendi sacros ordines, ergo susceptis sacris ordinibus non potest donatio amplius revocari; sed habebit suum effectum irrevocabilem, sic textus per argumentum *in l. cum vidam, §. Divus ff. de usuris, & in l. si mater, C. de donation.* ita *Marchinus diffic. 11. cap. 7.*

Tandem nota prædictum patrimonium enumerari inter bona ecclesiastica, unde non potest collectari contra *Vasquium de success. creatione §. 22 n. 43 Covarr. lib. 1. var. cap 4 n 4. Guttierez lib. 2 practic quæstion cap. 65. n. 11* tenent *Maceratensis lib 1. cap. 88 Gratianus cap, 159 n. 27. Barb. alleg. 19. n. 91 Diana tom. 1 tract 3. resol. 22. in fine*, qui omnes dicunt bona patrimonialia clericorum gaudere eisdem privilegijs, ac bona Ecclesiæ, & facit textus *in cap. quamquam de censibus in 6.* & alia affert *Marchinus diffic. ultima.*

De aliis obligationibus Subdiaconi.

Subdiaconi obligantur ad castitatem, non quidè ab anno 1050. à Christi nativitate, ut malè dixerunt hæretici: neque à jure divino talis descendit obligatio, ut dicunt alij, quia in veteri lege, tùm Sacerdotibus, tùm ipsi Summo Pontifici uxores concedebantur; neq; constat hanc legem fuisse in Evangelio abrogatam, sed potius cujusliber reliquisse voluntati: prout *Paulus* fecit, dicens, *De Virginibus præceptū Domini non habeo*: immò idem *Paulus* scribens ad Titum, cumque monens, quales esse deberent, qui in præsbyterum, vel Episcopum eligerentur, ait: *Si quis sine crimine est unius uxoris vir filios habens fideles non in accusatione luxuriæ*: Si verò petas cur *Paulus* unius uxoris virom eligendum potius moneat, quam qui nullam duxisset uxorem, respondet *Card. Baronius anno Christi 158. n. 14.* quia in Civitate prædicta Cretensi erant leges, ut omnes homines à puero uxorem ducerent, & nullus reperiebatur, qui uxore careret, ideo monet eligendum ad Sacerdotium unius uxoris

esse debere, idem qui unicam duxerit, non plures etiam diversis temporibus, ut simul etiam bigamiam à sacris ordinibus reprobaret, & quod sit de jure humano votum castitatis in subdiaconatu, patet ex *Trid. sess. 24 can. 9.* ubi ait *Trid.* quod si quis diceret licere ordinatis in sacris matrimonium contrahere, non obstante lege ecclesiastica, vel voto, anathema sit, quibus verbis apertè probatur cælibatum prædictum non à jure divino, sed ab Ecclesia ortum habuisse, ut docuit *S. Thomas 2. 2. quæst. 88. art. 11. Cajetanus 1. tomo. opusc. tract. 27.*

Est tamen in hoc primo sciendum, viros alioqnin antiquitatis amatores in meridiana luce fuisse allucinatos: tales sunt *Card. Baronius anno Christi 58. n 23. Franciscus Turrianus ad canonem tertium Concilii Niceni*: dixerunt enim prædicti Patres, Græcis Sacerdotibus non licere usum matrimonij anteà contracti; tùm ex generali consuetudine omnium Ecclesiarum Orientalium, tùm ex *Concilio Niceno can 3.* contra quos Pates habes tu plura pontificia testimonia: Primo *textum in cap. cum olim de clericis conjugatis, & in cap. de Syracusana 28. dist. cap. Nicena 31. dist. & in cap. aliter 31. dist. cap. ut clericorum de vita, & honestate clericorum, cap. quæsitum de pænit. & remiss.* & tandem communem opinionem Theologorum, de qua *Basilius Pontius lib. 7. de matrim. cap. 23. n. 15. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 28 Vasquez tom. 3. in 3. par disp. 249. cap. 4. Marchinus par 6. de ordine cap 8. diffic. 2. num. 12.*

Neque obstat *textus in cap. consulendum 28 dist.* ubi vocantur reprehensibiles clerici uxores babentes, & eis utentes post ordinem, ergo. Respondeo enim, quod ibi Græcitià in dementiam pervenerunt, ut omnes, qui ordinabantur cogerentad nuptias, etiam latinos, ut refert idem *Baronius tom. 11. in fine, Marchinus ubi supra diffic. 2.*

Secundo sciendum est, quod Græci post ordinem sacrum susceptum si nubant, putant *Sanchez. d. disp. 28. nu. 3. Azor. lib. 13 cap. 14 quæst 7. Covarr. de sponsalibus par. 2. cap. 7. § 3 à num. 1.* quod invalidè nubant. Alij putant longè melius esse illicita matrimonia contracta post ordines sacros apud Græcos, sed non irrita, colligunt ex *cap. quicumque 38. dist. & ex cap. diaconis 27. dist & ex d. cap. de Syracusana* ubi sola apponitur pæna dep ositionis & ità tenent *Cajetanus tom 1. opusculorum in tract. de dispensat. matrim. quæst unica Sotus in 4 dist. 28. quæst. 1. ar. 1 & lib. 7. de just. & jure quæst. 6. ar. 2. conclus 2 Basilius lib 7. de matrim. cap. 23.* qui affert auctoritatem *textus in cap. de lib. de libellis 20. dist.* defendit eandem opinionem *Gabriel Vasquez tomo 3. par disp 249. cap. 2. Marchinus d. diffic. 3.*

Tertio sciendum est subdiaconis interdum licuisse etiam in Ecclesia latina uti uxoribus, *cap. cumque 77. dist.* qui tex. solum Sacerdotibus, & Levitis prohibet conjugium, Subdiaconis verò permittit unicam, & virginem. & *S. Gregorius lib. 1. epist. epist. 42.* permisit Siciliæ Subdiaconis, ut uxoribus ante ordinationem ductis liberè uterentur, quamvis prohibeat deinceps ordinari alios nisi promissa continentia, *cap. ante triennium 31. dist.* immò licuisse etiam Subdiaconis latinis post ordinem suscipere uxores, probat *Pontius lib. 7. de matrim. cap. 24. num. 6.* Neque mirum, cum tunc non esset sacer ordo subdiaconatus: cæpit verò anno Christi 440. à tempore Sancti Leonis Primi, qui eo anno Christi sedem occupavit, ut in *epist. 84. cap. 4.* Deinde eam confirmavit Gregorius Pontifex anno 590. quo floruit, ut in *lib. 1. epist. epist. 42. cap. ante triennium 31. dist. cap. 1. & 2. 28. dist.* eandem continentiam imposuit Callistus Primus anno Christi 218. de quo habetur in *cap. præsbyterin 27. dist.* & præcipitur *in Moguntino Concilio cap. 19 Arausicano cap 24. Turonensi cap. 20 Altisiodorensi. cap. 13. Aurelianensi 3. cap 2 Gangrensi*, & aliis, & habetur in *c. ut. erubescant 32. dist. & in sexta Synodo in cap. si qui eadem 32 dist.* & quia talia concilia erant provincialia, ideò non ubique servabatur continentia inter latinos, unde cæpit observari ab omnibus, *in cap. miramur de servis non ordinandis.* ubi dicitur ab Urbano Secundo, & à Gregorio Primo cæpisse esse sacrum propter votum castitatis, per quod homo De perfectissimè sacratur, *can. ante triennium 31 dist can nullum 28. dist. can erubescant 32. dist Marchinus difficul. 50. in fin.* & sic intelliges *textum in cap. fors 26 quæst. 2.* de Apostolis, putant multi, quos refert *Bellarminus lib. 1. de clericis cap. 20.* quod fuerint uxorati, alij putant nullum ex eis præter Petrum habuisse uxorem, ità *Baronius anno Christi 57 & 66.* & licet sit vera prima opinio: tamen postquam fuerunt vocati ad Apostolatum, non licuit eis amplius uti uxoribus, quod patet ex *Matth. cap. 19. Ecce nos reliquimus omnia, &c.* quæ verba explicans postea Cristus Dominus an. *Et omnis, qui reliquerit patrem, vel matrem, aut uxorem, &c.* & ità ex S. Hieronymo refert *Vasquez in 3. par disp. 249. cap. 8. à principio*, latè *Barb. lib. 1. de jure eccles. cap. 37. num. 22.*

Quarto sciendum est Ecclesiam omnibus ad subdiaconatum promovendis præcipere, ut volentes hoc ordine initiari simul in ipsa ordinatione Deo promittant continentiam, ideò illis præcipit immediatè votum castitatis, non absolutè, quia est de consilio, sed ex suppositione, quod velint ordinari ad subdiaconatum; undè qui post subdiaconatum peccat mortaliter peccato carnis, duo facit peccata, unum contra castitatem, aliud contra votum, ita communiter Theologi apud *Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 27. quæst. 2. & in summa tom 2 lib. 1. cap. 6. Basilius lib. 7. de matrim. cap. 27 textus est in cap. nullum 28. dist.* ubi *glossa, cap assumi eadem dist. cap. Diaconi eadem dist.* Quod si quis ignoret talem obligationem, adhuc tenetur. Idem dic si nolit vovere *Marchinus d. cap. 8. diffic. 6.* votum prædictum dicitur solemne, quia illo etiam implicito emisso non potest quis contrahere matrimonium, *cap. 1. & 2. qui clerici, vel voventes cap. ut lex 27. quæst. 1. cap. si quis eorum 32. dist extravag. Joannis 22. de voto, Trid. sess. 24. de matrimonio, can. 9.*

Quioto sciendum est quod si quis ordinetur Subdiaconus cum defectu alicujus substantialis requisiti, puta, vel ex parte materiæ, vel formæ, vel intentionis, non tenetur ad castitatem, *Marchinus ubi supra diffic. 8.* Neque obstat *tex. in cap. placet de convers. conjugator.* ubi professione non subsistente ex defectu alicujus causæ, non corruit votum, sed valet, ut simplex, quem *textum* cumulat *Barb. 2. tom. in collec.* Respondeo enim, quod votum professionis non est accessorium, sed principale. Ideò nihil mirum, quod professione deficiente ipsum votum non deficiat, quantum ad unam partem, quæ nulliter vovit: sed in subdiaconatu est accessorium, ergo destructo principali corruit, ut benè *Marchinus ubi sup.* Qui enim subdiaconatum recipit, non vovit primo, & per se castitatem, sed solù ex consequenti, & accessoriè ad ordinem; si verò quis ordinetur per vim justè incussam, puta, quia Episcopus videns se non habere subditos ob publicam utilitatem, & necessitatem aliquem ad sacros ordines ordinaret, cui ordinationi ipse consensisset, tunc cōpulsus ad votum tenetur, quia hic est irrationabiliter invitus, nec patitur injuriam si ad sacros ordines ob publicam utilitatem compellatur. Sed si per vim, & metum incussum injustè ordinetur quis, tunc est duplex opinio. Prima tenet teneri ad castitatem, post alios *Basilius lib 7. de matrim. cap. 29. Diana tom. 2. tract. 4. de Sacram. resol. 192.* Alij, & melius dicunt non teneri, ità *Sanchez lib. 2. disp. 29. glossa in cap. majores. in verbo. conditionaliter de Baptismo. Bonacina de matrim. quæst. 3. puncto 9 n. 14 Paulus Squillante de obligatic. cleric. par. 1. n. 80.* Patet primo exemplo matrimonii, *cap virum de repul. cap. veniens de sponsalibus* Secundo exemplo professionis, *cap. per latum, cap. dilectis de iis, quæ vi* argum. à contrario

contrario sensu, quod valet in jure, *cap. insinuanti, qui clerici, vel voventes, cap. sicut 20. quaest. 1. cap. praesens 20. quaest. 3.* Neque dicas, vi, vel metu baptizatum adhuc teneri legibus christianae religionis, *cap. de Judaeis 45. dist.* quia baptismus non est votum, quod petat plenam libertatem, tùm quia Baptismus est Sacramentum necessitatis.

Si verò quis ante usum rationis ordines sacros reciperet, postquam ad usum rationis pervenerit, est ei danda electio, an vellet in statu ecclesiastico permanere, an non, si vellet tunc tenetur ad castitatem, si verò nollet, posset tunc nubere, *Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 30. Bonacina de matrim. quaest. 3. pun to. 9. n. 8. Squillante de obligat. cleric. par. 1. num. 83.* Verum si puer ad usum rationis perveniens non reclamet, sed conscius obligationis ecclesiasticae sequatur statum ecclesiasticum, tunc ex ista tacita professione status sacri censetur in praedictum onus consensisse, *Basilius Pontius lib. 7. de matrim. cap. 29 num. 15. Marchinus par. 6. cap. 8. diffic. 10. n. 2.* Quando verò quis habens plenum usum rationis, sed ante pubertatem sua voluntate sacros ordines reciperet, sciens onus castitatis illis esse annexum, tunc difficultas est inter Theologos, an iste servandae castitatis voto adstringeretur? in qua quaestione *Majolus lib. 1. de irregular num. 6. Sanchez d. disp. 30. n. 8. Squillante num 85.* docent hunc eximi ab onere castimoniae, eique licere uxorem ducere, moventur tum ex eo, quod votum castitatis in professione ante pubertatem emissum, non est validum, *cap. ad nostram de Regular.* tùm quia *ex Trid. sess. 25. cap. 15. de regular.* professio facta ante annum 16. in Religione non tenet, neque votum castitatis, ergo ità in casu nostro. Ego verò longè probabilius puto impuberem voto castitatis, & divini officij recitatione teneri quoties has obligationes ante sacri ordinis susceptionem rectè cognovit fuisse illi annexas, tùm quia talis puer habet usum rationis, & plenam libertatem, ut supponimus; tùm quia potest emittere vota simplicia perpetuae castitatis, ergo: Neque est simile de professione irrita ante 16. annum completum, quia illa est irrita, ergò nil mirum quod non teneatur se continere quis si eam faciat ante 16. annum: at verò ordinatio in casu nostro tenet, ergo: ità *glossa in cap. pueri quaest. 1. in verb ad sacros, Sotus lib. 7. de justit. quaest. 2. art. 5. Bonacina de matrim. quaest. 3. puncto 9. n. 9. Basilius lib. 7 de matrim. cap. 29. num. 15. Barb. de potestate Episcopi, alleg 15. n. 4.* qui probabilem putat *Marchinum ubi sup. diffic. 10.*

Sexto sciendum est, quod Clericus saecularis si post subdiaconatum uxorem duxerit; punitur primo poena excommunicationis ipso facto, *Clem. unica de consang. & affinit.* Secundo privatur beneficiis, *cap. 1. de clericis conjugatis.* Tertio deponitur ab ordine, & Inquisitores procedunt contra eos tanquam suspectos de haeresi, sicut contra religiosos professos uxores ducentes, & propter hanc haeresis suspicionem torquentur, & si nihil emergat, praemissa abjuratione de vehementi ad triremes de stylo Supremi Tribunalis Romanae Curiae condemnantur, ità *Farinaceus de haeresi quaest. 183. §. 6. n. 71. in fine;* Si verò quis tentaverit connubia cum moniali, punitur de jure canonico poena excommunicationis ipso facto, *d. Clem. unica de consanguinitate, &* jure civili punitur poena capitis, *l. si quis, C. de Episcopis, & Clericis.* Si verò Subdiaconus, vel professus uxore ducta poenitentiam facientes, ille ad Episcopum, hic verò ad Religionem redierit, poterunt praedicti Praelati cum illis misericorditer dispensare, *cap. Sane Sacerdotes de clericis conjugatis, Farinaceus d. quaest. 183. n. 75.* Clericus verò in minoribus constitutus si uxorè ducat, est ipso jure privatus beneficiis, secundum *Barb. allegat. 57. n. 202. & 207.* secundum alios est privandus, ex *cap. 1. & 2. de clericis conjugatis,* ubi non dicitur esse ipso facto pri-

vàndos, sed esse canonicè spoliandos, ità *Garsia par. 11. cap. 8 n 8 Marchinus ubi sup. cap. 8. diffic. ultima,* qui ait, quod Clericus, cui post matrimonium fuit permissum, ut pensionem retineat, si postea transeat ad secunda vota mortua uxore, amittat praedictam pensionem, & affert *Farinac. dec. 293. num. 8.*

De Recitatione Divini Officij.

Ultra castitatem tenentur Subdiaconi Divinum officium recitare, quae quidem obligatio divini officij recitandi ex triplici capite oritur. Primo ex professione in approbata religione. Secundo ex ordine sacro. Tertio ex beneficio.

Circa primum titulum, dico teneri religiosos professos divinum officium recitare; in illis verò religionibus ubi conversi professi recitant tot Pater, & Ave horis canonicis respondêtes (ut in religione Sancti Francisci Reformatorū, nec non Sancti Benedicti, qui Monachi nigri vocātur) si eos non dixerint, est quaestio an peccent mortaliter? affirmant *Paludanus Tabiena, S. Antoninus. Jacobus de Graffiis,* & alij apud *Marchinum par 6. de ordine cap. ultimo disp 10.* Negat verò idem *Marchinus,* & probabilius, quia neque jus canonicum, neque regula religionis ad peccatū eos obligat in tali casu, ergo; tùm quia conversi praedicti sunt vocati per se, & principaliter in religione ad servitia externa illorum, qui ad chorum sunt deputati; undè non excusantur à peccato, si in exterioribus magisteriis negligentes sint, quia deficiunt in proprio munere, ad quod à Deo vocati sunt dum parū, vel nihil laborant, & benè manducant, idem est ac si bona religionis furto dissiparent, *Sylvester in verb hora canonica § 3. Summa Corona eodem titulo.* Religiosi verò, qui ad officium sunt obligati in choro canendum ex vi suarum constitutionum, si ch rum non frequētent, est quaestio an peccent mortaliter. Negant *Suarez de religione tom. 2. de oratione vocali lib 8. c 10. n. 15. Bonacina de horis canonicis disp. 2 quaest 1punt. 1. n. 9. Bartholomaeus à S. Fausto lib. 2. de horis canonicis quaest. 186. Diana par. 3 tract 2. resol. 18.* Alij verò putant per se hos tales religiosos à choro absentes peccare mortaliter si id saepius faciant, secus si semel, aut iterum, aut tertio absentes sint, ità *Marchinus par. 6. c. ultimo, diffic. 11.* colligitur talis obligatio recitandi, ex *Clem. 1. de celebr. Missar. & ex Conc. Trident. sess 24 de reform. c. 12.* etenim sicut canonici cathedralium, & collegiatarum tenentur ad officium in choro, ità regulares, sed canonici voluntariè absentes, peccant, licet amittere velint quotidianas distributiones ergo etiā regulares: tùm quia totus conventus ità tenetur ad chorum, sicut quaelibet pars conventus, sed totus cōventus peccat mortaliter non dicendo officium, ergo etiam ejus pars; & sic quilibet regularis ad officium tenetur: patet exemplo, populus christianus tenetur servare praecepta Ecclesiae: ergo singuli fideles ad id tenentur, sic tenentur Monachi psallere in choro, ergo singuli tenentur, ideò peccat mortaliter Praelatus alicujus Religionis, vel Monasterii, qui absque gravi causa permitteret in propria Ecclesia omitti primam, vel nonam, aut aliam horam canonicam consuetam in choro decantari, eodem modo peccant Patres illius Conventus ad chorum deputati voluntariè se à praedictis horis subtrahentes, qui violant cōsuetudinem in materia gravi, & ipsum Jus pontificium indistinctè praecipiens in qualibet Ecclesia regulari, horas devotas in choro psallendas, & hoc facit sub indignatione Apostolicae Sedis, & Dei Omnipotentis, *d. Clem. 1. de celeb. Missar.* & etiā peccant mortaliter illi Monachi, qui cum sint ad chorum deputati, aliis Monachis pecuniā solvunt, ut proprium suppleant defectū, quia in deputatis ad chorū obligatio est personalis, ergo non suppletur per alios, maximè si id faciant, quo somno, jocis, & corporis voluptatibus in-

dulgeant, non tamen est damnanda illorum Religiosorum consuetudo, qui de Superiorum licentia, certa aliqua die à choro vacant, ut corpus defatigatum recreent, quo ferventibus postea aliis diebus ad psallēdum surgant, dummodò saltem in choro duo psallētes relinquantur, cum de jure canonico Conventus, sive Monasterium, etiam ex duobus cōstet *glossa, juncto textu in cap.* 1. 10. *quæst.* 1. & ità Ecclesia satisfit à duobus, à quibus chorus repræsentetur, *Graffius tom. 2. consil. lib 3 de celebr. Missar. cons. 2. diffic.* 2. adducens *textum in cap. proposuisti extrà de filiis præsbyterorum, cap. illud* 7. *quæst.* 1. & talis cōsuetudo est virtuti Eutropoliæ conformis, ergo est laudabilis, ergo excusat ab omni culpa, ità *Marcellinus de ordine par. 6. cap. ultimo diffic.* 11.

Circa secundum titulum est communis Theologorum sententia, sacro ordine initiatos quotidiana divini officij recitatione teneri, & quidem præsbyter tenetur, sic disponente *textu in cap præsbyter* 91. *dist. & in cap.* 1. *de celeb. Missarum, & in cap si quis præsbyter*, vel *diaconus* 92. *dist.* ubi tamen sermo est de publica non privata recitatione. In Subdiacono est difficultas: aliqui putant teneri de jure ecclesiastico, quia licet jura allegata loquantur de præsbytero, tamen appellatione præsbyteri venit etiam Subdiaconus, & Diaconus. Alij dicunt teneri de consuetudine, *Navarrus de oratione cap. 7. n 2. Cajetanus in verb. Horæ canonicæ, Hugolinus de potestate Episcopi par. 1. cap. 13. §.* 1. *Azorius par. 1. lib. 1. c.* 5. Ego tamen expressè invenio prædictam obligationem in *Consilio Basiliensi sess.* 21. sub titulo *qualiter extra chorum horæ canonicæ dicendæ sint*, ubi leguntur hæc verba. *Quoscumq́; alibi beneficiatos, seu in sacris constitutos, cum ad horas canonicas teneantur; admonet hæc sancta Synodus*, quibus verbis præsupponit concilium talem obligationem adesse in clericis, & talis obligatio incipit in clericis, in sacris, vel professis statim ac illum sacrum ordinem recipit Subdiaconatus, & professus professionē facit, ità ut statim teneatur clericus ad eam horā recitandam, quæ sequitur illo die, non verò ad præcedentes sacram ordinationē: Professus verò tenetur ad eam horam, quæ in choro canenda est *Azorius lib.* 10. *cap.* 13 *quæst.* 7. *par.* 1. *moral.* Putat verò *Alverius Bonartius de horis canonicis lib.* 2. *cap.* 39. *n.* 11. Subdiaconum eo die, quo ordinatur, posse incipere à Vesperis, etiam si non dicat sextam, & nonam: nam Ecclesiæ mens non censetur velle tyronem ad parvas aliquas horas diei currentis adstringere *Diana par. 4. tract. 4. resol.* 218.

Sciendum tamen est primo, non requiri aliquā attentionem interiorem in officij recitatione; undè recitatio cum qualibet mentis evagatione etiam advertenter nolita excusat à peccato plures DD. apud *Dianam par. 1. resol. moral. de horis canonicis resol.* 1. quia attentio est actus internus, sed Ecclesia non potest præcipere actum internum, ergo ista non cadit sub præcepto Ecclesiæ, ergo si omittatur, nullū erit peccatū, quicquid dicat *Marchin' par. 6. c.* 12 *diffic.* 2. undè

Infertur primo, dormientes in choro dum canunt divinas laudes præcepto satisfacere; nam vel dormitans advertit se omittere notabilem officij partem, & tunc tenetur repetere; aliàs peccat mortaliter, si autē proponat repetere, & postea obliviscatur: tūnc quia oblivio non differt ab inadvertentia, & utraque à culpa excusat; per consequens non peccat mortaliter: an verò quis dùm recitat somno resisteret, & conaretur pro viribus verba distinctè proferre, quāvis postea ità somnn opprimeretur, ut neq; ad verba, neque ad sensum verborum, aut aliud divinum ministerium attenderet, non peccaret, quia tantū potest esse sensuum sopor, ut moraliter non possit superari, *Marchinus c.* 12. *citato diffic* 2.

Infertur secundò, nō teneri officium recitare illum clericum, qui est taliter occupatus tali honesta occupatione, quæ in aliud tempus non possit commodè transferri, ut Confessarij, Concionatores, qui ob hanc causam possunt interdum excusari, *Layman l.* 4. *tract.* 1. *c.* 6. tenetur tamē, qui prævidet se fore occupatum tempore recitationis divini officij illud anticipare: sic clericus impotens ob carentiam breviarij, sine quo divinum officium recitare non potest, nō tenetur ad eum, quia impossibilium nulla est obligatio, *l impossibilium ff. de regul. juris*: quod si talis clericus non habēs breviarium, posset memoria recitare totum officium, vel aliquā integram horam, tenetur, si verò sciat tantum psalmos, non autem lectiones, orationem, & capitula, non tenetur, quia illi psalmi, ut sic non sunt hora canonica, ad quam tenetur clericus: *Filliuccius tom. 2 tract.* 23. *c.* 9. *n.* 287. *Garsia de benefic. tom* 1. *par.* 3 *c.* 1. n 221. imò si sciret alias lectiones, sive capitula, & orationes, tenetur sic dicere officium, ut docet *Villalobos in summa* 2. *tom tract.* 24. *dub.* 16. *n.* 11. *Diana verb. de horis canonicis resol.* 3. tenet, non teneri, quia non tenetur quis recitare officium, nisi currentis diei, ergo non tenetur apponere capitula, neq; alias orationes: si verò quis haberet tantum diurnum, tenetur recitare psalmos sine lectionibus, & responsoriis, quia responsoria reputantur modica materia, *Sanchez in summa tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 19. *num* 8. licet *Sancius in selectis, disp.* 19. *num.* 8. contrarium dicat.

Infertur tertio, Sacerdotem, cum quo v. g. dispensaretur, ut uxorem reciperet, non teneri amplius ad officium, *Sanchez tomo* 3. *lib.* 8. *contra Bonacinam de horis canonicis quæst.* 2. *punt.* 3 *num.* 50. Idem dicas de clerico ordinato per vim, & metum, qui neque officium tenetur recitare, cum sit tale onus impositum ordini spontè suscepto, *Sanchez tom.* 2. *lib.* 7. *disp.* 29. *Squillante ubi supra n.* 35. Tenentur etiam clerici minores ex præcepto recitare psalmos, quos Episcopus in ordinatione injunxit *Azorius par.* 1. *lib.* 10. *c.* 5. *quæst* 4. *Lessius lib* 2. *c.* 37. *dub.* 9. *n.* 96. *Layman lib.* 4. *c.* 16. *contra Sotum de justit. & jure lib.* 10 *quæst.* 5. *art.* 3. *& Valentiam tom.* 3. *disp.* 6. *quæst.* 2. *p.* 10. asserentes, non teneri clericum ad hos psalmos, nisi ex honestate, & ideò omittentes recitare non peccant mortaliter, quæ opinio est probabiliter sequenda.

Infertur quarto, quid dicendum ad quæstionem an quis peccet mortaliter officium recitando cum notabili interruptione inter psalmos ejusdem horæ, vel nocturni; putant enim aliqui apud *Squillantem par.* 1. *de obligat. cleric. dub.* 25. peccare mortaliter, quia non salvatur unitas officij, quia priorea, & posteriores psalmi non faciunt unum posita tali interruptione. Alia opinio est non esse peccatum mortale etiam sine causa justa officium interrumpere, & non repetere recitata, ità communiter DD. apud *Bonacinam ubi sup. par.* 2. §. 1. *n.* 28. & apud *Barb. in collect. tom.* 2. *lib.* 3. *tit* 41. *c* 9. *n.* 17. *Layman lib.* 4. *tract.* 1. *c.* 5. *n.* 6. quia licet detur interruptio per unam, vel duas horas, adhuc tamen, manet substantia, quia singoli psalmi, ut docet *Lessius lib.* 2. *de justit. & jure c.* 37. *dub.* 10. *n.* 57. suum habent pondus, & significationem completam, & semper valet dicere hunc intrà eundem diem divinum officium recitasse, & per consequens præcepto divino satisfecisse.

Infertur quinto, omittentem omnes horas unius diei committere solum unum peccatum, quia præceptum de recitandis horis canonicis est unum habena pro objecto totum quoddam integrum ex septem horis canonicis, ergò illud non adimplere erit solum unum peccatum mortale, *Azorius par.* 1. *lib.* 10. *c.* 7. *quæst.* 4. *Suarez de religione tom.* 2. *lib.* 4. *c.* 25. *num.* 18. *Parisius de resignat. beneficior. lib.* 1. *quæst.* 9. & alij apud eos contra *Lessium lib.* 2. *c.* 37. *dub.* 9. & alios putantes esse septem peccata distincta, undè secundum nostram sententiam non tenetur quis dicere in confessione se omisisse septem horas canonicas, quia solum

lum circumstantias mutantes species tenetur pænitenа confiteri, quod non est in casu nostro.

Infertur sexto, satisfacere præcepto recitandi horas canonicas, qui in officio feriæ recitat officium alicujus Sancti, vel alterius feriæ, etiam si id faciat data opera. Ità *Azorius par. 1. lib. 10. c. 10. quæst. 2. Sylvester. in verb. hora n. 15. Armilla in verb. horæ n. 7. Layman lib. 4. tract. 1. c. 1. n. 4. Lessius lib. 2. de justit. & jure cap. 37. dub. 12. n. 77. Diana par. 5. tract. 50 resol. 25.* nisi dicat officium resurrectionis. Ratio est, quia substantia præcepti recitandi officium divinum est, ut septem horæ canonicæ persolvátur, sed quod sit officium de feria, vel de Sancto est omninò accidentale, ergo non mutatur substantia præcepti, sed solum modus, seu titulus, & ceremonia, quæ accidentalis est: peccabit ergo venialiter, non mortaliter, qui id fecerit, & si fuerit beneficiatus, non tenetur ad restitutionem, quicquid dicant *Toletus lib. 2. cap. 23. Bellarminus tom. 3. contr. lib. 1. contr. 9 c. 18.* & alij, quos sequitur *Squillante loco cit. par. 1. dub. 26. n. 5. Marchinus par. 2. cap. 12. diffic. 9.*

Infertur septimo, Canonicos confabulantes in choro, aut exercentes aliquod aliud repugnans attentioni, non lucrari distributiones, sed teneri eas restituere, *Moneta de distribut. quotidianis par. 2. quæst. 2. n. 22. Petrus Genedus in quæstionibus canonicis, quæst. 2. n. 7.* quia non habent tales Canonici externam intentionem, ergo non satisfaciunt præcepto assistendi in choro, immò non possunt dici præsentes, cum ad aliud intendant, argum. *textus in l. coram Titio, ff. de verb. signif.* non ignoro tamen multos apud *Garsiam tom. 1. de beneficiis par. 3. cap. 2. n. 514.* docere contrarium, scilicet confabulantes in choro notabiliter peccare mortaliter contra *tex. in cap. dolentes de celebr. Missar.* non tamen teneri ad restitutionem distributionum quotidianarum propter *tex. in cap. licet de praben. & in cap. unico de clericis non residentibus in 6.* ubi sola præsentia requiritur ad lucrandas distributiones. Neque lucratur distributiones quotidianas canonicus, qui non recitat officium divinum, cum aliis in choro, *Moneta de destribut quotid par 2 q. 2. n. 31.* nisi tamen contrarium servetur de consuetudine, & ex aliis causis, de quibus *Riccius in praxi 2. tomo resol. 362. Gavātus ad missale tom. 2. tract. 1. c. 5. tit. 5. n. 3.* Neq; eas lucratur Canonicus, qui in Choro non canit versua cum aliis sociis, sed submissos illos recitat: lucratur tamen hoc casu dimidiam partem distributionum, quia non deest in totum suo muneri, ex quo exhibet præsentiam suam, *Squillante de obligat. cleric. par. 1. dub. 29. num. 61.* & alij apud *Marchinum par. 6 de ordin. c. 12. diffic. 7.* Sicuti clericus habens beneficium curatum cum oneribua, v. g. missis, &c. sic reliquerit officium tenetur ad fructus restituendos, non quidem totos, sed correspondentes obligationi recitandi horas, puta tertiam partem fructuum illius diei, *Toletus lib. 2. c. 12. Lessius lib. 2. c. 34. num. 77.* & notat singulariter *Salas de legibus disp. 15. sect. 2. num. 27.* quod si contingat canonicum canonicatus partem grossam priua lucrari, antequā officium omittat, nihil eius debet restituere, quia pæna non est, ut fructus jam suos restituat, sed ut non faciat fructus suos.

Infertur octavo, recitantem divinum officium privatim debere pronunciare tali modo, ut seipsum audiat, secundum aliquos, ità *Suarez tom. 2. de religione lib. 4. c. 7. num. 6. Reginaldus in praxi tom. 2. lib. 8. cap. 12. dub. 50. num 174. Azorius* verò *par. 1. lib. 10. c. 11. q. 4. & Bonacina de horis canonic disp. 11. q. 3. puncto 2. §. 1. num. 24.* tenent, quod sat est formare vocem, sive à se audiri possit, sive non.

Infertur nono ad quæstionem, quo ordine sint recitandæ horæ canonicæ? & respondeo secundum ordinem Ecclesiæ, scilicet primo debet recitari matutinum, & laudes. Secundo prima, tertia, & sic deinceps, *cap. præsbyter 21. dist. c. 1. de celebr. Missar.* qui verò talem ordinem pervertit dicendo prius laudes, vel primam, postea matutinum, peccat solum venialiter, *Bonacina ubi supra disp. 1. q. 3. punt 4. num. 50.* nam ordo non est de substantia, sed solum accidentalis, & addit *Bonacina*, id procedere etiam si pervertatur ordo borarum in choro, dummodò non adsit scandalum, vel contemptus, sequitur *Gavantus ad missale 2. tomo sect. 1. c. 5. tit 8. num. 3.* undè ille, qui ab amico, vel superiore invitatur ad recitandam primam, cum non recitaverit adhuc matutinum, poterit cum eo primam recitare, postea recitando matutinum, sic, qui dùm tertiam recitat recordatur se primam non adhuc recitasse, poterit tertiam prosequi, & postea primam recitare: sic que accedit ad chorum, dùm canitur tertia, poterit tertiam dicere cum intentione postea recitandi matutinum, vel primam, si nondùm dixerit, *Barb. in d. cap. præsbyter num. 8. de celebr. Missar.* qui verò pervertit ordinem ejusdem boræ, puta dicendo psalmos ante hymnum, vel unum psalmum ante alium, non peccat mortaliter: sic qui habet necessitatem dicendi officium, & recitatis psalmis non habet modum recitandi lectiones, poterit in aliud tempus, dilatis lectionibus, laudes recitare, & officium prosequi: sic qui ex oblivione dixit officium de feria, cum deberet dicere de Sancto, poterit satisfacere repetendo ea, quæ omisit, non repetendo ea, in quibus illa duo officia conveniunt, stando in opinione eorum, qui dicunt officium non posse dici pro officio, *Bonacina ubi supra punt. 4. in fine.* Ille verò, qui dicit matutinum sequentis diei, antequam officium hujus diei persolvat, peccat solum venialiter, quia licet invertat ordinem utriusque officij: tamen adimplet substantiam præcepti, *Vasq. de benefic. c. 4. §. 1. art. 2. n. 66. Suarez de religione tomo 2. lib. 4. c. 24. n. 3. Reginaldus tom. 2. lib. 18. num. 180.*

Infertur decimo, Regularem esse obligatum ad peculiare officium suæ religionis; poterit verò extrà chorum dicere officium Romanum, *Lessius lib. 2. cap. 37. dub. 12. num. 74. Portellus in dub. regular. in verb horæ canonicæ num. 9.* quia Pius solum in Bullà loquitur de mutatione officij publici, at de privato non loquitur; immò si aliquis clericus sæcularis per unum, vel duos dies diceret officium cum Breviario Sancti Dominici, non peccaret mortaliter, quia talis mutatio utpotè parva Sumi Pontificis menti non videtur adversari, *Navarrus in manuali c. 19. n. 217. Reginaldus tom. 1. l. 18 c. 12. n. 171.* Quando verò duo dicunt officium alternatim, non est opus ut alternatim lectiones recitent; sed potest unus dicere, & alius audire, ut contra *Azorius par. 1. lib 10. c. 7. q. 9.* docet *Villalobos tom. 1. tract. 24. dub. 11. n. 4.* Si autem quis detineatur in pulsandis organis, vel transferendis libris, vel in thure præbendo, &c. non tenetur per seipsum illam partem recitare, quam omisit: etiam si eam non audierit, ut contra *Suarez* docet *Layman lib. 4. tract. 1. c. 5. n. 7. Molfesius in sūma tom. 1. tract. 5 c. 1. n. 21. Azorius par. 1. lib. 10. c. 13. q. 20.* & alij cōmuniter ad hanc eádem occupationem refert *Azorius* occupationē quærendi psalmos, aut libros necessarios trāsferendi, aut peragendi aliquid choro necessarium, ut quærendi prunas ad thurificandum tempore *Magnificat*, vel pulsandi organa, quia quod chorus interim recitat, tàm suo, quàm aliorum ministrantium nomine recitat, aut cantat; idem dic de eo, qui ut benè pronunciet lectionem in choro injunctam, occupatur, dùm chorus canit, in ea perlegenda, *Diana de horis canonicis tract. 12. resol. 13.*

Infertur undecimo, Monachum fugitivum non teneri recitare divinum officium, sicut neque tenetur Monachus ejectus à Monasterio ad tempus, vel in perpetuum. Ratio est, quia talis Monachus constituitur in tali statu in quo non est consuetudo recitandi divi-

divinum officium, & licet non desinat esse Monachus definit tamen esse regularis, *Bonacina disp.* 1. *q.* 2. *punto* 2. *n.* 6. cum aliis, quos refert, & sequitur, licet ipse dicat in praxi se contrarium consulere. Neque tenentur damnati ad triremes recitare divinum officium, ità *Sotus*, & alij apud *Sanchez l.* 8. *de matrim disp.* 8. *n.* 11. *Lessius lib.* 2. *de justit. & jure c* 37. *dub.* 9. *n.* 45. tùm quia afflictis non est addenda afflictio, tùm quia cederet in dedecus religionis ecclesiasticæ, si in illa hominum calamitate ostenderent suum statum; clericus verò suspensus, vel interdictus, aut excommunicatus tenetur recitare, undè recedas ab *Azorio d. lib.* 10. *cap.* 5. *q.* 9. *& à Layman lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 4. *& à Gavanto in rubricis Missalis tom.* 2 *sect.* 1. *c.* 4. *n.* 16. qui dicunt, talem damnatum ad triremes teneri ad officium.

Infertur duodecimo, posse ex justa causa superiorem dispensare cum suis Religiosis, ut non recitent divinum officium, dummodò tales Religiosi non sint in sacris constituti; esset verò justa causa, causa studij aut negotiorum, quia obligatio recitandi officium in talibus Religiosis pendet ex consuetudine, ergò sicut talis consuetudo sciente superiore fuit inducta, ità etiam eo sciente tolli poterit. Nomine verò superioris venit in hac re Supremus, *Bonacina de horis canonicis q.* 2. *pun.* 2. *num.* 9.

Infertur tertiodecimo ad quæstioné, quænam parvitas materiæ in hac re excuset à peccato mortali? & responsio est, quod si loquamur de horis ipsis, puta de tertia, sexta, nona, & completorio, & hoc casu pars notabilis est dimidia pars horæ; undè hanc partem omittens peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem fructuũ, si haberet beneficium, *Reginaldus in praxi tom.* 2. *lib.* 18. *c.* 12. *n.* 143. Si verò loquamur de matutino, laudibus, & vesperis, & hoc casu in matutino feriæ, vel Sancti simplicis materia parva esset trium lectionũ omissio, & earum responsoriorũ. Verùm regula erit pro omnibus officiis, ut quoties in his horis majoribus; puta in matutino laudibus, ac vesperis omittatur quarta pars cujuscumque horæ, semper est materia notabilis, legas *Sanchez in sum̃a tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 18. *n.* 8. *Gavantum ad Missale tom.* 2 *sect.* 1. *c.* 5. *tit.* 1. *n.* 4. *Dianam de horis canonicis resol.* 41. Addit *Bonacina loco citato pun.* 1. *n.* 3. eandem quantitatem excusare à peccato mortali in officio publico, ac in privato, nisi scandalum intercedat.

Infertur quartodecimo, quod si quis sit obligatus ad officium ratione ordinis sacri, & beneficij, unum tantum peccatum committit ipsum omittendo: neq; id tenetur dicere in confessione, ut contra *Sanchez*, & alios, quos sequitur *Marchinus par.* 6. *c.* 12. *diffic.* 8. docent *Garsia de beneficiis tom.* 1 *p* 3. *c.* 1. *n.* 125. *Salas par.* 2. *tom* 2. *tract.* 13. *disp.* 3. *sect.* 2. *n.* 17. quia violat unicam virtutem, scilicet religionem, ex qua tenetur ratione beneficij, si autem qui omiserit omnes horas, vel aliquam partem notabilem, non tenetur in confessione dicere id, quod omisit, sed satis est dicere se peccatũ mortale commisisse in non persolvendo divinum officium, *Squillante ubi supra, punto* 1. *dub.* 33. *n.* 70 sicut habens plura beneficia non committit tot peccata, quot sunt beneficia, *Azorius par.* 1. *lib.* 4. *cap.* 1. *quæst.* 6. *Garsia ubi supra num.* 124.

Infertur decimoquinto, matutinum sequentis diei posse secũdum *Filiuccium tom.* 2. *tract.* 23. *cap.* 8. *n.* 271. persolvi ab hora 4. post meridiem: alij docent ab hora tertia post meridiem, *Barb. in collect. tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 41. *cap.* 1. *n.* 50. Alij putant post horam vigesimam posse aliquam recitare matutinum unà cum laudibus officij diei crastinæ.

Infertur ultimo ad quæstionem, an tempore rogationum si quis ommittat recitare litanias, vel primo die post festum omnium Sanctorum omittat officium defunctorum, peccet mortaliter, putant multi omissione prædictarum litaniarum esse peccatum mortale, & beneficiatum restituere teneri fructus respondente prædictis litaniis: ità *Filiuccius tract.* 23. *cap.* 7. *n.* 24. *Bartholomæus à S. Fausto de horis canonicis. lib.* 2. *q.* 305. quia litaniæ diebus rogationum censentur pars divini officij secundum ritum Ecclesiæ desumptum, *cap. Rogationes de consecr. dist.* 3. Alij vero longè melius dicunt in nullo casu esse verbum præceptivum, obligans ad culpam, ità *Diana par.* 4. *resol moral. in tract.* 1. *miscell. Marchinus ubi sup. par.* 6 *in fine.*

Circa tertium titulum obligationis recitandi officium divinum; sciendum est teneri clericum beneficiatum divinum officium recitare post sex menses, à consecutione ipsius beneficij, itaut pro eo tempore, quo omisit matutinum dimidiam partem fructuum restituere teneatur; si verò unam horam, partem sextã ejusdem diei, quæ restitutione fabricæ loci Ecclesiæ ipsorum beneficiorum facienda est, vel pauperibus, Bulla Pij V. incipiens, *ex proximo Lateranensi Concilio*, si verò beneficiatus uno, vel altero die omittat horas canonicas, non tenetur ad fructus restituẽdos, *Garsia d. cap.* 1. *num.* 27. *Filiuccius tom.* 2. *tract.* 23. *cap.* 10 *quæst.* 8. Alij putant per octo dies non recitantem, non teneri ad fructus restituendos, quasi non sit verisimile, quod aliquis vir prudens, & bonus suum famulũ privet salario, si ei non servit per octo dies in toto: ità *Joannes Henriquez in compendio casuũ morali. c.* 29. *n.* 30. Alij etiam, & melius putant teneri beneficiatum ad fructus etiam si uno die omittat horas in anno, quia tenetur pro omni die legas *Dianam par.* 5. *tract.* 5. *resol.* 24. *& par.* 2. *tract.* 12. *resol* 34. Quãdo verò beneficiatus in singulis horis partes leves omisit, quæ simul sumptæ gravem constituunt quantitatem, putat *Faustus de horis canonicis lib.* 2. *q.* 186. quod teneatur restituere, sed negat *Castrus Palaus tom.* 2 *tract* 7 *disp.* 2. *par.* 7. *n.* 6. sequitur *Diana par.* 5. *tract* 5. *resol.* 54. *& resol.* 25. *&* 26. Primis sex mensibus beneficiatus si non recitat officium divinum secundum *Sotũ de justit. & jure lib.* 10. *q.* 5. *art.* 6. neque peccat, neque tenetur ad restitutionem fructuum: secundum verò *Suarez de religione tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 29 *n.* 12. & alios apud *Garsiam d. par.* 3. *cap.* 1. *n.* 10. peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem; secundum verò communẽ opinionẽ, quam tenent communiter DD. apud *Filiuccium tom.* 2. *tract.* 23. *c.* 10. *n.* 308. *& Lessium lib.* 2. *c.* 34. *dub.* 32. *nu.* 170. dicunt quod peccat mortaliter: sed non tenetur ad restitutionem, quod peccet mortaliter, patet, quia in dicta Bulla dicitur, *qui primis sex mensibus officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum eum excusaverit, grave peccatum se intelligat commisisse*, ergo apertè colligitur peccare mortaliter, quod verò non obligetur ad restitutionem, patet ex eo, quia nulla justitia læditur, nec ulla ecclesiastica lex id præcipit, ut latè *Squillante de obligationib. cleric. par.* 1. *n.* 4. *Gavantus ad missale tom.* 2. *sect.* 1. *c.* 5. *tit.* 1. *num.* 50.

Adverte tamen primo, quæstionem esse inter DD. an Clericus habens beneficium, puta sum̃æ octo ducatorum teneatur officium recitare. Prima enim opinio docet, quod quodcumque beneficium, etiam tenue obliget ad officium, ità *Castrus Palaus tom.* 2. *disp.* 2. *punt.* 1. §. 2. *n.* 9. & alij apud *Dianam par.* 2. *tract.* 12. *resol.* 15. Ratio est, quia beneficiũ quodcumq; reddit clericum exẽptum, & privilegiatum, ergo etiã faciet clericum obligatũ ad divinũ officium. Alij verò putãt quod si beneficium sit summæ octo ducatorum, teneatur beneficiatus recitare officium, secus si ad talem summam non attingat, *Sotus de justit. & jure lib.* 19. *q.* 5. *art.* 3. *Lessius* verò *de justit. & jure lib.* 2. *c.* 34. *dub.* 31. *n.* 168. existimat beneficium si non sit sufficiens ad bonam partem substentationis non obligare, ideò si non excedat 15. vel 16. ducatos non obligaret ad officiũ, licet aliquando in anno teneretur recitare, legas *Dianam ubi supra.* Ille verò clericus, qui habet plura beneficia parva, quæ tamen simul sumpta notabilem faciunt

ciunt quantitatem, à fortiori tenetur ad officium recitandi, *Suarez de resignat.benefic.lib.4 cap 21.* quod si clericus omnea fructus loco pensionis impendat ei, qui sibi beneficium renunciavit, vel qui ut ineptus ad beneficium cogitur coadjutorem assumere, adhuc tenetur ab officium recitandum, nam adhuc habet titulum cum possessione, & per ipsum stat quominus fructus percipiat *Bonacina de his, quæ ad officium privatum pertinent, disput. 1.q.2. par,4 n.21.* & tenetur clericus beneficiatus officium divinum recitare, etiam si capta possessione pro aliquo tẽpore fructus non percipit, spem tamen habet alios percipiendi. Idem dicas de eo, qui ex justa causa, vel ob delictum privatur fructibus, DD. ubi supra.

Adverte secundo, quod tenetur beneficiatus officium recitare à die possessionis obtentæ ipsius beneficij, non à die collationis, ut sic practicari in Curia Romana, refert *Parisius de resignatione beneficij q. 9. n. 15. Menocbius de arbitr.casu 419.* dummodò tamen per ipsum non stet, quin consequatur possessionem beneficij, quia tunc tenebitur recitare, *Azorius lib. 10.c.4. q.5. Toletus lib.2.c. 14.n.8.* Clericus pensionarius tenetur ad officium B.M. Virgini, ut in Bulla Pij V. de qua supra, sed si sit in sacris recitando officium divinum ratione ordinis satisfacit obligationi officij B. M. Virginis, quia hæc videtur mens Summi Pontificis [illegible] V. DD. ubi sup.

Adverte tertio, quod clericus surdus, & cæcus, vel cæcus tantum potest à choro abesse neque amittit distributiones quotidianas officium divinum non recitans, sed habetur perindè, ac si fuisset præsens, ut decisum per Sacram Congregationem refert *Barb. de canonis cap.24.n.30. Diana par.5.tract.6.resol. 14.* contra *Sanchez in opusc.tom.1 lib.2.cap.2.dub.90.n.7.* Sed surdus tenetur recitare divinum officium, quia per se potest legere, neq; opus est, ut seipsum loquentẽ audiat, *Diana ubi supra resol. 15.* cæcus tenetur secundum aliquos, quos sequitur *Castrus Palaus tom. 2. disp.2 punt. 6.n.11.* recitare officium divinum, eam scilicat partem, quam babet in memoria: sed alij dicunt non teneri ad hanc extraordinariam diligentiã: legas *Dianam par.4.tract.4.resol.11. & par. 5. tract. 6. resol. 16.* Neque officium tenetur recitare infirmus clericus, quæ infirmitas quanta sit, arbitrio Medici remittitur, quod si Medicus dubitat an infirmitas sit gravis, an levis, seu recitatio an nocitura sit, non tenetur æger ad horas recitandas, quia non tenetur se exponere periculo gravis damni: *Bonacina de horis canonicis disp. 1.q.6.pun. 2.n. 50.* & casu quo quis excusatur ab infirmitate non tenetur alios recitantes audire, neq; sanus effectus illud repetere, neq; loco illius alias orationes dicere, quia nihil horum præcipit Ecclesia DD. ubi sup. eo verò casu, quo æger posset recitare partem principaliorem officij tenetur illam persolvere, quod si nõ potest recitare matutinum cum laudibus ad nihil tenetur, quia hæc est præcipua pars, & notabiliter officij, *Garsia tom. 1.p.3 cap. 11. num. 222.*

Aduerte quarto, quod coadjutoria cum futura successione, assignata coadjutori aliqua portione pro congrua, & cum futura successione non inducit obligationem divinum officium recitandi, quia actu nõ confertur coadjutori beneficium, ut benè *Castrus Palaus tom. 2. tract. 1. disp. 2. pun. 1. §. 2. n. 7. Diana par. 5. tract. 13. resol. 75.*

Averte quinto, quod omissio unius horæ obligat beneficiatum ad restitutionem, si verò omittat partem unius horæ: tunc peccat mortaliter, sed non tenetur ad fructus restituendos, etiam si fructus respondentes illi parti omissæ sint magnæ, & notabilis quantitatis: ità *Filiuccius tom. 2. tract. 23. cap. 10. n. 219.* Si vero beneficiatus relinquit laudes, putant multi teneri ad partem fructuum respondentẽ laudibus: alij putant peccare mortaliter, sed non tenere, quia laudes non sunt hora distincta à matutino, & ab aliis horis, ità post alios *Diana par. 5. tract. 14. resol. 46.* qui etiam notat obiter, quod infirmus, qui prævidet post prandium ex febri fore impediendum, à recitatione vesperarum, non teneri mane recitare illas, quia ad id non tenetur quis, licet possit id facere, quando verò quis recitat matutinum separatum à laudibus est quæstio an teneatur dicere in fine orationes diei? affirmat *Lezzana quæstion.regul.cap.12.n. 6.* aliiq; communiter apud *Dianã ubi supra resol.48.* sed negat *Sanchez in opusculis tom.2.lib.7.cap.2.dub.20.n.7.* qui dicit non opus esse terminare matutinum tali oratione, nisi in nocte Natalis Domini, ubi id præcipit Rubrica Breviarij, primam opinionem sequitur *Gavantus in rubricis missalis sect. 4.cap.2.* Quod si petas an peccet venialiter quis qui sine justa causa matutinum à laudibus separat: affirmat *Azorius tom. 1. lib. 10.cap.8. q. 4. Navarrus de oratione cap.3.n.28. Toletus lib.2.cap. 13.* Alij putant talem divisionem matutini à laudibus posse fieri, præsertim privatim absque ulla causa, sequitur *Diana d. resol. 48.*

Adverte sexto, quod si quis eodem die in singulis horis paucos versiculos omisit, qui simul sumpti gravem materiam constituunt, neque tenetur ad restitutionem, *Moneta de distribut. quotid par.2.q.3.n.22. Bonacina ubi sup pun.2.n.15.* quia lex definit obligationem restituendi pro singularum horarum omissione, non pro qualibet parte horarum. Ille verò clericus beneficiatus, qui hodie omisit aliquid officij, tenetur ad restitutionem, etiamsi crastina die suppleat defectum in recitatione omissum; ut benè *Bonacina ubi supra* quia onus recitandi cum obligatione restituendi, est addictum diei, ergo non potest suppleri, neque quoad fructos non restituendos.

In §. Sicut autem.

Agitur in hoc textu de ætate ordinandorum in sacris, ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quod in sexta Synodo constitutum fuit ad subdiaconatum nullum posse promoveri, nisi 20. annorum, *cap. subdiaconus. 77. dist.* & licet in *cap. in singulis eadem dist.* dicatur, ut Subdiaconus fiat in anno 14. tamen benè intelligit ibi *glossa computatũ à tempore septennij*, ut observat etiam *Campanilis rubrica 7. in diversorio cap. 3. n. 1.* postea verò Clemens V. *in clem. ultima de ætate, & qualitate* decrevit, ut possit quis libere in 18. anno ordinari Subdiaconus. *Concilium* tandem *Trid. sess. 44 de reform cap. 12.* decrevit, ut nullus imposterum ad subdiaconatum promoveatur, nisi vigesimum secundum habeat annum, quem sufficit incæpisse, *Gutierez, Reginaldus, Miranda*, & aliud apud *Barb. lib. 1.c.37.n. 6.* & debet ordinari quis Subdiaconus elapso anno à promotione postremi ordinis minoris, nisi aliud judicet Episcopus, *Trid sess 23.cap. 11. de refor.* non tamen potest Episcopus dispensare, ut quis eadem die promoveatur ad sacrum ordinem subdiaconatus, & ad ultimum minorum ordinum, *Barb. loco citato n. 50.* Diaconatus ordo non dabatur antiquitus, nisi eis, qui essent annorum vigintiquinque, *cap. in veteri 77. dist. cap. placuit, cap. Episcopus 77. dist. cap. nemo 78. dist.* & habetur in *Concilio Chartaginensi 3. cap. 8. Agathensi cap. 16. & in Toletano 4. cap. 9.* Hanc etiam ætatem requisivit *Justinianus in Authen. de sanctissimis Episcopis, § præsbyterum autem coll. 9.* deindè Clemens V. *in clem generalem de ætata & qualitate*, constituit eum posse eligi in Diaconum, qui ad vigesimum suæ ætatis annum pervenit. Tandem *Trid. sess. 23. cap. 12.* determinat nullum posse in diaconum ordinari, nisi in vigesimotertio suæ ætatis anno, & in præcedentibus ordinibus jam sit instructus, & bono testimonio, *Barb. alleg. 16.* & isti anni 23. debent esse inchoati, ot in subdiaconatu, ut constat ex Bulla Pij II. quam refert *Quaranta in verb ordo.* Ad Episcopatum

tum debet quis habere 30. annos completos, *cap. cum in cunctis de elect.* & nihil in hoc fuit innovatum. Ad Sacerdotium nullus quis ordinabatur, nisi haberet 30. annos. *Auth. de sanctissimis Episcopis, §. Clericos coll.* 9. Sed de[...]è fuit restricta ad ætatem 25. annorum, *cap. ultimo, 78. dist. clem. ultima de ætate, & qualitate, Trid. sess. 23. de reform. cap. 12.* & sufficit per unum diem eum annum cœpisse, quæ quidem ætas non computatur à die conceptionis, sed nativitatis, qui dies nativitatis non solum dicitur ille, quo quis natura iter ex utero matris procedit, verùm etiam ille, quo quis secto matris utero in lucem prodit, *Mandosius de ætate minori cap. 1. n. 25. Covarr. in 4. decretal. par. 2 cap. 8. §. 2. n. 3.* contra *Sforzaodium de restitut. in integrum punt. 1. q. 2. n. 48.* alios dicentes ætatem computandam esse à die conceptionis, dùm favorabile est proli, secus dùm est odiosum, ut in casu nostro.

Sciendum secundo est infantes carentes usu rationis, ut supra dixi posse ordinari validè, sed non licitè per Episcopos, *S. Thomas 3. par. q. 3. ar. 2. Coninch. disp. 20 de Sacramentis dub. 10. n. 94. Sotus in 4. dist. 25. q. 1. ar. 2. Nugn. in 3. par. q. 39. ar. 2 Vasquez*, & alij, quos sequitur *Filiucius tract. 9 cap. 4. q. 2.* & ratio est, quia in *cap. unico extra de his, qui per saltum ordinantur*, habetur, illos non esse reordinandos, qui ante discretionis annos acceperunt minores ordines: ergo supponitur masculos carentes usu rationis esse capaces Sacramenti ordinis: est tamen differentia inter pueros rationis usu carentes, & inter amentes, quod pueris validè possunt ordines conferri, etiamsi illos nunquam petierint. Illis verò, qui post usum rationis inciderunt inciderunt in amentiam, non validè conferuntur ordines, si nullo modo anteà petierint, censentur enim habitualiter nolle ordines suscipere, *Coninch. loco citato n. 100.* quamvis contrarium videatur sentire *Valentia tom. 4. disp. 9. q. 4. punto 1. Reginaldus lib. 3. num 3.*

Dices ad suscipiendum ordinem requiritur intentio, sed infans, vel insanus non potest prædictam habere intentionem, ergo, &c.

Respondeo ad validè suscipiendum Sacramentum ordinis non requiri essentialiter intentionem suscipientis, sed tantum dantis, suscipientis verò requiritur, ut conditio sine qua non in adulto, quia si non adest nullo pacto substantia Sacramenti fit: *Valentia, Sotus*, & alij apud *Bonacinam disp. 8. de Sacramentis q. unic. punt. 50.*

Est tamen difficultas, an infans carens usu rationis possit validè ordinari Episcopus? & est duplex opinio. Prima est negativa: ità communiter *Thomistæ cum S. Thoma 3. par. q. 39. art. 2.* eo quod in Episcopatu confertur potestas circa corpus Christi mysticum, & consequenter requiritur actus ipsius suscipientis. Alia opinio est *Soti in 4. dist. 25. q. 1. art. 2. concl. 2. Filuccij tract. 9. cap. 4. q. 2. n 76. Bonacina loco citato*, & aliorum dicentium posse validè conferri Episcopatum tali infanti, tùm ob rationem allatam pro aliis ordinibus, tùm quia non potest sufficiens ratio afferri in contrarium, nam multi sunt Episcopi titulares, qui nullam habent curam animarum, ergo poterit Episcopatus validè conferri ante usum rationis.

Sciendum est tertio initiatum ordine sacro mala fide ante legitimam ætatem, affici suspensione, donec obsolvatur, ut ex Bulla Pij V. observant *Quaranta in verb. ordo, Bonacina disp. 8. de Sacram. quæst. unica punt.* 50. qui verò hac sero compleret annum, v. g. vigesimum tertium, & hac mane reciperet Diaconatum, non peccat mortaliter, neque suspensionem incurrit *Diana tom. 1. tract. 16. miscell. resol. 27.* contra *Navarr. lib. 1. de tempor. ordin. cons. 9.* quem sequitur *Manriquez par. 2. contra Dianam resol. 42.* quia quando lex aliud non definit parum pro nihilo reputatur. Hæc autem ætatis definitio à Tridentino requisita non habet locum quoties in fundatione beneficij minor ætas à fundatore statuitur, quia huic dispositioni non est à Tridentino derogatum, *Garsia par. 7. de benefic. cap. 4. n. 9.* qui id decisum refert *in Rota*, & est decisio 482. *par. 1. diversor.* Regulares putat *Hieronymus Sorbus in compendio privilegiorum mendicantium, tit. dispensatio n.* 15. quod possint ordinari etiam ante ætatem ex privilegio, quod vigere dicit etiam post Tridentinum, quod etiam dixit *Vasquez tom. 3. in 3. par. disp. 240. cap. 4 n. 44.* Alij verò putant regulares etiam cum mendicantibus communicantes hoc privilegio uti non posse, quia verba *Trident. in d. cap. 12. sess 23.* sunt clara, ibi, *Regulares, nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis*: Patet etiam, quia tale privilegium dicunt regulares se habere vivæ vocis oraculo, sed omnia privilegia vivæ vocis oraculo concessa, fuerunt revocata per Gregorium 15. in Bulla 27. & per Urbanum 8. in Bulla, quæ incipit, *Alias fælicis recordationis Gregorij* 15. & hanc nostram sententiam declaravit Sacra Congregatio apud *Marchinum par. 5. n. 10.* tenet *Rodriquez tom. 3. de regul. q. 23. ar* 6. Pro minoribus ordinibus si petas, qua ætate quis ordinetur dico, quod tempore S. Thomæ ordinabatur quis in prima tonsura etiam ante usum rationis, nam antiquitus mancipabantur pueri cultui Dei in aliquo Monasterio, sed posteà in *cap. nullus de tempor. ordin. in 6.* prohibitum est primam tonsuram ante septennium completum conferri, & si Episcopus secus fecerit, suspensus manet. Quæ prohibitio colligitur etiam ex *Trid. sess. 24. cap. 4.* quare tàm jure novo, quàm veteri ætas septemnij requiritur, in quo usus rationis habetur ad primam tonsuram. Quod septemnium debet esse completum. Quod si ante septennium recipiat quis primam tonsuram, non peccat mortaliter, si nondùm pervenit ad usum rationis; peccaret tamen mortaliter Episcopus, conferens primam tonsuram, quia videtur facere contra prohibitionem Ecclesiæ in re gravi, *Bonacina de censuris disp. 3. q. 6. punt. 5. n. 6. Barb. lib. 1. de jur. eccles. cap. 38. n. 44.* Ad Acholytatum volunt quidam requiri annum 12. vel 13. *glossa in cap. fin. in verb. infanti de tempor. ordin. in 6.* & colligit ex *cap. in singulis 77. dist.* idem dicit *Rebuffus in praxi benefic. in tit. de clericis ad sacros ordines promovendis, Menoch de arbitr. casu 427.* Alij putant non esse definitam ætatem ultra septemnium, post *Trident. Henriquez lib. 10. cap. 19. litt. C. Suarez de censuris disp. 31. sect. 1. n. 22. Martinus Fornarius in additione ad Toletum cap. 3. num.* 50.

Sciendum est quarto, ætatem capacem beneficij, esse olim septemnij, in *cap. si eo tempore, & cap. statuimus de rescriptis n. 6. Abbas in cap. super inordinata de præben.* Hodie verò nullus est capax beneficij ante annum 14. *Trid sess. 23. cap. 6.* qui annus debet esse completus secundum aliquos, quos refert *Bellonus in tract. de iis, quæ fiunt incontinenti, cap. 94.* concordat *Mandosius de ætate minori cap. 4. n. 15. & cap. 15. n. 55. Card. Tuschus concl. 338. n. 10. & 13. litt. E. tom. 3.* Sed alij putant sufficere annum hunc 14. esse cæptum, cum ibi *Trid.* eodem tenore utatur, ut in ordinibus dicta *sess. 22. cap. 12.* Sed ad ordines sufficit annus cæptus, ergo etiam ad beneficium, *Garsia par. 7. cap. 4. n. 11. Marchin. d. par. 5. cap. 2. nu. 17.* Ætas ad canonicatum requisita est in cathedrali annus vigesimus secundus inceptus ex *Trid. d. sess. 22. cap. 4.* ad canonicatum in collegiata sufficit annus 14. sicut ad quæcumque beneficia: sic declaravit Sacra Congregatio apud *Garsiam d. cap. 4. n. 36. Barb. de canonicis cap. 13. n. 14.* Sed interim non habebit vocem in capitulo, *Garsia d. cap. 4. n. 39.* Si verò dignitas, vel etiam canonicatus in Ecclesia cathedrali, vel collegiata annexum habeat certum ordinem, tunc promovendus debet in ea ætate saltem esse constitutus, ut infra annum ordinem illum recipiat, *Trid. d. sess.*

sess. 22. *cap.* 4. *& sess.* 24. *cap.* 12. ætas verò requisita ad beneficium, quod habet curam animarum est annus 25. cæptus *d. sess.* 24. *cap* 12. elapso verò anno post beneficij assecutionem debet, vel illud renunciare, vel sacerdotium necessariò recipere. In Abbate similiter ad titulum Abbatiæ requiritur annus 25. *cap. cum in cunctis de electione, Sylvester in verbo Abbas.* Ad Episcopatum requiritur annus trigesimus completus tàm jure antiquo, per dictum *cap. cum in cunctis*, quàm jure novo per *Trident. sess.* 22 *cap.* 2. *& sess.* 24. *cap.* 1. Idem dicitur *de Cardinalibus d. cap.* 1. Ad Papatum nulla est determinata ætas in specie, sed debet dici prout in Episcopo. Ætas decrepita est beneficij, & sacrorum ordinum incapax, *cap. petisti* 7. *q.* 1. *cap. litteras de renunciat. cap. Florentinum* 85. *dist. Majolus de irregul. lib.* 1. *cap.* 30. *nu.* 19. qua verò ætate dicatur quis senex, an ab anno quadragesimo, ut voluit *Hyppocrates*, an ab anno 46. ut voluit *Servius Tullus*, an ab anno septuagesimo, ut volunt plures alij ad hoc, ut scire possit Episcopus, quis sit ab ordine repellendus: legas *Menochium de arbitr. casu* 59. Verùm si senex sit robustus corpore, & mente sanus erit capax ordinum, & juvenibus præferendus, *cap. Statuimus* 61. *dist.* ubi *glossa* multa allegat *Symon Majolus de irrigularitate cap.* 30. *d. lib.* 1.

Sciendum est quinto, quod antiquo jure, qui mala fide ante legitimam ætatem sacros ordines suscipiebant suspendebantur, *cap. vel non est compos de tem. por. ordin.* quæ suspensio non erat ipso facto, sed ferenda, *glossa*, *& DD. in d. cap. vel non est compos*, *Navarrus cons.* 23. *de tempor. ordin. in antiquis*, quæ suspensio non erat perpetua, sed ad tempus, donec ad ætatem legitimam perveniret, *Rebuffus in praxi benefic. in tit. de clericis ad sacros ordines malè promotis*, *glossa* 4. *num.* 3. Sed hodie est pœna ipso facto suspensionis, ut in Bulla Pij II. Pij V. Sixti V. Clem 8. & aliorum, quos refert *Quaranta in verb. ordo pag.* 349. quæ constitutio compræhendit quoscumque Religiosos non obstantibus quibuscumque privilegiis, ità ut nec per Bullam Cruciatæ sic suspensus possit absolvi, *Rodriquez tom.* 3. *de regular. q.* 24 *art* 8. *& in summa par.* 1. *cap.* 165 *Miranda in manuali Prælator. tom.* 1. *quæst.* 39. *ar.* 6. *Barb. alleg.* 16. *num.* 24. *Marchinus d. par.* 5. *cap.* 3. *num.* 7. & si suspensus ministret in ordine recepto fit irregularis, *Diana par.* 3. *tract.* 4. *de sacramentis resol.* 182. sub dicta constitutione, & suspensione non compræhenduntur illi, qui ante legitimam ætatem minores ordines susceperunt, quia Bulla Pij II. loquitur solum de recipientibus ordines sacros, quales non sunt minores: per Bullam verò Sixti V. quæ incipit *Sanctum, & salutare*, etiam ordinati in minoribus ante ætatem præscriptam incurrunt suspensionem, quæ tamen Bulla quoad hanc partem fuit revocata per Clementem 8. & sic talis suspensio fuit sublata, ut benè *Marchinus num.* 9. *Diana par.* 5. *tract.* 10. *resol* 30.

Qui verò parentum, vel sui superioris testimonio bona fide ordines majores ante ætatem recipit, suspensionem non incurrit, *Navarrus in manuali cap.* 27. *num.* 156. *& cons.* 9. *de tempor ordin. & cons.* 3. *de ætate, & qualitate*, *Toletus in summa lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 4. *Sanchez lib.* 3. *de matrim. disp.* 30. *Rodriquez q.* 23. *ar.* 11. *& in summa par.* 2. *cap.* 16. *Suarez disp.* 31. *de censuris sect.* 1. *num.* 26. *Hugolinus de potestate Episcopi cap.* 26. *§.* 6 *num.* 5. *Miranda in manuali tom.* 1. *q.* 39. *art.* 6. *Filiuccius tomo* 1. *tract.* 17. *cap.* 3. *num.* 84. Immò etiam ignorantia crassa excusat, dummodò non sit affectata, *Diana d. tract.* 4. *resol.* 192. *& par.* 5. *tract* 10. *resol.* 32. quia Pius II. requirit præsumptionem, & contumaciam; sed statim ac pervenit ad malam fidem, putant aliqui, quod peccet celebrando, & suspensionem incurrat, quæ tamen opinio vera non est, quia cum à principio eam non incurrerit, neque incurret postea celebrando; quia non propter celebrationem in mala fide ante ætatem, sed propter ordinationem ante ætatem cum mala fide incurritur suspensio, sed in casu nostro res non ita est ergo, ità post alios *Diana d. resol.* 192. sed peccat mortaliter, qui celebrat, se non habere sciens ætatem legitimam; licet putent alij non peccare mortaliter; legas *Dianam.* Postquam verò ad legitimam ætatem pervenerit: tunc potest absque impetrata dispensatione actum sui ordinis exercere, quia stante bona fide nunquam fuit suspensus: ex alia parte nunc habet ætatem legitimam, ergo non eget dispensatione; ità *Sotus in* 4. *dist.* 25. *q.* 1. *ar.* 2. *Diana ubi supra*: sed si mala fide fuerit ordinatus, tunc cum sit suspensus non sufficit ætatem assecutum, sed requiritur dispensatio, *Diana par.* 5. *tract.* 10. *resol.* 34. qui etiam putat probabiliter oppositum, à qua suspensione impleta ætate dispensat Episcopus, vel prælatus regularis quoad suos, dummodò suspensus ante ætatem actum ordinis non exercuerit; si verò exercuerit, irregularitatem incurrit à solo Papa dispensabilem. Sixtus V. in Bulla, quæ incipit *Sanctum & salutare*, adversus malè promotos, *Marchinus ubi supra cap.* 3. *num* 12. Non tamen incurrit prædictam suspensionem, qui ante ætatem 30. annorum Episcopus fieret, quia suspensio generaliter lata non compræhendit Episcopos, nisi de eis fiat specialis mentio, *cap. quia periculosum de sentent. excommun. in* 6. Sed dictæ constitutiones nullam mentionem faciunt de Episcopis ergo Neque prædicta suspensio compræhendit regularem, qui ante ætatem legitimam præsbyter ordinatus illos actus Sacerdotum exerceret, qui non sunt characteris sacerdotalis, ut sedere inter sacerdotes, habere vocem activam, & passivam: qui ista non sunt actus characteris sacerdotalis, licet solis sacerdotibus conveniant: peccat tamen iste gravissimè, *Rodriquez tom.* 3. *quæst. regul. q.* 23. *art.* 12. *Quaranta in verb. ergo*, *vers. ampliatur*, *Hugolinus ubi supra.*

Putant verò aliqui recipientem ordinem mala fide ante legitimam ætatem, non solum remanere suspensum ab executione illius ordinis sic mala fide suscepti, sed etiam ab executione aliorum ordinum ante legitimè susceptorum, ita *Navarrus*, *Rodriquez*, & alij stante quadam Bulla Sixti V. sed contrariam sententiam putant *Avila*, *Henriquez*, & alij apud *Dianam ubi supra. & par.* 5. *tract* 10. *resol.* 35.

Est tamen difficultas, an qui mala fide ante legitimam ætatem suit factus Sacerdos, efficiatur postea irregularis celebrando simul cum Episcopo de more in actu ordinationis? Prima enim opinio affirmat fieri irregularem, quia illa celebratio est verus actus characteris sacerdotalis, ergo, ità docent *Navarrus cons.* 8. *de clerico excommunicato ministrante.* Post alius *Bonacina disp.* 8. *de Sacramentis quæst. unica punt.* 5. *num.* 13. *Barb de potestate Episcopi alleg.* 16. *num.* 16. Secunda opinio negat, quia talis celebrans prima vice non celebrat voluntariè, sed Episcopo celebranti se accomodat: at verò ille solum fit irregularis, qui propria voluntate mala fide ante legitimam ætatem celebrat; undè illa solum in Ecclesia dicitur prima missa, quam dicit Sacerdos post ordinationem. Confirmatur, quia ob unum, & eundem actum, licet diversas specie contineat malitias, non incurritur duplex pœna. Ideò si alicui sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Missæ celebratio prohibeatur, prima vice celebrando licet maneret excommunicatus, non tamen fieret secundum omnes irregularis, sed qui ordinatur ante legitimam ætatem suspensus manet dicendo Missam cum Episcopo, ergo non incurrit irregu-

rregularitatem, ità post *Henriquez*, *Rodriquez*, *Sayrum*, *Suarez*, & alios docet *Marchinus par.* 5. *cap.* 3. *n.* 26. & apud *Dianam par.* 5. *tract.* 10. *resol.* 34.

Episcopus ordinans ante legitimam ætatem scienter aliquem in sacris est suspensus ipso jure, & si ministret in suo ordine fit irregularis ipso facto, sic colligitur ex Bulla Pij 2. Alexandri 6. & Innocentij 8. quarum Bullarum tenorem refert *Sylvester in verb. irregularitas q.* 10. *& in verb. ætas*, cui opinioni assentitur *Simon Majolus de irregular. lib.* 1. *cap.* 30. *num.* 8. *Marchinus par.* 5. *de ordine cap.* 3. *in fine.*

Sciendum est sexto, quod in numeranda ætate ordinandorum est quæstio an dies bissextus enumeretur, vel omittatur? Prima opinio negat computandum in ordinatione, vel anno novitiatus, unde si novitius compleat annum probationis die 24. Februarij, etiam occurrente tunc mense bissextili, poterit eadem die professionem emittere, neque opus erit expectare sequentem diem, nempè vigesimum quintum bissextilem: ità *Henriquez*, *Sylvester*, *Riccius*, & alij apud *Barb. alleg.* 101. *num.* 13. alij putant diem bissextilem debere enumerari, quia in ordinationibus est sumendus annus ecclesiasticus secundum diversitatem temporum, tùm quia utraque dies bissextilis pro unica habetur, *l. cum bissextus de verb signif. cap quæsivit eodem tit.* ità *Marchinus loco cit. cap.* 4 *num.* 24.

Sciendum est septimo primam tonsuram posse quolibet die conferri, ut constat ex generali Ecclesiæ consuetudine Consecratio Episcopi fieri potest quolibet die Dominico: ordines minores diebus festivis; ordines verò sacri sunt conferendi in sabbatis quatuor temporum, vel in sabbato ante Dominicam passionis, vel in sabbato sancto, *cap.* 3. *de tempor. ordin. Barb. alleg* 11. *Riccius par.* 4. *dec.* 93. *Barb. alleg.* 17. *Trid. sess.* 23. *cap.* 8. *de reform.* posset tamen Episcopus ordines majores Dominica sequenti post sabbatum, in quo dari possunt, conferre dummodò jejunium sabbati continuet usque ad Dominicam, quod continuari dicitur post Missam sabbati, nisi sumpserit absolutionem, post alios *Diana par* 2. *tract.* 2 *miscell. resol.* 30. *&* 31. licitum etiam est Episcopo unum ad omnes minores ordines unica die promovere, *glossa in verb. minores in cap.* 2. *de eo qui furtivè ordines suscepit*, *Bonacina de sacram. disp.* 8 *q. unica*, *punt.* 6 *num.* 36. sed hodie attenta dispositione *Triden. sess.* 23. *de reform. cap.* 11. requiritur, ut de gradu ad gradum ascendant, nisi causa, scilicet necessitas urgeat, vel alia causa, *Miranda in manuali Prælat. tom.* 1. *quæst.* 38. *art.* 5. *concl.* 2. *Marius Antonius lib.* 1. *var. resol. fin. casu* 26. Debet ergo inter unum, & alium ordinem minorem præcedere intervallum, quod daretur de uno die festo ad aliùm proximum, *Campanilis in divers. juris canonicis rubrica* 6. *cap.* 3. *num.* 13. vel tutius interveniente intervallo de uno ex temporibus generalium ordinationum ad aliud, *Majolus de irregularitate lib.* 34. *cap.* 24. *num.* 13. *Hugolinus de potestate Episcopi cap.* 26. *§.* 27. *num.* 4. tamen si adesset consuetudo, ut una die conferret Episcopus quatuor minores ordines, & subdiaconatum, tunc esset servanda, *Barb. in collect. ad textum in d. cap.* 3. & consuetudo est de facto dandi omnes minores ordines in qualibet Dominica, vel die festivo aliquibus, dummodò non videatur facere ordinationem generalem, est etiam recepta consuetudo Episcoporum, ut feria sexta vespere ante sabbatum, in quo possunt ordines conferri, conferant ordines minores, *Riginaldus tom.* 2. *lib.* 30. *tract.* 1. *cap* 5. *n.* 26. *& P. Diana ubi sup* refert non esse jure vetitum una, eademque die recipere, & conferre unum ordinem sacrum, & ordines minores, & testatur *Villalobos* apud *Dianam* se vidisse eodem tempore, & in eodem die conferri ordines minores simul, & subdiaconatum cuidam clerico. Duo sacri ordines non possunt ab Episcopo eidem conferri, sive sæculari, sive regulari, quibuscumque privilegiis non obstantibus, *cap. dilectus*, *cap. litteras de tempor. ordin. Trid. sess.* 23. *cap.* 13. & taliter recipiens est suspensus ipso facto solum ab ultimo ordine recepto, *d. cap. litteras*, *Sayrus de censuris lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 23. *Molfesius in summa tract.* 2. *cap.* 18. *n.* 9. *Marchinus tract.* 1. *par.* 7. *cap.* 1. *num.* 2. Neque Episcopo permittitur qualibet causa rationabili existente conferre eidem duos sacros ordines eadem die, *d. cap. dilectus*, ibi *absque Pontificis dispensatione*, *Marchinus loco citato.* Minores ex causa potest conferre, ut ex *Trid. d sess.* 23. *cap.* 11. colligitur: esset autem causa vita solitaria in Chartusianis, ut declaravit sacra Congregatio, de qua *Genuensis cap.* 81. suæ praxis, vel ætas ordinandi nimium provecta, vel causa studij, vel causa beneficij recepti, aut recipiendi; ex his enim causis licitum est Episcopo omnes minores ordines simul eidem conferre: sine causa id non est licitum, nisi aliud suadeat consuetudo secundum comunem opinionem, sed alij dicunt præcisa consuetudine id licere, qua de re *Diana tom.* 1. *tract.* 16. *resol.* 28. *Marchinus ubi supra cap* 1. *n* 13.

Recipiens verò ordines minores extrà tempora, vel ante legitimam ætatem, vel sine litteris dimissorialibus, non incurrit suspensionem, *Riccius par.* 4. *dec.* 93. quia Bulla Pij 2. loquitur de ordinibus sacris, non de prima tonsura, vel ordinibus minoribus, sequitur *Diana par.* 5. *tract.* 10. *resol.* 30. qui *resol.* 31. ait posse Episcopum absolvere à tali suspensione, & superiores regulares suos subditos.

Sciendum est octavo, regulariter à susceptione Acolytatus ad subdiaconatum debere annum completum percurrere, & eadem interstitia unius anni sunt servanda à subdiaconatu ad diaconatum, & à diaconatu ad præsbyteratum, *Trid. sess.* 23. *cap.* 11. *&* 13. *&* 14. & antiquitus requirebatur quinquennium, *can. in singulis* 27. *dist.* Facultas dispensandi in interstitiis Episcopis tantum competit etiam respectu regularium, *Genuensis cap.* 83. *Barb. alleg.* 18. *num.* 10. *Bonacina disp.* 8. *q. unica*, *pun.* 5. *num.* 34. *Gratianus cap.* 212. & decisum per sacram Congregationem refert *Diana tom.* 3. *tract.* 2. *de dubiis regular. resol.* 112. Verùm notent pro regularibus, quod Jesuitæ habent privilegium à Gregorio 13. & à Clemente 8. Fuit concessum idem privilegium Patribus Congregationis. Joannis Evangelistæ in Portugallia; quod privilegium refert *Portellius in dub. regular. in verb. ordines sacri num.* 4. ex quibus privilegiis licitum est prædictis ordinari non servatis interstitiis etiam ad ordinem præsbyteratus, & etiam absque prævia functione ordinis præcedentis; immò etiam extrà tempora, quod privilegium communicatur aliis regularibus, non obstante prohibitione communicationis per eundem Gregorium XIII. expressa, ut ait *Rodriquez quæstion. regular.* 2. *tom. q.* 23. *art.* 5. *Diana tom.* 3. *de dubiis regul. resol.* 112. & idem docuerat *resol.* 31. *&* 32. qui *Diana dicta par.* 3. *tract.* 2. *resol.* 32. *& par.* 4. *tract.* 4. *resol.* 209. cum *Sanchez in opusculis tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 54. *n.* 8. tenet posse superiores regularium dispensare in interstitiis, sed verius est oppositum, ut tenet *Lezzana quæstion regul. c.* 14. *n.* 19 Quando verò Episcopus mittit aliquem cum dimissoriis ad alium Episcopum pro ordinibus suscipiendis, tunc facultas dispensandi interstitiis spectat ad concedentem dimissorias, *Marchinus d. par.* 7. *cap.* 2. *n.* 5.

Et

Et si Episcopus noverat ordinandum indigere dispensatione, concedendo dimissorias, videtur ei facultatem super interstitiis concedere; secus si id ignorabat *Menoch. de arbitr. casu* 563. & alij ubi supra. Hæc etiam facultas dispensandi in interstitiis competit Vicariis Generalibus Episcoporum, *Sbrozzum de officio Vicarij lib.* 2. q. 43 *num.* 28. & 29. & q. 111. *n.* 16. habet eandem capitularis Vicarius *Quarantain verb. capitulum, vers. quaero* 10. *Riccius in praxi par.* 1. *dec.* 715. *in* 1. *editione*, & 606. *in* 2. *editione*, *Barb. alleg.* 18. *num.* 6. *Marchinus par.* 7. *cap.* 2. *num.* 81. & idem possunt facere Abbates regulares respectu suorum subditorum regularium, quando eos ordinant in minoribus, quia ad quos spectat ordinare spectat etiam dispensare in interstitiis. Idem dicas si Abbas non possit subditos ordinare; unde illos ad Episcopum mitteret, ut ab illo ordinentur; in tali enim casu poterit prædictus Abbas dispensare in interstitiis cum suis subditis, quia ad quos spectat jus ordinandi, spectat jus dispensandi in interstitiis, *Barb. alleg.* 3. *num.* 6.

Qui verò ordinatur non servatis interstitiis nullam incurrit pænam suspensionis, licet uterque tàm scilicet ordinans, quàm ordinatus graviter peccet; nam nulla est in jure apposita, *Navarr. cons.* 4. & 6. *de tempor. ordin. Piacetius in praxi in titulo de conferendis ordinib. num.* 50. *Sayrus dec.* 56. *de tempor. ordin Riccius par.* 3. *dec.* 356. & *Diana par.* 4. *tract.* 2. *resol.* 55. immò neque peccare ordinantem, & ordinatum indicare videtur, *Henriquez. lib.* 6. *cap* 10. *num.* 3. *litt. C.* sed minus rectè, quia est transgressor sacrorum canonum in materia ordinum, quæ est gravissima.

Est autem observandum tempus interstitiorum non esse mathematicè computandum, nec circulum solarem duodecim mensium, sed est computandum secundum annum ecclesiasticum, quare ordinatus ad diaconatum temporibus Pentecostis, vel Septembris, anno sequenti eisdem temporibus poterit sacerdotium recipere, etiam si duodecim menses non sint elapsi, quod à Sacra Congregatione fuisse declaratum, refert *Quaranta in verb. ordo in fine*, *Barb. in Trid. sess.* 23. *cap.* 11. *Marchinus par.* 5. *de ordine cap.* 4. *n.* 19. & 20. qui etiam agit latè de anno quomodo accipiatur, & Antiqui quando dicitur plures vixisse annos quomodo verum sit.

Causæ ob quas potest Episcopus dispensare in interstitiis duæ referuntur à *Tridentino*, *sess.* 23. *cap.* 11. & 13. & 14. *de reform.* nempè necessitas, & utilitas particularium Ecclesiarum, per utilitatem Ecclesiæ intelligitur quando pauci sunt ministri ecclesiastici idonei, pro necessitate intelligitur, quando deficerent ministri. Arbitrio tamen Episcopi, relinquitur judicare, quæ nam sit utilitas, aut necessitas Ecclesiæ, *Menoch. casu* 427 *nu* 27. *Rodriquez tomo* 3. *quæstion. regul. q.* 24. *art.* 6. & 7. *Carolus de Grassis de effect. cleric. in prælud. num.* 334. Debet verò Episcopus majorem causam utilitatis, aut necessitatis expostulare in eo, cum quo dispensaret in interstitiis à minoribus ad subdiaconatum, vel à diaconatu ad præsbyteratum, quàm à subdiaconatu ad diaconatum: patet ex *Trid.* quod *cap.* 11. *citato*, ait in ascensu à minoribus ad subdiaconatum utilitatem, aut necessitatem disjunctivè requiri; posteà verò in *cap.* 13. agens de promovendo à subdiaconatu ad diaconatum relinquit arbitrio Episcopi talem dispensationem ab interstitiis, sed *cap.* 14. agens de promovendo à diaconatu ad præsbyteratum utramque causam requirit copulativè. Alia causa dispensandi in interstitiis, est ejus ætas provecta, juncta cum ejusdem integritate: alia causa est favor studij in aliqua Universitate, *Menochius casu* 427. argum. *cap. fin. de Magistris* & *cap. cum ex eo de elect. in* 6. undè Episcopus quidam dispensavit cum Diacono, ut ascenderet ad sacerdotium non servatis interstitiis ad hoc, ut media missarum celebratione se posset in studiis sustentare, refert *Marchinus disp.* 7. *cap.* 3. *in fine* ultima causa dispensandi in interstitiis est arctatio ad recipiendum diaconatum, vel præsbyteratum ratione beneficij recepti, vel recipiendi; ità *Trid. sess.* 7 *cap.* 10. *de reform. Bonacina disp.* 8. *q.* 5. *punt.* 6. Episcopus potest familiarem suum triennalem ab interstitiis dispensare, alias non sibi subditum, quia potest eum ordinare ex *Trident. sess.* 23. *cap.* 9. ità *Diana tract.* 4. *par.* 7. *resol.* 190. licet *Marchinus par.* 7. *cap.* 4. *n.* 3. putet contrarium.

Sciendum est nono, ordines sacros posse etiam dare diebus interdum Dominicis, puta si die sabbati antecedentis ob ordinandorum numerum copiosum ordinationes expediri non potuerunt, dummodò tamen continuetur jejunium ecclesiasticum, tàm ab ordinante, quàm ab ordinando. *cap. quod à Patribus* 75. *dist. Diana tom.* 1. *tract.* 16. *resol.* 28. Minores ordines diebus festivis conferri debent. Est tamen quæstio an in diebus festivis de præcepto, an etiam possint diebus festivis duplicibus? & respondeo ego posse tàm minores ordines die festo duplici, quàm sacros, quando alicui breve expeditur, ut possit ordinari tribus diebus festivis duplicibus, *Diana par.* 5. *tract.* 1. *miscell. resol.* 97. quæ opinio est satis plausibilis Episcopis, & ordinandis, sequitur *Marchinus par.* 7. *cap* 6. *num.* 10. Si verò Episcopus ordinavit aliquem diaconum, vel alio ordine sacro in die sabbato, secundum quod quatuor tempora celebrantur, &c. & contingat in ordinatione aliquia defectus, puta quia non tetigit calicem ordinandus, vel quia in eo non erat vinum, est quæstio an talis iteratio, puta illius instrumenti fieri possit quovis anni tempore? Negat *Sanchez tom* 2. *opusc lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 13. *num.* 7. & dicit debere fieri illo tempore, quo possunt ordines celebrari, quia supplere talem defectum est conferre ordinem saltem sub conditione, sed jam in jure est præscriptum tempus, extrà quod non licet sine privilegio conferre Sacramentum ordinis, ergo neque licebit supplere defectum prædictum substantialem: affirmat *Granadus in* 3. *par. de sacram. contr.* 9. *tractat.* 2. *disp.* 3. *num.* 3. quia propriè loquendo prædictum defectum supplere non est ordines conferre, sed potius complere, quod imperfectè factum est tempore ordinis, non enim sunt repetendæ ceremoniæ omnes, ad Sacramentum ministrandum, sicut in diebus ordinum solet ministrari, sequitur probabiliter *Diana par.* 5. *tract.* 14. *resol.* 63.

Sciendum est decimo, quæstionem esse cur potius die sabbati, & non veneris, in qua Christus passus est, vel dominico, in quo conferri possunt minores præscribantur ordinum majorum collationes? Tu tamen dicas, quia sabbatum significat quietem, juxtà illud *Genes.* 3. *Et requievit Dominus die sabbati ab omni opere, quod patrarat.* Sed illi, qui sacris ordinibus sunt insigniti, ab omnibus curis cessare perpetuo debent. Ideò generales ordinationes die sabbati à sacris canonibus prudentissimè decernuntur, & servatur jejunium talibus temporibus, ut per talem macerationem ordinandi disponantur ad dignè suscipiendos ordines, & toto Ecclesia oratione, & jejunio à Deo exposcit idoneos ministros, & quatuor etiam anni temporibus generalis ordinatio fieri solet, ut sub quatuor Evangelijs ordinati Christo, & Ecclesiæ deserviant, in vere, ut in virtutibus floreant, in extate, ut fructus afferant, in

Autumno,

Autumno, ut fructus operum metant, in hyeme, ut fructus collectos custodiant, *Marchinus par. 7. cap. 5. num. 13.*

Sciendum est undecimo, quod si quis ordines sacros recipiat, extra tempora à jure statuta, suspensionem incurret, Bulla Pij 2. quæ incipit, *cum ex sacrorum*, quod si susciperet ordines minores, tunc quia de eis non loquitur Bulla prædicta, consequenter ad eos non debet extendi, quia in pœnalibus non est facienda extensio ultra propriam verborum significationem, *cap. odia de regul. juris in* 6. de jure veteri talis suspensio non erat lata, sed ferenda, *cap. fané de tempor. ordin. cap. consultationi eodem titulo*, à qua suspensione putant aliqui posse Episcopum absolvere, quia Papa eam sibi non reservavit. Alij, & melius putant non posse ab Episcopo tolli, ità *Barb. alleg.* 17. *Marchinus par.* 7. *cap.* 50. *num.* 15. Episcopus verò ordinans extrà legitima tempora, nullam pœnam suspensionis incurrit, quia Bulla prædicta nullam ei pœnam imponit, posset tamen suspendi, & privari jure conferendi ordines, *cap. cum quidam, cap. fané de tempor. ordin.* Ille verò, qui eodem die susciperet aliquem ordinem sacrum, & consecrationem episcopalem, nullam incurrit suspensionem, quia Episcopatus non est ordo sacer, & suspensio generaliter lata non afficit Episcopos, *cap. quia periculosum de senten. excommun.* Facultas, ut possint eodem die plures ord. min. fuscipi spectat ad Episcopum, *Trid. sess.* 23. *cap.* 11. Facultas verò suscipiendi ordines sacros spectat ad Papam, *cap. dilectus de tempor. ordin.* Facultas, ut recipiantur ordines sacri à regularibus extrà tempora spectat ad suos prælatos regulares, etiam post *Trident. Diana par. 5. tract. 1. miscell. resol.* 57. Debet etiam fieri ordinatio in Missa, *Trid. sess.* 23. *cap.* 8. de consilio quidē, non de necessitate. Idem dicas à fortiori de minoribus, ordinib⁹ & sic quando ordinatio fit extra missam posset fieri ab Episcopo, etiam non jejuno; quando verò fit in missa, tunc requiritur jejunium non solum ecclesiasticum, sed etiam naturale, *Piasecius in praxi Episcopali de conferendis ordinibus num.* 50. decet tamen ordines etiam minores conferri ab Episcopo intra Missam, & servato jejunio, *Marchinus par.* 7. *cap.* 5. *num.* 18.

Sciendum est duodecimo, quod si Summus Pontifex concedat licentiam ordinandi per extra tempora, concedere solet cum clausula dummodò idoneus reperiatur per examen, quo casu si reperiatur minus idoneus per examinatores votantes declaretur jam res non est integra, & sic expirat gratia. Si verò examinatores non adhuc votaverint cum esse non idoneum, jam res est integra, & consequenter poterit illi dari tempus, ut discat, & iterum examinari, sic practicari refert *Garsia par. 6. de benef. cap* 2 *n.* 253. *Marchinus ubi supra cap.* 6. *n.* 3. Si verò quis impetraverit rescriptum, ut extra tempora ordinetur ad tres ordines sacros tribus diebus festivis immediatè sequentibus, posset ordinari sabbato, in quo est ordinatio generalis, subdiaconus v. g. Dominica Diaconos, & alio die festi Sacerdos, nam non est verisimile Summum Pontificem velle ei auferre id, quod sibi competit de jure communi, quicquid dicat *Marchinus d. par.* 7. *cap.* 6. *num.* 3. qui autem prædictum privilegium habet à Papa, ut possit ordinari à quocumque Episcopo, licet non eget litteris eiusdem testimonialibus de vita, & moribus, *Trid sess.* 23. *cap.* 8. *de reform.* fine quibus ordinans suspenditur per annum à collatione ordinum, & ordinatus ab usu ordinis recepti, *Quaranta in verb. ordo, in verf. suspensionis pœnam, Suarez de censuris disp.* 31. *sect.* 1. *u.* 10. *Toletus lib.* 1. *cap.* 49. *num.* 4. *Marchinus par.* 7. *cap.* 6. *num.* 16, quod tamen non procedit in recipiente primam tonsuram sine litteris prædictis testimonialibus, ut declaravit Sacra Congregatio, teste *Toleto ubi supra*, quia prima tonsura sub nomine ordinis non venit; locus verò, in quo sunt habendæ ordinationes generales est Ecclesia cathedralis, vel alia ex facultate Episcopi. In Ecclesia Monialium non licet: pro collatione verò minorum ordinum quilibet locus honestus est idoneus, *Marchinus ubi sup. in fine.*

TITULUS XXIII.

DE HIS, QUI SUNT IN MINORIBUS ORDINIBUS constituti.

Visum est supra de constitutis in sacris, eorumque requisitis; videndum erat de constitutis in minoribus; meritò ponitur hic titulus. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est, contra hæreticos (dicentes, tres tantum esse ordines, scilicet Episcopatum, Præsbyteratum, & Diaconatum, de quibus *Bellarminus lib.* 1. *de clericis cap.* 11. *tom.* 1. septem esse ordines, Hostiariatum, Exorcistatum, Lectoratum, Acolytatum, Subdiaconatum, Diaconatum, & Præsbyteratum; ità colligitur ex Concilio Romano, sub *Sylvestro cap.* 3 *Laodicensi, Calcedonensi, Chartaginensi*, 4. *cap.* 3. & ex *Trid. sess.* 23. *cap.* 2. qoi omnes ordines sunt Sacramenta, ut contra *Durandum in* 4. *dist.* 24. *q.* 2. asserentem solum sacerdotium esse Sacramentum, & contra *Vasquez* 3. *part. disp.* 237. *cap.* 2. *Sotum in* 4. *dist.* 24. *q.* 1. *art.* 4. *Navarrum in manuali cap.* 22. *num.* 8. asserentes tres ordines majores esse Sacramenta, minores verò esse Sacramentalia, docent *S. Thomas* 3. *par. q.* 22. *art.* 2. *S. Bonaventura Bellarminus, Coninch.* & alij apud *Filiuccium tract.* 9. *cap.* 1. *Barb. lib.* 1. *de jure eccles. cap.* 28. *num.* 48. & cum eo communiter DD. qui omnes dicunt numerari omnes tanquam unum Sacramentum, propter respectum, quem singuli ordines dicunt ad sacerdotium, quod est præcipuum Sacramentum, latè *Marchinus de ordine par.* 1. *cap.* 8. *num.* 13. ordo Psalmistatus, & Cantoris, non erat verus ordo quia, à solis præsbyteris constituebatur, *cap. Psalmista dec.* 23. at simplex Sacerdos non potest ordines conferri; cum verò sacri Canones dicunt psalmistatum esse ordinem, acceperunt nomen ordinis impropriè, non propriè. Prima tonsura verò an sit ordo est dissentio inter Canonistas, & Theologos, putant Canonistæ esse ordinem; ità post alios *Barb. alleg.* 2. *num.* 16. *Campanilis rubrica* 2. *num.* 8. *Garsia par.* 7. *cap.* 1. & alij apud eos, probant ex *cap. contingat de ætate, & qualitate*, ubi prima tonsura vocatur clericalis, eodem nomine vocat *glossa in cap. nullus de tempor. ordin. in* 6. *in verb. tonsura*, tùm quia primam tonsuram habentes sunt capaces beneficiorum, quorum non sunt capaces laici, *cap.* 2. *de instit. cap. ex litteris de transact.* fruuntur privilegio canonis, *glossa in cap. d. cum contingat*; ergo, quia prima tonsura habet privilegia aliorum ordinum, meritò ordo dici debet; tùm quia ex *Trident. sess.* 14. *cap.* 2. *de reform.* initiatus prima tonsura ab alieno Episcopo sine licentia proprij suspenditur, & *sess.* 23. *de reform. cap.* 4. *&c.* eadem ligat prohibitione istos, qua & in minoribus ordinibus constitutos, ergo voluit Tridentinum, inter ordines connumerari debere primam tonsuram, ultimo colligunt ex Bulla

Bulla Sixti V. contrà malè promotos, quæ incipit *Sanctum, & salutare*, ubi primam tonsuram clericalem appellat characterem, ergo quia characterem imprimit est verus ordo.

Theologi verò primam tonsuram negant esse ordinem, quos longo cathalogo refert & sequitur *Marchinus de ordine par. 1. cap 7. num. 2. Barb lib. . de jure eccles. cap. 38 num. 45.* tùm quia Patres, & Concilia mentionem fecerunt de ordinibus, & de prima tonsura verbum nullum, tùm quia *Trid. l. sess. 23. cap. 2.* ait, ut qui clericali tonsura insigniti sunt per minores ad majores ascendant: quibus verbis distinguit Concilium primam tonsuram à minoribus ordinibus: tùm quia *cap. 6.* ait, *Nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus constitutus ante 14. annum possit beneficium obtinere*, ergo Concilium nunquam primam tonsuram vocat ordinem, immò ab ordinibus semper eam segregat, quod clarius patet ex *Concilio Chartaginensi cap. 3. in tract. de præsbyteri ordinatione, cap 4. de ordinat. Diaconi, cap. 5. de ordinatione Subdiaconi, cap. 6 de ordinatione Acolyti. cap 7. de ordinatione Exorcistæ cap. 8. de ordinatione Lectoris, cap. 9. de ordinatione Ostiariatus*: nullibi verò agitur de ordinatione in prima tonsura: tùm quia in Pontificali cum agitur de tonsurando clerico, non apponitur verbum illud de ordinando clerico, ut moris est, sed tonsurando clerico, seu de faciendo clerico; statim verò sequuntur illa verba de ordinatione Ostiarij, &c. ergo Pontificale censuit primam tonsuram non venire appellatione ordinis. Tandem accedit, quia in prima tonsura non adest materia, & forma, ergo, & licet adsit abscissio capillorum, tamen hæc non est materia, sicut licet adsint verba illa, *Dominus pars hæreditatis meæ*, tamen illa verba sunt ceremonialia, non substantialia, undè sine illis fieret quis clericus, *Marchinus par. 1. de ordine cap. 7. num. 5.*

Ex quibus patet de facili responsio ad argumenta contraria, sumitur enim ordo impropriè; sicut quando dicitur, quod imprimat characterem, nomine characteris intelligitur destinatio perpetua da clericalem statum, *Marchinus d. par. 1. cap. 7. in fine.*

Sciendum secundò est, Diaconatum esse verum ordinis Sacramentum, *S. Thomas in 4. dist. 24. & in supplemento ad 3. partem q. 73. art. 3. & q. 22. art. 2. Filiuccius tom. 1. tract. 9. num. 15. Bonacina disp. 8. q. unica p. 2.* quia accipit Diaconus potestatem, qua cæteris præfertur & Sacerdoti assistit ergo, & ex *Trid. sess. 23. can. 6.* colligitur. Sicut est Sacramentum ordo præsbyteratus *Canonistæ in cap ad abolendam de hæreticis*; Episcopatus verò secundum Canonistas est verus ordo, licet secundum Theologos non sit talis, *Marchinus par. 1. cap. 9. 10. & 11.* Cardinalatus non est verus ordo, licet aliqui eum ponant inter veros ordines ecclesiasticos, neque Papatus constituit ordinem distinctum ab aliis, *Marchinus cap. 12. atque 13.*

De Ordine Ostiariatus.

AD intelligentiam sciendum est primo, quod Ostiariatus est potestas spiritualis, qua ordinatus in ea potest ex officio custodire januas Ecclesiæ, & jura bonorum Ecclesiæ habere, & idem est, quod Ianitor, qui ianuis templi præficiebatur, *1. Paralipom cap. 23. & 2. c. 23.* ad quorum similitudinem in Ecclesia Dei fuerunt instituti Ostiarij, sive ianitores, quorum munus est templorum aditus custodire, quos dignos norint admittere, quos indignos repellere. Hoc munere Ostiarij, seu potius quadam cujus similitudine perfunctus est Christus Dominus quando flagello de funiculis facto ementes, & vendentes de templo eiecit, cujus ordinis antiquitatem designant Sancti Patres, & Concilia apud *Marchinum par. 2. de ordine tract. 2. cap. 1* & habetur *in cap. Cleros 21 dist. & in cap. Ostiarius 23 dist.*

Sciendum secundo est, materiam remotam hujus ordinis Ostiariatus esse claves Ecclesiæ, proximam verò traditionem ipsam. Forma sunt verba Episcopi, quæ referuntur in *Concilio Chartaginensi 4. cap 10. & in d. cap Ostiarius 23 distin.* & sunt ista. Sic age quasi rationem Deo redditurus pro his rebus, quæ his clavibus includuntur; alia verò, quæ in hac ordinatione exercentur, sunt tantum cæremoniæ ab Ecclesia institutæ, post alios *Barb. lib. 1. de jure eccles. cap. 38. num. 27. & Marchinus tract. 2. de ordine par. 2. cap. 2.* & character imprimitur in traditione clavium. Ostiarij munera quinque erant. Primum indignos arcere ab ingressu templi, & dignos admittere, *d. cap. Cleros, S. Thomas 3. par. in addit. q. 73 ar 2.* Pontificale de hoc ordine agens cathechismus Romanus de hoc ordine agens num. 15. Inter indignos enumerabantur Cathecumeni, hæretici, energumeni, excommunicati, ut colligitur ex *S. Chrysostomo hom. 41 & 60. ad Populum Antiochenum, & ex S. Ambrosio epist. 23.* Secundum munus erat curare, nè fideles proprius quàm par erat accederent, Cathechismus Romanus obi supra, & ad eundem spectabat videre an locis sacris debita exhiberetur reverentia, de qua *in cap. decet de immun. eccles* & habetur in Bulla Pij V. quæ incipit *Cum primum Apostolatus.* Tertium munus erat campanas pulsare, & ob hanc causam datur illi in ordine tintinnabulum, sicut enim in veteri testamento erant institutæ à Deo tubæ argenteæ ad cætum vocandum *Num. 10. & Psal 80. Buccinate in Neomenia tuba in insigni die solemnitatis vestræ*; cujus tubæ formam exprimit *Josephus lib. 3. de antiquitate cap. 11.* dicent *ejus extremitatem in campanæ similitudinem factam fuisse*, ita ad earum exemplar, campanæ in Ecclesia catholica ad fideles in templo convocandos institutæ fuerunt. Quartum munus erat Ostiarij, librum ei aperire, qui concionaturus erat, ut in Pontificali Romano, sed p... usum fuit abrogatum Quintum munus Ostiarij, erat sacras vestes, fidelium deposita, & totam ecclesiasticam supellectilem custodire, *cap perlectis 25. dist.* Hinc antiquitus idem erat Ostiarius, ac Thesaurarius, seu Sacrista, *March. & Barb. locis cit.*

Præcipit etiam Episcopus Archidiacono, ut introducat ordinatum ad portas Ecclesiæ, illasque pro suo officio aperiat, & claudat, & postea introducat eum ad campanas, easque pulset, *cap. perlectis 25. dist.*

Neque dicas de talibus materiis nihil haberi in scripturis; nam sufficit traditio Apostolorum, quæ colligitur ex perpetua Ecclesiæ consuetudine, & usu, ut docet *Valentia tom. 4 disp. 9. q. 1. punt. 4. ad 1.*

De Ordine Lectoratus.

LEctorum ordo accepit formam, & initium à Prophetis. Sunc enim Lectores, qui verbum Dei prædicant, quibus dicitur, *Clama necesset quasi tuba exalta vocem tuam, Isaiæ 58.* Institutio, & origo à Christo Domino cæpit, quando in medio seniorum librum Isaiæ aperuit, atque in eo legit *Spiritus Domini super me evangelizare pauperibus, misit me prædicare captivis remissionem, Lucæ cap. 4.* quem locum sic explicat *S. Augustinus lib. 1. de Baptismo parvulorum cap. 32. tom. 7.* Materia remota hujus

hujus ordinis est liber continens prophetias veteris, & novi testamenti; proxima verò materia est ipsius libri traditio, est tamen discrimen inter Subdiaconatum, & Lectoratum, quod subdiaconus habet pro officio legere Epistolam in Missæ sacrificio, Lector verò extrà Missam, *Marchinus par.* 3. *cap.* 2. Forma verò lectoratus sunt verba Episcopi. *Accipe, & esto relator verbi Dei, habiturus, si fideliter, & utiliter officium tuum impleveris, partem cum iis, qui verbum Dei ab initio benè ministrarunt*, ità habetur in Pontificali Romano, *& in Concilio Carthaginensi* 4. *cap.* 8. *de* quo *in cap. Lector* 23 *dist. Galganetus de jure publico lib.* 3. *tit.* 29. *Barb. lib.* 1. *cap.* 38. *de jure ecclesiast. num.* 23. *Marchinus tract.* 2. *par.* 3. *cap.* 2.

Erat officium Lectoris. Primo libros veteris, & novi testamenti alta voce recitare, & interdum extrà Missam etiam Evangelium. Secundo baptizandis rudimenta christianæ fidei tradere, & concionem habere de his ad populum, *d. cap. perlectis* 25. *dist.* Tertio panem, & novos fructus benedicebat, latè *Barb. ubi supra num.* 25. *& Marchinus par.* 3. *cap. ultim.*

De Ordine Exorcistatus.

EXorcista græca voce sic dictus, quasi latinè adjurans, sive increpans dicitur, *d. cap. cleros, vers. Exorcistæ* 21. *dist. Galganetus lib.* 3 *de jure publico. tit.* 28. *Barb. alleg.* 11. In cujus ordinatione pro materia remota traditur liber Exorcismorum, pro proxima materia est traditio ipsa. Forma verò sunt hæc verba.. *Accipite, & commendate memoriæ, & habete potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive cathecumenos*, ita dicitur in Pontificali, *in cap. Exorcista* 23. *dist. S. Thomas in* 4. *dist.* 24. *q.* 2. *&* 3. *Barb. alleg.* 11. Fuit figuratus quando Christus Dominus tetigit aures, & linguam surdi, & muti, & dixit, *Ephetta*, quod est adaperire: imprimitur character in traditione libri Exorcismorum, *S. Thomas in* 4. *dist* 24. Exorcistatus munera sunt quatuor, *can. perlectis* 25. *dist.* Primum munus est invocare nomen Domini in eos, qui ab immundis spiritibus vexantur, ut ait Cathechismus Romanus. Secundum, aquam in ministro Baptismi fundere. Tertium, dicere populo, ut qui non communicant, dent locum aliis, qui petunt communicare, quæ duo munera ultima recesserunt ab usu, undè solius primi fit mentio in *d. cap. perlectis*. Quartum munus est Dæmonem Exorcismis expellere à corporibus, *d. cap.* 1. 25. *dist.* & etiam super baptizandos, *cap. neque quemquam de consecrat. dist.* 4. Non autem est licitum laicis, vel aliis clericis, non exorcistis, publicè in Ecclesiis, aut privatim in domibus Dæmones Exorcismis expellere à corporibus, *can. non oportet* 69. *distin.* Hodie verò solis Sacerdotibus exorcizandi competit facultas, *Marchinus par.* 4. *tract.* 2. *cap.* 4. Hanc facultatem exorcizandi potest Episcopus ex causa probibere Sacerdotibus, puta si sit suspicio, quod utatur incantationibus, nam potest Episcopus videre, qua forma utatur in exorcismo, & si videt eum deficere potest prohibere, *Navarrus cons.* 6. *de offic. ordin. Hugolinus de potestate Episcopi, cap.* 47. *num.* 6. *Marchinus p.* 4. *cap.* 5. Quod si per Episcopum fiat prohibitio nè aliquis exorcizet sine ejus licentia, tunc non comprehenduntur sub hac prohibitione regulares, sed solum clerici sæculares, quia regulariter exorcismus competit Sacerdotibus de jure communi, *Portellius in addit. ad dubia regularia in verb. Exorcismum.* Potest etiam Exorcista sine labe simoniæ, donationis, vel eleemosynæ titulo aliquid recipere, non tamen ex pacto, vel ex vi contractus, ut pretium sui laboris, *Marchinus d. par.* 4 *cap.* 5.

Si verò Exorcista invenit Dæmonem esse ligatum aliquo signo, puta capillis, vel anulo; in hac, vel illa parte domus locatæ, & ipse respondet donec tale signum non tollatur se non posse à corpore obsesso exire, tunc licitum est Exorcistæ hujusmodi signa à Dæmone revelata, perquirere, frangere, & destruere, ut iis ablatis maleficiatis incolumitatem consequatur, *Suarez tomo* 1. *de religione lib.* 2. *de superstitione cap.* 17. *Sanchez lib.* 7. *de matrim. disp* 96. quia talia signa quærere non est Dæmoni cooperari, sed opera ejus dissolvere; & potest etiam interrogari Dæmon, ut locum, & signum reconditum, in quo adest maleficium ostendat, *Sanchez ubi supra*, sequitur *Martinus Delrio lib.* 6. *disquis. magic. cap.* 2. *sect.* 1 *q.* 2. Potest etiam Exorcista rogare Magum, ut absque nova Dæmonis invocatione tollat maleficium, sed non est licitum petere dissolutionem maleficij per aliud maleficium, quia est intrinsecè malum, nam nihil aliud est, quàm Dæmonis auxilium per Magum invocare: ità *S. Thomas in* 4. *dist.* 34 *q.* 1. *art.* 3. *Suarez, Sanchez*, & alij ubi supra. Si verò sciat Exorcista, quod Magus potest tollere maleficium via licita, tunc ei licitum est Magum rogare, comminari, percutere, ut absolutè tollat *Marchinus ubi supra cap.* 8.

Est tamen notandum Exorcismorum virtutem ex Evangelicis dictis colligi *Lucæ* 10. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi Serpentes, & Scorpiones, & super omnem potestatem inimici, & nihil vobis nocebit*, & habent Exorcismi virtutem, non ex opere operantis, sed operato, idest non virtute propria, sed Dei, nam virtus Exorcismorum pendet ex divina institutione, & potestate tradita ministris Dei, & præcipuè ex admirabili sanctissimi nominis Jesu virtute, in qua teste *Luca Actor.* 19. Filij Scevæ Principis Sacerdotum in Christum non credentes Dæmonia adjurabant, atque illa è corporibus expellebant, ergo expulsio Dæmonum non pendet per se ex ministri operatione, quæ cum peccato stare potest, sed potius pendet ex operato: per accidens tamen interdum pendet ex opere operantis, quia ministri sanctitatis ad Dæmones expellendos valdè conferunt non tamen habent eandem efficaciam, ac Sacramenta. Ipsi Exorcismi, quia expellunt Dæmones si divinæ placuerit voluntati, ut constat ex forma Exorcistatus; & *ex Cathechismo Romano par.* 2. ubi de Exorcistatu agitur: locus verò ille. In nomine Domini Dæmonia ejicient, non fundat pro omnibus divinam promissionem, sed pro aliquibus ex necessitate Ecclesiæ sic postulante, & juxta divinæ voluntatis, & providentiæ leges, *Marchinus par.* 4. *cap.* 10.

Notandum secundo est, pro exorcismis tradi quatuor regulas.

Prima est, ut non utatur exorcizans cum Dæmone verbis deprecatoriis, ut à corpore obsesso discedat, nam esset peccatum mortale, quia nullum beneficium à Dæmone Dei hoste rogare debemus, & hoc esset quandam societatem cum Dæmone habere, sed solis verbis imperativis, comminatoriis, & coactivis cum Dæmone agendum est.

Secunda regula traditur, ut exorcizans superfluis verbis cum Dæmone non utatur, sed statim illi imperare, ut sileat, & à fortiori abstinere debet à nugis, & jocis cum Dæmone, & si secus fecerit, non solum peccabit, sed etiam dignas suæ levitatis patietur pœnas, ut refert *Martinus del Rio lib.* 6. *disquis. magic cap.* 2. *q.* 3 *sect.* 3. *in* 4. *remedio*, ubi hæc narrat: fuit quidam Monachus in Coloniensi Cœnobio verbis satis facetus, sed expellendorum Dæmonum

gratia

gratia celeberrimus, qui à Dæmone interrogatus, quem in locum ab obsesso corpore recedere cuperet, respondit jocans, in cloacam meam: exiit igitur Dæmon ab obsesso corpore in locum assignatum, quem cum Monachus ille ad ventrem expurgandum petiisset, tàm dire eum torsit, ut proximus morti fuerit.

Tertia regula traditur, ut non utatur exorcizans, verbis judicialibus, quibus imperet, ut Dæmon compareat tali die, rationem reddat, cur tale corpus obsederit, jure se veritatem dicturum, nec etiam constituat suæ defensionis terminos advocatos, & similia, quia exorcizans non est Dæmonis Judex, nec cum illo criminaliter agendum est, *Martinus del Rio disquis. magic. lib. 6. in Ava Cephaleosi monitione* 10. *Sanchez lib. 2. summæ cap.* 32. *num.* 34. nec etiam debet sub pæna excommunicationis præcipere, ut ab obsesso corpore discedat, nam Dæmon à corpore Ecclesiæ est inseparabiliter divisus, ergo excommunicationis non est capax, & licet Pontificale Romanum tali verbo utatur, tamen sumitur ibi excommunicatio impropriè pro execratione, & maledictione, *Navarrus in manuali cap.* 27. *num.* 13, *& lib.* 5. *consiliorum de senten. excommun. cons.* 5. ubi etiam observat inanem esse illorum exorcistarum ritum, qui cum animalibus oppidum aliquod infestantibus, puta locustis, vel similibus, processus criminales formant, constituunt duos procuratores, seu advocatos, unum pro locustis, alium pro populo infestato, ut iusque partis rationes audiunt, deindè sententiam pronunciant. Ridicula sanè hæc sunt, nec carent superstitione, nam vel ille processus dirigitur contra animalia, & hoc non, quia utpotè irrationabilia non sunt latæ sententiæ capacia, vel processus dirigitur contra Dæmonem, & si hoc concedatur ad quid deseruit Dæmoni advocatum constituere, qui causam illius patrocinetur. Ridet hæc Dæmon, videns se propriæ iniquitatis advocatos habere mortales ipsos, & ideò hæc omnia, utpotè superstitiosa esse fugienda, docent *Navarrus, del Rio*, & alij ubi supra; quibus adde *Sotum lib. 5. de justit. & jure q.* 12. *art.* 2, *Rodriquez in summa par.* 1. *cap.* 18.

Sed dices. Videmus talia animalia post latam sententiam non amplius nocere, ergo signum est sententiam fuisse utilem, & tali malo maximè accomodatam.

Respondeo non amplius nocere post latam sententiam non efficacia latæ sententiæ, quam illa animalia intellectu carentia percipere nequeunt: sed quia Deus placatus hujusmodi supplicia ab illo populo propria peccata deplorante removet, vel interdum etiam Dæmon ipse prædicta supplicia prohibet ritum hunc superstitiosum doceat, & confirmet, ut benè *Marchinus par.* 4. *cap.* 11. *num.* 6.

Quarta regula est, ut non utatur exorcizans ritibus ullis novis, vel diversis ab illis: quos Ecclesia Romana servare solet, nec adhibeat ignota nomina Syriaca, vel Hæbraica, nec ad aures energumeni tacitè loquatur, quia hæc omnia superstitionem redolent, sive pactum aliquod, sive sociatatem cum Dæmone ostendunt.

Notandum tertio est, exorcizare, omni die permissum esse, *cap. omni die consecr. dist.* 5.

Notandum est ultimo, quod Exorcista est inferior Acolyto, quamvis majorem videatur potestatem habere, quia Acholytus circa ministerium altaris exercet officium, ad quod Exorcista nondùm pervenit, cujus officium circa humiliora versatur, *d. cap.* 1. *vers. deservientes* 33. *dist.*

De Ordine Acolytatus.

AD intelligentiam sciendum est Acholytatum esse potestatem, qua hoc ordine insignitus potest portare urceolos, cum vino, & aqua ad Missæ sacrificium. Dicitur Acholytus græcè, & latinè sequens interpretatur, eo quod subdiaconum sequatur: aliter verò Ceroferarius dicitur, eo quod ipsius sit ferre candelabrum cum cereo, quem etiam ipse accendit, *cap. Cleros*, §. *Acholyti* 21 *dist. Barb. alleg.* 12. *num.* 12. Materia Acholytatus remota duplex est, nempè urceolus vacuus, & candelabrum cum cereo extincto, proxima est porrectio horum instrumentorum, quæ in hoc ordine duplicantur ad significandum duplicem potestatem, quam recipiunt Acholyti, unam in Corpus Christi mysticum candelabro adumbratum, alterum in Corpus Christi verum urceolis expressum: sicut enim urceoli Eucharistiæ confectioni deserviunt, ità candelabrum, quod Acholytus gestat, non ad visibiles tenebras propellendas, sed ad fideles in Evangelio illuminandos fuit institutum. Dantur urceoli vacui ad differentiam Subdiaconi, cui traduntur pleni, cereum extinctum, quod in Evangelij recitatione accenditur, ut errorum caliginem ante Evangelij promulgationem, & post Evangelij prædicationem clarum veritatis lumen adumbraret, *Marchinus par.* 5. *cap.* 2. Forma hujus ordinis. v. g. pro cereis. *Accipe ceroferarium cum cereo, ut sciat te ad accendenda Ecclesiæ lumina mancipari in nomine Domini.* Pro urceolis forma tradita. *Accipe urceolos ad suggerendum vinum, & aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi in nomine Domini. Barb. de jure eccles lib.* 1. *cap.* 8. *Marchinus loco citato cap.* 2. & imprimitur character in traditione urceolorum, *Marchinus par.* 3. *cap.* 8. *proposit.* 3. quia hæc est principalior materia; undè recedas à *Vasquez tom.* 3 *in* 3. *par. disp.* 237. *cap.* 3 n. 46. dicente, imprimi characterem in utriusque materiæ traditione simultanea, quia character est qualitas indivisibilis, quæ tota simul producitur *Marchinus cap* 3.

Sciendum secundo est, Acholytorum munera quinque fuisse. Primum aquam, & vinum in urceolis, ad Eucharistiam conficiendam ministrare. Secundum, Subdiacono, & Diacono deservire. Tertium, lumina, præsertim ubi Evangelium est legendum gestare, *cap. Acholytus* 23. *dist. cap. Cleros* 21. *dist.* Quartum, Acholyti munus erat litteras Episcoporum deferre, & alia munera refert *Marchinus tract.* 2. *par.* 5. *cap.* 3. Hujus ordinis dignitas maxima est, ut colligitur. Primo, quia pro cæteris ministris altaris Christo immediatius deseruit. Debet prius Acholytus ab Archidiacono instrui, qualiter in officio suo se habere debeat, & ab eo accipere ceroferarium, idest candelabrum cum cereo, ut sciat se ad accendenda lumina Ecclesiæ, dùm Evangelium legitur mancipari post alios *Barb. d. lib.* 1. *de jure eccles. cap.* 38. *num.* 12. *in fine Machinus loco cit.*

De Prima Tonsura.

HÆretici nostri temporis omnium ecclesiasticarum traditionum acerrimi hostes, per vetustam capitis abrasionem à clericis, à Sacerdotibus in Ecclesia Dei semper servatam odio prosequuti sunt, & hanc eandem hæresim innovavit quidam Hortensius Landus Augustinianæ Religionis desertor, qui adversus tàm sacrum tondendi institutum libellum condidit, & affert ex cucullatus hic transfuga variæ scripturæ testimonia in sui mendacij confirmationem; sed laudabile, honestumq; esse

tonsuræ institutum, satis primo ostendunt illa verba Lucæ 3. Actor. 18 ubi dicitur, Priscillam, & Aquillam, suscepto Nazareorum voto, capillos abrasisse; & cap 21. de Jacobi Apostoli oratu idem fecisse Paulum & alios discipulos quatuor, & patet ex loco Numeri 36. & habetur in can. prohibetur 23. distin. & ex Concilio Chartaginensi 4 cap. 44 ex Agathensi cap. 20. & ex Toletano 4. can. 40. & alus locis, de quibus Marchinus par. de ordine tract. 2. cap 1. & ab Apostolis originem sumpsit capillorum rasura, Baronius tom. 1. sub anno 58 num 122. Marchinus cap. 2. in fine: quæ rasura nihil aliud significat, nisi clericos è mundi negotiis egressos, totos se, suaque omnia Deo devovisse, Marchinus cap. 3. & in Concilio Toletano 4. describitur mensura tonsuræ pro quolibet ordine, scilicet pro ordinibus minoribus ad unius regalis mensuræ, seu minoris hostiæ. Sacerdotum tonsura ad mensuram hostiæ majoris. Monachorum pro cujuslibet ordinis instituto, Episcopis multo majori totum ferè caput circumcingens conceditur. Si verò clericus coronam non gestat ad longum tempus, peccat mortaliter, secundum Abbatem, Tabienam, Angelum, Sylvestrum, Dominicum Bannez, Sotum, & alios. Alij verò dicunt peccare mortaliter Clericum in sacris non gestantem tonsuram, secus in minoribus, & non beneficiatis, ità Navarrus, Bonacina, Vasquez, & alij apud Barb. alleg. 9 num. 11. Sed ego dico Clericos tam in majoribus, quàm in minoribus nullo modo peccare mortaliter si tonsuram non defatant, ita Cajetanus, Henriquez, & alij, quos sequitur Diana par. 3. tract. 4. de Sacram. resol. 183. Marchinus par. 1. tractat. 2. cap. 6. quia nullibi reperitur sub præcepto, & in cap. 3. & 4. de vita, & honestate cleric. tantummodò prohibetur Clericis verbis generalibus ne comam, aut barbam nutriant, aut ne comam relaxent, quod glossa exponit in Ecclesiæ contemptum, sed aliud est comam non nutrire, aliud verò clericalem coronam non deferre, ergo solum in can. prohibitæ 23. dist. videtur id præcipi qui textus non intelligitur præceptivè indicaris mortale, neque Trid. sess. 14. cap. 6. & sess. 23. cap. 6. & 7. aliquid probat, quia ibi eatenus tonsuræ delatio mandatur, quatenus quis vult frui fori privilegio, est tamen in hoc sibi contrarius Diana, qui par. 5. tract. 5. resol. 60. putat ordinatum in sacris tonsuram non gestantem peccare mortaliter, secus in minoribus.

Primo ergo sciendum est, quod qui prima tonsura ordinatur, debet pluribus qualitatibus esse prædictus. Primo debet esse baptizatus, Secundo, debet esse vir, non fæmina. Tertio, debet esse confirmatus. Quarto, ætate septennij, Quinto, debet esse irregularis. Sexto, debet à proprio Episcopo, vel ab alio de licentia sui ordinari. Septimo, debet scire legere, & scribere; Octavo, nonnulle catholicæ fidei rudimenta scire tenetur, ut sunt Oratio Dominica, Symbolum Apostolorum, Salutatio Angelica, &c. Præcepta Decalogi, Ecclesiæ præcepta tres virtutes theologales, septem peccata capitalia, Opera Misericordiæ, & hujusmodi, quæ si tonsurandus ignoret regulariter repellendus est. Munus verò illius, qui prima tonsura est initiatus est canere in choro, vel in Ecclesia: undè Psalmista dicitur in jure canonico, & ideò Episcopus ei mandat recitationem septem Psalmorum pœnitentialium. Hæc autem tonsura neque materiam habet, neque formam, quia non est ordo: habet tamen loco materiæ capillorum abscissionem, & loco formæ verba illa Dominus pars hæreditatis meæ, &c. & hic tonsuratus dicitur Clericus, quasi in Dei sortem electus, nam cleros sors interpretatur: hæc autem verba non sunt substantialia. Est autem prima tonsura ab Ecclesia instituta, neque est necessaria necessitate Sacramenti; sed ex quadam congruentia, tanquam congrua ad illos dispositio, & hodie solum est necessaria ex usu Ecclesiæ & necessitate præcepti, Marchinus par. 1. cap. 12. Irregularis verò est incapax primæ tonsuræ, tùm quia qui est incapax formæ, est etiam incapax dispositionis ad formam, sed prima tonsura est dispositio ad ordines ergo irregularis, qui est incapax ordinis, erit incapax primæ tonsuræ, quod si irregularis eam suscipiat, peccat mortaliter, sed validè ordinatur. Duardus in Bulla Cænæ can. 15. q 3. num. 7. lib. 2. & licet irregularitas sit impedimentum ordinis, & prima tonsura non sit ordo, tamen quia in irregularitate nomen ordinis sumitur impropriè, ideò cum apud Canonistas prima tonsura veniat appellatione ordinis, sequitur benè salvari definitionem irregularitatis, & irregularem esse primæ tonsuræ incapacem.

Secundo sciendum est, quod prima tonsura insignitus gaudet quatuor privilegiis. Primum est privilegium Canonis, si quis suadente Diabolo 17. q. 4. Secundum est privilegium fori, cap. 1. & 2. de foro competenti, cap. Clerici, cap. cum non ab homine de Judiciis. Tertium liberatur à collectis Principum sæcularium, l. 2. C. de Episcopis, & Clericis, cap. non minus, cap. adversus, de immunit. Eccles. cap quamquam de censibus in 6. Quartum, tonsuratus fit capax beneficiorum ecclesiasticorum, dummodò ætatem à Trid. requisitam attingat, sess. 23. cap. 6. Legas Dianam par. 1. tract. 2. resol. 23. & 40. & par. 4. tract. 2. per tot.

Tertio sciendum est, quod ad primam tonsuram nullus admitti debet, nisi prius sit confirmatus, Trid. sess. 23. de refor. cap. 4. Piacesius in praxi par. 1. num. 24. non quidem quod sit necessaria necessitate Sacramenti confirmatio prædicta, sed ob congruitatem, immò eam omittens absque contemptu, neque peccat mortaliter, Diana par. 2. tract. 2. miscell. resol. 3. contra Bonacinam disp. 8. de Sacramentis q. unica, punt. 5. num. 10. putantem peccare mortaliter, ex Trid. loco cit. quod allegat, qui locus Tridentini nihil probat, quia ibi nihil præcipitur initiandis, sed solum præscribitur Episcopis, quid facere debeant, ad quam tonsuram recipiendam sufficit si quis sciat scribere, & legere etiam lingua vulgari, Azorius par. 2. lib. 6. cap. 6. q. 2. Campanilis rubrica 5. cap. 2. Barb. alleg. 11. num. 5. & sufficit, quod characteres formare sciat, quamvis scribere perfectè nesciat, & censuit Sacra Congregatio Card. apud Barb. lib. 1. cap. 38. num. 40. in fine, Diana par. 5. tract. 14. resol. 27. In Trident. tamen d. cap. 4. dicitur primam tonsuram dandam non esse, nisi illis, qui sincerum animum habent standi, & perseverandi in ordine clericali; non tamen peccant mortaliter, qui sine justa causa recedunt, atque ad onera ordinis exercenda incapaces se reddunt, ducendo v. g. uxores viduas: ratio est, quia nulla eis incumbit obligatio promissionis, aut præcepti ad superiores ordines ascendendi, seu in susceptis ministrandi, ità contrà Cajetanum 2. 2. q. 12. art. 1. dub. 1. docent Toletus lib. 4. summæ cap. 18. Sanchez lib. 7. de matrim. disput. 31. Layman. lib. 5. Theologiæ moralis tractat. 9. cap. 7. qui dicunt esse solum peccatum veniale inconstantiæ, si sine causa à statu clericali recedant; sicut si novitius sine causa e Religione abeat, prout neque peccat mortaliter, qui primam tonsuram accepit intentione non perseverandi in statu clericali, sed solùm ut declinet jurisdictionem fori sæcularis, ità Navarrus in manuali cap. 25. nu. 108. Sanchez lib. 7. de matrim. d. disp.

disp. 31. *Bonacina disp.* 8. *q. unica*, *par ultima in fine*, *Diana par.* 2. *tract.* 2. *miscell. resol.* 122. quicquid dicant, quos sequitur *Barb. allegat t* 1. *num.* 12.

In §. Penultimo.

Ponuntur in hoc textu aliquae differentiae inter majores, & minores ordines. Et primo ordinati in majoribus dicuntur in sacris, secus in minoribus, cum illi immediatè versentur circa sacra. Secundo ordinati in majoribus non possunt matrimonium contrahere, sed ordinati in minoribus ad eorum libitum contrahunt, *cap. si quis verò*, 23. *dist. cap.* 1. *de clericis conjugatis*, nec ullam culpam incurrunt, sic transeuntes, quia jure suo utuntur, nec faciunt contra votum, aut aliquod juris praeceptum, *Rebellius lib.* 4. *de obligat. justitiae q.* 8. *num.* 27. *Barb. lib.* 1. *de jure eccles. cap.* 33 *num.* 54. Neque obstat *text. in can. Apost.* 25. *dist.* ubi dicitur, quod nullus Clericus ultra Lectorem, & Cantorem contrahat nuptias, quos etiam tantum excipit *Justinianus in novella* 22. *de nuptiis collat.* 4. nam respondeo, quod ibi Clerici ultrà Lectorem dicuntur Subdiaconi, & Diaconi, ut declarat additio *Gregoriana in cap. sanè*, *§. cum autem* 15. *q.* 3. *Azor par.* 1. *lib.* 13. *q.* 4.

Neque etiam obstat *textus in cap. Lectores* 32. *dist.* ubi dicitur teneri Lectores, aut uxorem ducere, aut continentiam profiteri. Respondeo enim cum *Henriquez in summa lib.* 10. *de Sacram. ordinis cap.* 2. *§.* 2. *litt. L.* illum textum constituisse, ut Lectorea non contraherent sine licentia Episcopi, & est jam abrogatus; alij verò, & melius verbum illius textus, ibi, *cogantur*, intelligunt, idest, *moneantur*, quae interpretatio magis placet, ne alias dicamus cogendum aliquem ab Ecclesia, vel ad matrimonium, vel ad votum continentiae. Coactio igitur in praesenti de monitione, & suasione intelligitur, & tanto facilius solvitur si advertamus ad vetustos Codices, qui sic habent, ut Lectores usque ad annos pubertatis legant, deinceps autem, nisi uxores custodia pudicitiae duxerint, aut continentiam professi fuerint legere non sinantur, quae verba habentur in *collect. conciliorum per Laurentium Surium tom.* 1. *pag.* 505. quam observat *Vasquez de ordine disp.* 246 *cap.* 4. *num.* 30. *& Severinus Binius in noviss. collect. conciliorum tom.* 1 *pag.* 575.

Neque tandem obstat *textus in cap. praesbyteri* 19. *dist.* 34. ibi, Praesbyteri, Diaconi, Subdiaconi, vel deinceps, quibus licentia ducendi uxores non est, etiam alienarum nuptiarum evitent convivia; ergo quia adest verbum illud, deinceps ultrà sacros ordines, datur intelligi ordinatos in minoribus, non posse contrahere matrimonium per verbum illud deinceps.

Respondeo enim, quod verbum illud Deinceps, non refertur ad ordines inferiores ab expressis ibi, sed refertur ad superiores, ità ut sensus sit, quod Praesbyteri, Disconi, vel Subdiaconi, vel deinceps, idest Archiepiscopi, & Episcopi non habeant licentiam ducendi uxores; ità *Praepositus* ibi *num.* 1. quem refert, & sequitur *Rodericus à Cuna in commentariis ad dictum textum num.* 2. *& Barb. lib.* 1. *de jure eccles. cap.* 38. *num.* 58.

Aliae differentiae inter majores, & minores ordines sunt, quia ordinati in minoribus ad officium recitandum non tenentur, secus in majoribus, *cap. ante* 31. *dist. Trid. sess.* 23. *cap.* 13. *de refor.* Alia differentia, quia ordines majores non possunt conferri una die, secus minores, *cap.* 1. *& cap. sanè de tempor. ordin.* alia est, quia minores ordines non opus est, ut in Missa conferantur, secus majores. Tandem majores ordines conferuntur ab Episcopis; secus minores, qui possunt ab Abbatibus conferri, ut habetur in supradictis.

Rogabis: quae nam sit materia ordinis Episcopatus. Respondeo esse impositionem manuum, tùm quia ex scripturis non possumus aliam colligere materiam, quam manuum impositionem, 1. *ad Thim.* 4. *& Actor. cap.* 6, tùm quia illa est materia Episcopatus, per quam confertur potestas Episcopalis: sed haec confertur per manus impositionem, & prolationem illorum verborum, *Accipe Spiritum sanctum*, *&c.* ergo, &c. ità *Filuccius tract.* 9. *cap.* 2. *q.* 5. contrà alios asserentes materias ordinis Episcopalis consistere etiam in a is, ut in unctione capitis, impositione mythrae, & impositione manuum super caput.

TITULUS XXIV.

Communia, tam majorum, quam minorum ordinum.

Visum est supra de ordinibus majoribus, & minoribus, videndum erat, quid commune habeant, meritò ponitur hic titulus. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est, quod hoc nomen commune, potest accipi multipliciter; Primo enim accipitur pro eo, quod est commmune omnibus animalibus de jure naturali *§.* 1. *instit. de rerum divisione.* Secundo pro eo, quod est commune de jure civili, ut successio, quae ab intestato convenit conjunctis, vel ex lege municipali, *l. omnes populi*, *ff. de justit. & jure.* Tertio pro eo, quod est commune ex conventione partium, ut cum aliqui homines communicant bona sua, & faciant societatem; de qua re *in tit. ff. pro socio*, *& Instit. de societate.* Quarto sunt quaedam communia pluribus, ut pluribus, ut sunt bona Monachorum, quae non sunt communia singulis, ut singulis, *cap. cum ad Monasterium de statu Monachorum.* Quinto pro eo, quod est commune singulis, ut singulis, ut sunt successiones filiorum, & aliorum, quae dividi possunt inter singulos haeredes, ut in *§. tit. lib* 3. *Instit.* Sexto, alia sunt communia, quantum ad carnis conjunctionem, ut sunt maritus, & uxor. Dicitur enim matrimonium divini, & humani juris communicatio: Hoc posito agitur hic de his, quae sunt communia, tam inter Clericos majores, quàm minores, & [illegible] communitas inter majores, & minores [illegible] os exest, ut obediant Episcopo: Clerici verò in minoribus tenentur obedire Clericis in sacris, quae obedientia consistit in actibus pertinentibus ad ordinem, undè consideratur in actibus externis, non internis; intellectus scilicet, & voluntatis, qui actus soli Deo subjiciuntur, argum. *text. in l. cogitationis*, *ff. de paenis*, quod si Episcopus aliter se habeat cum Clerico, quam debeat, tunc poterit Clericus suo jure obedientiam denegare, quia non est fides servanda non servanti, *cap. pervenit de Jure patronatus*, & frustrà petit debitum, qui quod debet non impendit, *cap. si infidelis* 28. *q.* 1. unde *Crassus* dicebat. *Non erit mihi Consul, cui ego non sim Senator*, ut habetur in *cap. ista* 95. *dist.*

In §. Item sub gravis ultionis comminatione.

Conclusio horum jurium, est, teneri Praelatum in ordinandis Clericis anteponere examen, & instruc

instructionem ipsorum ; colligitur ex *cap. unico de scrutinio in ordine faciendo*, *& in cap. quando Episcopus dist.* 25. *& ex Trident. sess.* 23. *cap.* 5. *de reform.* & ex Scriptura, & Sanctis Patribus colligit *Marchinus par.* 6. *de ordine cap.* 9. *Barb. in collect. ad textum in d. cap. unico*, & semper noscant Episcopi utilius Ecclesiæ Dei fore paucos optimos, quam multos minus bonos ordinari ministros, *Bernardus de conversion. ad Clericos cap.* 29. & est doctrina *Innocentii* 3. *in cap.* 10. *de ætate*, *& qualitate ordin. & ecclesiast cap.* 15. ibi, *Non concupiscit Deus multitudinem filiorum infidelium*, *& inutilium*, *& cap.* 16. ibi, *Ab uno sensato inhabitabitur Patria*, *& à tribus impiis deseretur*, facit *textus in Novella* 6 *Justiniani cap.* 8. *& in authen. ut determinatus sit num erus Clericorum*, *collect.* 1. *& de mensura ordinandorum coll.* 3. *& in l. non plures*, *C. de sacros. Eccles. Marchinus par.* 6. *cap.* 10. *num.* 14. Ad intelligentiam hujus conclusionis.

Sciendum est primo circa regulares ordinandos non debere Episcopus investigare de vita, & moribus, & scrutinium facere; sed in istis sufficit si afferant litteras dimissorias de vita, & moribus suorum Prælatorum, quibus quidem litteris tenentur Episcopi fidem præstare, nisi falsæ, vel subreptitiæ præsumantur, ut ait Sacra Congregatio in *Trid. sess.* 23. *de reform. cap.* 50. quam affert *Genuensis in praxi cap.* 8. quià nullus regularium mores magis nosse valet, quam Prælatus ipsorum. Subditi alterius Diœcesis non sunt scrutandi de vita, & moribus ab eo Episcopo, ad quem mittuntur ordinandi, sed à mittente, quod scrutinium factum esse debet mittens Episcopus in dimissoriis litteris asserere Sacra Congregatio ubi supra. Tertio circa familiares Episcoporum non opus est tali scrutinio, quando eorum mores Episcopo sunt notissimi, ut sit Sacra Congregatio ubi supra, neque in primis, secundis, & tertiis sunt necessariæ denunciationes faciendæ in Ecclesiæ.

Sciendum secundo est tale scrutinium debere fieri circa vitam, mores, doctrinam, ætatem, &c. nec solum in ordine subdiaconatus, sed in aliis singulis, & major in præsbyteratu, quàm in aliis ordinibus est adhibenda diligentia, ergo potest esse, quod bonus fuerit quis Subdiaconus, & quod deinde mutatis moribus pejor fiet Sacerdos, & malus Diaconus, *Marchinus par.* 6. *cap.* 11. *num.* 7. sciant tamen Episcopi, quod ipsi ex *Trid. sess.* 14. *cap.* 3. habent facultatem suos subditos ordinatos absque litteris suis, vel examine suspendendi, quousque sibi placuerit, ab usu ordinum. Quando verò ordinatur quis Archidiaconus interrogatur ab Episcopo, an eum sciat dignum, que Archidiaconus respondet, quantum humana fragilitas fert se scire, & testificari illum esse dignum, qui etiam si juret se scire dignum, non peccat mortaliter, ut ait *Innocentius Tertius in cap. unico de scrutinio in ordine faciendo*, *Angelus in verb. perjurium* §. 3. *Navarrus in manuali cap.* 12. *num.* 7. *Fabius Incarnatus in suo scrutin sacerdotali in principio*, *Augustinus Barb. alleg.* 40. *num.* 21. nam illum debemus præsumere dignum, quem nescimus indignum, cum in dubio quilibet præsumatur bonus, latè *Barb. in d. cap. unico de scrutinio*, *&c.* &. est maximopere notanda doctrina *Scoti in* 3. *dist.* 39. *q. unica*, §. *quantum ad secundum dubium*; qui dat generalem regulam, quod in odiosis jurans debet esse certus, ut in judicio testificetur quis contra alium ob commissum delictum, ubi non sufficiunt, inquit, conjecturæ, & credulitas Petrum tale delictum commisisse, sed debet esse omninò certus, secus est in favorabilibus, maximè ubi talia juramenta sunt in usu; sufficit enim in his probabilitas, quia dignum, & probum debemus existimare, quem indignum, & improbum esse nescimus. Hinc salvantur plura juramenta, quæ fiunt à Doctoribus in sumenda laurea Doctoratus, in Religionibus ad Prælaturas, ut benè *Marchinus ubi supra cap.* 11. *in fine.*

In §. Quod & in beneficiorum.

Conclusio hujus textus est, quod in ordinibus conferendis debet præcedere examen, prout in collatione beneficiorum etiam fit. Ad cujus intelligentiam.

Siendum est primo, quod in sacris Canonibus est constitutum, ut Clericorum ordinationem scrutinium, seu examen per Archidiaconum, & ipsum Episcopum præcedere debeat, *cap. enim*, *cap. Episcopus* 24. *dist. cap. placuit in fine* 1. *q* 1. *cap. ad aures*, *cap. ut nostrum de offic. Archidiac. cap. unico de scrutinio in ord. &c. cap. nihil est*, §. *Episcopi de elect.* oportet enim ordinaturum Episcopum meminisse illud Apostoli 1. *ad Thim. cap.* 5. ibi, *Memini citò manum imposueris*, *cap. quid est*, 78. *dist.* & illud considerare, quod Summus Pontifex Clemens *in cap. tales* 23. *dist.* præcipiebat, *cap. quibusdam in fine* 1. *q.* 1. *cap. ex multis* 1. *q.* 3. unde ordinandi ante ordinem debent Episcopum adire, *Trid sess.* 23. *de reform. cap.* 5. *&* 7. Parochus pro sacris ordinibus facit publicationes, *cap.* 2 *cap. Episcopus* 24. *dist.* & omnes ordinandi feria quarta, vel quando Episcopo videbitur ante ordinem evocantur, *cap. quando* 24. *dist.* & faciet Episcopus examen cum aliorum consensu, *d. cap. Episcopus*: est inquirendum de vita, & moribus, si sit castus ordinandus, ut in tota 32. *dist. usque ad* 35. *&* 43. si sit prudens 36. *dist. usque ad* 40. si ornatus virtutibus, 40. *dist. usque ad* 42. si hospitalis, & domui suæ benè præpositus; nè autem sit ebriosus, 62. *dist. &* 86. *per totam*, nè sit cupidus, vel usurarum exactor, 47. *distin. cap. pervenit* 86. *dist. cap. Seditionarios cum sequenti* 46. *dist.* Sed neque nimium simplex, *cap. Episcoporum* 74. *dist.* quæ omnia requisita non solum in Episcopis, sed in omnibus Clericis exposcunt Sacri Canones.

Sciendum tertio est, ordinandos ab Episcopis esse examinandos de qualitatibus, & requiditis singulorum ordinum, & de officio cujuscumque ordinis, quem sunt suscepturi, licet ordinandi sint regulares, *Trid. sess.* 23. *de reform. cap.* 12. *Rodriquez quæstion. regular. tom.* 1. *d.* 18. *art.* 6. *Miranda tomo* 1. *q.* 39. *art.* 4. *Hieronymus Robericus in compend. quæstion. regular. resol.* 106. *num.* 17. ubi ait *num.* 24. quod in Religiosis non requiritur tanta litterarum peritia, quanta in Clericis sæcularibus. Peracto examine, qui idonei, & digni fuerint inventi, sunt in matricula ordinandorum à Notario describendi, & ordinationis tempore nominatim vocandi, qui verò non ritè examinati, & approbati ausi fuerint accedere ad ordines suscipiendos, non vocati, (juxtà Episcopi edictum) incidunt in sententiam excommunicationis, *cap.* 1. *& fin. de eo*, *qui furtivè ordines suscepit.* Intellige quando lata erat excommunicatio contra sic facientes, quo casu solus Papa dispensat: & regulariter Episcopi prohibent sub pœna excommunicationis latæ sententiæ; nè quis audeat se ingerere, nisi fuerit approbatus, qui ergo contrarium fecerit est excommunicatus, & celebrans fit irregularis. Quod si Episcopus utatur his verbis eo tempo-

tempore, quo confert ordines, *Non intendimus ordinare non examinatos, & approbatos, vel habentes patrimonium fictum, &c.* tunc est quæstio, an hoc non obstante tales accedentes verè ordinentur. Negat *Barbosa*, cum aliis, quos allegat *in cap. 1. num. 2. de eo, qui furtivè, &c.* & dicunt debere iterùm ordinari imposita prius pœnitentia. Idem tenet *Lugo de Sacram. disp. 7. sect. 8 num. 119.* ex defectu intentionis, quam habet Episcopus eos non ordinandi. Affirmant alii apud *Dianam par. 5. tract. 1. miscell. resol. 66.* ratio est, quia verba illa, *Nolo ordinare excommunicatos, irregulares, &c.* intelliguntur si aliquem talem ... cognoscam; ergo propter talem clausulam non debet quis existimare se non ordinatum, si fortè erat ignotus, & occultus. Non tamen debent Episcopi accedentes ad ordines prohibere sub excommunicatione latæ sententiæ, nè accedant cum impedimento occulto censuræ, irregularitatis, &c. immò debent eos potius ad cautelam in generali illos absolvere, & dispensare, *Filiuccius tom. 1. tract. 9. cap. 5. num. 99. Diana loco citato.*

Et die 21. Decembris 1643. fuit ad me ex Diœcesi Amalphitenfi missus hic casus consulendus.

Thomas Venusius Terræ Tramunti fuit insignitus prima tonsura ab Archiepiscopo Amalphitano, credente esse alterum ejusdem Terræ Tramunti, quem disposuit ordinare. Prædictus enim Thomas pluries ab eodem Archiepiscopo non fuit admissus ad examen, quia forsan nolebat eum ordinare. Quadam die nomine Episcopi fuit dictum. *Accedat ille Terræ Tramunti, qui ordinandus est.* Prædictus Thomas credens ipsum esse accessit, & fuit ordinatus: venit postea ille, qui nondum advenerat, advertit ergo Episcopus non esse illum, quem ipse designaverat, dubitabatur, an talis Thomas esset ordinatus, ex eo quod defecisse videtur intentionem ministri essentialiter requisitam in quolibet ordine.

Respondi ego esse validè ordinatum, & licitè si verè nullam commiserit fraudem ordinatus ipse, quam si commisisset, peccavit quidem, sed ordinem recepit, ut in casu nostro supponitur probo ego eleganti doctrina *Henriq. lib. 1. de Sacram. in genere cap. 10. nu. 6.* qui si dixit (Baptizans puerum, quem falsò putat puellam esse, conficit Sacramentum, quia materialiter, & speculativè errat, nam practicè intentio applicatur huic, quem determinate habet præsentem, nisi fortè expressis verbis dixisset, nolo baptizare, nisi puellam, aut Regis filiam. Sic si Episcopus ad eos, qui veniunt, ut ordinentur, dicat in generali, Nolo ordinare eos, qui accedunt scienter excommunicati, & irregulares, intelligitur, si nosset, & tamen dum in particulari de facto ordinat illum, quem ignorat ligatum, applicat suam intentionem simpliciter in particulari, & recedit à conditione generali, atque ità verè ordinat) Hæc *Henriquez*, quem miror quo modo non viderit *Joannes de Lugo, disp. 8. de Sacramentis in genere, sect. 7. in fine.* Addit *Henriquez* id non habere locum in matrimonio, quia contractus onéribus plenus est, & deest in recipiente circa substantiam contractus. Hinc benè dixi *P. Vasquez disp. 138. cap. 7. num. 91.* quem latissimè explicat *Card. Lugo disp. 8. sect. 7. num. 112.* circumstantiam personæ non esse substantialem in Baptismo, & aliis Sacramentis præter matrimonium, nam ad essentiam Sacramenti solùm requiritur, ut conferatur homini, vel si sint alia à Baptismo, quod conferatur homini baptizato: in matrimonio verò error circa personam est substantialis, quia ut idem *Vasquez* diserat *par. 2. disp. 30. cap. 4.* in matrimonio ipsæ personæ contrahentium sunt materia circa quam versatur contractus. Neque dicas, quod hic talia incidit in ædictum Episcopi, qui quando fecit ordinationem generalem (supponendo, quod hic talis sit ordinatus in ordinatione generali simul cum aliis, quod nescio) solet Secretarius, vel alius suo nomine dicere, quod non intendit Dominus Episcopus ordinare excommunicatos, irregulares, & similes, nec etiam non admissos ad examen.

Respondeo enim primo quod Episcopi ædicta solent facere hoc modo videlicet. *Prohibemus sub excommunicatione latæ sententiæ, nè quis audeat se ingerere, qui non fuerit approbatus,* quo casu etiam remanet ordinatus, ut benè *Diaz in praxi criminali canonica cap. 25. num. 2.* ubi *Salzedus littera B.*

Respondeo, secundo quod etiam si Episcopus dixisset. *Non intendimus ordinare non examinatos, & approbatos,* adhuc nihilominus erit quis ordinatus, ut benè *Joannes Præpositus in 3. par. S. Thomæ q. unica de Sacram. ordinis dub. 17 num 171.* Neque dicas in casu nostro non solum militare ædictum illud generale, sed in specie circa eandem personam non habuisse Episcopum intentionem, quia noluit admittere ad examen. Respondeo, non quod talis intentio ... fuit explicata non ordinandi, sed solum ... ad examen admittere, & poterat esse, quod de facto admisisset si scivisset, tùm quia etiam si habuisset intentionem ordinandi ipsum, erat illa intentio speculativa quædam intentio. Sed si practicè fuit intentio eum ordinandi, quia ignorabat esse illum, semper enim, quod Episcopus non habuit ordinationis tempore cognitionem facti contrarij, semper enim, quod Episcopus non habuit ordinationis tempore cognitionem facti contrarij, semper censetur habuisse practicè intentionem ordinandi eum, ut benè *Joannes Præpositus ubi supra, & Henriquez lib. 1. cap. 10. num 6.* omninò videndi, & sic oretenus à me consultus respondit *Alexander Russus*, nunc digniss. Episcopus Arianen.

Sciendum est tertio, quod dicitur aliquis ordinatus furtivè quando sine examine, & superioris licentia accedit ad ordines, & cum multitudine ordinandorum ignorante ordinatore se ponit, *Campanilis Rubrica 3. num. 6.* Posset tamen Episcopus sibi cognitum, & idoneum sine alio examine ordinare. Quando verò examinatores præmoverent ordinandos de punctis, peccant mortaliter, quia fraudulenter exercent officium sibi commissum: nisi tamen ordinandi sint evidenter idonei, & ob timorem, vel naturalem verecundiam aspectu examinatorum turbarentur, quia tunc non peccant mortaliter, ità *Laurentius de Peyrinis in tract. de privil minim. tom. 3. cap. 2. in constit. Sixti 4. num 25.* Quæ omnio admittitur à *Diana tractat. 14. par. 5. resol. 80* in examine v. g. Episcoporum coram Pontifice, vel in examine Confessariorum coram Episcopo, in examine Scholasticorum suæ Religionis coram Præposito, & aliis Patribus, sed non in examine, quod fieret ad aliquod beneficium per concursum, quia tali casu examinandus præmonitus super puncta responderet melius, quàm alij, ergo illa, præmonitio urgeret in damnum tertij, atque adeò esset peccaminosa.

Sciendum est quarto, quod etiam in beneficiis est faciendum examen, & in curatis fit per concursum, *Trid. sess. 24. cap. 18. de reform.* nisi sit cursata Jurispatronatus laicalis, in qua conferenda non requiritur concursus, secus si sit Jurispatronatus ecclesiasticorum, ut pluries decisum refert *Massobrius in praxi habendi concursum requisito 2. dub. 1.* in quo concursu de forma requiritur ædictum ut compareant, &c. *Roccius in praxi resol. 364. Barb. alleg. 60. nu. 43.*

quicquid dicat *Garsia par. 9. cap. 2. nu. 38. & Massobrius requisito 2. dub. 3.* qui dicunt ædictum non esse de essentia concursus: Quod ædictum debet præponi infra decem dies, vel alias ad summum infra 20. dierum spatium & sufficit si tale ædictum affigatur, licet non legatur, contra *Zerolam in praxi par. 1. dub. 1. §. 2. in verb. Parochia*, qui dicit debere legi, & postea affigi: tu dicas cum *Garsia d. par. 9. cap. 2. num. 42.* sufficere si affigatur: tempus verò, quo debet esse affixum est arbitrio Judicis remissum, *Garsia loca citato, Massobrius dub. 7.* & in ædicto debet apponi dies, quo proponitur, alias examen, & concursus non tenet, *Seraphinus dec. 1148.* & quando proponitur prius debent esse constituti examinatores, *Massobrius dub. 11.* casu verò, quo nullus compareat intra terminum, iterum proponatur ædictum, & si nullus compareat, detur ab Episcopo sine concursu: si verò compareat quis elapso termino assignato, licet re integra, & electione non facta, tunc admittitur, licet pars reclamet, *Massobrius requisito 3. Barb. alleg. 60. num 46. Riccius resol. 360. par. 1.* & potest fieri examen coram Vicario, licet Episcopus non sit impeditus, *Barb. & Garsia locis citatis*, & licet in *d. Trid. ubi supra*, dicatur examen coram Episcopo fieri debere, eoque impedito coram Vicario, tamen fuerunt apposita dicta verba ad demonstrandum convenire, ut examen ab ipso Episcopo cessante impedimento fiat, & debet Episcopus de forma ipse cum tribus Synodalibus examinatoribus examinare, *d. Concil. Trid. sess. 24. cap 18. Massobrius d. requisito 3. dub. 4.* si admittat alios non Synodales Examinatores ultra Synodales dixit *Rota Rom.* apud *Garsiam par. 9. cap 2. num.* 232 non vitiari concursum, argum. *l testamentum, C. de testamentis*, quia super abundans cautela non nocet. *Sacra* tamen Congregatio apud eundem *Garsiam d cap. 2. num. 339.* & idem *Rota* deciderunt vitiari concursum, & collationem ad Papam devolutam tradiderunt in casu prædicto, de quibus *Garsia num. 341.*

Tenentur verò examinatores referre, & dicere, qui sint idonei non solum quoad litteraturam, sed etiam quoad mores, & ætatem, relicto tamen judicio eligendi magis idoneum ipsi Episcopo, *Garsia par. 6. cap. 2, num. 236. & par. 9. cap. 2. nu. 105.* tenentur verò vota dare examinatores, dùm simul sunt cum Episcopo, non verò separatim, seu privatim post examen peractum, *Garsia par. 9. cap. 2, num. 58.* quod si sint vota paria, vel singularia, tunc Episcopus accedit cum suo voto, qui accessus fieri debet in ipso examine coram ipsis examinatoribus simul congregatis, & non separatim *Raguccius de voce canon. in cap. q 12. num. 1.* Non tamen habet Episcopus, vel Vicarius votum decisivum in concursu, sed tantum accessivum, ubi vota sunt paria, vel singularia, ut decisum per Sacram Congregationem refert *Massobrius requisito 5. dub. 5.* & in concursu non solum habetur ratio idoneitatis quoad scientiam, sed etiam quoad ætates, mores, & prudentiam, *Massobrius requisito 5. dub. 2.* Possunt tamen recusari examinatores, & si recusatio non admittitur, potest appellari, *Gonzalez in regula 8. glossa 9. §. 1. num. 186. Massobrius prælud. 5. dub. 3. 4. & sequentibus, Thesaurus in praxi ecclesiastica, in verb. ordo, cap 7.*

Hoc examen debet præcedere collationem, ut decisum per *Rotam* refert *Garsia par. 6. cap. 2. num. 266. Massobrius prælud. 5. dub. 15.* Quod si à Papa committatur conscientiæ alicujus Episcopi, ut examinet aliquem, poterit Episcopus delegare examen prædictum, *Garsia d. par. 6. cap. 2. nu. 97. usque ad 105. Massobrius ubi supra dub. 17.* Qui vero Electus, & provisus esset tanquam approbatus per concursum si conti... appellent, pendente appellatione facit fructus tu... ... non revocetur, *Garsia par. 9. cap. 2. n. 258* ... verò sententiæ revocatoriæ tenetur eos restituere, quia usque ad illud tempus justè possidet, & cum justo, ac legitimo titulo Quod limita, quando omninò esset omissa Concilij in tali provisione, quia tunc tenetur fructus restituere, quos percepisset à die motæ litis, *Rota dec. 4. de restit spoliat in noviss. Massobrius requisito 5. dub. 18* electio magis digni fieri potest ab Episcopo extrà locum examinis, & præsentiam examinatorum, *Garsia par. 9. cap. 2. num. 59.* Sed approbatio, vel reprobatio fieri non potest, nisi simul congregatis examinatoribus, cum Episcopo, vel ejus Vicario, *Massobrius requisito 5. dub. 2.*

Examinatores debent esse Synodales, *Trid. d. sess. 24. cap. 18.* & durant, quousque alij non eligantur, *Garsia par. 9. cap. 2. num. 73.* & debent esse Magistri in Theologia, vel Doctores in jure Canonico, vel alias erunt eligendi Clerici magis idonei, & existentibus Doctoribus non possunt eligi alij, non DD. ut declaravit Sacra Congregatio apud *Massobrium requisito 11. dub. 2.* & potest Episcopus plures, quam tres adhibere examinatores, sed non pauciores, *Garsia par. 5. cap. 9. num. 52.* Quod si interim moriantur aliqui examinatores, tota facultas devolvitur examinandi ad alios superstites unà cum Episcopo, etiam si unus tantum superesset, & *Riccius par. 3. dec. 480.* affert decisum posse Episcopos novos creare examinatores in locum demortuorum absque celebratione Synodi, sequitur *Massobrius requisito 34. dub. 2.*

Tenentur etiam examinatores jurare se fideliter munus exequuturos, quacunque humana affectione postposita, nec refert an tale juramentum præstetur in Synodo, an extrà, *Garsia par. 9 cap 2. num. 356. & num. 213.* & si non præstetur tactis evangeliis, ut describit *Trident.* non valet concursus, *Massobrius requisito 14. dub 1. 2. & 3.* & potest Episcopus aliquid dare de suo examinatoribus, sed non potest statuere in Synodo, ut aliquid detur, *Garsia par. 9. cap. 2. num. 374. Massobrius requisito 15. dub. 1.* non tamen potest Episcopus, vel ejus Vicarius aliquid accipere pro assistentia in examine, quia Episcopus habetur etiam pro examinatore, *Garsia par. 9. cap. 2. num. 380. Massobrius dub. 2.*

In §. per saltum verò.

Conclusio hujus textus est, quod suscipiens ordines per saltum afficitur suspensione, *cap. unico de Clerico per. saltum promoto*, ubi dicitur subdiaconum, qui per saltum promotus fuerat ad sacerdotium, non posse Diaconatum anteà prætermissum suscipere absque dispensatione, ergo signum est ipsum contraxisse suspensionem, qua prohibetur ordinem prætermissum capere absque dispensatione, quam dispensationem Episcopus concedet hodie ex legitima causa, ut scilicet ministrent in ordine malè suscepto, & ad superiores ascendant, quando non ministraverint in tali ordine suscepto, *Trid. sess. 23. de reform. cap. 14. in fine*, sive scienter, sive ignoranter fuerint promoti, quia *Tridentinum* non distinguit de ordinato scienter, & ex ignorantia, sed simpliciter loquitur; secus verò si in ministraverit in ordine, quem per saltum suscepit, *Barb. alleg. 47. & in cap. unico de Clerico per saltum promoto*; casu verò, quod talis ordinatus per saltum ministraverit in tali ordine, & crimen si occultum, poterit Episcopus

cum

cum eo dispensare, ut prætermissum ordinem suscipiat, ministrer in malè suscepto, & ad superiores ascendat, vigore *Concilii Tridentini sess. 24. de reform. cap. 6. Bonacina de censuris disp. 7. q. 3. pun. 6. num. 10. Barb. alleg. 39. num. 43. & in d. cap. unico num. 50. Diana par 5. tract. 10. resol. 27.* Dicitur verò per saltum ordinatua quis quando non gradatim recipit, puta si capiat Diaconatum prætermisso aliquo ordine inferiori, vel sacerdotium prætermisso Diaconatu, aut subdiaconatu, semper tamen nota, quod eos recipiens per saltum validè recipit: secus dicas de eo, qui recipit ordinem non recepto baptismo, quia bic neque validè recipit, neque licitè, quia deficit Sacramentorum janua, scilicet Baptismus. Episcopus tamen ordinatus per saltum in Episcopatu non incurrit pænam suspensionis, *Suarez de censuris disp. 31. sect. 1. nums. 53. Filiuccius tom. 1. tract. 17. cap. 5. quæst. 8. num. 92.* contrà *gloss. in d. cap. unico de Clerico, &c.* ratio est, tùm quia Episcopatus non est ordo, tùm quia censura suspensionis, vel irregularitatis non comprehendit Episcopos, *cap. quam periculosum de senten. excommun.* ergo in suspensione lata contra ordinatos per saltum non comprehenditur Episcopus: Verum nota, quod non tenet ordinatio in Episcopum omisso sacerdotio, quia character episcopalis necessario supponit characterem sacerdotij, est enim unus, & idem character, qui per consecrationem episcopalem extenditur ad peculiares functiones Episcopi proprias; quod si supponamua consecrationem episcopalem fieri suscepto sacerdotio, aliis tamen ordinibus omissis, valida esset consecratio; undè Episcopus sic consecratus validè posset ordines conferre, *glossa ultima in d. cap. unico*, ubi *Barb in collect.*

Explicatur conclusio primo, ut ordinatus per saltum sit suspensus ipso jure ab ordinis sic suscepti administratione, *Abbas*, & alij *in d. cap. unico, Toletus lib. 1 cap. 50 num. 17.* & probant ex *cap. sollicitudo 52. dist. & ex cap unico citato, & ex Trid. 23. cap. 14.* Alij putant esse suspendendum tantum, non suspensum ab ordine malè sumpto, quia nullo jure colligitur supensio ipso jure, sequitur *Diana par. 5. tract. 10. resol. 27.* Explicatur secundo, ut recipiens ordines sacros non præmissis minoribus suspensionem non incurrat, quia *textus in d cap. sollicitudo, & in d. cap. unico* loquuntur de ordinatis in sacris omisso ordine sacro, ergo secus in minoribus, cum ibi de eis non loquatur, ut benè *Portellius par. 3. responsorum moralium casu 41 q. 2. Diana par. 5. tract. 10. resol. 47.* Tertio explicatur conclusio, ut ordinatus per saltum non sit suspensus ab ordine, quem legitimo modo susceperat, *Riccius in praxi rerum fori eccles. resol. 318. in 1. æditione*, aliàs *resol. 276. in 2. æditione, & par. 4. dec. 150 Banacina*, & alij apud *Dianam resol. 28. loco citato*, qui etiam notat, prohiberi Episcopo nè dispenset cum ordinato per saltum, ut ascendat ad superiores, sed non prohiberi eidem dispensare cum ministrante publicè, & scienter ante dispensationem in malè suscepto ordine, ut prætermissum suscipiat, & in malè suscepto ministret.

Explicantur aliæ suspensiones.

PRimo incurrit pænam suspensionis ille, qui simoniace ordines suscepit, ut in eatravaganti *Pauli 2. de simonia, & ex Bulla Sixti V. contra malè promotos*, & licet Bulla prædicta per Clementem 8. fuerit reformata, ramen in robore permansit quoad suspensionem, quod tamen limito quando vitium simoniæ committatur à tertia persona ignorante ipso ordinando, ut si tertius tradit Episcopo pecuniam ordinando inscio, tunc enim pænam non incurritur suspensionis, quia non adest culpa, sicut neque incurrit suspensionem accipiens ordines simoniacè bona fide, etiam si post ordinem ratificet simoniam ab altero commissam, nam suspensio est imposita ob simoniam commissam in receptione ordinis; sed hic in receptione ordinis non commisit simoniam ergo. Secus dicas si antequam ordinea suscipiat advertat simoniam ab altero commissam, tunc enim tenetur abstinere, *Bonacina de censuris disp. 3. pun. 5. §. 1. num 9. Diana par. 5. tractat. 10. resol 56.* Hæc autem suspensio impedit ab ordine suscepto, & ab aliis suscipiendis: sed alij putant probabilius remanere suspentum solom ab executione ordinum simoniacè susceptorum, ut in eo puniantur, in quo peccaverunt *Suarez de censuris disp. 31. sect. 4. num. 33. Filiuccius de simonia cap. 13. num. 12. Bonacina loco citato*; non tamen suspendit talia suspensio ab executione, & susceptione beneficij, & officij: & nota, quod licet simoniacus in ordine suspensionem incurrat, eam tamen non incurrit simoniacus in beneficio. *Bonacina de suspensionibus in particulari tom 3 disp. 3. q. 1. par. 5. num. 12. Barb in collect 4. tomo in d. extravag. 2. de simonia*: tenetur tamen simoniacus in ordine, vel beneficio fructus restituere, quos percepit, & non perceptos etiam, qui tamen percipi potuerunt, ut ex *d extravag 2. in fine*, ubi *Barb. num. 18.* Prædictæ suspensionis absolutio, attenta Bulla Sixti V. à Papa petenda est, nisi simoniacus sit occultus, quia talis poterit ab Episcopo dispensari, *Barb alleg 39. num 44. Bonacina disp. 5 num. 11.* & idem *Barb in d. extravaganti num 16.* Neque prædictam suspensionem incurrit mediator simoniæ, qui tamen mediatores sunt excommunicati Papæ reservata excommunicatione, & sic mediatores non sunt suspensi, sed excommunicati, principales verò non solum sunt suspensi, sed excommunicati, *Bonacina d. par. 5. num. 6 & Barb. in d. extravag. num. 13.*

Secundo, ut excommunicatus ob percussionem Clerici non possit ordinari, alias si contrarium fecerit est deponendus in perpetuum ab ordinibus si sit Clericus sæcularis, si verò sit regularis ab executione ordinis est suspensus, quando scienter fecit se ordinari: sed si ignorans excommunicationem prædictam talem effectum causare, ordines susceperit, nullam talem pænam incurrit, quamvis ignorantia esset crassa, vel supina; ità colligunt ex *cap. cum illorum 32. de senten. excommun.* communiter DD præsertim *Diana par. 5. tract. 10. resol. 58. & Bonacina de suspensionibus omnibus in particul. d. 3. q. 1. pun. 6.* Qui tamen extendit prædictum *textum* ad omnem aliam excommunicationem, sed reprobat *Diana*, cum non sit in hac materia facienda extensio, in hoc tamen audio *Bonacinam*, quatenus asserit procedere dictum *textum* non solum in suscipiente sacros, sed etiam minores ordines; quia Summus Pontifex universaliter loquitur: licet *Navarrus*, & alij apud eum putent oppositum. Privatur tamen quis per talem suspensionem exercitio ordinis suscepti in excommunicatione tantum, cujus suspensionis dispensatio, à Papa petenda est respectu Clerici sæcularis, nisi delictum sit occultum: respectu verò regularis, qui id ignoranter fecit affectata ignorantia, Superior regularis dispensat, *Suarez, Valerius, Rogmaldus, Coninch. Bonacina, Campanilis, Salzedus*, & alij apud *Barb. in collect. tom. 3. in d. cap. cum illorum*, qui *num. 7.* notat professionem factam per excommunicatum valere, quia est professio contractus inter Religionem, & profitentem, *Ricciullus lib. 4. cap. 41. per totum*, & potest

talis

talis excommunicatus receptus à superiore regulari absolvit, *Barthol. de Vecchiis*, *Avila*, *Suarez*, & alij apud *Bartholomæum de S. Fausto lib.* 5. *in Thesauro Religios. q.* 220. etiam si fiat professio vigore rescripti, *Barbos. loco citato.*

Tertio, vir conjugatus suscipiens ordinem sacrum tàm ante, quàm post consummatum matrimonium efficitur irregularis, ità ut non possit, neque etiam soluto matrimonio ministrare in ordine suscepto, vel ad superiorem ordinem ascendere, nec potest ad officium aliquod, vel beneficium promoveri, extravag. quæ incipit *Antiqua Joannis* 22. *de voto*, *Bonacina de suspension. in partic. disp.* 3. *q.* 1. *p.* 7. *Sanchez lib.* 7. *de matrim. disp.* 49. *& glossa in d. extravag. in verbo nec matrimonio*, ait procedere, sive solvatur matrimonium morte, sive ingressu Religionis, quia *textus* loquitur indistinctè, & eadem *glossa in verb. officium*, *juncto verbo nec ad aliquod*, ait non posse promoveri hunc ad quantumvis modicum beneficium, aut Ecclesiæ officium, etiam minoribus ordinibus deputatum propter generalitatem, qua utitur *textus in præsenti*, quare talis promotus ad ordinem sacrum efficitur irregularis, *Majolus lib.* 1. *de irregularitate cap.* 4. *Bonacina de matrim. q.* 3. *p.* 9. *in fine num.* 20. & licet *textus* hortetur hunc talem virum, qui absque licentia uxoris matrimonio non consummato ordines sacros suscepit, ut Religionem ingrediatur, non tamen ad id tenetur, ut benè *glossa in d. extravaganti antiqua de voto*, *in verbo præcipimus*: ita *Sanchez lib.* 7. *disp.* 38. *Ledesma de matrim. q.* 53. *art.* 4. *dub.* 2. *Barb. in collect.* 4. *tom. in d. extravag. Antiqua.* Quod si vir conjugatus de licentia uxoris suæ ordines suscepit, & mulier remanet in sæculo, sive senex, sive juvenis sit, satis est si voveat castitatem, *glossa in d. extravaganti Antiqua. in verb. noverit convenire*, *& in cap. Episcopus* 77. *distin. in verbo sequestrato*, *& in cap. quia sunt* 28. *dist. in verbo nec Religiosam*, *& in cap.* 2. *de Clericis conjugatis*, *in verb. castitatem*, *Barb. ubi supra num.* 10. Alij tamen communiter sic distinguunt, aut uxor est senex, aut juvenis. Primo casu cum non adsit suspicio incontinentiæ, sufficit votum castitatis. Secundo casu, quando scilicet est juvenis, requiritur ingressus Religionis, *Sanchez lib.* 7. *disput.* 39. *num.* 6.

Qui verò ex ignorantia quamvis crassa durante matrimonio ordines contraxit non suspenditur, & soluto matrimonio, potest in ordinibus ministrare: si nullum aliud intercedat impedimentum, & multo magis si bona fide processerit. Undè *Pater Diana par.* 5. *tractat.* 10. *resol.* 59. consuluit cuidam sine aliqua dispensatione potuisse celebrare post mortem uxoris, quia bona fide ordinem susceperat credens conjugem esse mortuam. Græci verò prædictam suspensionem non incurrunt. Suscipiendo sacros ordines post matrimonium factum, argum. *cap. aliter* 31. *dist. cap. Nicana Synodus eadem* 31. *dist. cap. ut Clericorum*, *de vita*, *& honest. Cleric.* & nota in hoc, quod si Græcus conjugatus se conferret in nostras Regiones, non esset promovendus ad ordines, tùm ad vitandum scandalum, tùm ne ritus confundantur; immò esset incapax beneficij apud nos, *Bonacina ubi sup. par.* 7. *num.* 6.

Prædicta suspensio suspendit ab executione ordinis suscepti, à susceptione superiorum ordinum, à beneficio, & ab officio, ut in d. *extravag. Antiqua*; ab executione verò ordinum susceptorum ante matrimonium non suspendit. Ideò subdiaconus, qui ante matrimonium subdiaconatum suscepit, potest mortua uxore, in subdiaconatu ministrare, quia non est suspensus ab ordine ante matrimonium contracto.

Quæ quidem suspensio eousque durat, quousque per Papam non tollatur, cui est reservata, nisi tamen delictum sit occultum, quia tunc eam potest Episcopus dispensare, ex notatis per *Trid. sess.* 24. *cap.* 6.

Quarto incurrit in pænam suspensionis, ille qui ordinatur ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui, loquendo de suscipiente sacros ordines, *cap.* 1. *de ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui*; quando tamen recepit quis ordines sacros ab Episcopo, qui renunciavit quoad dignitatem, non verò si renunciavit solum quoad locum in favorem alicujus: ea verò collatio ordinis, quæ fit ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui quoad dignitatem, valida est, quia characterem retinet: quod si dubitemus an Episcopus renunciaverit quoad locum, an verò quoad dignitatem præsumendum est quoad locum, *Abbas in d. cap.* 1. Absolutio autem hujus suspensionis dari potest ab Episcopo, si facta fuerit ordinatio ignoranter, & licet in eo *textu* dicatur Pontifex potest dispensare, tamen id intelligitur de Episcopo, ut clarè constat: si verò ordinatio fuit facta scienter, tunc solus Summus Pontifex, dispensat, nisi res sit occulta, *Barb.* post alios *in d. textu in collect.* 1. *tomo.*

Quinto, ordinatus ab Episcopo suspenso, excommunicato vitando interdicto, vel schismatico suspensionem incurrit ab ordinum executione, quos suscepit ab illo, *cap.* 1. *cum pluribus aliis q.* 1. quia talis Episcopus est privatus usu, & executione sui ordinis, ergo qui ab eo recipit ordines non recipit illorum executionem, qui nemo dat, quod non habet, *cap. Deibertum* 1. *q.* 7. *cap. quod autem de Jurepatron.* legas *textum in cap.* 2. *de eo, qui recepit ordines ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui*, & legas *textum in cap.* 1. *&* 2. *de ordinato ab Episcopo Schismatico*, *&c.* Intellige quando talis Episcopus est vitandus, ut in extravag. ad evitanda, *Navarrus cons.* 10. *de Hæreticis*, *Ricciullus lib.* 9. *de jure personarum cap.* 3. *Barb. in collect. tom.* 3. *d. cap.* 1 *&* 2. *de Schismaticis*, *& ordinatis ab eis.* Intellige etiam id procedere quandò Episcopus erat suspensus à collatione ordinum, nam si Episcopus non est suspensus à collatione ordinum recipiens ordines ab eo non fit suspensus, quia de eo non loquitur *textus.*

Est tamē quæstio, an incidat in pænam suspensionis ille, qui tali Episcopo excommunicato, suspenso, vel schismatico ordinatur, ignorans eum esse talem? Prima opinio negat, ità *Innocentius in cap.* 1. *n.* 4. *de schismaticis*, *Abbas in cap. veritatis num.* 46. *de dolo*, *& contumacia*, *Coninchus de Sacramentis disp.* 15. *num.* 35. Ratio est, quia talis suspensio videtur lata in pænam, sed pæna supponit culpam ergo. Secunda opinio affirmat incurrere in pænam suspensionis, ità *Covarr. in cap. Alma mater par.* 1. *de sententia excommunicationis*, *Diaz in praxi criminali canonica cap.* 28. *num.* 3. *Filiuccius tract.* 17. *num.* 80. *& tract.* 20. *cap.* 7. *Bonacina tom.* 3. *disp.* 2. *q.* 1. *pun.* 10. Ratio est, quia nemo dat, quod non habet, sed talis Episcopus est privatus usu ordinis, ergo eum dare non poterit.

Nec argumentum pro parte contraria obstat, nam talis suspensio non habet propriam rationem pænæ, respectu suscipientis, sed respectu conferentis, & ideò etiam suspensus erit recipiens à tali Episcopo ordines per vim, & metum, quia non est culpa recipientis, sed conferentis tantum.

Absolutio verò hujus suspensionis obtinenda est à Summo Pontifice, quoties quis eam contraxit sciens, vel ignorans ignorantia crassa, vel supina; Episcopum scilicet, à quo suscipiebat ordines, ignorans

norans esse talem, DD. communiter apud *Bonacinam ubi supra*; secus si non scienter, sed bona fide suscepit, *Barb. in cap. 2. de ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui*, qui *num.* 3. notat quod excommunicatus non potest excommunicare, *cap. audivimus* 24. *q.* 1. *Ricciullus de jure person. lib.* 4. *cap.* 18. Secus si esset minori excommunicatione ligatus, quia tunc potest alios absolvere & excommunicare, *Bonacina disp.* 2. *de censuris disp.* 3. *num.* 11. & notat idem *Barb.* quod excommunicatus vitandus est ille, qui non potest alios excommunicare, secùs tolleratus, & excommunicatus occultus si alium ordinet valet collatio, nec impeditur usus ordinis, *Sanchez lib.* 3. *de matrim. disp.* 22. *num.* 35.

Sexto, recipiens ordines ab alieno Episcopo sine litteris dimissoriis proprij Epicopi incurrit suspensionem ab executione ordinum, *cap.* 1. *&* 3 *juncta tota dist.* 71. *Barb. alleg.* 8. *& in collect. ad textum in cap. eos, & in cap. fin. de tempor. ordin. in* 6. quarum litterarum vera, & germana significatio diù ignota adhuc latitaret, nisi viri gravissimi, & antiquitatis studiosissimi è tenebris ad lucem reduxissent, qualea sunt *Franciscus Turrianus lib.* 3. *de epistolis Pontificum, & Card. Baronius tom.* 2. *anno Christi* 142. *num.* 6. *& tom.* 3. *anno* 345. *num.* 162. est ad materiam legendus locus *Trid. sess.* 23. *cap.* 8. & Bulla Pij 2. incipiens, *Cum ex sacrorum*; formula harum litterarum dimissorialium, ponitur *à Barb. de potestate Episcopi in formulario Episcoporum formula* 11. 12. *&* 13. *& ab Ascanio Tamburrino de jure Abbatum tom.* 1. *in fine*, agens de formulario regulari, *formula* 78. *pag.* 485. quæ formula dimissorialium est adeò necessaria, ità ut non sufficiat Episcopo promoventi se cognoscere ordinandum, & pro idoneo babere eum, si enim id faciat, remanet suspensus per annum ab ordinatione, *cap.* 2. *de tempor ordin. in* 6. *Trid. sess.* 23. *cap* 8. & est Bulla Urbani. 8. contrà malè ordinantes, & malè ordinatos, & licet *glossa in d. cap.* 2. dicat Episcopum esse suspensum à collatione omnium ordinum si non subditum ordinaverit sine dimissoriis, quam post alios sequitur *Barb. de potestate Episcopi, alleg.* 8. tamen verius est suspendi per annum à sola collatione ordinum, quem malè contulit, v. g. ab Ostiariatu, Lectoratu, &c. *Riccius in praxi* 1. *tom. resol.* 297. *Marchinus tract.* 1. *de ordine par.* 5. *cap.* 10. *num.* 3. facit *textus in cap. fin. de tempor. ordin. in* 6. & facit ratio, quia pæna ultra culpam non extenditur, sed culpa fuit solum in collatione unius, vel alterius ordinis, ergo ad omnes ordinea non est extendenda; ab hac tamen pœna excusat. Primo ratihabitio, ut infra. Secundo, bona fides, *Riccius, & Marchinus ubi sup.* quando verò quis unum ordinem ab aliquo Episcopo recepit ratione domicilij, vel originis, sive propriæ, sive paternæ, vel ratione beneficij, vel triennalis familiaritatis, tunc non possex subjectionem, & dependentiam ab illo Episcopo, cum illius præjudicio in alterum Episcopum transferre, & consequenter non posset alios ordines recipere ab alio Episcopo, sub prætextu beneficij, vel domicili, vel alio titulo, nisi Episcopus, qui illi priorem ordinem dedit, in id consentiret *Archidiaconus in cap. nè captandæ de concess. præbend. Achilles de Grassis, dec.* 13. *in titulo de pensionibus, Quarauta in verbo ordo. Riccius in praxi de Sacram. ordinis dec.* 306. *Molfesius in summa tract.* 2. *cap.* 2. *num.* 10.

Quod si Episcopus conferat primam tonsuram non sibi subdito sine litteris dimissoriis est quæstio, an pænam incurrat suspensionis? Negat *Zerola in praxi par.* 1. *in verb. Dimissoria, Toletus in summa lib.* 1. *cap.* 49. *num.* 10. *Azorius par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 48. *q.* 5. *Molfesius in summa tract.* 2. *cap.* 2. *num.* 15. quia talis suspensio est lata contra ordinantem non suum, sed prima tonsura, non est ordo ergo.

Alij verò, & probabilius putant incurrere in prædictam suspensionem, tùm quia ità dicitur in *d. cap. fin. de tempor. ordin. in* 6. tùm quia *Concilium Trid.* est interpretandum secundum usum, & loquendi modum sacrorum Canonum, sed apud sacros Canones prima tonsura nuncupatur ordo, *cap. cum contingat de ætate, & qualitate ergo*, ità tenent *Rebuffus de litteris dimissoriis num.* 50. *Lessius lib.* 2. *cap.* 44. *dub.* 19. *num.* 91. *Martinus Fornarius cap.* 5. *de ordine num.* 3. *Bonacina disp.* 8. *q.* 4. *p.* 4. *num* 26. *Marchinus par.* 5. *cap.* 10. *num.* 8. Potest tamen Episcopus suis subditis extrà propriam Diœcesim, & absque licentia Diœcesani in privato aliquo Oratorio, vel cubiculo primam tonsuram conferre, quia licet Episcopus in tali loco non possit pontificalia exercere, *Trid. sess.* 6. *cap.* 5. tamen in tonsura non intervenit pontificalium exercitium, quia non est actus ordinis: sicut potest Parochus extra suam parochiam suis subditis præbere Sacramenta, & ità docent *Henriquez lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 6 *Bonacina de Sacrament.* 8. *q. unica p.* 4. *num.* 28. *Riccius in addit. ad institutiones Lancellotti lib.* 1. *tit.* 25. *§. pari ratione, Antonius Diana par.* 4. *tract. resol.* 143. contrarium putat *Campanilis, Barb. Sanchez*, & alij apud eundem *Dianam par.* 2. *tract* 4 *de ordine resol.* 194. *in fine*, primam opinionem sequitur *Marchinus par.* 5. *de ordine cap.* 10. *num.* 9.

Quando autem Episcopus est invitatus ad faciendam ordinationem generalem in aliqua Diœcesi, potest non solum ordinare subditos illius Episcopi, ubi facit ordinationem, sed alios quoscunque ad se venientes cum litteris dimissoriis: ità est usu receptum, ut testantur *Toletus, Navarrus Fornarius* aliique communiter apud *Dianam par.* 4 *tract.* 4. *resol.* 141 & declarasse Sacram Congregationem refert *Marchinus par* 5 *de ordine cap.* 10. *in fin.* quicquid dicat *Miranda in manuali Prælator. tom.* 1. *q.* 38. *ar.* 3. *Barb. par* 2. *alleg.* 4. *num.* 64.

Illi verò, qui ordinati fuerint scientes ab alienis Episcopis sine propriorum Episcoporum dimissoriis sunt suspensi ab usu ordinum ad beneplacitum propriorum Prælatorum, vel Summi Pontificis, *cap. Lugdunensis* 9 *q* 2. *cap. eos, qui de tempor. ordin. in* 6. *Trid sess* 6. *cap.* 5. *& sess.* 14. *cap.* 2. *& sess.* 23. *cap.* 8. *de reform.* quæ suspensio olim erat ferenda à proprio Episcopo, *cap quoad translationem de tempor. ordin.* secundum *glossam in d cap. eos, qui* postea fuit lata ipso jure, post quam si ordinatus exerceat actum ordinis fit irregularis, ut in Bulla Pij 2. incipiente, *Cum ex sacrorum*, & ex *Trid. sess.* 6. *cap.* 5. *& sess.* 17. *cap.* 2. *& sess.* 23. *cap.* 8. *de reform. Barb. alleg.* 8. *num.* 101. quæ suspensio fuit reservata Pontifici à Sixto V. in Bulla, quæ incipit *Sanctum, & salutare.* Sed per Clementem 8. in Bulla, quæ incipit *Romanum Pontificem decet*, fuit redacta ad jus Triden. & Pij V. undè hodie licitum erit Episcopo ab hac suspensione absolvere, si delictum sit occultum, ex concessione ejusdem *Trid. sess.* 24. *cap.* 6. *Marchinus par.* 5. *cap.* 11. *num.* 5. ab hac tamen pœna suspensionis excusat ignorantia, dummodò non sit affectata, *Toletus lib.* 1. *cap.* 48. *Navarrus in manuali cap.* 27. *num.* 154. *Marchinus par.* 5. *cap.* 11. *n.* 6. Initia verò minoribus ordinibus ab alieno Episcopo non incurrunt pænam suspensionis ex Bulla Pij 5. & *Trident. locis citatis*; licet secus ex Bulla Sixti V. quæ tamen fuit à Clemente 8. redacta ad Bullam Pij 5. & Tridentini. Ideò non incurreretur ab illis suspensio, nisi hodie esset Bulla Sanctiss.

D.Ur-

D. Urbani 8. de qua *Marchinus par.* 5. *in fine in §. Italos verò*, ubi taliter ordinati etiam in minoribus non gaudent fori privilegio, sed posita declaratione Judicis ecclesiastici, traduntur jurisdictione laicali, etiam si sint in sacris.

Quod si quis sine litteris dimissoriis ab alieno Episcopo minores ordines recipit, vel primam tonsuram, non est capax beneficij obtinendi, quia suspensus ab usu ordinis non est capax beneficij, sicut neque irregularis, *cap. cum dilectus, vers. quia nobis de consuetud.* ubi *glossa in verb. Cessavimus, cap. bonæ de ætate, & qualitate*, ubi *glossa in verb suspensi*, sed ordinatus à non suo est suspensus ipso jure ab usu ordinis, *Trid. sess. 6. de refor. c.* 5. *& sess.* 14. *c.* 2. *& sess.* 23. *c* 8. at si ordinatus sit in minoribus amittit privilegium clericale, præsertim in criminalibus, *sess.* 7. *c.* 10 *in fine*: ergo suspensus prædictus est beneficij incapax, & sic pluries decisum in *Rota*, refert *Garsia par.* 3. *de benefic. c.* 14. licet *Suarez de censuris disput.* 26. *sect.* 3. putet oppositum.

Est etiam difficultas, an liceat Episcopo ordinare non suum subditum sub spe ratihabitionis?

Respondeo ante factum me non approbare hoc, quia jura Episcopalia non sunt perturbanda, ità *Salzedus* in *praxi c.* 26. *Rebuffus de literis dimissoriis num.* 11. *Bonacina*, *Barb.* aliique communiter apud *Marchinum par.* 5. *c. ult. num.* 11. Sed post factum ratione bonæ fidei excusarem, tàm ordinatum, quàm ordinantem, in foro conscientiæ, *cap. ult.* 9 *q.* 2. ubi approbatur factum S. Epiphanij, qui sub spe ratihabitionis subditos S. Chrysostomi ordinavit: tùm quia ad prædictam suspensionem incorrendam, requiritur præsumptio, quam excusat bona fides saltem in foro interno; ità *Fornarius de ordine c.* 5. *num.* 4. *Diana tract.* 4. *par.* 3. *resol.* 191.

Sunt verò multa notanda circa prædictas litteras dimissorias.

Primo quod olim continebatur in eis causa, propter quam Episcopus proprios suos subditos non poterat ordinare, *cap.* 1. *de tempor. ordin. in* 6. quam consuetodinem Doctores Episcopi etiam nunc servant, non tamen id est necessarium, quod si detur facultas ordinandi à quocumque Episcopo, tunc in litteris debet exprimi causa, ob quam is, à proprio Episcopo ordinari non possit, *Trid. sess* 7. *c.* 11. quando litteræ sunt directæ ad unum Episcopum non poterit ordinandus ab alio ordinari, debent etiam signari sigillo proprij Prælati aliàs non habent vigorem, *S. Augustinus in epistola* 217. *in ordine ad Victorinum*; & sigillum declarat voluntatem, *cap. post cessationem de probat.* opponenti sigillum esse adulteratum, vel sublatum incumbit onus probandi, *cap.* 3. *loco de probat. Jacobus de Graffiis cons.* 1. *de tempor. ordin.* & advertere debent examinatores delegati ab Episcopo, num in litteris prædictis feratur testimonium, de natalibus, ætate, moribus, & aliis requisitis, nec non de prævio examine proprij Prælati, *Trid. sess.* 23. *c.* 3. *de reform.* nec debent Episcopi dimissorias concedere, onerando conscientiam Episcopi, cui committit ordinationem, nam ipse est in culpa, si indigno concesserit dimissorias: examinatus à proprio Episcopo ante dimissorias concessas, poterit iterum examinari ab Episcopo ordinaturo, qui non tenetur stare prædictis dimissoriis quoad sufficientiam doctrinæ, ità *Barb. de potest. Episcopi alleg.* 7. *num.* 22. *Bonacina disp.* 8. *de Sacramentis q. unica c.* 4. *nu.* 33. *Marchinus par.* 6. *c.* 2. *num.* 14. Ultramontani, vel extrà Italiam oriundi, non possunt, neque ad primam tosuram ordinari, nisi litteræ dimissoriæ suorum ordinariorum, prius à Nunciis Apostolicis, deindè à Vicario Papæ in spiritualibus recognitæ fuerint propter quas dimissorias concedendas posset Notarius Episcopi absque labe simoniæ aliquid accipere, sed si habeat salarium, gratis concedet, *Trid sess.* 21. *cap.* 1.

Secundo est notandum dimissorias posse concedi à Summo Pontifice, quia est Generalis Episcopus omnium fidelium. Secundo ab Episcopo suis subditis etiam non consecrato, quia est actus jurisdictionis, quod Episcopus sit suspensus ab usu jurisdictionis, posset subditus ab Episcopo viciniore petere dimissorias, vel ab eo ordinari, *cap. eos de tempor. ordin. in* 6. *Sylvester in verb. irregularitas q.* 9. *Barb. alleg.* 7. *num.* 5. Non tamen poterit Archiepiscopus subditis suorum suffraganeorum concedere dimissorias, sicut neque potest eos ordinare, *cap. cum nullus de tempor. ordin. in* 6. Vicarius Generalis Episcopi sine speciali mandato non potest dimissorias concedere, *cap.* 3. *de tempor. ordin. in* 6. *Sbrozzius lib.* 2. *q.* 41. *de officio Vicarij*, *Narbona de appellat à Vicario ad Episcopum par.* 1. *num.* 197. *Menochius de arbitr. casu* 222. nisi sit absens in remotis, *d. cap. cum nullus de tempor. ordin. Marchinus par.* 6. *de ordine c.* 3. *à num.* 8. ubi agit de Vicario capitulari. Si in dimissoriis dicatur per Episcopum ad omnes ordines sacros, tunc valent, & omnes possent conferri, *Marchinus ubi sup num* 20. & Episcopus existens in aliena Diœcesi potest suis subditis dimissorias concedere, *Barb. alleg.* 7. *nu.* 29. *Gavantus in manuali Episcoporum*, in *verb. litteræ dimissoriæ num.* 11. *Genuensis c.* 83. *Marchinus par.* 6. *c.* 3. *in fine*

Tertio est notandum, posse regulares litteras concedere suis subditis, ut ordinentur ab Episcopo Diœcesano, in cujus scilicet territorio est Monasterium illius Monachi; sed si Diœcesanus nollet habere ordinationem, vel esse absens, potest superior facere dimissorias ad alium Episcopum, prout sibi placuerit, ut declaravit Sacra Congregatio apud *Quarantam in verb. ordo propè finem*, *Diana part.* 1. *tract.* 16 *miscell. resol.* 13. *Marchinus ubi sup c* 4. *num.* 3. undè ad ordinationem regularis sufficit si in litteris dimissoriis Prælatus Religionis, seu conventus testetur de absentia Diœcesani, vel quod nolit habere ordinationes, ut possit ab alio Episcopo ordinari: nec opus est habere ex Curia Episcopali de hac re fidem authenticam, licet in aliquibus Curiis id servetur, & licet multi regulares antiquitus haberent privilegium, ne possint ab ordinariis examinari pro ordinibus suscipiendis, tamen hodie sunt sublata talia privilegia, per Bullam Sixti V. de qua supra. Novitius si vellet tempore Novitiatus accipere minores ordines sunt concedendæ litteræ dimissoriæ per Episcopum loci, in quo manet Novitius, quia ibi contraxit domicilium: Alij putant ab Episcopo originis, quæ opinio est probabilior, licet eam non defendat *Marchinus par.* 6. *de ordine c.* 4. *num.* 15.

Quarto est notandum litteras dimissorias Prælatorum Regularium deponentes de ætate, natalibus, & similibus Religiosorum esse fide dignas. Idem quo ad ordinem ante susceptum, sunt credendæ, *Marchinus par.* 6. *c.* 50.

Quinto est notandum, quod litteræ dimissoriæ non expirant morte concedentis; sed eundem prorsus retinent valorem, post alios *Sanchez lib.* 8. *de matrim. disp.* 28. *num.* 83. *Suarez lib.* 8. *de legibus c.* 31. *Barb. alleg.* 7. *num.* 24. quia gratia semel concessa non expirat per obitum, *cap. si super gratia de offic. deleg. in* 6. *cap. si cui nulla de præben. in* 9. Sed concessio dimissoriarum est quædem gratia, & favor, ergo non expirant: sic in simili videmus, quod facultas audiendi confessiones, aut eligendi aliquem

in

1 Confessarium, aut non residendi in Diœcesi, it celebrandi in privato Oratorio, aut testandi, si t Religiosus, aut dispensandi, vel commutandi ota, non expirant morte concedentis, ut latè idem *ucbez ubi suprà*, ergo neque in casu nostro. Quod Episcopus dixerit in concessione, *Donec revocave-1, aut fecero hoc, vel illud*, si ante mortem non evocavit, aut rem illam non fecerit, gratia est erpetua, & manet etiam post mortem concedens: quandò conceditur gratia cum hac clausula, *ad beneplacitum Sedis*, quia sedes est perpetua: at dicat ad beneplacitum meum, vel nostrum; gratia non durat post mortem, quia voluntas morte erit, & ita perit gratia, DD. ubi suprà: neque apirant litteræ dimissoriæ per depositionem, degradationem vel renunciationem Episcopatus, DD. ibi suprà: immò si in vita ore tenùs concessisset Episcopus alieni clerico, ut ordinaretur ab alieno Episcopo, & ante litterarum expeditionem moriatur, unc posset talis Clericus cum testibus id probare, k à Cancellario Episcopi jure petere, ut litteras dimissoriales conficiat, quia ad substantiam gratiæ, & privilegii scriptura non requiritur, *Sanchez lib.* 8. *disp.* 29. *Suarez lib.* 8. *de legibus cap.* 31. *num.* 20. *Marchinus par.* 6. *cap.* 6. *num.* 15.

Quòd si Episcopus alteri Episcopo det facultatem faciendi ordinationem generalem suo nomine in Diœcesi sua, quia ipse est impeditus, v. g. tunc talis facultas re integra, si moriatur Episcopus concedens, expirat, *ex cap. si cui nulla de praeben. in* 6. *cap. gratum. cap. relatum de officio delegati*, quia morte delegantis extinguitur re integra jurisdictio delegati, *Hugolinus de potestate Episcopi c.* 26. §. 21. *Marchinus par.* 6. *c.* 6. *num.* 18.

TITULUS XXV.

QUI PROMOVERI POSSUNT, VEL NON.

Titulus hic ad præcedentem tali ordine continuatur. Visum est suprà de requisitis in ordinandis; Verùm quia multi sunt, qui ordinari prohibentur. Meritò ponitur hic titulus. Ad cujus intelligentiam

Suppono primo, quòd prohibitio ordinationis, & impedimenta ordinum possunt oriri ex quatuor capitibus. Primo, ratione subjectionis. Secundò, ratione delicti patrati, Tertio, ratione suspicionis futuri lapsûs. Quarto, ratione læsionis corporis. De his ergo latè agedo.

Suppono secundo, omnia permissa censeri, nisi expressè prohibeantur in jure, juxtà *gloss. notabilem in cap. inter corporalia, vers. non invenitur de translatione Prælatorum*: ideò unicuique licitum est ordines suscipere, nisi expressè prohibeatur; undè non potest Episcopus denegare laico primam tonsuram, & ordinem, nisi habeat impedimentum, ob quod ordinari non possit, ut sic declaravit Sacra Congregatio, teste *Campanili in divers. juris canon. rubrica* 11. *c.* 1. *num.* 2.

In §. Servus.

Conclusio hujus textûs est, quòd ratione subjectionis servus ordinari non potest. Intellige de servis christianis, nam de aliis nulla est dubitatio, cum careant baptismo: ratio hujus prohibitionis est de jure positivo, desumpta ex *cap.* 1. & *toto titulo de servis non ordinandis*, & ex 54. *dist. per totam*, quia Clericus est aggregandus divinæ militiæ, ergo non potest alteri servire: si verò de facto servus aliquis ordinetur, tunc aut Episcopus sciebat illum esse servum, & eum ordinavit Domino sciente, & non contradicente ad quoscumque ordines, statim fit liber, *cap. si servus sciente* 54. *dist.* Si verò Dominus ignorabat, sed ordinans sciebat, tunc fit etiam liber, sed ille tenetur dare duos servos æquè bonos ejus Domino, *cap. si servus absente ead. dist.* Ipsis verò ignorantibus, sed sciente Domino, & contradicente, vel ignorante, tunc distinguo, aut est ad ordines minores tantùm ordinatus, & redigitur ad pristinam servitutem Domino volente, & deponetur, *cap ex antiquis cum sequenti* 54. *dist. c.* 2. ubi *glossa de servis non ordinandis*; sed si fuerit Subdiaconus, vel Diaconus ordinatus, ipse dabit pro se suo Domino Vicarium; *cap. miramur de servis non ordinandis*, vel pretium si potest, alioquin ipse quoque Domino volente deponetur, & servituti restituetur: secùs si ad presbyteratum ascenderit; in eo namque ordine permanebit peculii sui amissione mulctatus, eo quòd sciens se servum passus est ordinari, d. *cap. ex antiquis*, quòd si peculium non habeat, serviet Domino in divinis tantùm officiis, *cap. frequenter* 54. *dist. cap. Nullus de servis non ordinandis, Henriq. lib.* 14. *summæ c.* 8. §. 7.

Quòd si Dominus ejus post annum tacuerit, eum de cætero repetere non poterit, sed is liber erit, d. *cap. si servus sciente.* ubi *glossa in verbo veritus*, tenet, hunc annum esse computandum à scientia Domini, non ab ordinatione servi, sequuntur *Sayrus de censuris lib.* 6. *c.* 54. *Campanilis rubrica* 11. *c.* 8. *num.* 12. *Miranda in manuali Prælat. tom.* 1. *q.* 17. *art.* 2. *concl.* 4. *Sanchez tom.* 2, *summæ lib.* 5. *c.* 4. *nn.* 46. *Barb. lib.* 1. *de jure Eccles. cap.* 33. *num.* 131. *Marchinus par.* 10. *de ordine c.* 3. *per totum.*

Ampliatur, ut etiam ille, qui servum scienter præsentaverit Episcopo, ut ordinetur, teneatur ad duplum Domino servi. *d. cap. si servus* 54. *dist.*

Ampliatur etiam in illis, qui sunt adscriptitii, & coloni perpetui, qui terræ colendæ perpetuò sunt adscripti, nam isti neque possunt ordinari, quæ tamen servitus jam non est in usu, teste *Suarez, tom.* 5. *de censuris disp.* 51. *sect.* 3. *num.* 15.

Ampliatur in libertis, qui sine patronorum consensu, neque possunt ordinari, quamvis non tanta in eis, sicut in servis videatur esse observatio quoad hoc, *cap. fin.* 54. *distin. Barb. ubi suprà, num* 133.

Adverte tamen primo, quòd Clerici ordinati si ad potestatem Domini revertantur, quia ipso invito vel inscio, fuerunt ordinati, reputantur merè laici, & carent tùm fori, tùm canonis, privilegio, *cap. ex antiquis* 54. *dist. Majolus lib.* 1. *de irregul. c.* 35. verùm *Campanilis ubi suprà num.* 6. putat gaudere privilegiis clericalibus, & quidem canonis, ità ut si Dominus illum percutiat fit excommunicatus; privilegium verò fori habet quoad alias personas, non verò quoad Dominum, & sic explicat *Campanilis tex. prædictum.*

Adverte secundo, quòd nec servi possunt Religionem ingredi sine licentia Dominorum, *cap. qui verè* 16. *q.* 1. immò excommunicantur, qui servo suadent Dominum deserere intuitu Religionis, *cap. si quis servum* 1. & 2. 17. *q.* 4. *cap. generaliter* 54. *dist.* & est nulla professio, quia est contra justitiam, *Paludanus, S. Antoninus, & Azorius* apud *Marchinum. par.* 10. *c.* 3. *de ordine num.* 9. & Dominus non obstante professione potest servum repetere, argum. *cap. nulli* 51. *dist.* elapso triennio Dominus si non repetat juri suo præsumitur renunciare, *Auth. si servus de Episcopis, & Clericis, cap. si servus* 2. *dist.* 54. quòd si servus longissimè

à Domino distet, ità ut facilè eum non possit invenire, tunc etiam triennio elapso jus habet illum repetendi, *cap. si quis incognitus 17. q. 2. vers. nisi sit tam longè, ut inveniri non possit, Marchinus loco citato.*

Adverte ultimo, quòd servus manumissus, si erat servus Ecclesiæ, & ab ea manumissus est, tenetur præstare opera obsequialia eidem Ecclesiæ, & potest Ecclesia manumittere servum sub conditione, ut illi serviat, *cap. eo libentiùs de servis non ordinandis*, & etiamsi illa non adesset conditio, teneretur talis servus obsequialia præstare Ecclesiæ, *cap. quicumque 84. dist.* quòd si Ecclesia, dùm servos manumittit, apponit conditionem, ut serviant ei, non per hoc dicuntur servi, nam habent alios effectus libertatis *cap. quam pia 1. q. 2.* dicuntur enim isti similes adscriptitiis servis, qui non per hoc, quòd perpetuæ culturæ adscripti sunt, dicuntur servi, *§. Adscriptitiis, Auth. de Sanctissimis Episcopis.*

In §. Monachi quoque.

COnclusio hujus textûs est, Monachos utpotè subjectos eorum superioribus ordinari non posse, nisi occurrentibus quibusdam requisitis, & conditionibus, quarum

Prima est, ut ordines recipiant cum licentia suorum superiorum, à quibus concedi solent litteræ obedientiales ad ordinarium illius Diœcesis, ubi sunt locales, *Trident. sess. 23. c. 11. de reform.*

Secundò requiritur, ut ordines recipiant in illis Diœcesibus, ubi locales sunt constituti, & ut sint professi, quòd si voluerint alibi ordinari, requiritur licentia illorum, qui ordinarii sunt in eo loco, *Trid. sess. 23. c. 10. de reformat.*

Tertio requiritur, quòd examinentur per ordinarios, à quibus etiam dispensantur super interstitiis, ut ex *Diana par. 3. tract. 1. resol. 31. suprà notavimus.*

In §. Pari ratione.

COnclusio hujus textûs est, Clericos utpotè propriis Episcopis subditos non posse ordinari sine litteris dimissorialibus ipsorum, idem dicit *tex. in cap. cum nullus de tempor. ordin. in 6. & Triden. sess. 7. c. 10. & sess. 23. c. 10. de reform.*

Has autem litteras Episcopus concedere potest, *glossa in d. cap. cùm nullus*, & Episcopus appellatur originis, vel domicilii, in quo quis commoratur, cum animo perpetuo ibi habitandi, & talis animus præsumitur, si per decennium ibi habitaverit, qua de re suprà diximus.

Dantur etiam aliæ litteræ, quæ commendatitiæ appellantur, & sunt illæ, quas concedit Sacerdoti sibi subdito Episcopus ad aliam Civitatem alterius Diœcesis proficiscenti, sine quibus non potest Episcopus alieno presbytero concedere facultatem celebrandi in sua Diœcesi, & per has litteras constare debet illum esse ritè promotum, *cap. tuæ de clericis peregrinis, & tota titulo, Trid. sess. 23.* de *reform. cap. nullus.* Generaliter enim non solùm prohibentur Episcopi alienum subditum ordinare, verùm etiam retinere, aut promovere in Ecclesia, ut in 71. *dist. per totam, & in cap. Clericum alienum* 71. *dist.* & ideò non debent Episcopi beneficium alieno Clerico conferre, sed ejusdem Civitatis personis, *cap. nullus dist. 61. Franciscus Marcus dec. 1371. & Deuteron. 17.* habetur, eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum, nec poteris alterius gentis hominem Regem facere: extera ergo persona ad beneficium eligi non debet, *d. cap. fin. juncta glossa* de *Clericis peregrinis*; quod tamen hodie minimè observant Episcopi, nec debet Clericus alienus admitti ad exercenda Sacramenta sine proprii Episcopi licentiâ, *cap. hortamur 71. dist. Trid. loc. cit.*

Adverte tamen, quòd si Clericus alienæ Diœcesis, qui ab Episcopo proprio dimissorias recepit ad tempus incolendi extrà Patriam, & celebrandi, & posteà tempus præfixum aliud ab ipso presbytero longius apponatur falsò, nolla pœna puniri debet. Ratio est, quia ideò per sacros Canones, & Tridentinum requiruntur tales litteræ, quia posset contingere, quòd Sacerdotio careret, & populum deciperet, *cap. de homine de celebrat. Missar. & in d. cap. tua de Clericis peregrinis*: sed hæc ratio cessat ubicumque verè, & legitimè fuit Sacerdos ordinibus insignitus: sicut cessat si Presbyter non sit penitùs incognitus, atque ex devotione velit Missas celebrare, & sic practicari docet *Campanilis in diversorio juris canonici, rubrica 9. cap. 6. in fine*, qui defendit per hanc doctrinam clientem quendam S. Anastasii Nolanæ Diœcesis, qui ab Episcopo Toronensi examinatus, & idoneus repertus licentiam obtinuit audiendi confessiones, visis priùs ab illo litteris dimissoriis Episcopi Nolani ad tempus incolendi extrà patriam, & celebrandi, qui aliud longius apposuerat post ipsum lapsum.

Solent etiam expediri interdùm a Summo Pontifice brevia extrà tempora, vel in temporibus, quibus conceditur facultas recipiendi ordines à quocumque Episcopo, cum clausula, *absque litteris dimissoriis sui ordinarii*; quia si ordinarii requireretur assensus, frustrà daretur licentia ordinandi à quocumque. Verùm in praxi semper adesse solet clausula de licentia sui ordinarii, & facultates istæ eis prosunt, qui habent legitimam causam, ob quam ordinari nequeant à propriis Episcopis, quæ causa exprimi debet in dictis litteris, *Trid. sess. 7. de reform. c. 11.* quòd si postà cesset causa, ob quam concessa fuit à Papa prædicta licentia, non per hoc cessat facultas. Ideò cum accidisset casus in Curia Romana, quòd quidam obtinuit breve, ut ordinaretur à quocumque Episcopo, eo quòd proprius mortuus erat, fuit ille ordinatus in minoribus Episcopali sede vacante; in majoribus verò Episcopo jam adveniente, & dicente Episcopo proprio, Clericum illum fuisse suspensum, tanquàm ordinatum non à proprio Episcopo, fuit decisum non esse suspensum, quia licèt cesset causa deinde, ob quàm conceduntur prædicta brevia, non per hoc cessat eorum vis, & facultas, *Campanilis ubi sup num. 3.* quod patet à simili *ex tex. in cap fin. de sent. excomm.* ubi licèt pueri habeant privilegium, ut ob percussionem Clerici absolvi possint ab Episcopis, si cessante pueritia, & facti majores dictam petant absolutionem, erit eis impertienda.

In §. Et hoc quidem.

COnclusio hujus textûs est, quòd Episcopi Itali debeant maximoperè advertere, ne ordinent ultramontanos, quia possent conficere falsas litteras. Ideò debent proprii superioris assensum perquirere, vel specialem licentiam à Summo Pontifice; quòd si contrarium fecerint, sunt ipso jure suspensi, eorumque dispensatio est reservata Papæ, ut *in cap. 1. de tempor. ordin. in 6.* qua innodati si celebraverint, fiunt irregulares, *Sylvester in verb. irregularitas, Navarr. de tempor. ordin. cons. 33. par. 1.*

Ampliatur, ut textus prædictus comprehendat ultramontanum ordinatum in Italia ab ultramontano, non tamen ejusdem ordinatii superiore, nec præcedentibus proprii ordinarii dimissoriis, ut dixerunt *Francus. & Geminianus in cap. d. 1. ille num. 10.* hic verò *num. 8.*

Amplia-

Ampliatur secundo, ut *tex. prædictus in d. c.* 1. comprehendat tàm Clericos ultramontanos ordinatos in Italia in majoribus, quàm in minoribus ordinibus, *gloss. in d. c.* 1. *verf. Clericum de tempor. ordin. in* 6. in prima tamen tonsura si ordinetur quis, puto tali pœna non affici, quicquid dixerit *Campanilis ubi sup. num.* 13.

Si verò ultramontanus domicilium acquireret in Italia posset de licentia superioris sui domicilii ab Episcopo Italo ordinari, ut benè *Joannes Monachus in eodem c.* 1. *num.* 3. quia solùm Ultramontani sunt exclusi ex illis regionibus venientes non verò hîc apud nos domicilium acquirentes, quod etiam docet *Episcopus Campanilis rubrica* 9. *c.* 1. *num.* 10.

Limitatur verò conclusio, quando Itali ordinarentur ab Ultramontanis Episcopis, ibi, sine licentia proprii Episcopi, quia *tex. in d. c.* 1. hunc casum non comprehendit, ut advertit *gloss. ibi in verb. Italis*, & ibi omnes, *Sylvester in verb. irregularitas num.* 11. *Navarrus ubi sup.* Ratio autem disparitatis, cur Ultramontani ordinati ab Episcopis Italis incidant in prædictam pœnam; secus Itali ordinati ab Episcopis Ultramontanis, ignoratur à *Vivaldo in suo candelabro de Sacramento ordinis num.* 38. Scirem ego profectò, nisi modestia me retineret, Tu verò cum *glossa* dicas eam esse rationem, quia Ultramontani citrà montes existentes, habent duo remedia. Primum est, ut citò mittant ad proprium Episcopatum. Secundum est, ut à Papa licentiam impetrent, qui vicinior est: Italicus ultrà montes existens non sic facilè à Papa licentiam impetrare posset; ita Italus unicum habet remedium; & secundum non ita facile. Ultramontanus verò utrumque bahet in Italia existens.

Adverte tamen primò, quòd hodie per constitutionem Sixti V. contrà Clericos malè promotos eandem suspensionem, & ipso jure incurrit Italus sine sui superioris consensu ab Ultramontanis ordinatus.

Adverte secundo, quòd si Latinus ordinetur à Græco, vel Grecus si ordinetur à Latino Episcopo, non incidit in irregularitatem, quia licèt sit prohibitum Græcos ordinare Latinos, vel Latinos Græcos, ut probat *Azorius tom.* 2. *lib.* 3. *c.* 48. *q.* 14. tamen non est irregularis, ut latè *Turrianus de censuris lib.* 9. *disp.* 61. *dub.* 3. *Filiucius tom.* 1. *tract.* 2. *c.* 7. *contrà Majolum de irregularit. cap.* 32.

Nec obstat *tex. in cap. cùm secundum, & cap. ex parte de tempor. ordin.* ex quibus conatur probare *Majolus* suam sententiam, quia in *cap. cùm secundum*, licet prohibeatur id, non tamen prohibetur sub pœna irregularitatis. In *cap. verò ex parte*, non est sermo de hac materia.

Nec irregularitatem incurrit quis, quandò ordinatur ab Episcopo Schismatico, ut dixerunt quinque Theologi Societatis Jesu in Collegio Romano, teste *Diana tom.* 4. *tract.* 2. *resol.* 54.

In §. Patrati delicti.

Conclusio hujus textûs est, irregulares propter homicidium, vel aliud crimen capitale non esse ordinandos, ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd irregularitas dicitur ab In, & regula, eo quod irregularis careat regula, & non est intrà regulam ab Ecclesia præscriptam; subjectum verò irregularitatis debet esse subjectum capax ordinis, quia cum irregularitas impediat receptionem ordinum, debet supponere capacitatem ad eos, undè fœmina non potest dici irregularis, nec infidelis, qui nondùm recepit Baptismum; in eis enim capacitas ordinum non adest, *Summista in verb. irregularitas*, & latè *Suarez tom.* 5. *disp.* 40. *sect.* 1. *num.* 2.

Sciendum est secundo, quòd irregularitas definitur; ut sit canonicum impedimentum ex facto, vel defectu proveniens, quod directè impedit susceptionem ordinum Ecclesiasticorum, aut eorum usum, ob reverentiam divinorum, *Suarez tom.* 5. *disp.* 40. *sect.* 1. *Filiuccius tract.* 19. *quæst.* 1.

Dicitur (impedimentum canonicum) loco generis, quia est inducta irregularitas de jure canonico, non verò jure divino, & in illis casibus incurritur, ubi lex exprimit, *cap. is, cui de sent, excomm.*

Dicitur (ex facto, vel defectu) ut ostendatur causa materialis irregularitatis, quæ est factum aliquod, sive conjunctum cum aliquo peccato, sive cum aliquo defectu animi, vel corporis, tàm ipsius irregularis, quàm parentum.

Dicitur tertio (quod directè impedit), ut distinguatur irregularitas à censuris, nam suspensio privat directè usu ordinum, excommunicatio minor non impedit usum ordinum, sed passivam illorum receptionem, excommunicatio major impedit, quatenùs susceptio, & exercitium ordinum, est quædam communicatio; irregularitas verò directè impedit susceptionem ordinum, illorumque usum, & exercitium; interdictum tamen non semper impedit usum ordinum sicut irregularitas.

Dicitur (susceptionem ordinum, aut eorum usum) quia non omnis irregularitas, quæ impedit susceptionem ordinis, impedit usum illius, jam suscepti, quia aliqua irregularitas impedit ordinis susceptionem, non verò usum, *cap. fin.* 15. *q.* 1. qua de re infrà.

Dicitur (ob reverentiam divinorum) quia causa finalis irregularitatis est reverentia, quæ rebus divinis exhiberi debet.

Ex quibus infertur primo, degradationem differre ab irregularitate, quia per depositionem, & degradationem ejicitur Clericus à statu Ecclesiæ, per irregularitatem verò non admittitur ad statum Ecclesiasticum, sed turpius est ejici, quàm non admitti secundùm illud, quod dicitur.

Turpius ejicitur, quàm non admittitur hospes.

Infertur secundo, irregularitatem non impedire aliquem à susceptione primæ tonsuræ, tùm quia in odiosis non est facienda extensio de uno casu ad alium, *cap. in pœnis, de pœnis in* 6. Sed irregularis impeditur à susceptione ordinum, ergo non à susceptione primæ tonsuræ, quæ secundùm communem Theologorum sententiam non est ordo, tùm quia irregularitas, non incurritur, nisi in casibus à jure expressis, *cap. is cui de sentent, excomm.* sed nullibi reperitur, irregularem impediri in susceptione primæ tonsuræ, ergò non adest tale impedimentum, ità docent multi, quos refert, sed non sequitur, *Bonacina tom.* 1. *disp.* 7. *pun.* 1. *num.* 4. Posse verò ordinari docent multi apud *Dianam par.* 4. *tract.* 2. *resol.* 88.

Sciendum est tertio, causam efficientem irregularitatis esse sacros Canones, seu Summum Pontificem, qui irregularitatem induxit, eamque per sacros Canones expressit, *cap. is qui de senten. excomm.* quia ad eum pertinet potestas ferendi irregularitatem, ad quem pertinet jus commune canonicum condere. Sed talis potestas est in Summo Pontifice; ergo. Ideò nec Episcopus, vel alius inferior Summo Pontifice potest irregularitatem statuere: nec incurritur irregularitas per hoc, quod DD. testantur de consuetudine aliquem esse irregularem, quia nulla est irregularitas, nisi in jure expressa, *d. cap. is, cui de senten. excomm.*

quos refert, & probabiliter sequitur *Diana ubi sup. resol.* 18. docent non esse hunc talem irregularem, quia licèt jura loquantur de consulente homicidium, quòd efficiatur irregularis, tamen non debet extendi ad consulentem mutilationem, quia nulla irregularitas incurritur, nisi sit expressa in jure, sed jus imposuit irregularitatem consulentibus homicidium & de consulentibus mutilationem verbum nullum, ergo. Nam in materia irregularitatis non valet argumentum à paritate rationis à simili immò à majori ad minus ergo, ex quo à fortiori non est irregularis, qui dedit consilium mutilationis membri, ei, quem non potest aliter ab homidio avertere, *Sayrus de censuris lib. 7. cap. 3. num. 13.*

Dico quarto, consulens homicidium illi, qui paratus non erat ad illud patrandum, est irregularis secuta morte, quia censetur causa efficax mortis, quòd si ille jam paratus erat ad occidendum, tunc consulens non est irregularis, quia non censetur causa efficax homicidii; quamvis peccet ratione affectûs ad homicidium. Irregularis verò est ille, qui alteri consilium dedit faciendi abortum fœtus animati anima rationali, secuto tamen effectu, *cap. Majores 32. q. 2.* Quòd si quis non potuit dimovere fœminam à consilio dato de abortu faciendo, non est irregularis, quia sufficit consulenti removere consilium: sed hoc accidit in casu nostro, ergo. Ità *Henriquez lib. 14. cap. 16. num. 50. Diana ubi sup. resol. 15.*

An verò efficiatur irregularis, qui alteri consilium dedit, ut v. g. intret in duellum, vel occidat inimicum, & is, cui dedit consilium, occisus est, quæstio est? e enim negant esse irregularem, quia irregularitas solùm incurritur à mandante, vel consulente alicui, ut seipsum, vel alium occidat, secuto effectu, sed hic consulit, ut occidat alium, sed non sequitur effectus in persona inimici, ergò, ità ex multis docet *Turrianus de censuris lib. 9. disp. 63. dub. 4.* Verùm contrarium probabilius est, hunc mandantem tale homicidium esse irregularem, licèt non sequatur in persona ipsius, cui mandatur, sed ejus, cui consilium præstatur, quia iste est vera causa moralis, ergò incurrit irregularitatem homicidii voluntarii: si verò ejus mortem non intenderet, tunc incurrit irregularitatem homicidii casualis, ita communiter DD. apud *Avilam de censuris par. 7. disp. 6. sect. 2. dub. 50. concl. 4. Bonacina disp. 7. quæst. 4. p. 7. num. 17.*

Dico quinto, irregularis est auxilians, aut cooperans ad homicidium, sequuta morte, vel mutilatione; quia efficaciter influunt ad homicidium. Quòd si plures de communi consensu aggressi sunt Titium, sed Titius invasus ex uno tantùm vulnere perit, omnes essent irregulares, etiamsi non omnes percusserint, quia omnes cooperati sunt ad homicidium, *cap. significasti de homicidio.* Notat verò *Hostiensis in d. cap. significasti*, quòd si non concitarunt omnes, sed subita quadam rixa inflixerunt vulnera, & unus solùm inflixit vulnus lethale, ille solus videtur reus homicidii, qui lethale vulnus inflixit; modò constet, quisnam illud inflixerit, & constet, alios non concurrisse ad vulnus, quandò verò ignoratur quisnam lethaliter vulnus inflixerit, omnes debent se tanquàm irregulares gerere, ut patet ex *cap. ad audientiam, & cap. significasti de homicidio, DD. cit.*

Quòd si amicus intimus alicujus bono animo associavit aliquem, ne in rixa periclitetur, & amicus inimicum occiderit, irregularitatem non incurrit, *Avila par. 7. disp. 7. sect. 3. dub. 3. concl. 1. Henriquez lib. 13. cap 16. num. 1.* quod à fortiori procedit in patre, vel filio. Ideò docet *Navarrus cons. 32. de homicidio*, non esse irregularem eum, qui bono animo tenebat ensem evaginatum in manu sine alia læsione, quamvis alius percussus fuerit à fratre tali ense in rixa, & mortuus fit: ratio est, quia dabat operam rei licitæ; quod tamen intellige, nisi exterius ità amicum rixantem associando non videatur illum animare ad occidendum, *Diana ubi sup. resol. 17.*

Dico sexto, irregularis est, qui voluntariè non impedit homicidium, quod ex justitia tenetur impedire, ut cùm quis tenetur ex justitia, puta accepit stipendium, ut alium defenderet, vel ei id promisit, quia censetur causa moralis homicidii, ità *Bonacina de censuris, disp. 7. q. 4. punct. 8. num. 37. Megala par. 1. lib. 7. cap. 2. q. 5. num. 89. Layman. tract. 3. par. 3. cap. 2. num. 7.* qui communiter docent, quòd permissio homicidii, si fit contra charitatem, non incurritur irregularitas, si verò fit contra justitiam incurritur irregularitas; & ideò docent isti DD. quod ministri justitiæ, puta Judex, & alii Officiales, qui ex officio tenentur defendere innocentem; si ex omissione permittant illius occisionem, fiunt irregulares. Idem docent de servis, qui ex subjectione tenentur defendere dominos, vel de filiis, qui ratione patriæ potestatis tenentur parentibus subvenire, idem dic de vassallis ergà dominos. Idem docent de advocato vel procuratore, qui assumptum patrocinium dolosè deserunt, si enim reus ob desertionem damnetur ad mortem, efficitur irregularis. Idem dic de teste, qui legitimè citatus si veritatem tacent, ex quo postea reus morte damnetur, in irregularitatem incidit. Item Medicus, qui stipendio conductus officium suum deserit, ex quo infirmus moritur, efficitur irregularis: hæc omnia docent DD. citati, quos sequitur *Fernandez in medullâ casuum conscientiæ par. 2. cap. 10. §. 14. num. 11.*

Non tamen desunt gravissimi DD. qui docent, in omnibus his casibus nullam incurri irregularitatem, quia ille, qui homicidium non impedit, cùm teneatur impedire, non dicitur positivè influere in homicidium opere aliquo, consilio, vel auxilio, sed irregularitas est lata contrà positivè homicidas, vel in homicidium influentes, non verò contra eos, qui negativè se habent, ità post *Vasquez, Præpositum, Hurtadum, Turrianum*, & alios docet *P. Antoninus Diana par. 4. tract. 3. resol. 7. per totam*; & ideò non est irregularis Sacerdos, vel alius, qui sciens mulierem prægnantem à se redditam, abortum procurare, illam impedire non studet, tùm quia non impediens homicidium, quod impedire tenetur ex justitiâ non est irregularis: tùm quia pater non tenetur defendere vitam filiorum lege justitiæ, sed pietatis, & officii paterni, ut docent *Lessius lib. 2. cap. 9. dub. 13. nu. 94.* etsi contrarium doceant multi in hoc casu.

Ex qua etiam ratione docent DD. citati non esse irregularem eum, qui sciens aliquem occidendum, non contradicit volentibus illum occidere in vindictam injuriæ ei illatæ, quia in tali casu permittens homicidium, seu illud non impediens, non influit positivè in homicidium, ergo non est irregularis, quod valdè nota, quia quotidianum est, & à fortiori dico, non esse irregularem, qui rixam habens cum Titio, admonet accurentes in sui auxilium, ne quid mali Titio inferant, etiamsi accurrentes occidant illum intuitu ipsius, *Bonacina disp. 7. de censuris q. 4. punct. 8. num. 34.* qui multos refert contra *Barb. in colrect. tom. 2. lib. 5. tit. 12. cap. 17. num. 3.*

An verò sit irregularis ille, qui tradit arma Titio, quibus Caium occidit, quæstio est? & licèt affirmativè respondeat *Bonacina ubi sup. num. 35.* si habuit

 suspicionem

ſuſpicionem illa arma peti ad homicidium patrandum, tamen negativè reſpondet *Hurtadus* de *irregul. diſp. 3. diffic. 5. num. 32.* Mihi tamen placet opinio *Bonacinæ*, quandò ille, qui arma præbuit, ſuſpicionem habuit homicidii, quia tunc occiſio indè ſequens cenſetur ſufficienter voluntaria: ità ut imputetur ad culpam, & ad pœnam irregularitatis ex homicidio caſuali, quæ ſi neſcivit, neque ſuſpicatus eſt peti ad malum, excuſatur ab irregularitate.

An verò ſit irregularis quis, ſi alium vulneravit non lethaliter, qui poſteà mortuus eſt Medici, vel propria incuria, quæſtio eſt? Reſpondetur enim non eſſe irregularem, quia licèt vulnus ſit aliqua occaſio, tamen revera non eſt cauſa mortis, ſed negligentia medici, vel ipſius vulnerati, tenebatur enim uterque diligentiam adhibere, ergo effectus eſt imputandus illi, qui neglexit, *cap. ſignificaſti 2. de homicidio*; quòd ſi vulnus ſit leve, licèt vulneratus moriatur ex negligentia Medici, vel propria culpa vulnerati, non efficitur vulnerans irregularis, *Sotus lib. 5. de juſtitia, & jure q. 5. art. 9. Sylveſter. in verb. Homicidium il. 2. q. 22. Cajetanus*, & alii, quos ſequitur *Leſſius lib. 2. cap. 9. dub. 15. num. 102. Coninch. de Sacram. diſp. 18. dub. 9. num.* 80. *Diana par. 4. tract. 2. reſol.* 10.

Dico ſeptimo, non incurrit irregularitatem, qui homicidium ſuo nomine factum poſteà ratum habuit; ità *Avila par. 2. diſp. 6. ſect. 2. dub. 6. Coninch. de Sacram. diſp. 18. dub. 1. num.* 72, & alii contrà *Molinam, Sylveſtrum, Majolum*, & alios, quos referunt.

Probatur, quia irregularitas infligitur contrà eos, qui ſunt cauſa homicidii, ſed talis ratihabitio ſupponit homicidium factum; ergo.

Dices ratihabitio æquiparatur mandato, *cap. cum quis 23. de ſenten. excomm. in 6.* ubi dicitur, quòd ſi aliquis nomine meo aliquem Clericum percuſſerit, & ego id ratum habeam, ſum excommunicatus, licèt ſine mandato meo id factum ſit, ergo ità in caſu noſtro in materia irregularitatis.

Reſpondetur, quòd ratihabitio comparatur mandato quoad pœnas in jure expreſſas, quia pœna non incurritur, niſi ſit à jure expreſſa, ſed in jure non eſt expreſſum, ratum habentem homicidium eſſe irregularem, ſicut eſt expreſſum ratum habentem percuſſionem Clerici ſuo nomine factam eſſe excommunicatum, ergo &c.

De irregularitare orta ex homidio caſuali.

AD intelligentiam hujus rubricæ, ſuppono dupliciter poſſe dici homicidium caſuale, Primo enim caſuale dici poteſt directè, licèt indirectè ſit voluntarium. Secundo caſuale dici poteſt omninò, quia neque directè, neque indirectè eſt volitum, ut cùm ebrius aliquem occidit, quo caſu homicidium non dicitur voluntarium in ſe, quia ebrius dùm occidit, caret uſu rationis, neque in cauſa tale homicidium dici poteſt voluntarium, quia ebrius quandò ſe dedit ebrietati, non prævidit ſecuturum homicidium. Hoc poſito.

Dico primo, quandò homicidium non eſt volitum, neque in ſe, neque in cauſa, non inducitur irregularitas, patet *ex cap. lator, & ex cap. dilectus de homicidio.* Ratio eſt, quia homicidium, quod nullo modo eſt peccaminoſum, & voluntarium, non inducit irregularitatem, ſed homicidium omninò caſuale nullo modo eſt voluntarium, ergo homicidium omninò caſuale nullam inducit irregularitatem; undè benè docet *Bonacina diſp. 7. de cenſuris q. 4. punct. 7. num.* 2. homicidium commiſſum ab amente, vel furioſo, vel non habente tunc temporis lucida intervalla, non inducere irregularitatem, ſicut nec inducit irregularitatem homicidium commiſſum ab ebrio, vel dormiente, qui non prævidit illud ſecuturum, quia cenſetur omninò caſuale. Nec irregularis eſt infans occidens aliquem antè uſum rationis, ſecùs ſi talis infans ſit doli capax, id eſt habens uſum rationis ſufficientem ad peccatum mortale, quia talis occiſio eſt voluntaria, DD. communiter apud *Sanchez in ſumma lib. 1. cap. 12. num.* 8. quòd ſi puer ſit major ſeptennio, ſed non habeat uſum rationis ſufficientem ad peccatum mortale, non eſt irregularis, quia tale homicidium non cenſetur voluntarium, nec peccaminoſum.

Dico ſecundo, homicidium, quod non eſt omninò caſuale ſed aliquo modo voluntarium, irregularitatem inducit. Ratio eſt, quia tale homicidium eſt peccaminoſum, ergo inducit irregularitatem, & ideò dans operam rei illicitæ, irregularis tunc dicitur quandò non adhibuit ſufficientem diligentiam, ne ſequatur homicidium, quòd ſi eam adhibuerit, nullo modo eſt irregularis, quia tunc irregularitas incurritur ex homicidio caſuali, quandò intercedit culpa homicidii, ſed in caſu noſtro non intercedit culpa homicidii, quia ratione diligentiæ præſtitæ homicidium non cenſetur plenè voluntarium, ergo, ità docent *Coninch. de Sacramentis diſp. 58. dub. 9. num.* 80. *Filiuccius tom. 1. tract. 29. cap. 3. num.* 64. *Bonacina loco citato num. 9. Diana par. 4. tract. 2. reſol.* 20. Requiritur autem talis negligentia, ut ex homicidio caſuali efficiatur, quis irregularis, quæ omnibus conſideratis, perveniat ad peccatum mortale, quia irregularitas homicidii caſualis eſt pœna peccati commiſſi in non adhibendo diligentiam requiſitam, quæ pœna cùm ſit valdè gravis, videtur expoſcere peccatum mortale, *DD. ubi ſup.*

Excipiunt tamen DD, duos caſus, in quibus dans operam rei illicitæ, etiam adhibita debita diligentia efficitur irregularis; & primus caſus eſt in *in cap. ultimo de homicidio in 6.* ubi mandans alterum percuti, efficitur irregularis ſecuta morte, vel mutilatione, etiamſi expreſsè impoſuerit mandatario, ne lethaliter vulneraret.

Secundus eſt caſus *in cap. tua nos de homicidio*; ubi dicitur irregularis Monachus, qui adhibita diligentia debita, aperuit apoſtema in gutture mulieris, quæ poſteà mortua eſt. *Filiuccius, & Bonacina locis citatis*, ex qua doctrina.

Colliges primo, non eſſe irregulares conficientes gladios, quibus aliqui poſteà occiduntur; è contrà efficitur irregularis, qui conficit medicinam ex rebus corruptis, ſi hac de cauſa ſequatur mors infirmi, quia videtur dare cauſam periculoſam homicidii ſine debita diligentia. Tertio eſt irregularis, qui præbet, conſulit, aut tradit aliquid infirmo contrà Medici præceptum, quoties infirmus perit ex illius rei traditione, vel ſi mors ipſius notabiliter acceleretur, ſecùs ſi non acceleretur notabiliter, ſed parùm, quia parum pro nihilo reputatur, non tamen eſt irregularis, qui tradit aliquid infirmo ex Medici præcepto, vel qui bona fide tradit aliquid, quod non ſit vetitum, nec dubitat eſſe nocivum, *DD. cit.* Nec irregularis eſt, qui extraxit ſagittam ab vulnerato, adhibita diligentia, ex cujus extractione vulneratus mortuus eſt, *Bonacina ubi ſup. num.* 13. efficitur verò irregularis Magiſter, qui verberando diſcipulum excedit modum percuſſionis, nec debitam adhibuit diligentiam, ut ſi calce ventrem percutit, ex quo mors ſequitur, *cap. presbyterum, cap. ad audientiam de homicidio.*

Collige ſecundo, Judicem non eſſe irregularem, ſi licitè præcipit reum verberari, juxtà leges, quæ levem imponunt percuſſionem; ſed Miniſter adeò ex-

qualitate ordinandorum, Riccius dec. 185. putant verò multi collationem beneficii factam irregulari validam esse, & talem indigere solùm dispensatione super irregularitate, non tamen nova collatione beneficii, DD. communiter, quos sequitur *Diana par. 4. tract. 2. resol. 79.* Nec poterit fructus beneficii percipere, qui illud recepit in irregularitate, quam tamen pœnam non incurrit irregularis, nisi post sententiam, DD. ubi suprà, *ex textu in cap. fraternitatis de Clerico excommunicato, & in cap. ex litteris de excessibus Prælatorum.* In quibus, cùm loquitur de privatione beneficii, apponitur verbum futuri temporis, quod non inducit privationem ipso jure, sed per sententiam, & sic potest irregularis post beneficii consecutionem resignare beneficium in favorem alterius, quia adhuc habet titulum, & jus, *Rota Romana in dec. 5. de sentent. & re judicata in antiquis.* Nec fructus beneficii restituere tenetur, si satisfecit per se, vel per alium, *Coninchus disp. 18. dub. 1.* Irregularis verò ob homicidium privandus est beneficio, *ex Trid. sess. 14. cap. 7. de refor.* non verò erit privandus pensione; quia pensio strictè non venit nomine beneficii, *Riccius dec.* 524. qui sic testatur declaratum per Sacram Congregationem.

Sciendum est sexto, quòd quandò sumus in dubio juris, nullus est judicandus irregularis. Ideò si dubites, an contra furantes sit imposita pœna irregularitatis, & adhibita sufficienti diligentia, adhuc persistis in dubio, non teneris te gerere, ut irregularem; argum. *textus in cap. is, qui de senten. excomm. in 6.* Ille verò, qui dubitat, an fecerit homicidium, judicandus est irregularis, *cap. significasti, cap. ad audientiam de homicidio:* In aliis verò delictis, si dubitet quis an illud commiterit, non est habendus irregularis, quia prædicti textus de solo homicidio loquuntur, ergò non sunt extendendi: ita *Alphonsus de Leone*, qui plures refert, *de officio Confessarii tom. 1. recol. 17. num. 68. Sanchez tom. 1. lib. 1. cap. 10. num. 48. Layman in Theologia morali lib. 1. tract. 1. cap. 50.* ex quibus

Sequitur primò, eum, qui dubitat an aliquem mutilaverit, non esse censendum irregularem, si facta diligenti inquisitione adhuc dubitet, an mutilaverit, quia non sumus in dubio facti homicidii, sed in dubio mutilationis, DD. ubi suprà.

Sequitur secundò eum, qui suscepit ordines cum dubio juris de aliqua censura, vel irregularitate non adhibita sufficienti diligentia, peccare mortaliter ob periculum, cui se exposuit, poterit tamen post adhibitam sufficientem diligentiam ordines exercere, quia adhuc sumus in dubio DD. ubi suprà.

Sequitur tertiò, dubitantem de homicidio justè commisso, puta in bello justo, & licitè facto, non censeri irregularem. *Sanchez ubi sup.* qui alios refert. Ratio est, quia *textus in cap. ad audientiam, & cap. significasti de homicidio.* loquuntur in dubio facti homicidii, at occisio justa non venit nomine homicidii; DD. citati.

Sequitur quartò illum, qui feminæ gravidæ præbuit pharmacum ad abortandum fœtum, sed dubitatur an fœtus esset animatus, censeri irregularem, quia hìc sumus in dubio facti circà homicidium injustum, ità communiter DD. quos sequitur *Farinaceus in fragmentis par. 1. num.* 444. quia licèt in dubio fœtus præsumatur inanimatus, quandò agimus de pœnis homicidii, tamen quandò agimus de irregularitate; est præsumendus animatus: idem docet *Merolla tom. 1. disp. 3. cap. 3. num. 237. Barb. in collect. tom. 2. lib. 5. tit. 12. cap. 12.* licèt in hoc contrarium dixerint aliqui, quos citat *Antonius Diana par. 4. tract. 2. resol. 16.*

Sequitur quintò illum, qui consulit homicidium, sed dubitat utrum suo consilio operatus sit aliquid circà homicidium, censeri irregularem; quia versamur in dubio facti homicidii injusti; *Merolla ubi sup. num. 251. Sanchez tom. 1. lib. 1. cap. 10. num. 44.* licèt aliqui contrarium dixerint, quos citat *Diana ubi sup. resol. 26.* Secùs verò dicas, si ille dubitet, an alius fecerit homicidium, quia tunc non debet ut irregularem se gerere, ut benè *Sanchez ubi suprà; &c.*

Adverte tamen, quòd dubitans facti homicidii, non debet privari beneficio, aut aliis pœnis in foro externo subjacere, quia *in cap. ad audientiam, & cap. significasti de homicidio*, dicitur dubitantem de facto homicidii præsumi irregularem, quoad cessationem à divinis, ergo non quoad alia: ità *Bonacina ubi sup. pun. 5. num. 8.*

De Irregularitate proveniente ex defectu animæ.

MUlti sunt defectus animæ, qui irregularitatem inducunt; quorum

Primus est carentia usûs rationis, ut in amentibus: hic enim defectus impedit nedùm de jure humano, sed etiam de jure naturali, & divino susceptionem ordinum, licèt isti tales recipiant caracterem si ordinentur, DD. citati.

Secundus defectus est defectus scientiæ; qui facit hominem irregularem, *cap. illiteratus 36. dist. cap. cùm in cunctis de elect. cap. ultimo de tempor. ordin. in 6.* ubi habetur; illiteratos non posse ordinari, & semel ordinatos quamvis bona fide, non posse ordines exercere, & putant DD. apud *Bonacinam, q. 2. pun. 1. num. 2.* Summum Pontificem non posse dispensare cum omninò illiterato, ut ordines recipiat: quia de jure naturæ requiritur habilitas ad exercendum ordinem, qui recipitur. Requiritur verò ex *Trid. sess. 23. cap. 4. de reform.* in prima Tonsura quidem, ut ordinatus, sit confirmatus, calleat rudimenta fidei, sciatque legere, & scribere. Ad minores ordines, ut teneat linguam latinam, ad Diaconatum, & Subdiaconatum, ut habeat instructionem eorum, quæ pertinent ad eos ordines exercendos: ad presbyteratum, ut habeat eam scientiam, qua possit docere populum, & administrare Sacramenta: ad Episcopatum, ut sit Doctor, aut Licentiatus in Sacra Theologia, vel in Jure Canonico, vel publico testimonio ipsum esse aptum ad alios docendos, *Trid. sess. 22. cap. 2. & sess. 23. cap. 4. 11. 13. & 14.*

Tertius defectus animæ est defectus fidei. Ideò Neophiti ordinari non possunt, quia sunt irregulares, ut patet in *cap. 1. & 2. 48. dist.* & ratio hujus irregularitatis est, ne in superbiam elati, incidant in laqueum Diaboli, ut ait *S. Paulus 1. ad Tim. 3.* Dicuntur verò Neophiti, qui ex lege Judaica, Mahumetica, & simili ad fidem christianam conversi sunt: cum talibus verò Summus Pontifex dispensare potest, *Bonacina ubi sup. num. 60.*

Adverte tamen, quòd non est certum tempus assignatum ad judicandum, quandònam quis dicatur Neophitus, ut ratione irregularitatis, non possit minores ordines recipere. Vera tamen est opinio id totum remitti arbitrio Judicis, qui potest eum promovere, quem post aliquam temporis dilationem à die suscepti baptismi judicat habilem, & idoneum ad ordines, nec in tali casu Episcopus dicitur dispensare in irregularitate, sed declarat irregularitatem cessasse, quia jura certum tempus non præscribunt, *Filliuccius tom. 1. tract. 2. cap. 9. num. 240. Suarez de censuris disp. 42. sect. 3. num. 6. & Hurtadus de irregularitate disput. 2. diffic. 19.* putat, Neophitum post decem annos à suo baptismo non esse ampliùs irregularem.

cessit in verberibus inferendis, ut mortuus, sit reus, quia nullo pacto est excessus ille in culpa: efficitur verò irregularis projiciens lapidem in Titium, si lapis Titio declinante coincidit in Caium, illumque occidit. Titius verò declinando ictum lapidis non efficitur irregularis, quia utitur jure suo, declinando ictum, ut seipsum servet incolumem: Quòd sit irregularis projiciens, patet ex eo, quia dat operam rei illicitæ, non adhibita sufficienti diligentia. Ille verò, qui reficiendo tectum projicit tegulam, ex qua quis occiditur, efficitur irregularis, nisi monuerit viatores, vel signum apposuerit. Ratio est, quia dat operam rei periculosæ homicidii sine debita diligentia, argum. *textus in cap. ex litteris. Et cap. lator* de *homicidio*.

Collige tertio, effici irregularem eum, qui hyemali tempore niveis pilis percutit aliquem, si ex tali percussione contingat oculum erui. Idem dic si lapidibus certent, *DD. cit.* non tamen efficitur irregularis saltans cum muliere prægnante saltatione convenienti, & moderata si sequatur abortus fœtûs animati: secùs si usus sit saltatione immoderata: quia dedit operam rei illicitæ, *cap. sicut ex litterarum de homicidio.* Sicut nec efficitur irregularis ille, qui sedens in equo deambulat, si equus fractis habenis, puerum in via existentem conculcavit, & interfecit, quia mors censetur omninò casualis, etiamsi equus conscenderit ad furandum, *cap. dilectus de homicidio*, secùs dic quandò equus morsu, vel calcibus interfecit alterum non adhibita debita diligentia, quia tunc efficitur irregolaris, quia mors non censetur casualis, cum ei nota esset equi natura, vel de illa dubium haberet *DD. cit. ubi sup.*

Collige quarto, non esse irregularem eum, qui domi diligenter custodit feram, quæ absque ipsius culpa soluta, aliquem occidit: esset verò irregularis ille, qui canem in alium irritavit & indè secura est mors, vel mutilatio: sic irregularis est, qui feram in vinculis constrictam detinet in platea, quæ ineaute accedentes occidit, quia non censetur adhibuisse sufficientem diligentiam ad mortem præ avendam, *DD. cit.*

Collige quinto, illum non esse irregularem, qui bona fide in conversatione hominum dixit Caiam commisisse adulterium, & unus adstantium id dixit marito Caiæ adulteræ, quo audito vir mortem intulit uxori suæ adulteræ. Ratio est quia illa manifestatio adulterii non videbatur periculosa homicidii, ergo mors adulteræ non videtur imputanda primo manifestanti, qui non prævidit illam secuturam; sicut decisum fuit in sacra pœnitentiaria Romana non esse irregularem, qui adulterium commisit cum femina, quæ adulterium dilexit, & ob id à viro occisa fuit, *Bonacina loc. cit. num. 15.*

Collige sexto, non esse irregularem eum, qui dixit in tali loco extare exules, quo audito quis vocavit satellites, & eos cœpit, qui capti condemnati fuerunt ad mortem, quia talis mors respectu primi dicentis censetur omninò casualis, est verò irregularis ille qui joco terrorem incutit alteri, & est causa, ut alter eo terrore commotus se præcipitet. Idem dic de eo, qui terrorem incutit mulieri gravidæ, ex quo abortum fecit *DD. cit.*

De irregularitate proveniente ex homicidio necessario.

AD intelligentiam adverte, quòd occisio facta pro defensione propria non est peccaminosa si concurrant aliqua circumstantiæ, quarum prima est, ut fiat cùm ab altero vis injustè infertur. Secundo, ut fiat occisio in ipso actu, quo est aggressus. Tertio, ut putet invasus se probabiliter esse occidendum, vel mutilandum, aut periculosum vulnus infligendum, aut grave damnum inferendum; & his concurrentibus dicitur occidere aliquis alium cum moderamine inculpatæ tutelæ: quòd si id fecerit sine conditionibus recensitis, non est occisio facta cum moderamine inculpatæ tutelæ. Hoc posito.

Dico primo, occidentem aliquem pro defensione propriæ vitæ cum moderamine inculpatæ tutelæ non effici irregularem. Sic intelligitur *Clem. si furiosus* de *homicidio*, quia talis actio non censetur injusta, ergo non est causa irregularitatis, & id procedit etiamsi invasus dederit causam invasori, ut occideretur, quia non per hoc, quòd dedit causam occisionis, amisit jus defendendi propriam vitam: ergo; ità docet *Bonacina* d. *disp. 7. q. 4. punct. 6. propos. 6. num. 3.* sicut nec irregularis dicitur, qui occidit Judicem sibi injustè mortem parantem, quia *tex. in d. Clem. si furiosus* absolutè loquitur de occidente eum moderamine ad sui defensionem, & addunt aliquid id verum esse, etiamsi Judex sit valdè utilis, vel necessarius Reipublicæ, quia licèt occidens talem Judicem peccet contrà charitatem, occidendo personam valdè utilem Reipublicæ, non tamen peccat contrà justitiam peccato homicidii, ergo non incurrit irregularitatem, contrà homicidas impositam, *DD. cit.* sed de hac dicemus alibi *in 4. tom de homicidio.*

Ex quo benè sequitur primo non esse irregularem eum, qui occidit invasorem, ne graviter vulneretur in facie, v. g. quia maximopere homo existimat grave vulnus in facie, ut beoè *Bonacina de censuris disp. 7. q. 4. punct. 6. num. 8. Diana par. 4. tract. 2. resol. 6.*

Sequitur secundo captum ab hostibus non fieri irregularem occidendo custodem, vel alium, quandò aliter evadere non potest, & eredit moraliter se ab illis occidendum, quia vim vi repellit, & censetur inchoatus actus injustæ aggressionis, *DD. cit.*

Sequitur tertio, eum non esse irregularem, qui fure domi invento clamavit ad vitam, vel ad res suas defendendas (ad latrones, ad latrones, vel cape, cape) secùs si dixerit (occide, occide) maximè si potuit res defendere alio modo, quia quandò dicit ad latrones, &c. non videtur desiderare vindictam, sed solùm rem suam conservare, ergo etiamsi mors sequatur, quia fortè est captus à Satellitibus, & morti per Judicem traditus, nullo modo est irregularis, *DD. ubi sup.*

Sequitur quarto, eum, qui non potuit aliter mortem evadere ab injustè invadente, non teneri aufugere, si fugiendo maximum pateretur dedecus, quia tunc non tenetur cum tanto detrimento proprio vitare mortem injustè invadentis, nisi quandò invasus dedit causam gravem invasioni, ut quandò adulterio, vel verbis contumeliæ incitavit injuriatum ad invasionem, quod si hæc per accidens sequantur, occidens etiam in hoc casu non efficitur irregularis, *Filliuccius tom. 1. tract. 2. cap. 50. num. 533.*

Hoc tamen non habet locum in Clerico, vel Religioso, qui incurrit irregularitatem, occidendo invasorem si non fugiat cùm possit, quia Clericis non est ignominiosum fugere, juxtà illud, (cùm persecuti fuerítis in una Civitate confugite in aliam) idem dic de homine infimæ notæ, qui nullam incurrit infamiam ex fugâ: quòd si in aliquo casu Clerico fuga esset ignominiosa, tunc dicas cum *Felyno in cap. suscepimus de homicidio* non incurrere irregularitatem, ità *Filiuccius ubi suprà.*

Adverte tamen, quòd irregularitas, quam incurrit quia ex homicidio facto ad defensionem sui, non servatis requisitis, de quibus suprà, dispensari potest

ab

ab Episcopo, & ad aliud homicidium directè voluntarium solus Papa potest dispensare quoad irregularitatem, regulariter enim homicidium factum ad defensionem licèt immoderatam non punitur pœna ordinaria, qua de re *Diana ubi sup. resol.* 3.

Sequitur quinto, eum non esse irregularem, qui, cùm non possit se defendere, alteri tradit arma ad sui defensionem, si ille acceptis armis occidit invasorem dantis arma, quia sicut ille poterat se defendere ab irregularitate cum morte invasoris ita etiam potest alios convocare ad sui defensionem, illisque arma præbere: imò neque est irregularis ille, qui dat arma, si contingat eum occidi, cui arma præbuit, ut ipsum defenderet, quia mors Caii, v. g. sequitur per accidens respectu Titii, ergo non est ei imputanda ad irregularitatem, *Bonacina loc. cit. num.* 9.

Dico secundo, occidens alium ad defensionem sui honoris, & rerum suarum, non fit irregularis, si id faciat cùm moderamine inculpatæ tutelæ, ità *Covar. in d. Clem. si furiosus par.* 4 *§. ultimo*, & alii, quos sequitur *Bonacina ubi suprà num.* 10. contià *Navarrum*, *Molinam*, *Ugolinum*, *Avilam*, & alios, quos refert. Ratio nostra est, quia hic occidens talem pro defensione rerum suarum, non peccat mortaliter, ergo non incurrit irregularitatem, & videtur dicere hoc textus *in cap. quia se* 50. *dist.*

Dices primo, ergo occidens aliquem publica auctoritate non fit irregularis: patet consequentia, quia non peccat mortaliter.

Respondeo negando consequentiam, quia homicidium hujus est voluntarium, at in casu nostro est necessarium, & ille incurrit irregularitatem non ex peccato, sed ea defectu.

Dices secundo hæc conclusio repugnat sacris Canonibus; ergo non est asserenda, consequentia patet, antecedens probatur, quia repugnat *textui in cap. interfecisti*, *&c. significasti de homicidio*, ubi homicidæ dicuntur irregulares & in *Clem. si furiosus* solùm eacipitur ab irregularitate occidens aliquem pro defensione suæ vitæ, ergo pro defensione rerum suarum efficitur irregularis.

Respondetur, quòd illa jura loquuntur de occidente privata auctoritate cum peccato mortali non servàtu moderamine inculpatæ tutelæ, & in *Clem. si furiosus*, dicitur, non effici irregularem eum, qui occidit ob defensionem suæ vitæ, non verò dicitur, esse irregularem eum, qui occidit ad defensionem rerum suarum, & argumentum à contrario sensu in materia pœnali non valet, præsertim irregularitatis, quæ non incurritur, nisi sit in jure eapressa, DD. *citati*.

Dico tertio, ille, qui occidit invasorem proaimi, cum moderamine inculpatæ tutelæ non efficitur irregularis, ità contrà *Navarrum*, *Majolum*, & alios docet *Bonacina de censuris disp.* 7. *q.* 4. *p.* 7. *num.* 11. cootià multos DD. quos benè reprobat *Diana ubi suprà resol.* 5.

Probatur, quia ad hoc, ut incurratur irregularitas ex privato homicidio requiritur culpa homicidii; sed in huc casu non adest culpa homicidii, ergo. Probatur minor, quia vim vi repellere licet non solùm ad propriam defensionem, verùm etiam ad defensionem proaimi, sicut etiam docent *DD.* cum *Innocentio in cap. si vera, de sententia excommunicationis*, quòd percutiens Clericum ad defensionem proximi, licèt eatranei, non incidit in pœnam eacommunicationis, ergo neque occidens aliquem ad defensionem proaimi efficitur irregularis, nam in hoc casu licitum est argumentari à simili, cum talis irregularitas absque peccato non contrahatur, sicut neque excommunicatio.

Dices *in Clem. si furiosus* de homicidio, solùm ab irregularitate eacusatur occidens alium ad defensionem suæ vitæ, ergo occidens alium ad defensionem proaimi, fit irregularis.

Respondetur, quòd teatus ille procedit in occidente alterum voluntariè cum peccato mortali, quod non est in casu nostro, & meliùs dicas *Clementinam* prædictam dicere solùm, eum non esse irregularem, qui occidit alium ad sui defensionem, non verò dicit, eum esse irregularem, qui occidit alium ad defensionem proaimi, nec argumentum à contrario sensu valet in hac materia.

Advertunt tamen *DD. cit.* quòd ille, qui occidit alium ad sui defensionem in foro externo non præsumitur, quòd hoc fecerit ad sui defensionem, nisi probet, quia habet præsumptionem contra se, nam homicidium, & mutilatio ea sua natura mala sunt, & delicta, at in delictis præsumitur dolus. *cap.* 1. *de præsumptionibus*, & ideò non potest occidens promoveri ad ordines, vel susceptos eaercere, antequàm à Judice declaretur, Judex verò erit Episcopus, ad quem spectat decidere, an defensio fuerit necessaria, & servatum sit moderamen, ut sic declaravit Sacra Congregatio, teste *Bonacina ubi sup.* in foro verò conscientiæ statur judicio prudentis viri quomodò processerit homicidium, nam si id commisit cum debitis circumstantiis, non tenetur abstinere ab ordinibus, vel ab ipsorum usu.

In §. Clerici.

AGitur hîc, de irregularitate, quæ incurritur accusando alios criminaliter. Ad cujus intelligentiam

Dico primo, quòd si quis alium accusaverit in causa criminali, irregularitatem incurrit secuta morte, vel mutilatione propter suam accusationem, quia cooperatur ad mortem, vel mutilationem, *cap. penul. de homicid. in 6.* Quòd si accusaverit solùm petendo satisfactionem, non fit irregularis, quia licitum est alterum accusare ad seipsum indemnem servandum. Igitur pro certo habeas, quòd aut quis accusat aliquem petendo vindictam, & tunc secuta morte, vel mutilatione, efficitur irregularis, aut verò non petit vindictam, sed satisfactionem, & tunc non efficitur irregularis, ex *cap. Prælatis de homicid. in 6.* Quòd si Laïcus accuset aliquem criminaliter, cum protestatione citrà pœnam sanguinis, tunc gaudet privilegio, non secùs ac Clericus, ut scilicet non fiat irregularis, etiamsi deindè mors, vel mutilatio sequatur, quia privilegium, quod Clericis conceditur vigore *tex. in d. cap. Prælatis* est favorabile, & per consequens extendi potest etiam ad laicos: ergo sicut Clericus accusans aliquem criminaliter cum protestatione citrà pœnam sanguinis non efficitur irregularis, ità etiam laicus, si cum eadem protestatione accusaverit, ut benè docet *Bonacina loco cit. q.* 4. *p.* 2. *num.* 3.

Declaratur conclusio, ut non fiat irregularis ille, qui accusat aliquem criminaliter pro defensione suorum consanguineorum, vel suorum bonorum, si antè sententiam protestetur se accusare ad vindictam, ità contra multos, quos refert, & sequitur *Bonacina ubi sup.* docet *Avila par.* 7. *disp.* 5. *sect.* 2. *dub.* 11. *Coninch. disp.* 18. *dub.* 10. *num.* 93. & alii. Idem dic de eo, qui accusat cum tali protestatione dantem damnum Ecclesiæ, & suis subditis; vel quandò accusator accusat ad evitandum grave damnum innocentis vel Reipublicæ, quandò aliter impediri tale damnum non possit, *DD. cit.*

Nec obstat, quòd in *cap. penult. de homicid. in 6.* permittatur Clericis, & laicis in consequentiam conqueri coram Judice de malefactoribus suis, non autem alienis.

Respondetur

Respondetur enim, quòd adhuc damnum illatum his, & similibus personis conjunctis, censetur proprium, & sic sub dispositione textûs prædicti comprehenditur.

Observa tamen primo, quòd Clericus, ut possit aliquem querelare etiam cum dicta protestatione opus est, ut habeat licentiam ab Ordinario, ut querelare possit, *Navarr. cap. 27. num. 11. Majolus de irregularitate cap. 10. §. 8. Navarrus conf. 19. de homicidio*, & est *Concilium Provinciale Neapolitanum cap. 22. de vita, & honestate Clericorum*.

Observa secundo, dari multos casus, in quibus Clericus excusatur ab irregularitate accusando aliquem de crimine, & primus est, quandò crimen est adeò leve, ut non videatur dignum mutilatione, etiamsi reus posteà mutiletur, vel occidatur ex malitia Judicis, quia non censetur accusator causa efficax mortis, sed Judex sua malitia censetur causa efficax mortis, & id procedit, ait *Bonacina*, etiamsi accusator omiserit protestationem.

Secundus est casus, quandò quis accusavit aliquem de levi crimine, sed postquam reus positus fuit in carcerem, accesserunt alii accusationem præbentes aliorum criminum, ob quæ reus morti traditur, quia mors non imputatur per se accusatori.

Tertius est casus, quandò quis accusat non petendo vindictam, sed satisfactionem sibi debitam, ut suprà diximus.

Quartus est casus, quandò accusat non de injuria illata, sed inferenda, nec ipse potest aliter illa damna impedire, quàm accusando, & denunciando; idem dic de eo, qui protestatione præmissâ revelat proditionem Patriæ, quia hoc casu tenetur Clericus denunciare: hos casus legas apud *Bonacinam ubi sup. num.* 7.

Observat tertio, quòd si quis omiserit protestationem ex oblivione, vel inadvertentia, irregularitatem incurrit, quia requiritur de essentia, ut non incurratur, excusatur tamen quis in eo casu à peccato ratione oblivionis, & inadvertentiæ, quia irregularitas nedùm incurritur ex delicto, sed etiam ex defectu lenitatis.

Observa quarto, quòd talis protestatio est facienda coram Judice, apud quem opponitur querela his verbis (Domine Titius mihi damnum intulit, peto, ut cures mihi satisfactionem exhiberi ab eo, & protestor, me non intendere pœnam sanguinis, mutilationem, vel mortem) *cap. 2. de homicid. in 6.* non tamen opus est, ut hæc protestatio fiat in scriptis, quia quandò jus requirit scripturam, id dicit: *cap. 1. de senten. excommun. in 6.* debet tamen talis protestatio expressè fieri.

Quòd si quis ficto animo præmittat hanc protestationem, puta internè desiderat pœnam sanguinis, sed exteriùs præmittit protestationem, non efficitur irregularis, ut contrà *Toletum lib. 1. cap. 82. Navarrum cap. 27.* docet *Suarez disp. 47. sect. 2. Bonacina ubi sup. num. 11. cum aliis.* Ratio est, quia Ecclesia non imponit irregularitatem, ob actum internum, sed propter omissionem protestationis, & cùm simus in pœnalibus, benignior pars est accipienda, *cap. in pœnis de regul. juris in 6.*

In §. Pœnitentes.

Agitur hîc de irregularitate proveniente ex pœnitentia publica. Ad cujus intelligentiam

Suppono, quòd olim triplex dabatur pœnitentia. Prima erat Sacramentalis secreta, quæ imponebatur à Sacerdote in Confessione. Secunda erat publica, quæ imponebatur ab Episcopo, vel alterius superioris mandato ob publicum delictum, non tamen scandalosum. Tertia pœnitentia fiebat in principio Quadragesimæ cum certis ceremoniis, qua de re *in Canone in capite 50. dist.* quæ tamen nunc non est in usu. His positis.

Dico, quòd pœnitentia publica, & solemnis inducebat irregularitatem, & impediebat receptionem Ordinum, & usum susceptorum, *cap. de pœnitentibus 50. dist. cap. canones 50 dist.* Verùm quia Canones loquuntur de illa pœnitentia solemni, quæ semel in vitâ fieri solebat, meritò, cùm nunc recesserit ab usu, nulla est talis irregularitas, & ideò hodie nulla pœnitentia publica inducit irregularitatem, nisi talis sit, ut inducat infamiam, *Bonacina quæst. 3. punct. 2. num. 4.*

In §. Iis cum quatuor sequentibus.

Ponuntur in iis §§. multæ personæ, quæ ordinari non possunt, sub quorum numero, primo continentur, qui sunt obligati ad ratiocinia ob aliquod officium Curiæ, ut *cap. 1. & sequenti 50. dist.* & est totus titulus de obligatis ad ratiocinia reddenda, ubi etiam non possunt ordinari negotiis, & mercaturis vacantes, ut latè *Sylvest. in verb. ratiocinium*: antè ergo rationem redditam, ordinari non possunt etiam finito officio, non tamen est necesse debiti solutio, ut contrà *Toletum lib. 1. cap. 6.* docet *Diana par. 4. tract. 2. resol. 98.* qui etiam addit, quòd si præstiterint fidejussorem, poterunt ordinari, quod valdè nota, & habetur etiam in titulo *extrà ne Clerici, vel Monachi*; exercentes verò negotia Ecclesiastica, non prohibentur ordinari, *Abbas in cap. 1. de postulando, Canon. in cap. avaritia de elec. in 6. Sylvester. in verb. negotiatio*: artifices verò exercentes artes honestas ordinari possunt, *cap. 1. & ult. de vita, & honestate Clericorum.* Neque possunt ordinari usurarii manifesti, quòd si ordinentur, sunt deponendi, *cap. 2. 33. dist. cap. si quis Clericorum, cap. virum 47. dist.* quia tales usurarii appellantur fures, *cap. si quis 14. q. 4. cap. ex litteris de furtis.*

Sunt etiam irregulares, ut ordinari non possint, seditiosi, & ultores injuriarum, *cap. 2. in fine 22. dist.* dicitur verò seditiosus, perturbator quietis Reipublicæ, *l. 1. C. de seditiosis*, & differt seditio à bello, quia seditio est circà cives, bellum verò circà hostes, *l. hostes, ff. de captivis*: sub nomine verò seditiosi venit etiam ille, qui perturbat Ecclesiastica jura per laicalem potestatem, & isti excommunicati in Bulla Cœnæ, Fures verò occulti facta restitutione possunt ordinari. Fures verò publici nequaquàm, quia sunt infames, *cap. ex litteris de furtis.*

An verò Consiliarii Principum, v. g. Regentes, Præsides, Magistri Rationales, &c. sint irregulares ità ut sine dispensatione ordinari non possint, quæstio est? licèt prima facie videatur affirmativè respondendum, *ex c. 1. 2. & 3. 15. dist.* ubi Curiales, qui publicis functionibus occupantur, sunt irregulares, tamen ab hac regula excipiuntur Consiliarii Principum, & alii enumerati, ut benè *Suarez de censuris disp. 51. sect. 3. num. 16. Diana par. 4. tract. 2. resol. 98.*

Ille verò est irregularis, qui cùm sit adultus, baptizatur in ægritudine, *cap. si quis 50. dist.* quia licèt sit baptizatus, tamen baptismus processit ex quadam necessitate, & ideò est irregularis, *cap. postà, cap. ultimo ne Clerici, vel Monachi*, nisi tanta appareat ejus fides, quòd possit ordinari ex Episcopi dispensatione, *cap. ultimo, ne Clerici, vel Monachi.*

In §.

In §. Presbyterum.

AGitur hîc de irregularitate proveniente ex defectu natalium. Ad cujus intelligentiam

Suppono, eum dici illegitimum, qui non eſt natus ex legitimo matrimonio, ſed potiùs ex fornicatione, vel ſtupro, vel inceſtu, aut ex adulterio DD. communiter, quos ſequitur *Covarr. de ſponſalibus par.* 2. *cap.* 8. §. 3. hoc poſito.

Dico primò; illegitimus, licèt ſit occultus, eſt irregularis, *cap.* 1. *de filiis presbyterorum*, arcetur verò illegitimus ab ordinibus, tùm in deteſtationem delicti à parentibus commiſſi, tùm ob periculum incontinentiæ in prole ex imitatione paterna, tùm ob reverentiam debitam ordinibus DD. communiter. quos refert, & ſequitur *Bonacina diſp.* 7. *de cenſuris quæſt.* 2. *pun.* 3. *num.* 2.

Explicatur primò concluſio, ut non cenſeantur irregulares, & illegitimi illi filii, qui naſcuntur ex duobus, qui matrimonium contraxerunt cum aliquo occulto impedimento: ſed uterque contrahens, vel eorum unus bona fide ex probabili errore juris, vel facti contraxit in facie Eccleſiæ, id eſt coram Parocho, & teſtibus. Quòd verò iſti ſint legitimi, patet ex *textu in cap. pervenit*, & *in cap. ex tenore qui filii ſint legitimi*. Putant verò *Suarez diſp.* 50. *ſect.* 1. *num.* 11. *Filiucius*, & alii, eum eſſe illegitimum, & irregularem, qui naſcitur ex duobus contrahentibus matrimonium in bona fide: & dicunt, quòd ſi bona fides non ſit ex parte utrinſque, adeſt irregularitas. *Bonacina* verò *ubi ſup. p.* 3. putat bonam fidem requiri ſolùm ex parte unius tantùm, non verò ex parte amborum contrahentium, quod videtur colligi ex *d. cap. pervenit*.

Explicatur concluſio ſecundò, ut filii expoſiti non dicantur irregulares: ita docet *Joannes Dominicus Taſſonus in prag. de antefato, verſ.* 13. *obſerv.* 1. *num.* 78. *Squillante de privilegiis Clericorum cap.* 4. *dub.* 2. *num.* 39. Sic etiam declaravit *Gregorius* 14. *in Bulla quadam, edita anno* 1591. ut ſcilicèt habeantur pro legitimis, & ideò ſine ullo metu irregularitatis poterunt ſupradicti expoſiti ſacros ordines ſuſcipere, quia expoſiti nullo jure decernuntur illegitimi, & quòd aliquis exponatur non eſt ſufficiens ſignum, quòd ſit ſuſceptus extrà matrimonium, quia parentes ob paupertatem exponunt interdùm prolem ſuam, ergo, &c.

Explicatur tertiò concluſio, ut dubius, an ſit illegitimus, non debeat ſe gerere, ut irregularis, *Avila de cenſuris par.* 7. *diſp.* 3. *dub.* 10. *Coninch. diſp.* 181. *dub.* 12. *num.* 102. Ratio eſt, quia in aliis caſibus dubiis præter homicidium, ſi utrumque ſit æquale dubium facti, & pro utraque parte adſint rationes æquè probabiles, non tenetur quis ſe reputare irregularem, ſed poterit adhærere partibus, quòd non ſit irregularis: & ratio à priori eſt, quia nemo cenſetur irregularis, niſi in caſibus à jure expreſſis, ſed extrà caſum homicidii non exprimitur in jure, quòd in dubio ſit aliquis irregularis, ergo.

Explicatur quartò concluſio, ut non ſit illegitimus filius, quandò tempore quidem conceptionis intercedebat impedimentum dirimens, tamen eo ſublato tempore nativitatis parentes validè poterant contrahere, v. g. ſi quis carnaliter cognoſcit ſuam conſanguineam, quam poſteà impetrata diſpenſatione in uxorem accepit antequàm proles naſcatur, *Sanchez de matrim. lib.* 8. *diſp.* 7. *Sayrus de cenſuris lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 29.

Explicatur quintò, ut ille illegitimus, qui ſine diſpenſatione ad aliquem ordinem promotus eſt antequàm ipſius parentes matrimonio inter ſe conjungerentur, poſſit poſt factum tale matrimonium, per quod factus eſt legitimus, ordinem ſuſceptum exercere, & ad altiorem aſcendere, quia per illam ſuſceptionem ordinis non incurrit in novam irregularitatem, ſed tantùm ſuſpenſionem ab executione ſuſcepti, & illa, quæ erat ex defectu natalium, purgata eſt per ſequens matrimonium, per quod factus eſt verè legitimus, quia ergo nulla ei ſupereſt irregularitas, nulla opus habet diſpenſatione, & ſuſpenſio ſecuta ex illa ordinatione ceſſat, quia ceſſante cauſa ceſſat effectus, ſicut in ſimili ordinatus ante ætatem, hoc ipſo quòd advenit ætas debita poteſt ſine diſpenſatione exercere ordines ſuſceptos, ità is, qui adhuc illegitimus ordinatus eſt, poterit factus legitimus in prædictis ordinibus miniſtrare. Ità ſingulariter *Valerius Reginaldus tom.* 2. *lib.* 30.

Explicatur ſextò concluſio, ut talis illegitimus peccet mortaliter recipiendo ordines abſque diſpenſatione, quia facit contra prohibitionem Eccleſiæ in re gravi, ſicut etiam mortaliter peccat exercendo ordines ſuſceptos abſque diſpenſatione, non tamen incurrit novam irregularitatem, *DD.* apud *Bonacinam diſp.* 7. *q.* 2. *p.* 3. *num.* 13.

Explicatur ſeptimò concluſio, ut talis irregularitas poſſit tolli tribus modis. Primò per legitimationem, ſive fiat per ſubſequens matrimonium, ſive per reſcriptum Principis, ſcilicet Summi Pontificis, nam per Principem laicum legitimatus non eſt ad ordines, & beneficia habilis *Caſtro ſtc in cap. per venerabilem de electione*, *DD. ſuprà citati*.

Secundò fit habilis ad ordines quis, & ex illegitimo legitimus per profeſſionem, licèt non fiat habilis ad prælaturam, ſive ſit Religioſus, ſive monialis *cap.* 1. *ubi DD. de filiis presbyterorum*: aliqui tamen putant probabilè monialem etiam illegitimam poſſe abſque diſpenſatione eſſe Abbatiſſam, vel Prioriſſam. DD. multi, quos refert, & ſequitur *Diana par.* 4. *tract.* 2. *reſol.* 65. qui etiam notat ex peculiari conſtitutione Gregorii 14. concedi prælatis regularium, ut poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis illegitimis ad prælaturas, & dignitates, in Capitulo tamen Generali, vel Provinciali, ità *Barb. de jure Pontificio lib.* 1. *cap.* 42. *nu.* 290. Notat etiam, quòd per profeſſionem tollitur etiam irregularitas ex uſu ordinis contracta, ut ſi illegitimus in ſæculo abſque diſpenſatione ad ordines promotus fuiſſet.

Addunt verò aliqui, Religioſum illegitimum fieri per profeſſionem capacem ad ſucceſſionem paternæ hæreditatis, ità *Baldus in l.* 5. *num.* 3. *C. de ſacroſanctis Eccleſiis*; verùm opinio negativa, quòd ſcilicet non efficiatur habilis ad ſucceſſionem, probabilior eſt, quia nullo textu probatur eum ad hoc fieri habilem, *Sanchez in ſumma lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 16. *Suarez* de *cenſuris diſp.* 5. *ſect.* 5.

Tertiò fit quis habilis ad ordines ex illegitimo per diſpenſationem, quæ quidem diſpenſatio ſtrictè eſt interpretanda, & ſic diſpenſatus ad ordines non cenſetur diſpenſatus ad ordines ſacros, *Abbas in cap. litteris de filiis presbyterorum*, & diſpenſatus ad beneficium ſimpliciter, non cenſetur diſpenſatus ad beneficium curatum, & diſpenſatus ad dignitates Eccleſiaſticas, non cenſetur diſpenſatus ad Epiſcopatum, *DD. ubi ſup.* quia ut benè docet *Bonacina diſp.* 7. *q.* 2. *punct.* 3. *num.* 14. diſpenſatio eſt ſtrictè accipienda, quia eſt odium juris.

Poterit verò cum illegitimo diſpenſare Epiſcopus, ut recipiat beneficium ſimplex non requirens ordinem ſacrum, qualem requirit Canonicatus Eccleſiæ cathedralis, *cap.* 1. *de filiis presbyterorum in* 6. & ad ordines minores etiam poterit diſpenſare, ad ordines verò ſacros, vel beneficium Curatum diſpen-

ſare

ſare non poterit: immò putant aliqui poſſe Epiſcopum diſpenſare ſuper illegitimatione proveniente ex delicto occulto, ut videtur colligi *ex cap. niſi cùm pridem de renunciatione. & ex Tridentino ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *Avila de cenſuris diſp.* 3. *dub.* 7. *Bonacina* verò putat contrarium *ubi ſup. num.* 15. Tu verò teneas ſententiam, quòd poſſit Epiſcopus diſpenſare, quandò irregularitas provenit ex delicto occulto, quia ut benè *Avila*, licèt hæc irregularitas cauſet in homine quemdam defectum, tamen intrinſecè dependet à crimine parentum, ergo ſi tale crimen ſit occultum, comprehenditur ſub decreto *Trident. ſeſſ.* 24. *cap.* 6. ità etiam docet *Coninchus de Sacram. diſp.* 18. *dub.* 14. *num.* 117. *Diana par.* 2. *tract.* 15. *reſol.* 21. idem docat *Barb. de jure pontificio lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 156.

In §. Item Repellendi.

Agitur hîc, de irregularitate, quæ oritur ex bigamia. Ad cujus intelligentiam

Sciendum eſt primo, quòd habemus poligamiam, & bigamiam: poligamia dicitur, quandò quis plures uxores ſimul habet, qui graviter puniri debet, & interrogandus eſt quid ſentiat de fide, *Simancas Cathol. inſtitut. cap.* 40. & dicitur ſuſpectus de hæreſi, *Meno. h. de arbitr. judic. caſu* 420. *&* de *præſumpt. lib.* 5. *præſ.* 6. undè *per Sac. Conc. Trident. ſeſſ.* 24. *cap.* 2. excommunicantur qui dixerint, licere Chriſtianis habere ſimul plures uxores.

Bigamus verò eſt ille, qui duas uxores ducit, & dicitur bigamia propter binas conjuges; apud alios verò dicitur Digamia, & derivatur à dictione (Di) quæ dicitur à duitate, & ſic duitas conjugum eſt bigamia: definitur verò bigamia, ut ſit defectus, & irregularitas ad ordines.

Eſt etiam bigamia triplex, una interpretativa, altera vera, & alia ſimilitudinaria: vera contrahitur, quandò quis verè duas uxores legitimè duxit, & eas cognovit, *cap. deindè, cap. beatus* 26. *diſt. Barb. de poteſtate Epiſcopi par.* 2. *alleg.* 49. Bigamia interpretativa eſt, quandò partim à vera recedit, & partim illi aſſimilatur, cujus exemplum.

Primum eſt in eo, qui contraxit cum vidua à primo viro cognita, *cap. ſediatim* 22. *diſt. cap. ſi quis viduam, cap. percepimus* 34. *diſt. Epiſcopus Campanilis in diverſ. juris canonici cap.* 6. *nu.* 5. *Barb. d. alleg.* 49. *num.* 50.

Secundum eſt exemplum in eo, qui duas uxores antè baptiſmum, vel unam antè, & aliam poſt duxit, *d. cap. ſi quis viduam.*

Tertium eſt exemplum in eo, qui viduam duxit uxorem de facto, aliam verò de jure, vel ambas de facto, *cap. chriſtiane* 24. *diſt. cap. quomodo virginibus*, 31. *q.* 1. *cap. Gaudemus de divortiis, cap. nuper de bigamis.*

Quartum eſt exemplum in eo, qui duxit corruptam, puta, meretricem, vel concubinam, *cap. maritum* 35. *diſt. Epiſcopus Campanilis, & Barb. locis cit. Sanchez lib.* 7. *diſp.* 84.

Quintum eſt exemplum in eo, qui propriam uxorem adulteram cognovit poſt adulterium ſcienter, vel ignoranter, *cap. ſi cujus uxorem* 74. *diſt.* communiter *DD. cit.*

Bigamia ſimilitudinaria dicitur, quandò quis poſt votum ſolemne caſtitatis matrimonium contrahit, *cap. quotquot* 27. *q.* 1. quia, cùm quis emittit votum caſtitatis, cenſetur contraxiſſe cum Eccleſia, undè ducens poſteà uxorem, aliud matrimonium contrahit, & ſic duo dicuntur matrimonia, & ideò bigamus ſimilitudinarius dicitur, *Campanilis, Sanchez, & Barb. ubi ſup.*

Adverte tamen primo, quòd ſi quis bis contraheret matrimonium invalidè, vel cum una validè, & cum alia invalidè, vel ſi invalidè contraheret cum vidua, non efficitur irregularis, ſicut nec irregularis eſt, fictè contrahens ſecundum matrimonium etiam cum vidua: ità *Coninch. diſp.* 18. *dub.* 11. *Avila par.* 7. *diſp.* 18. *dub.* 1. *Turrianus de cenſuris lib.* 9. *diſp.* 70. *dub.* 2. Ducens verò fœminam à ſe defloratam non incurrit irregularitatem, quia non dividit in hoc caſu carnem ſuam, nec verè, nec interpretativè, cum illa non à pluribus, ſed ab uno cognita fuerit, *DD. cit.*

Adverte ſecundo, quòd ſæcularis Sacerdos, vel in ſacris initiatus, ſi matrimonium contrahit cum virgine irregularitatem bigamiæ non incurrit, quia *textus in cap. quotquot* 27. *q.* 1. ubi inducitur hæc irregularitas, ſolùm loquitur de Religioſis. Accedit alia ratio, quia alioquin ſuperfluè eſſet impoſita alia irregularitas contrà Clericos, qui poſt ordinationem contrahunt, ut in *cap. ultimo de bigamis*, quia ad hanc irregularitatem ex bigamia ſimilitudinaria ſufficeret contrahere cum virgine, ut patet ex *d. cap. quotquot.*, ità multi, quos ſequitur *Diana par.* 4. *tract.* 2. *reſol.* 39.

Adverte ultimo, quòd ſi uxor vi ab altero ſit cognita, & poſteà maritus eam cognoverit, non incurrit irregularitatem bigamiæ, quia textus requirunt adulterium uxoris fuiſſe commiſſum: ſed vim paſſa non poteſt dici commiſiſſe adulterium; ergo: ità contrà *Sanchez de matrim. tom.* 2. *lib.* 7. *diſp.* 84. docet *Diana ubi ſup. reſol.* 40.

Nec dicas ille, qui ducit in uxorem corruptam ab alio etiam vi, ſit irregularis, ergo etiam qui cognoſcit propriam uxorem ab alio cognitam.

Reſpondetur enim negando conſequentiam, quia in primo caſu eſt expreſſa deciſio juris, cùm canones ſolùm requirant, eſſe corruptam, quod etiam verificatur in ea, quæ vi corrupta eſt: at in caſu noſtro requiritur adulterium, quod nullo modo verificatur in ea, quæ vi ab alio cognita fuit.

Adverte quarto, quòd ſi quis cognoſcit uxorem poſt ejus adulterium, quod tamen non ſit notorium, ſed ignoretur etiam à marito, adhuc eſt irregularis ex bigamia interpretativa, ut benè docent *Sanchez ubi ſup. ex d. textu in cap. ſi cujus, & cap. ſi laici* 34. *diſt.* In quibus licèt videatur requiri pro tali irregularitate, ut adulterium fuerit evidenter comprobatum, tamen textus ille procedit quoad forum externum, non verò conſcientiæ. Ideò verò non requiritur ſcientia adulterii ex parte mariti, quia talis irregularitas inducitur ex defectu ſignificationis, quia ſcilicet dicitur adultera, quod verè eſt in noſtro caſu, & ideò cognoſcens poſteà uxoris delictum ſoluto matrimonio debet abſtinere *DD. citati.*

Adverte quinto quòd ad incurrendam irregularitatem ex bigamia requiritur ſeminis emiſſio intrà vas femineum, quod ſi non fuerit emiſſum, poterit promoveri ad ſacros ordines ſi res fuerit occulta ſine ulla diſpenſatione, *Sanchez ubi ſup. diſp.* 83. *Megala* 3. *par. lib.* 7. *cap.* 1. *num.* 65. & addit *Sanchez* cum aliis, quòd non ſufficit ſolum viri ſemen, ſed requiritur ſemen femineum, ut neceſſarium ad conſummationem matrimonii. His poſitis.

Dico primo, bigamus ex vera, vel ſimilitudinaria bigamia, aut interpretativa eſt irregularis, & ſic inhabilis ad ordines, & ad beneficia, *cap.* 1. 2. *&* 3. *de Bigamis, Trid. ſeſſ.* 23. *cap.* 17. *de refor. matrimonii*, quia bigamus non ſignificat unam Chriſti cum Eccleſia conjunctionem; tùm quia difficile poteſt bigamus, aliis caſtitatem perſuadere, quam præſertim habere debent ſacris ordinibus initiati, *cap. una* 26. *diſt.* tùm quia bigamia eſt ſignum incontinentiæ, *cap. prepoſuiſti* 82. *diſt.*

Non verò dicitur bigamus, qui multiplicatas commisit fornicationes, vel adulteria ex parte sua, quia non omnis copula ex parte viri sufficit ad bigamiam, sed copula habita cum iis, cum quibus contraxit matrimonium; *DD. cit.*

Si verò quæras curiosè, cur vir ducendo feminam ab alio cognitam, fiat bigamus, contrahens verò cum femina virgine, non fiat irregularis, licèt ipse pluriès fornicatus sit?

Respondetur, id esse ex eo, quia matrimonium specificatur à femina, quæ est terminus ad quem, & sic, cùm caro feminæ jam corrupta sit, consequenter matrimonium divisum dicitur, & caro conjugum divisa, ideò si femina esset capax ordinis, utique esset irregularis, ducendo virum fornicarium, sicut ipse vir est bigamus contrahendo matrimonium cum eâ, quæ fuit carnaliter ab alio cognita.

Dico secundo, Infidelis, qui sæpiùs contraxit in infidelitate, fit bigamus, & irregularis suscepto baptismo; communiter Theologi, quos sequitur *Bonacina ubi sup. punct.* 5. *num.* 13. Ratio est, quia Baptismus non tollit conjugia, licèt tollat delicta quoad culpam, vel pœnam; ergo non tollit bigamiam ex conjugio provenientem.

Dices primo, quia Infidelis non est subditus legibus Ecclesiæ.

Respondetur, quòd bigamia non cadit super Infidelem pro tempore infidelitatis, sed super ipsum jam baptizatum: Ecclesia enim eum facit irregularem ob suspicionem incontinentiæ, eo quòd bis contraxerit matrimonium, vel ob indecentiam, quia contraxit matrimonium cum corruptâ, *DD. ubi sup.*

Dices secundo, quia si Infidelis occidat aliquem pro tempore infidelitatis justè, vel injustè, non fit irregularis, ergò ità in casu nostro.

Respondetur negando consequentiam, quia jura solùm imposuerunt irregularitatem propter homicidium patratum post baptismum, *cap. si quis viduam* 3. *dist. cap. si quis post baptismum* 51. *dist.* ergo.

Dico tertio, Summus Pontifex dispensare potest in quacumque bigamia, quia est de jure communi canonico, *Taletus lib.* 1. *cap.* 63. *Henriquez lib.* 14. *cap.* 20. & alii communiter, quandò verò *Apostolus ait ad Timotheum* 1. Episcopum debere esse unius uxoris virum, tale præceptum non fecit tanquàm Apostolus, & ut à Deo conditum, quia, ut sic, bigamia esset de jure divino, sed id fecit Apostolus, ut particularis Doctor: & Summus Pontifex potest dispensare in legibus latis ab Apostolis tanquàm Episcopis.

Dico quarto, Episcopus dispensare non potest in bigamia vera, vel interpretativa, *cap. super eo de bigamis*, de communi testatur *Joannes Maria Belletus Episcopus Iracensis in disquis. Cleric. par.* 1. *in titulo de disciplina Cleric. §.* 6. *num.* 51. sic fuisse decisum in Sacra Congregatione Cardinalium testatur *Franciscus de Leone in Thesauro fori Eccles. par.* 2. *cap.* 8. *num.* 36. *Barb. de potestate Episcopi par.* 2. *alleg.* 49. *num.* 25. non desunt alii tamen, qui doceant contrarium, quos refert, sed non sequitur *P. Diana par.* 4. *tract.* 2. *resol.* 61.

Quod idem ampliant hoc tempore DD. ad suscipiendos minores ordines, vel ad beneficium simplex, ut declaravit Sacra Congregatio apud *Garsiam de benefic. par.* 7. *cap.* 6. quia Episcopus dispensare non potest in bis, quæ sunt disposita per *Trid.* & jus commune canonicum, sed ità est in casu nostro, ubi prohibitio est de jure communi canonico, *cap.* 1. *de bigamis in* 6. *Trid. sess.* 23. *de reform. cap.* 17. ergo. Sic etiam decisum in curia Archiepiscopali nostra docet *Riccius par.* 4. *dec.* 331. *nu.* 8. licèt contrarium dicant multi relati per *Dianam par.* 4. *tractat.* 2. *resol.* 62.

Explicatur conclusio, ut possit Episcopus dispensare in bigamia similitudinaria cum eo, qui contraxit cum virgine, jure sibi hoc concedente, *cap.* 1. *qui Clerici, vel voventes*, quod intellige secundùm opinionem eorum, qui dicunt considerari bigamiam similitudinariam etiam in sæcularibus contrahentibus post votum solemne castitatis: at quia apud nos hæc opinio non est vera, meritò non opus est dispensatione.

Explicatur conclusio secundò, ut possint Prælati regulares dispensare super bigamia vera, vel interpretativa cum suis subditis, ità docent *Avila de censuris par.* 7. *disp.* 8. *dub.* 4. *concl.* 8. *Henriquez lib.* 7. *de matrim. cap.* 6. *num.* 11. alii verò tutiùs putant, id non posse Prælatos facere: ità docet *Barb. de potestate Episcopi par.* 2. *alleg.* 49. quia nullum reperitur privilegium, quod hoc concedat Prælatis regularibus, *P. Diana par.* 4. *tract.* 2. *resol.* 63.

In §. Ejecta.

Agitur hîc de irregularitate proveniente ex infamia: ad cujus intelligentiam

Sciendum est primo, quòd infamia alia est juris, alia facti: infamia juris, est, quandò quis committit delictum, cui imposita est à jure canonico, vel civili, pœna infamiæ, quod delictum est Apostasia à Fide, raptus mulierum, perjurium in judicio, simonia, sodomia, hæresis, ejusque favor, crimen læsæ Majestatis, persecutio Cardinalium, crimen usuræ, duellum, pugna publica cum feris, matrimonium cum duabus simul, Lenocinium, prostitutio propriæ filiæ, vel neptis, matrimonium cum meretrice, vel repudiata, *cap. si quis viduam* 34. *dist.* quam tamen infamiam, ut incurrat quis, requiritur, ut factum sit notorium majori parti vicinii, vel Collegii, vel loci, in quo quis degit, quamdiù enim delictum est, occultum, delinquens non videtur infamis.

Secundo potest infamia contingere per diffinitivam sententiam Judicis, quandò videlicet aliquis damnatus est à Judice de re gravi scilicet de aliquo crimine, quod afferat infamiam, ut de furto, &c.

Tertio contingit, quandò delinquens confessus est crimen suum in judicio, nam talis confessio efficit delictum publicum.

Infamia facti dicitur illa, quæ consurgit ex delicto, quandò committitur delictum, quod censetur infame apud graves, & honestos viros, quod delictum publicum esse debet, seu notum majori parti vicinii, crimen enim occultum non parit infamiam, *DD. ubi sup.* His positis.

Dico primo infamia juris facit hominem irregularem, & inhabilem ad ordines suscipiendos, & exercendos susceptos, DD. communiter apud *Bonacinam ubi sup. q.* 3. *num.* 4. & probatur ex *cap. infames* 2. *q.* 1.

Ampliatur in infamia facti, quæ facit homines irregulares, & inhabiles ad recipiendos ordines, quamdiù delinquens non fuerit emendatus, *cap. infames* 6. *quæst.* 1. *& ex cap. infamibus de regulis Juris in sexto*, quia verò per emendationem aufertur infamia facti, meritò tollitur etiam irregularitas indè consurgens, quia cessante causa, cessat effectus, *cap. cum cessante de appellat. DD. in præsenti.*

Limitatur conclusio, quandò delictum est occultum, quia tunc infamia, indè resultans, non causat irregularitatem, *Covarr. lib.* 3. *var. cap.* 3. *Coninch. de censuris disp.* 18. *dub.* 7. *Avila de censuris par.* 7. *disp.* 4. *dub.* 7. *concl.* 1. qui docent, quòd nullum crimen, quantùmvis enorme, inducit hanc irregularitatem, si non sit notorium, præter homicidium, *cap. ex tenore de tempor. ordin.* & ideò benè nota, quòd simonia in ordine

ordine, si sit occulta, non inducit irregularitatem, quia non invenitur textus expressus, in quo talis irregularitas infligatur, & licèt *textus in cap. Inquisitioni de accusation.* videatur id dicere, tamen simonia per illum textum, ut attentè legenti patebit, non inducit irregularitatem, sed suspensionem, & addit *Avila loco cit. concl.* 7. simoniam in beneficio non inducere irregularitatem, etiamsi publica sit, quod antea docuit *Henriquez, lib.* 13. *cap.* 27.

Ex quo benè adverte, quòd Sacerdos publicus concubinarius, vel adulter post peractam pœnitentiam, & vitæ emendationem publicam elapso aliquo spatio temporis sine dispensatione poterit celebrare, quia ex infamia facti non oritur irregularitas simpliciter dicta, & indelebilis, sed delebilis per emendationem.

Dices ex *cap. præter* 32. *dist.* & *cap. si qui sunt* 81. *dist.* & *ex cap. ultimo* de *cohabit. Cleric.* & *mulierum*, habetur, quòd Clerici concubinarii notorii suspensionem contrahunt ab officio, ergo, &c.

Respondetur hanc suspensionem esse consuetudine sublatam, ut docet *Sotus in* 4. *dist.* 1. *q.* 5. *ar.* 6. & alii, quos sequitur *Layman. lib.* 1. *Theolog. moralis, tract.* 5. *par.* 1. *cap.* 4. *num.* 11.

An verò damnatus ad triremes efficiatur irregularis quæstio est? & affirmant *Barb. de potestate Episcopi par.* 2. *alleg.* 43. *num.* 15. *Lezzana in summa quæstion. regular. cap.* 16. *num.* 32. *Campanilis in diversf. juris canonici, rubrica* 11. *cap.* 18. *num.* 16. Negant verò hos tales esse irregulares, *Riccius dec.* 119. *par.* 1. Ratio est, quia non incurritur irregularitas, nisi in casibus in jure expressis, quod idem dicas de pœnis infamiæ, *glossa in cap. infamibus de regulis juris in* 6. sed nunquàm legimus condemnatum ad remigandum contrahere infamiam, *ex Borrello cons.* 52. ergo non est irregularis condemnatus ad triremes, nec per consequens privandus voce, si sit Monachus, in capitulo.

Dico secundo infamia auferri potest quatuor modis. Primo per emendationem. Secundo per Episcopum, qui dispensare potest in infamia resultante ex adulterio & aliis criminibus adulterio minoribus. Tertio tollitur per baptismum, quia cùm infamia sequatur peccatum, ergo sicut per baptismum tollitur peccatum, ita omnis etiam infamia. Legas *Bonacinam disp.* 7. *q.* 3 *punct.* 1. qui addit etiam, quòd infamis in uno loco non potest ordinari in alio, quia alioquin migraret ad alium, ibique ordines susciperet, & sic finis legis frustraretur.

In §. Cavenda cum omnibus sequentibus.

Agitur hîc de irregularitate proveniente ex vitio corporis. Ad cujus intelligentiam,

Sciendum est, quòd aliqui corporis defectus inducunt irregularitatem, quamdiù ordines exerceri non possunt ex talibus defectibus, ut sunt membris mutilati, vel debilitati, vel manus habentes immobiles, & tremulas, ut adsit periculum effundendi calicem, &c. Hoc posito,

Dico primo, omnis defectus, qui impedit usum, & exercitium ordinis, vel causat notabilem deformitatem, producit irregularitatem, veluti est nasi amputatio, privatio unius oculi, insignis macula in oculo, quæ pariat notabilem deformitatem, sic colligitur ex *cap.* 2. *de Clerico ægrotante*, & *ex cap. ultimo de corpore vitiatis*, quod intellige sivè tale vitium sit contractum ex culpa; sivè justa, sivè injusta causa. Ratio, in qua fundatur talis irregularitas est, quia æquitas naturalis dictat, eum non esse ad ordines promovendum, qui nequit ordines exercere, vel terrorem incutit adstantibus, *Suarez de censuris disp.* 50. *sect.* 2. *nu.* 16. ex quo

Infertur, non esse irregularem eum, qui habet maculam in oculo non generantem notabilem deformitatem, nec est irregularis, qui habet unum oculum grandiorem, vel grossiorem altero, vel utrumque præeminentem. Sic irregularis dicitur, qui nasum haber ità distortum, vel magnum, ut adsit notabilis deformitas judicio Episcopi: sic qui habet labia penitùs corrosa, vel abscissa; irregularis dicitur, sic irregularis dicitur qui habet nodum linguæ, ut vix possit exprimere verbum integrum, quia talis censetur ineptus ad functiones ordinis; sic irregularis dicitur surdus carens utraque aure, ita ut nullo modo possit audire, quòd si quis fiat surdus postquàm est effectus Sacerdos, poterit Missam submissè celebrare, non tamen est admittendus ad Missam solemnem celebrandam, ne excitet risum faciendo aliquid extrà tempus: quòd si quis sit tantùm una aure surdus, non videtur, irregularis, *DD tit.* à *Bonacina disp.* 7. *q.* 2. *punct.* 2. *num.* 7. sic irregularis est monstruosus, ut habens duo capita, quatuor manus, vel vultum adeò fœtidum, ut ipsis intuentibus incutiat risum, aut horrorem, *cap. qui in aliquo* 51. *dist.* sic Hermaphroditus est irregularis, quandò scilicet est particeps sexûs masculini, & feminini, *cap. si testes* 4. *q.* 2. immò Hermaphroditus repellitur etiam à professione *DD citati.*

Infertur secundo, eum esse irregularem, qui aliquo caret pede, quia caret membro patente, ex cujus carentia inducitur deformitas, sic irregularis dicitur ille, qui indiget baculo, ita ut non possit per seipsum accedere ad altare, & ibi functiones absque baculo exercere, *cap. si quis in infirmitate* 55. *dist. cap. nullus Episcopus* 1. *dist.* sic est irregularis ille, cui necessarius est pes ligneus ad altare, etiamsi non careat vero pede, *DD. ubi sup.*

Infertur tertio, laborantes morbo caduco, esse irregulares, *cap. maritum cap. communiter* 32. *dist.* quòd si semel in mense cadant in terram absque clamore, vel spumarum emissione, possunt celebrare adjuncto alio Sacerdote jejuno, qui perficiat Sacrificium, si fortè, incœpto canone, alter corripiatur morbo caduco, *cap. nuper.* 7. *q.* 2. & poterit Episcopus videre an sit perfectè liberatus facta observatione 30. dierum, *d. cap. nuper.*

Infertur quarto, Amentes, vel furiosos esse irregulares, nec posse absque approbatione Summi Pontificis. (cui constare debet de sanitate mentis recuperata) celebrare, licèt omninò sint liberati. Sic irregulares sunt Dæmoniaci, quorum corpora à Dæmone obsidentur, vel semel fuerunt obsessa, *cap. maritum* 2. *cap. Clerici* 4. 33. *dist.* Quòd si quis sit à Dæmone obsessus post ordines susceptos, poterit exercere ex dispensatione Episcopi ordines, modò constet, non fuisse illum vexatum à Dæmone spatio unius anni, *cap. communiter* 33. *dist. Coninch. de Sacram. disp.* 18. *dub.* 13. *num.* 107. Poterit verò ad ordines minores promoveri ille, qui liberatus est ab obsessione Dæmonis, quia in *d. cap. Clerici*, dicitur non posse ad superiorem sacri regiminis gradum ascendere, *DD. cit.*

Infertur quinto, non esse irregularem eum, qui caret lumine, & visu oculi dexteri, modò habeat utrumque oculum integrum, quia tale vitium non impedit usum ordinis, nec inducit notabilem horrorem, vel deformitatem: nec est irregularis Gibbosus, nisi sit Gibbositas conjuncta cum nimia deformitate, vel debilitate, veluti si Gibbosus nequeat se erigere, vel stare erecto capite; nec est irregularis ille, qui habet ventrem pinguem, ita ut non pariat notabilem deformitatem, quòd si habeat nimis pinguem, tunc erit irregularis, *DD, ubi suprà.*

Infertur sexto, non esse irregulares Æthyopes, ut contrà *Majolum de irregularitate lib. 1. cap. 21.* docet *Gavantus in Enchyridio Episcoporum, in verb. irregularitas num.* 18 & mihi probabiliter videtur sic dicendum, eo quia non solent Æthyopes horrorem parere; sicut nec est irregularis habens sex digitos, quotiès digitus superfluus non impedit usum aliorum digitorum, ut accidit quandò index, & pollex sub communi ungue existunt, quia tunc non est magna difficultas in hostia contrectanda. Nec est irregularis ille, qui habet crura distorta, dummodò talis deformitas tegi possit auxilio vestium.

Infertur septimo, eum esse irregularem, qui caret parte digiti pollicis, vel indicis, quibus elevatur eucharistia. Sic Irregularis est, qui laborat febri continua, secùs si febris sit quartana, vel febricula quædam levis, quæ non impediat Missæ celebrationem: sic irregularis est qui laborat gravi dolore capitis, ut periculum subeat in celebrando, sic irregularis est, laborans morbo gallico, qui foris appareat, & horrorem, vel scandalum generet, argum. *textus in cap. 2. de Clerico ægrotante.* Sic est irregularis laborans peste ob periculum infectionis aliorum, sic laborans lepra, vel multâ scabie, dummodò efficiatur valdè deformis, *cap. tua nos*, ubi *DD. de Clerico ægrotante.* Nec est irregularis maficiatus, qui ratione maleficii perpetui est inhabilis ad contrahendum matrimonium, quia stante tali impedimento castior apparebit, *Bonacina ubi sup. cum aliis.*

Infertur octavo, eum, qui non potest degustare vinum eo quòd illud evomat, esse irregularem, quia sacrificium Missæ sub utraque specie fieri debet, quòd si sequamur sententiam eorum, qui dicunt consecrationem sub utraque specie esse de jure Ecclesiastico, ut docent *Tabiena in verb. Eucharistia, Navarrus cap. 25.* & alii, poterit Summus Pontifex cum tali dispensare: secundùm nostram verò sententiam Summus Pontifex dispensare non potest, quia est de jure divino, ut fiat sub utraque specie, ut dicemus in *§. constat de Sacramento Eucharistia*, & docet *Filiuccius tractat. 4. cap. 3. num. 64.*

Quandò verò Sacerdoti accideret talis defectus, postquàm esset ordinatus Sacerdos, tunc poterit uti Sacerdotio, excepta celebratione, sicut ille, cui advenit amputatio pollicis, vel indicis post Sacerdotium, poterit reliqua Sacerdotis officia facere, licèt non possit hostiam elevare, sic Sacerdos cœcus poterit confessiones audire, quas etiam audire potest Sacerdos, qui suscepto Sacerdotio morbo caduco corripitur, *cap. presbyterum*, ubi *DD.* de *Clerico ægrotante*, *DD. ubi sup.*

Dico secundo irregularis est ille, qui habet carentiam membri, vel partis membri etiam occulti, dummodò inducatur ex carentia notabilis deformitas, & impediatur executio ordinis, *qui partem 55. dist.* Ideò irregularis est ille, qui spontè sibi membrum, vel membri partem, v. g. digitum, vel partem digiti ex indignatione, vel impatientia abscidit, quæ irregularitas inducta est ob sævitiam injustam in seipsum, seù potiùs ex delicto, quàm defectu, & ut incurratur hæc irregularitas requiritur, ut notorium sit sibi abscidisse partem membri ex indignatione, *Bonacina ubi sup. num. 35. Diana tract. 2. resol. 60.*

Quandò verò quis sua culpa ab aliquo fuit mutilatus, & membrum est occultum, nec impediens usum ordinis, nullo modo erit irregularis, ut docet *Turrianus lib. 9. de censuris disp. 62. dub. 4.* nam Jura imponentia hanc irregularitatem, omnia loquuntur de eo, qui propria culpa, seipsum mutilat ex indignatione, aut zelo aliquo indiscreto, ut colligitur *ex cap. si quis 1. 2. & 3. & cap. is; qui 55. dist. cap. maritum 33. dist.* aliqui verò volunt, quòd ut incurratur talis irregularitas: satis si ei propria contingat mutilatio etiamsi ab alio fiat: undè qui sibi amputavit virilia, vel sibi amputari permisit, est irregularis; si id absque justa causa fecerit, *cap. si quis absciderit 55. dist.* Quòd si testes sibi amputari permiát cum justa causa, non est irregularis, nec tenetur testes abscissos, vel eorum cineres secum deferre, ut docet vulgus. Ille verò, cui virilia sont abscissa in pœnam delicti, est irregularis, veluti si Clerico amputentur virilia à marito in pœnam delicti, scilicet adulterii commissi cum uxore, cum qua turpiter inventus est, vel si amputentur à Judice, quia talis amputatio propria culpa censetur facta; sic irregularis est, qui sibi virilia permisit amputari ob cantum, vel etiam causa castitatis, quia non licet causa castitatis alicui se hoc modo secare, cùm non sit talis secatio medium ad castitatem; immò secti, & amputati majoribus stimulis carnis vexantur, *DD. ubi sup.*

Dico tertio Summus Pontifex tantùm dispensare potest in irregularitate proveniente ex defectu, vel ex deformitate, vel infirmitate, ità colligitur *ex textu in cap. significasti, de corpore vitiatis, Sayrus de censuris lib. 6. cap. 8. num. 16.* Episcopus verò poterit judicare utrùm defectus, vel deformitas inducat irregularitatem, *cap. 2. de corpore vitiatis.* Quantum verò attinet ad regulares, id ad suos superiores minimè spectare docet *Barb. de potestate Episcopi, par. 2. alleg. 42. Episcopus Campanilis in diversorio juris canonici rubrica* 11. *cap.* 17. verùm contrarium docent *Avila par. 7. disp.* 3. *dub.* 2. *Layman. lib. 2. tract. 5. par. 5. cap.* 7. & alii apud eos, quia hoc pertinet non ad characterem Episcopalem, sed ad jurisdictionem Episcopalem, quam ipsi Prælati habent in suos subditos, docent verò prædicti DD. quòd est in potestate Episcopi deindè ordinantis an voluerit approbare arbitrium illud à Prælato factum circà talem defectum.

An verò possit Prælatus Religionis dispensare, quandò subditus caret pede, & ambular cum pede ligneo quæstio est? affirmat enim *Villalobos in summa tom. 1. tract. 21. diffic. 9. num. 21. Rodriquez in compendio quæstion. regular. resol. 52. num. 16.* Alii verò id negant, & probabiliùs, quia talis est notabiliter deformis; legas *Dianam par 4. tract. 2. resol. 75.*

Posset tamen Prælatus dispensare cum suo Religioso, si careat oculo dextero, & licèt orbatio oculi sinistri inducat irregularitatem, tamen si oculus dexter tali polleat virtute, ut sine deformi conversione faciei canon legi possit, non erit irregularis, ad quam rem deservire potest missalis accomodatio, ità *Layman lib. 2. tract. 5. par. 5. cap. 7. & Diana ubi sup.* consuluit potuisse Prælatum cum suo subdito, & maximè in occulto dispensare ad offerendum sacrificium Missæ, qui Sacerdos ob manus tremulas, vel ob Chyragram, vel alio impedimento laboraret, ut non posset servare omnes ceremonias in celebratione Missæ consuetas, modò talis impotentia non esset tanta, ut ex ea grave oriretur scandalum, & dispensatus posset sine periculo explere ministerium maximè sine sanguinis effusione, si habet manus tremulas: DD. ubi sup.

Explicantur aliæ irregularitates in titulo nostro non enumeratæ.

ULtrà suprà enumeratas irregularitates, sunt aliæ non enumeratæ in nostro titulo.

Prima

Prima est irregularitas, quæ contrahitur per exercitium ordinis, quem quis non habet; si enim Clericus ministrat in ordine sacro, quem non habet sciente, & seriò, efficitur irregularis, *cap. 1. & 2. de Clerico non ordinato ministrante*, ubi præter excommunicationem comminatoriam imponitur etiam irregularitas (ibi nunquàm ordinetur) putat verò *Suarez de censuris disp. 2. sect. 3. num. 22. & disp. 42. sect. 4.* talem irregularitatem impedire solùm, ne ad superiores ordines promoveatur, & suspendere ab executione ultimi ordinis suscepti.

Hanc tamen excommunicationem, & irregularitatem non incurrit laicus ministrans, quia jura absolutè loquuntur de Clerico, & hìc sumus in materia odiosa: undè laicus celebrans Missam, vel sacramentaliter absolvens, irregularitatem non incurrit, ut contrà multos docet docet *Sayrus lib. 7. cap. 10. nu. 6. Bonacina de censuris disp. 7. q. 3. punct. 6. num. 1.* Ratio est, quia *textus in cap. 1. de Clerico non ordinato ministrante* est positus in titulo de Clerico non ordinato, ergo de clericis, non laicis intelligi debet *Diana resol. 77.* Neque eam incurrit administrans credens se habere talem ordinem, cùm non habeat, nec eam incurrit ministrans jocosè, & per repræsentationem, sicut nec eam incurrit, qui se exercet in Missa celebranda, antequàm ordinetur, ne erret postea. Nec eam incurrit ministrans in ordine minori; quòd si clericus canat Epistolam sine manipulo, irregularitatem non incurrit, quia ad incurrendam irregularitatem, requiritur exterior solemnitas, qua ordo exerceatur, & ille, qui canit Epistolam sine manipulo non exercet exteriorem solemnitatem, cùm ad eam solemnitatem requiratur ornamentum vestium; quòd si canat cum manipulo, & dalmatica, non intendens exercere ex officio, sed solùm supplere defectum Subdiaconi, neque irregularitatem incurrit, quia non dicitur ex officio propriè exercere, nec actua completus dici potest, cùm requiratur actus internus, seu intentio.

Non verò esset irregularis Clericus referendo in Choro munus Hebdomadarii proprium Sacerdotis, cùm ipse non sit Sacerdos, nisi hoc mala fide faciat, ut sic declaratum, & decisum refert *Bonacina ubi sup.*

Observat tamen, quòd in irregularitate contracta per exercitium ordinis, quem quis non habet, potest solùm Summus Pontifex dispensare; ut accedat ad ulteriores ordines, quia ad ipsum pertinet dispensare in jure communi: Episcopus verò dispensare poterit, ut exerceat susceptos ordines, immò etiam, ut alios suscipiat, modò delictum sit occultum, ut *ex Trid. sess. 24. de refor.* docet *Bonacina ubi suprà, P. Diana par. 4. tract. 2. resol. 77.*

Secunda irregularitas est, quæ contrahitur medendo, vel Chyrurgiam exercendo; laicus enim Chyrurgiam exercens, vel medicinam, si ejus culpa ægrotus moriatur, fit irregularis: secùs verò si nulla ejus intercedit culpa; sic illi, qui infirmorum curam habent, si culpabiliter se gesserint, ut scilicet sint acceleratiouis mortis causa, erunt irregulares; si verò diligentiam adhibuerint, nullo modo erunt irregulares; Medicus verò, qui habens remedium certum, dederit infirmo remedium dubium, efficitur irregularis; secùs, si certum remedium non haberet, & ipse videns salutem infirmi jam desperatam adhibeat remedium dubium, *Bonacina disp. 7. q. 4. punct. 5. num. 3.*

An verò Clericus in sacris exercens Chyrurgiam per incisionem, vel adustionem sit irregularis morte secuta, licèt adhibeat necessariam diligentiam, quæstio est?

Affirmant enim multi esse irregularem, quia dat operam rei illicitæ; ergo erit irregularis, sic determinatur *in cap. tua nos de homicid.*; communis DD. Schola apud *P. Dianam par. 4. tract. 2. resol. 23.* qui tamen probabile etiam docet oppositum, & notat etiam primo posse Clericos, & Monachos in sacris in necessitate extrema, quandò non est alius Chyrurgus (ut potest accidere tempore pestis) exercere Chyrurgiam. Secundo notat Monachum, vel Clericum, qui applicat emplastrum mollificativum, quo apostema se aperit, & mors sequitur sine ejus culpa, non esse irregularem, quia *in cap. tua nos* agitur de scissione, & adustione. Notat tertio, quòd si supradicti, secundùm artis prudentiam jubeant incisionem, & adustionem, si mors posteà sequatur, non incidunt in irregularitatem, quia pœna lata contrà facientes, non ligat mandantes, vel consulentes, nisi exprimantur, sic nec est irregularis ille Clericus, qui secundùm artem abscidit, vel adussit, quandò mora est secuta propter morbi gravitatem, & non adustione, vel abscissione, *Diana ubi sup.*

Addunt etiam DD. citati, posse Religiosos, & Clericos in sacris incidere venam, sine ullo metu irregularitatis, quia talis incisio non est actus pertinens ad Medicos, sed potiùs ad tonsores, sed Clericis non est prohibitum sub pœna irregularitatis tonsorum artem exercere, sed solùm Medicorum, & Chyrurgorum, ergo, ità docent *Molina de justitia, & jure, tom. 4. disp. 75. nu. 4. Diana ubi sup. resol. 24.* licèt contrarium putet *Bonacina loco citato punct. 5. num. 50.*

Adduot tandem, Clericos, in minoribus, quamvis habeant beneficium, posse exercere artem medicam, & Chyrurgiam, abscindendo, & adurendo secundùm artem, quod etiam extendit ad Religiosos, si non sint Subdiaconi; ideò *Felinus textum in cap. tua nos de homicidio*, intellexit de Religioso Sacerdorte, *DD. cit.*

Tertia irregularitas est, quæ contrahitur ob bellum: si enim quis occiderit alium in bello, fit irregularis. *cap. petitio tua de homicidio*, sive bellum sit justum, sive injustum, quòd si diviso exercitu unus pars aliquos occiderit, alia verò minimè, tunc illa prima pars incurrit irregularitatem; secunda verò minimè, nisi conperata fuerit ad aliquid, *DD. cit.*

Hanc tamen irregularitatem non incurrit consulens alicui Principi bellum justum contrà alium, quia *in d. cap. petitio tua* fit solùm sermo de interficiente, legas *textum in cap. hortatu, & precibus 23. q. 8. cap. omni timore 23. q. 8.* Undè Clericus non fit irregularis consulens bellum justum, nec in bello justo pugnans, dummodò ipse non mutilet vel occidat; in dicto enim textu solùm dicitur esse irregulares occidentes, vel mutilantes in bello justo, non verò alios quomodòlibet interessentes, nisi per seipsos mutilent, vel occidant: sicut nec est irregularis vendens arma in bello justo, etiamsi arma sint offensiva: qui verò præbet arma in bello injusto, est irregularis, quia ipsi imputantur homicidia, quæ sequuntur DD. ubi suprà.

Quarta irregularitas est, quæ contrahitur ex defectu lenitatis, seu mansuetudinis, quæ à Judice, vel ejus cooperatoribus committitur: undè Clericus, qui justè cooperatur ad homicidium, vel mutilationem, secuto effectu, fit irregularis, defectu lenitatis, quæ impedit ordines suscipere, & susceptos exercere, *cap. fin. ne Clerici, vel Monachi in 6. cap. si quis viduam, cap. Clericus 50. dist. cap. in Archiepiscopatu de raptoribus, Clem. unica de homicidio*, ideò etiam, qui mortem accelerat ex defectu lenitatis, ditur irregularis: ideò satellites torquentes reum ad extorquendam veritatem, consultores in causa sanguinis, sunt irregulares, qui verò consultus super aliquo facto

facto à Judice, dicit ei,esse mutilandum, vel occidendum, est irregularis; quòd si solùm dicat opinionnes nihil con ulendo in particulari, non esset irregularis.

An verò sit irregularis Episcopus, si concedat licentiam Judici laico exhumandi corpus occisi ab Ecclesia ad finem capiendi informationem de delicto in genere, quæstio est? & communiter respondent negativè; ideò *Julius Lavorius in suis variis lucubrat. tit. 2. cap. 7. num. 31. Riccius in praxi tom. 1. resol. 453.* sic fuisse decisum in nostra Curia Archiepiscopali docet *Genuensis in praxi cap. 42. num. 10.* Ratio est, quia ad incurrendam irregularitatem ex defectu perfectæ lenitatis requiritur quòd actus, qui fit, sit causa proxima, & directa in mortem, vel mutil tionem influens, n n autem causa remota, ut latè docet *Turrianus de censuris l b. 9. disp. 66 dub. 3.* Sed in nostro casu actus ostendendi cadaver occisi est remotissimus, & de sua natura non directus ad mortem, vel mutilationem, & Episcopus nihil operatur; sed solùm permittit exhumari corpus, & capi informationem; ergo, &c.

Hanc etiam irr gularitatem incurrunt comitantes reum ad patibulum causa securitatis. sic custodes carceris afferentes claves, aut aperientes ostium carceris, ut indè reua ad mortem ducatur, fabricantes furcam ad suspendendum aliquem, vel docentes carnificem in casu particulari, quo odò se habere debeat, sic ille, qui dicit reo ascende scabilam vel suppone caput, ad excipiendum ictum, est irregularis: sic si dicat quis ministro ut gladium acuat, vel citò faciat. Sacerdos verò, qui removet crucem, quam tenebat antè reum, aut qui carnifici dicit, nemo te impedit,fungaris offi io tuo; quia functus sum meo in exhortatione,& in Confessione. non est irregularis,quia talis modus, per se non influit in mortem; nec est irregularis Sacerdos qui reo dicit, ut ascendat unum gradum schalæ,vel si. ùm vehitur una cum reo in curru,casu instigat jumentum,vel inadvertenter dicit (ci pergamus) non intendens acc elerationem mortis DD ubi sup.

Confess rius tamen non est irregularis, quandò pœnitenti nolenti punire reum pœn mortis dicit, se non posse illi beneficium absolutionis impendere, nisi firmiter propon at reum punire: sicur nec fit irregularis, si hortatur pœnitentem juridicè interrogatum, ut dicat veritatem in judicio, etiamsi reus ob confessionem veritatis puniendus sit pœna mortis, quia hortatur ad id, ad quod tenetur, & præstat munus suum; sicut excusatur etiam quandò persuadet, ut injustam appellationem non proponat, DD. ubi sup.

Rogabis, quis possit dispensare in irregularitate proveniente ex defectu lenitatis?

Respondetur secundùm multos DD. non posse Episcopum dispensare; alii verò docent Episcopum dispensare in tali irregularitate: ità *Rodriquez, Campanilis, Vivaldus, Medina*, & alii, quos sequitur *Barb. de potestate Episcopi par. 2. alleg. 39. nu. 41. & P. Diana par. 4. tract. 2. resol. 69.* id docet etiam de Prælatis regularibus circà suos subditos; quos docet ipse ea privilegio posse dispensare in omni irregularitate, excepta bigamia, & homicidio voluntatio.

Enumerant etiam DD. aliqui alias irregularitates omninò gratis, & sine ullo fundamento.

Primo enim dicunt,irregularem esse eum, qui,cùm sit excommunicatus, præcipit coram se celebrari,quod tamen falsum est, quia nullibi reperitur talis irregularitas. Nec est irregularis excommunicatus recitando hor a canonicas privatim, & dicendo, Dominus vobiscum, neque peccat mortaliter hoc casu, sed solùm venialiter, quia est materia levissima: ità *Avila de censuris par. 2. disp. 5. diffic. 2.* quem sequitur *Diana par. 4. resol. 94.*

Secundo contrà Religiosos egredientes Monasterium ad audiendas leges, vel medicinam, *cap. super specula. cap. relatum, ne Clerici, vel Monachi*, quod tamen quomodò intelligatur alibi diximus,

Tertio, simoniacus, vel sodomita dicunt, quod est irregularis sed hoc falsum est, ut sup. diximus,

Quarto, celebrans in altari propria auctoritate erecto, & non consecrato, seu benedicto ab Episcopo,irregularitatem incurrit; verùm hoc est omninò falsum, cùm nullo jure id constet, & *textus in cap. nullus presbyter de consecr. dist. 2.* id non prohibet sub pœna irregularitatis, quæ ipso facto incurratur, sed sub pœna depositionis inferenda.

Quinto est irregularis secundùm aliquos ille Sacerdos, qui Missam pro aliquo homine dicit, qui in hac vita vivit ad finem, ut illi Deus mortem inferat: ità *M jolus*, quem meritò impugnat *Bonacina ubi sup. par 7. §. unico. num. 21.* qui multas alias irregularitates refert, & rejicit, contrà *Majolum*, & ideò tene menti perpetuo illam regulam, quod irregularitas non incurritur, nisi in casibus à jure expressis, ex *cap. is, qui de sentent. excomm. in 6.* legas *P. Dianam par. 4. tract. 2, resol. 57.*

Explicatur, quomodò tollatur Irregularitas.

Respondetur, tolli primo per dispensationem Summi Pontificis, qui in omni irregularitate proveniente ex homicidio justo, vel injusto, dispensare potest; solent autem Summi Pontifices magna cum difficultate in homicidio voluntario dispensare; *Trid. sess. 24. cap. 7.* docet etiam *Trid. d. sess. 24 cap. 6.* Episcopum non posse dispensare in homicidio justo, vel injusto voluntario. In irregularitate verò proveniente ex homicidio casuali, mo ò delictum sit occultum, poterit Episcopus dispensare, ut *ex Trident. ubi sup.* docet *Bonacina lo o citato. p nct. ult. num. 50.* sicut etiam poterit Episcopus dispensare in homicidio occulto, facto causâ defensionis, non servato tamen moderamine in ulpatæ tutelæ, quia tale homicidium non censetur factum ex absoluta voluntate occidendi, & poterit dispensare in irregularitate proveniente ex injusta mutilatione occulta, quia cùm *Trid.* solùm excipiat irregularitatem, provenientem ex homicidio voluntario, & mutilatio non sit homicidium, meritò poterit Episcopus dispensare.

Poterit etiam Episcopus, dùm est in sua Diœcesi, dispensare cum suis subditis in irregularitatibus provenientibus ex delictis occultis, excepta irregularitate, quæ provenit ex homicidio voluntario, vel deducto in forn contentioso, *Trid sess. 24. cap. 6.* Quod verum est, ubi *Trid.* receptum est, nam si non sit receptum quoad pœnalia, & onerosa, neque censebitur receptum quoad favorabilia, cùm par sit conditio favorum, & onerum, ut declaravit Sacra Congregatio, teste *Suarez disp. 41. de censuris sect. 2. cap. 6.*

Appellatione verò Episcopi venit ille, qui habet subditos in Diœcesi. Nec poterit eum extraneis dispensare, cum Religiosis verò exemptis dispensare potest, si se illi subjiciant, sicut potest etiam dispensare cum subdito suo extrà suam Diœcesim existente, *DD. ubi suprà.*

Quòd si delictum sit deductum ad forum contentiosum. non poterit Episcopus dispensare, diceretur verò deductum ad forum contentiosum, quandò delinquens de delicto fuit accusatus, nec fuit liberatus per sententiam, quòd si post accusationem delinquens

quens liberatus fuerit, & se purgaverit, poterit Episcopus dispensare, sicut etiam poterit in tali irregularitate dispensare capitulum, sede vacante, Cardinalis in Ecclesia sui tituli, & omnis alius habens jura quasi Episcopalia, ut docet *Barb. in Trid. ubi sup.* licèt oppositum doceat *Bonacina quæst. ultima, punct.* 1. *num* 7.

Secundo tollitur irregularitas consurgens ex proprio delicto per baptismum, *cap. una. & cap. deindè* 26. *dist.* quæ quidem irregularitas non dicitur tolli, cùm non fuerit antè baptismum. sed dicitur hominem non affici irregularitate ob defectum commissum antè baptismum, undè recedas ab *Ugolino de irregularitate cap.* 56. §. 7. dicente, non tolli per baptismum irregularitatem provenientem ex homicidio: veriùs enim dicit communis sententia DD. quos sequitur *Joannes Honorius* novissimè *in compendio juris canonici lib.* 5. *tit.* 39. *num.* 111. quòd tollitur per baptismum omnis irregularitas, etiam ex homicidio contracta, præter eam, quæ contracta est ex defectu Sacramenti, ut bigamia, *Diana par.* 2. *tract.* 2. *resol.* 51.

Tertio tollitur irregularitas per professionem in approbata Religione, *Abbas, & alii in cap.* 2. *de Apostatis*, tollitur verò illa irregularitas per professionem, quæ oritur ex defectu natalium, non verò alia DD. ubi supra.

Hic tamen insurgit pulchra quæstio, an ejecti à Religione, vel dimissi à superioribus societatis Jesu, reincidant in irregularitatem ex defectu natalium, ut non possint ordinari, vel ordines susceptos exercere?

In qua quæstione dicit *Sanchez in summa tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 5. non reincidere: id probat ex multis. Contrà *Sanchez* insurgit *Hieronymus Rodriquez in compendio quæstion. regular. resol.* 76. respondens ad omnia argumenta *Sanchez*, & sententiam *Rodriquez*, docet *Alvranda in manuali Prælatorum tom.* 1. *q.* 25. *art.* 10. *conclus.* 1.

Tu verò distingue duos casus. Primus est si loquamur de ejectis, & dimissis à societate Jesu, & hoc casu reincidunt in talem irregularitatem. Ratio est, quia isti post emissionem sunt meri sæculares, ità ex eadem societate docuit *Turrianus de censuris lib.* 9. *disp.* 71. *dub.* 2. & addit *Turrianus*, quòd prædictus favor concessus videtur iis, qui ità fiunt Religiosi, ut in eo statu suscipiant ordines. Non est tamen improbabilis opinio, quæ docet etiam circa tales ejectos à societate non reviviscere irregularitatem, ut latè docet *Barb. de jure Pontificio lib.* 1. *cap.* 42. *num.* 192.

Secundus est casus si loquamur de aliis ejectis ab aliis Religionibus, & hoc casu non reviviscit prior irregularitas, quia tales, licèt propter delicta expellantur ab ordine, non tamen per hoc desinunt esse Religiosi, & tenentur ad vota, ergo gaudere debent isti tales privilegiis Religioni concessis; ità *Sanctarellus de Apostasia cap.* 7. *dub.* 2. *nu.* 10. *Turrianus, & alii ubi sup. Diana resol.* 66.

Pulchrior insurgit dubitatio, an scilicet Religiosus illegitimus annullatâ professione ad sæculum rediens, possit ordines susceptos exercere, & ad alios promoveri.

Respondetur verò non posse exercere, nec ad alios promoveri, ità *Riccius in praxi tom.* 2. *resol.* 311. *per totam. Barb. in collect. com.* 1. *lib.* 1. *tit.* 17. *cap.* 1. *num.* 9. Ratio est, quia irregularitas ex defectu natalium, tollitur per professionem, sed in casu, de quo loquimur, non fuit vera professio, sed nulla, ergo non potuit tollere dictam irregularitatem. Multas alias rationes adducit *Riccius ubi sup.*

Adverte etiam per professionem Religionis non solùm tolli irregularitatem quoad ordines suscipiendos, sed quoad usum ordinum susceptorum, *Sanctarellus variar. resolut. par.* 1. *quæst.* 39.

Sunt tamen ejecti à Religione extrà illam degentes perpetuò suspensi ab exercitio ordinum, sublata facultate ordinariis locorum relaxandi, ac moderandi dictam suspensionem, ut declaravit sacra Congregatio, quam refert *Diana par.* 4. *tract.* 2. *resol.* 66.

Quarto tollitur irregularitas per facultatem concessam à Summo Pontifice, vel ab Episcopo, in iis casibus, in quibus potest Episcopus dispensare, quòd si Summus Pontifex concedat alicui facultatem dispensandi Confessario, vel Ordinario sub hac conditione (si res ità est) morte Summi Pontificis non espirat, *Filiuccius tract.* 2. *cap.* 10. *quæst.* 9. *num.* 27.

Ut autem concedatur dispensatio, & obtineatur; requiritur primo, ut exprimatur dispensatio signo aliquo externo. Secundò requiritur, ut adsit justa causa dispensandi. Tertio, ut exprimatur species irregularitatis, seu delicti, DD. ubi suprà: non tamen est necesse exprimere numerum delictorum, propter quæ petens dispensationem, contraxit irregularitatem, modò delicta non sint diversæ rationis, undè si excommunicatus centiès celebraverit, non tenetur in obtinenda dispensatione dicere se totiès celebrasse in excommunicatione, sed satisfacit dicendo, se existentem in excommunicatione celebrasse, *Sanchez de matrimonio lib.* 8. *disp.* 24.

TITULUS XXVI.

De Præbendis, et aliis beneficiis Ecclesiasticis.

Visum est suprà de personis Ecclesiasticis, earumque dignitatibus, videndum erat de præbendis, sine quibus non possunt Clerici honestè vivere, meritò ponit *Paulus* hunc titulum, ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd beneficium diversimodè sumitur, ut videre est, per DD. de quibus *Melchior Lotterius lib.* 1. *q.* 1. *Garsia par.* 1. *cap.* 1. *& Barb. in collect. tit.* 5. *lib.* 3. *& in* 6. *decretal. lib.* 3. *tit* 4. *& lib.* 2. *de jure Eccles. cap.* 4. In materia tamen nostra omissis multis significationibus sumitur beneficium, & præbenda pro jure percipiendi reditus Ecclesiasticos, undè definitur, ut sit jus spirituale percipiendi reditus Ecclesiasticos, canonica institutione perpetuum, vel ut alii dicunt apud *Garsiam cap.* 2. est jus percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis, Clerico propter divinum officium competens, quæ definitio cunctis aliis est melior. Dicitur autem jus spirituale non quidem principaliter, & in seipso; si enim taliter consideretur, temporale potiùs est, cùm sit jus percipiendi fructus, qui temporales sunt, sed spirituale dicitur, quia est spirituali connexum dependenter, sive consequenter; quia supponit Clericatum, ut benè *S. Thomas* 2. 2. *q.* 100. *art.* 4. & notavit *Abbas in cap. consulere de simonia*: dicitur etiam spirituali annexum, quia beneficium datur propter officium, *cap. fin. de rescriptis in* 6. undè, ut benè observat *P. Lessius de justit. & jure, cap.* 34. *dub.* 1. in beneficio duo possunt considerari. Primum est ipsum officium, seu obligatio ad illud. & hoc est omninò spirituale, non tamen est beneficium, sed causa beneficii. Secundum est jus percipiendi reditus ex bonis Ecclesiasticis. & hoc jus est propriè beneficium, & nascitur ex officio, tanquàm ex sua causa, & est quid spirituale, quia oritur ex re spiri-

Secundum beneficium est Patriarchatus. Tertium Archiepiscopatus. Quartum Episcopatus, nam Episcopi beneficia habere dicuntur, *cap. felicis*, *§. quod si quis de pœnis* in 6. licèt in materia odiosa non veniant appellatione beneficiatorum, cùm sint culmina beneficiorum, *cap. penul. de præbendis*, *Garsia par.* 1. *cap.* 6. Quintum est Cardinalatus, qui ratione administrationis Ecclesiæ Catholicæ sunt Consultores fratres, & coadjutores Romani Pontificis, *cap. fundamenta de elect.* in 6. eique, in omnibus assistunt, *cap. per venerabilem*, *qui filii sint legitimi*; hinc notant DD. teneri Cardinales ad residentiam in suis titulis, & vacare beneficia omnia per assecutionem Cardinalitiæ dignitatis, & teneri ad horas canonicas, qui omnes effectus ex eo profluunt, quia Cardinalatus est beneficium Ecclesiasticum. Sextum beneficiorum genus in Ecclesiis cathedralibus reperitur, in quibus inveniuntur plures gradus Ecclesiastici, ut Archidiaconus, Archipresbyter, Primicerius, Thesaurarius, Præpositus. de quibus suprà latè diximus. Septimum dicitur Ecclesia parochialis seu curata, de quo in extravaganti *execrabilis de prabendis*. Octavum dicitur Rectoria, de quo in *cap. unico de præbendis*, *& in cap.* 3. *de Clerico ægrotante*. Nonum dicitur plebania, quæ dicitur à plebe, quæ regitur, *cap.* 1. *ne Clerici*, *vel Monachi*, *in* 6. Decimum dicitur Vicaria perpetua, de qua *in cap. postulasti de rescriptis*, *& in Clem.* 1. *de officio Vicarii*, quæ est verè beneficium Ecclesiasticum. Undecimum dicitur Commenda perpetua, prout Commendatarios dicimus, quibus ad vitam beneficia commendantur in eorum favorem, tales enim propriè, & verè beneficium Ecclesiasticum habere dicuntur, & in eis locum habent jura omnia loquentia de beneficiis, *Garsia par.* 5. *cap.* 14. *à num.* 48. *Barb. alleg.* 59. negant verò aliqui commendas temporales venire appellatione beneficiorum, *glossa in cap. nemo in verb. commendare de elect.* cum aliis. quos refert *Augustinus Barb. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 59. Duodecimum genus beneficiorum est Canonicatus Ecclesiarum cathedralium, & collegiatarum, quorum Canonicorum officium in duobus consistit. Stallo scilicet in Choro cum participatione divinorum, & loco in Capitulo, *cap. relatum*, *cap. dilectus*, *cap. pro illorum*, *cap. dilecto de præbendis*.

Beneficium verò regulare: aliud est Abbatia regularis; de qua *in cap. quanto de officio ordinarii*, *& in cap. cùm ad Monasterium de statu Monachorum*: aliud est Prioratus Conventualis, de quo *in Clem.* 2. *de rescriptis*: aliud est Prioratus Claustralis, *d. cap. cùm ad Monasterium*. *Gonzalez glossa* 8. *num.* 115.

De Capellaniis.

Veniunt appellatione beneficiorum Capellaniæ, quæ in dubio præsumuntur beneficia Ecclesiastica, *Perez de Lara de anniversariis*, *& Capellaniis lib.* 2. *num* 59. quæ quidem aliæ fundantur auctoritate Episcopi, cum facultate, ut illis succedant Clerici de consanguinitate; aliæ sunt perpetuæ, auctoritate Episcopi, vel Apostolica erectæ, & dicuntur Capellaniæ collativæ. Primæ quidem, licèt sint perpetuæ, nihilominùs non sunt beneficia Ecclesiastica, latè *Garsia par.* 1. *cap.* 1. & sunt sub auctoritate fundatoris, & ejus hæredum; qui possunt eas donare sine Episcopo quibus voluerint, dummodò sint idonei juxtà dispositionem fundatoris, ideòque Capellas cum onere faciendi celebrare certas Missas institutas de bonis temporalibus, & sine auctoritate Episcopi, laicales esse dicunt communiter DD. & decisum refert in *Rota Augustinus Barb. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 5. & subjacere potestati laicali, quamvis opera pia, & Missarum onera injuncta sint, dicit *Lara lib.* 2. *cap.* 2. verùm quia sunt opera pia, ideò possunt visitari per Prælatos; teste *Garsia ubi sup. num.* 104. contrà *Parisium*, *& Gonzalez* apud ipsum, nisi tamen aliud in fundatione cautum sit, ut in *Trid. sess.* 22. *de reform. cap.* 8. *&* 9. & notat *Garsia loco cit. num.* 105. in istis Capellaniis valere ordinationem testatoris, quòd in eis ordinarius non se intromittat; si verò in Capellaniis prædictis appareat de una collatione, vel institutione ordinarii, tunc censetur beneficium secundùm aliquos, licèt alii contrarium dicant, de quibus *Cavallos q.* 177. si verò Capellania sit fundata in Ecclesia regulari, in dubio censenda est regularis, *Rodriquez tom.* 1. *q.* 34. *art.* 5. *Sanchez in summa lib.* 7. *cap.* 29. *num.* 27. ad quod ponderatur *textus in l. Mutius* 61. *ff. de rei vendit.* nisi tamen à sæcularibus fundatæ sint in Ecclesiis regularibus, *Garsia par.* 7. *cap.* 30. *num.* 37. vel nisi per sæculares teneri solitæ sint.

Capellaniæ verò amovibiles, licèt sint institutæ auctoritate Episcopi, nihilominùs non ea eo sunt existimandæ beneficia Ecclesiastica, in quibus omnibus potest fieri revocatio sine causa, decidit *Rota* apud *Burattum dec.* 382. & apud *Cavalerium dec.* 72. & ad titulum Capellaniæ amovibilis nullus ordinari potest, ut decisum refert *Thominius dec.* 19. nisi obtineantur in Capella Papæ, quia ad illarum titulum poterit ordinari, *Riccius collect.* 789. *Barb. de potestate Episcopi alleg.* 19. *num* 30.

Sunt aliæ Capellaniæ in perpetuum, auctoritate Apostolica, vel ordinaria erectæ, & in titulos, quæ dicuntur collativæ, de quibus *Riccius par.* 2. *dec.* 190. *num.* 10. *Squillante de obligation. Clericorum par.* 1. ad quarum titulum potest quis ordinari ad sacros ordines; DD. ubi suprà: semper tamen observa, quòd stante fundatione Capellaniæ cum dispositione testatoris, ut quotiescumque vacaret, provideatur Capellanus, qui celebret, non est necesse præstare presbyterum, sed sufficit, quòd serviat, & Missas dicat per substitutum, ut declaravit sacra Congregatio apud *Gonzalem regula* 8. *glossa* 5. *à num.* 72.

De Vicariis.

In beneficiis solent constitui Vicarii, qui alii sunt perpetui, alii temporales: dicuntur perpetui, quos ordinarii constituunt in quibuscumque beneficiis curatis. Dicuntur verò temporales, quandò ad certum tempus constituuntur, vel ad voluntatem constituentis, & hæc Vicaria temporalis non est beneficium, quia non confertur in titulum, sed est simplex salarium, seu stipendium, nec ad ejus titulum potest quis sacris ordinibus initiari, *Garsia par.* 1. *cap.* 2. *num.* 91. & nominatio hujus Vicarii temporalis ad Prælatum spectat, qui ad nutum amoveri potest etiam sine causa, de quibus Vicariis agunt *DD. in cap. extirpanda*, *§. qui verò de præbend. Garsia par.* 9. *cap.* 2. *& par.* 11. *cap.* 2. *Valenzuola cons.* 54. *Gonzalez in regul.* 8. *Cancellaria glossa* 5. *§.* 3.

Differunt verò Rectores parochialium Ecclesiarum à Vicariis perpetuis earumdem. Rectores enim sunt principales personæ in Ecclesia, quibus principaliter incumbit cura animarum; Vicariis verò competit tanquàm minùs principalibus, *glossa ultima in cap. ad hæc de officio Vicarii*; conveniunt verò, quia uterque habere dicitur beneficium Ecclesiasticum, *cap. postulasti* 27. de *rescriptis*, *cap. Michael de filiis presbyter.* habent enim Vicarii perpetui verum titulum, *cap. ad hæc citato*; & removeri non pos-

possunt, nec substituere possunt alium Vicarium, *cap. Clericus de officio Vicarii*, & agit latè *Barb. de jure Eccles. cap. 6. lib. 3.*

Dicuntur etiam beneficia Ecclesiastica, & veri tituli, Receptoriæ Religionis Hierosolymitanæ, qui scilicet constituuntur administratores prædiorum, & aliorum bonorum ad ipsum Ordinem pertinentium, quæ quidem Receptoriæ non dantur ad certum tempus, sed ad vitam ipsius Receptoris vel saltem ad nutum superioris conferentis, & dicuntur conferri, commendari, & committi, *Azor. par. 2. lib. 3. cap. 26. Garsia par. 1. cap. 4.* dicuntur verò beneficia, quia licèt possint amoveri, tamen aptitudine sunt perpetuæ. Sunt etiam beneficia Receptoriæ, seu Commendæ Ordinis Sancti Jacobi, Calatravæ, Alcantaræ, & similium. DD. communiter ubi suprà, licèt contrariam sententiam defendant alii, de quibus *Barb. ubi suprà cap. 7.* qui probabiliter existimat non esse beneficia: nec in eis committi simoniam, quia non sunt aliquid spirituale, sed temporale, conferuntur enim titulo laico, & dantur in subsidium pro temporalibus *DD. cit.*

Dantur etiam in jure canonico præstimonia, quæ dicuntur quædam stipendia instituta pro studentibus, vel militantibus pro christianæ fidei defensione, & dicuntur præstimonia, quasi præstans munium, id est officium, seu obsequium, *Hostiensis in cap. postulastis de rescriptis. Gonzalez, gloss. 5. §. 1. num. 6.* nec sunt aliquod beneficium spirituale, secundùm unam sententiam, de qua *Gonzalez ubi suprà* licèt & probabiliter secundùm aliam sint verè beneficia, ut probat *textus in cap. ultimo de concess. præben. in 6.* ibi, *præstimonii Ecclesiis, &c.* & colligitur ex *Trid. sess. 14. de reform. cap. 9. & 23. cap. 18:* quam sententiam defendit *Fagundez præcepto 1. lib. 2. cap. 4. num. 17.* Præsertim quandò præstimonia prædicta annexum habent onus spirituale, ad quorum titulum posset etiam aliquis ordinari, & ad horas canonicas tenentur, nec vendi possunt: sine labe simoniæ, DD. cit.

Appellatione etiam beneficiorum venit commenda, quæ quidem commenda alia est temporalis, alia perpetua: temporalis quandò alicui beneficio datur ad tempus potiùs in custodiam, quàm in titulum; qui commendatarius similis est depositario, *glossa in l. commendare de verb. signif.* Parochiales verò Ecclesias, & alia beneficia curata non potest Episcopus, ultrà sex menses commendare, *cap. nemo deinceps de elect. in 6. Barb. alleg. 59. num. 15.* Hodie verò per *Sac. Conc. Trid.* est correctus *textus in d. cap. nemo deinceps*, & disponitur per Sacram Congregationem, ut teneatur deputare Vicarium, juxtà formam *Trident. sess. 24. cap. 18.* Commenda verò perpetua habet vim veri beneficii, DD. ubi suprà.

Explicantur requisita Beneficiati.

AD beneficii collationem; primo requiritur auctoritas in conferente. Undè Episcopus, Summus Pontifex, & similes possunt beneficia conferre. Ex parte, verò recipientis, requiritur primo debitus modus, ne scilicet uni plura beneficia conferantur. Secundo, ut Clericus recipiat, non verò laicus. Immò debet esse Clericus integri statûs, scilicet non irregularis, non suspensus, nec interdictus, nec excommunicatus, *Toletus in summa lib. 5. cap. 79.* & quidem quantum attinet ad primum, beneficiorum pluralitas non est illicita stando in jure naturali, & divino, sed solùm de jure Ecclesiastico, *Trid. sess. 24. cap. 7.* & Summus Pontifex dispensare potest in tali pluralitate, vel ex necessitate, aut communi utilitate Ecclesiæ latissimè *Sanchez lib. 2. consil. moral. cap. 2. per. totum.* Circà secundum verò requisitum de habilitate recipientis, dixi debere esse Clericum, undè insurgit difficultas, an laicus, qui incedit habitu clericali, & animum habet citò assumendi Clericatum, sit capax beneficii Ecclesiastici? Affirmat *glossa in cap. 2. de institut. in fine*, pro qua multa congerit *Felynus in cap. cùm adcò de rescriptis*, sed verior est negativa sententia, quia reverà hic est laicus. Undè observat *Felynus glossam citatam* communiter reprobari; potest tamen laicus constitui procurator ad acceptandum beneficium nomine alterius, sicut potest constitui procurator ad resignandum beneficium, *Sanchez ubi suprà dub. 9.*

Requiritur etiam, ut dicebamus, ne sit excommunicatus recipiens beneficium, undè collatio beneficii facta excommunicato excommunicatione majori, est nulla, *cap. postulastis de Clerico excommunicato ministrante*, quia est excommunicatus ab executione officii suspensus, *cap. 1. de sentent & re judic. in 6.* nec potest præsentari à Patrono laico, vel clerico ad Jus patronatûs, secundùm communem opinionem, neque Patronus laicus, vel clericus excommunicatus potest præsentare si sit evitandus, secùs si toleratus. *Diana par. 5. tract. 9. resol. 105.* Si verò incidat in excommunicationem post obtentum beneficium, illud non amittit ipso jure, *cap. proposuit de Clerico excommunicato*, Circà fructus verò putat *glossa in cap. pastoralis, §. verum de appellat.* non amittere ipso jure beneficiarium fructus, quos tempore excommunicationis percipit, sed requiri sententiam. *Sanchez* verò *lib. 2. consil. dub. 11. cap. 2. num. 3.* dicit amittere ipso jure, quia qui extrà Ecclesiam est, nihil de ipsa Ecclesia possidere debet, *cap. quo jure 8. dist.* si verò justè excommunicatus fuerit, nequit post absolutionem repetere fructus amissos, potest autem si injustè, *Garsia par. 7. cap. 13. §. 1.* nisi tamen aliter servetur de consuetudine, & probabiliter post multos dicit *Diana par. 5. tract. 9. resol. 104.* excommunicatum non privari fructibus beneficii. Quandò tamen fructibus prædictis privaretur, quæstio est inter DD. ad quem illi pertineant? Respondent communiter applicari in utilitatem Ecclesiæ, argum. *textus in cap. 1. de officio ordinarii in 6.* Disputat verò *Sanchez in d. lib. 2. cap. 2. dub. 13.* an beneficiorum permutatio facta per excommunicatum permutantem cum alio non excommunicato valeat? Dico quòd ex parte ejus, qui est excommunicatus non potest ex vi permutationis acquirere beneficium. Collatio verò facta irregulari non est ipso jure nulla, secundùm *Suarez disp. 40. de censuris sect. 2.* alii verò probabiliùs dicunt esse ipso jure nullam collationem beneficii, vel electionem, Ratio est, quia inhabilis ad unum, est inhabilis ad ei annexum, *cap. translato de constitutionib.* Sed irregularis, est inhabilis ad ordines, & ad usum ipsorum, quæ tamen habilitas requiritur in beneficio, *cap. fin. de rescriptis in 6.* ergo, hanc opinionem sequuntur plures, de quibus *Sanchez ubi suprà dub. 14.* Intelligendo tamen de illo beneficio, quod secum habet de necessitate annexum usum ordinis. Si verò quis post obtentum beneficium incurrat irregularitatem, non amittit ipso jure beneficium, donec per Judicis sententiam privetur, licèt talis irregularitas sit propter homicidium, nec irregularis amittit fructus beneficii antè irregularitatem obtenti, quia id nullo jure cavetur.

Si verò excommunicatus, sit toleratus; est quæstio, utrum collatio beneficii sit valida? Prima sententia affirmat,

mat,

mat, ut *Coninch. Avila, & alii.* Secunda verò sententia negat, de quibus *Diana tract. 9. par. 5. resol. 99.* & DD. qui dicunt, excommunicatum tolerarum esse incapacem beneficii, dicunt etiam collationem beneficii factam suspenso, esse nullam, nos verò, qui dicimus non esse nullam, idem dicimus de interdicto, & suspensu cum *Lessio, Suarez, & aliis*, de quibus *Diana resol.* 100. Si verò facta sit collatio beneficii excommunicato vitando, est quæstio, an possit post absolutionem retinere, vel acceptare illud absque nova collatione? dicit *Sanchez de matrim. lib. 8. disp. 7. num.* 12. posse acceptare sine nova collatione, quam sententiam limitando tribus requisitis, sequitur *Diana resol.* 111. Primo scilicet, ut impedimentum sit occultum. Secundo, ut non cedat in præjudicium alterius. Tertio, ut si sciens suum impedimentum, acceptaret collationem beneficii. Secunda verò sententia, & probabilior, est requiri novam collationem, & acceptationem, quia actus fuit, ac si non fuisset: si verò excommunicato conferatur pensio, est quæstio, utrùm valeat collatio? Affirmant probabiliter ferè omnes: negat verò *Avila par. 2. de censuris cap. 6. disp. 5. dub. 5. concl. 2. & Joannes Præpositus in 3. par. q. 2. de excommunicatione dub. 11. dub.* 64. licèt pensio detur per modum tituli spiritualis, sumus enim in materia odiosa, ubi ad id, quod lex non dixit, non est facienda extensio. Conferens verò beneficium excommunicato, præter excommunicationem minorem, quam incurrit, de qua nulla est difficultas, incurrit etiam suspensionem à collatione ejusdem beneficii, *cap. cùm in cunctis §. Clerici de elect.* ut ità in eo puniantur in quo peccaverunt; collatione verò aliorum beneficiorum non privantur ipso jure, sed opus est monitione; *d. cap. postulasti de Clerico excommunicato*; ubi licèt *Abbas* dixerit non requiri monitionem, verius tamen est requiri, argum. *text. in cap. gravem de prebendis*, & ità tenent communiter DD. quos refert *Sayrus lib. 2. cap.* 5. potest etiam excommunicatus habens beneficium secundùm probabilissimam sententiam, illud non solùm dimittere, sed etiam ei renunciare ad favorem certæ personæ, ut contrà *Filmccium* tenet *Diana par. 5. tract. 9. resol.* 106.

Requiritur etiam in beneficiato ætas legitima, quare nulla est collatio antè eam facta, *cap. cùm in cunctis de elect. Conc. Trid. sess. 22. cap.* 4. ætas verò ad beneficium simplex, est quatuordecim annorum. *Trid. sess. 23. cap.* 6. qui quidem annus decimus quartus est quæstio, an debeat esse completus? & putat *Sanchez ubi supra dub.* 16. & multi apud *Navarrum in singularib. juris pontificii in tit. de aetate concl.* 2. requiri, ætatem prædictam esse completam. Alii dicunt, & probabilius sufficere hanc ætatem inceptam; sic declarasse sacram Congregationem, dicit *Navarrus loco cit.* & decisum refert *Riccius collect.* 860 post multos *Diana par. 3. tract. 6. resol. 64. in fine, Narbona de ætate ann.* 14. *q.* 54. qui etiam dicunt, Episcopum in hoc dispensare non posse: quæstio tamen est, an hoc procedat universaliter in omnibus beneficiis collativis tantùm, an etiam in beneficiis juris patronatûs? Affirmant universaliter procedere, quia *textus Concilii* universaliter loquitur de beneficio, cujus appellatione venit etiam beneficium, juris patronatûs.

Ea tamen est quæstio, utrùm possit Patronus in limine fundationis dicere, *Volo, ut præsentetur in meo beneficio juris patronatûs aliquis, etiamsi non habeat ætatem* 14. *annorum?* Affirmant multi dicentes, sic declarasse Sacram Congregationem, *Rot.* in decis. 182, *par. 1. diversf. Riccius ubi suprà Barb. de potestate Episcopi alleg.* 60. *Riccius* verò sibi contrarius in dec. 26. *par.* 3. affirmat, Patronum id non posse facere, disponeret enim, dicit ipse, contrà *Tridentinum*, quæ opinio est probabilior, quamvis eam impugnet *Novarius quæstion. for. quæst.* 71. qui ibi scripsit pro Vicario Nolann præsentatum minorem 14. annis in jure patronatûs, validè fuisse præsentatum, quod quidem est contrà mentem omnium Doctorum suprà citatorum dicentium *textum Trident.* universaliter loqui etiam in beneficio juris patronatûs. Undè, hac sententia posita, cavendum est à *Riccio par. 4. dec.* 343. qui dixit non posse præsentari ad beneficium juris patronatûs minorem 14. annis, pendente supplicatione dispensationis Summo Pontifici porrecta: poterit verò minor 14. annis, major tamen septennio habere pensionem, *Riccius par. 3. resol.* 367. quia *Tridm. loco citato* est correctorium juris communis, ergo, cùm loquatur de beneficiis, non est extendendum ad pensiones. Si verò fundetur Capellania à testatore absque ordinarii auctoritate poterit obtineri per minorem 14. annis, *Rota par. 1. diverf. dec.* 481. *Riccius par. 1. in praxi resol.* 67. Secùs verò, si intervenisset auctoritas Episcopi in fundatione, quia tunc esset beneficium Ecclesiasticum.

Requiritur etiam in beneficiato, ut legitimo titulo illud possideat, non verò per intrusionem; Intrusus verò dicitur: primo, qui sine auctoritate illud capit sed sua propria, *cap. ad aures de excessibus Prælatorum.* Secundo intrusus dicitur, qui possidet absque legitimo titulo. Tertio intrusus dicitur, qui post electionem antè confirmationem administrat. Quarto, qui beneficium injustè alteri ablatum retinet. Quinto intrusus dicitur, retinens beneficium, quo est privatus ipso jure; qui quidem intrusus, universaliter est inhabilis ad beneficium, in qua inhabilitate solus Summus Pontifex dispensat: est verò intrusus inhabilis ad illud, in quo se intrusit: non verò ad alia, *Sanchez lib. 2. cap. 2. dub. 21. in fine.*

Ad beneficium verò Curatum, quandò quis promovetur, potest promoveri etiam non Sacerdos, dummodò infrà annum ad sacerdotium ascendat, aliàs ipso jure amittit, *cap. licèt. de elect. in* 6. absque ulla alia sententia Judicis, sicut tenentur Episcopi, & Archiepiscopi, intrà tres menses consecrationis, munus suscipere, aliàs sunt privati ipso jure, *Trid. sess. 23. cap.* 2. Secùs verò si loquamur de parochialibus collegiatis, enumeratur verò hic annus à die, in qua in pacifica possessione est constitutus, *cap. commissa de elect. in* 6. potest tamen Episcopus dispensare cum tali Parocho. *Sanchez. lib. 2. consil. moralium cap. 2. dub. 12. num. 11. & seq.* &, si propter legitimum impedimentum non poterit Parochus promoveri, beneficium non amittit, quia culpa caret, *glossa in d. cap. licet de elect. in* 6.

TITULUS XXVII.

De Collationibus.

Visum est suprà de beneficiis, verùm quia beneficia, vel conferuntur per collationem, vel per institutionem, ad præsentationem Patroni, & quia collatio est nobilior, nam provenit ex mera liberalitate ordinarii; meritò ponitur hic titulus. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quòd collatio beneficii est gratuita facta concessio à superiore: ità communiter DD. *in rubrica Codicis de collationibus, & in tit. Decretalium eodem.* Dici etiam solet provisio, quia

Digitized by Google

quia proviſus dicitur de beneficio beneficiatus, & in hoc differt ab inſtitutione, quia inſtitutio fit in jure patronatûs, præſupponendo præſentationem patroni, *Abbas in cap. auctoritate de Inſtitution.* beneficium namque juris patronatûs non dicitur propriè conferri, ſed propriè ordinarius dicitur inſtituere, Patronus verò dicitur præſentare: differt etiam collatio ab inveſtitura, quia inveſtitura eſt inſtitutionis, vel collationis confirmatio, & miſſio in poſſeſſionem, & in Principibus beneficia conferentibus accipitur inveſtitura pro ipſa collatione, *cap. Adrianus, cap. in Synodo 63. diſt.* atque in ſæcularibus collatio feudi propriè inveſtitura vocatur.

Sciendum ſecundo eſt, collationem aliam eſſe voluntariam, aliam neceſſariam. Prima eſt, quæ liberè fit ab omnibus illis, qui poteſtatem habent conferendi beneficia: neceſſaria verò eſt illa, quam collator tenetur facere, veluti eſt delegatus, *cap. ubi, cap. duobus de reſcriptis in 6.* ſic collatio, quam facit Epiſcopus ad præſentationem patroni dicitur neceſſaria, *cap. 1. de inſtitut. in 6. Abbas in cap. 2. ne ſede vacante.* Inter alia requiſita collationis unum eſt, ut collator non ſit excommunicatus, *cap. poſtulaſtis de Clerico excommunicato miniſtrante*, quòd purè conferatur, quòd perſonæ idoneæ, *cap. grave de præbendis. cap. cùm in cunctis, cap. licet de elect. in 6.* & quòd beneficium ſit vacans, *cap. 1. & toto titulo de conceſſ. præbendæ.*

Sciendùm eſt tertio, acquiri etiam beneficium interdùm per optionem, ſi v. g. Canonici, aut Eccleſiaſtici de collegio antiquiores, vigore conſuetudinis, vel ſtatuti, optent meliores præbendas decedentium, hoc eſt ſuas deteriores cum melioribus vacantibus permutent, *cap. ultimo de conſuetud. in 6.* quæ quidem optio regulariter fieri debet intrà 20. dies, *d. cap. ultimo, Moneta de optione Canonica cap. 4.* & currunt ſimul omnibus optare volentibus, *gloſſa in d. cap. ultimo.* Minui tamen poteſt hoc tempus per capitulum, *Moneta cap. 4.* ſicut & prorogari valet: DD. citati, computantur autem iſti viginti dies à die ſcientiæ vacationis, cùm tempus optandi præbendas non currat ignorantibus, *Moneta cap. 6. à num. 18* neque impeditis. Antiquiores tamen priùs optare debent, quàm juniores, quòd ſi Canonicus antiquior differat optare infrà tempus legitimum, ità ut ſit periculoſum, ne illud labatur ad damnum juniorum, poterit junior ſequens optare præbendam, quam ille optare debebat, & valebit optio junioris, in caſu, quo ſenior intrà tempus non optaverit. Dicuntur verò antiquiores, qui diutiùs in Eccleſia militarunt, *Menochius de arbitr. caſu 134.* & fuerunt in poſſeſſione priores, licèt ſint in proviſione poſteriores, *Gonzalez in regula 8. gloſſa 34. num. 49.* Admittitur ad optandum abſens per procuratorem, *Gonzalez num. 125.* etiamſi procurator non habeat ſpeciale mandatum, dummodò ſit cum littera, *Moneta cap. 4. num. 52.* à qua optione excommunicatus non excluditur, ſecundùm *Covarr. in cap. Alma mater par. 1. §. 7. nu. 4.* Qua de re *Riccinllus lib. 4. cap. 11. per. totum*, non tamen optari poteſt beneficium, vel præbenda, vacans in Curia, nec in menſibus Apoſtolicis, nec in beneficiis, & præbendis, quæ permutantur, & reſignantur: licèt locum habeat optio in illis præbendis, quæ devolvuntur ad Papam ex negligentia Prælatorum in non conferendo infrà ſex menſes à die notitiæ vacationis, *Gonzalez num. 75. Moneta cap. 4. q. 3. num. 106. Barb. lib. 3. cap. 13. num. 14.*

In §. Conferuntur cum ſequenti.

COnclusio horum jurium, eſt conferri beneficia à perſonis hîc deſignatis, veluti ab ordinario, Legato à latere, vel ab aliis perſonis privilegiatis. Ad cujus intelligentiam

Sciendum eſt primo, quòd de jure communi antiquo beneficia Eccleſiaſtica quomodocùnque vacantia ſpectabant ad diſpoſitionem ordinarii, *gloſſa, & DD. in cap. fin. de ſupplenda neglig. Prælator.* niſi ad alium ex ſpeciali ſtatuto, vel conſuetudine pertineret, excepta tamen fuit ſemper auctoritas Romani Pontificis, qui tanquàm totius Eccleſiæ ordinarius, & omnium beneficiorum legitimus Dominus, vel ſaltem diſpenſator (quem non poſſe ſine cauſa licita jure privare aliquem beneficio acquiſito tenet *P. Sanchez conſiliorum moralium lib. 2. cap. 2. dub. 35.*) in multis caſibus ſemper beneficia quæcumque ad libitum contulit, *cap. ſi à ſede de præben. in 6. Clem. 1. ut lite pendente*: ſæpiùs verò ſolebat Summus Pontifex diſponere, & mandare ordinariis, ut alicui de beneficio vacaturo providerent, ex quo ſibi faciebat aliquas reſervationes generales, poſteà fecerunt ſibi aliquas ſpeciales, *cap. Capitulum cum ſequentibus de reſcriptis, cap. conſtitutus, cap. ex inſinuatione eodem titulo, cap. pro illorum de præbend. Clem. 2. de conceſſione præben.* ſemper tamen pro uno ordinarium gravantes, propterea in mandatis de providendo apponebant clauſulam (ſi prò alio non ſcripſerimus) *cap. mandatum cum ſequenti de reſcriptis*; tempore verò Innocentii Quarti dabatur facultas acceptandi beneficium, ut ſcilicet ille, pro quo Romanus Pontifex reſcribebat, poſſet beneficium vacaturum obtinere, quod ſibi videretur acceptandum, *cap. 1. de conceſſ. præbend. in 6.* quam gratiam limitavit *Clemens V. in Clem. 1. de conceſſ. præbend.* ut pro menſe tantùm intelligeretur.

Poſtremo fuerunt factæ reſervationes ſpeciales: & in primis omnia beneficia, quæ apud Sedem Apoſtolicam vacant, cenſentur reſervata Pontifici, à quo ſunt conferenda, *cap. 2. de præben. in 6. cap. præſenti eodem tit.* undè proviſus ab ordinario de tali beneficio non habet titulum, quod quidem locum non habet in illis, qui in Urbe degunt ratione originis, vel domicilii, niſi etiam Curiam ſequantur, & Curiales exiſtant, *d. cap. præſenti Rota* apud *Garſiam par. 5. cap. 1. num. 83.* quia licèt beneficia vacantia apud ſedem dicantur vacare in Curia, tamen non dicuntur vacare apud ſedem, ſi deficiat qualitas curialitatis, ubi tamen obſerva, in Dataria practicari, ut ratio curialitatis ſolùm ſit attendenda in beneficiis ſitis in loco Curiæ, ſcilicet in Eccleſiis Urbis Romæ; in aliis verò beneficiis, quæ vacant per obitum in Curia, proviſiones fiunt ab eadem Dataria indiſtinctè, prout de vacantibus apud ſedem; ideò pro reſervatione ex capite vacationis apud ſedem qualitas curialitatis, de qua *in d. cap. præſenti, §. ſanè* non eſt attendenda, niſi quandò agitur de beneficiis ſitis in loco Curiæ, *Lotterius par. 2. de beneficiis cap. 27. num. 73. Barb. lib. 3. cap. 13. num. 23.* ubi plures referunt deciſiones Rotæ.

Dicuntur verò Curiales ad effectum prædictum illi, qui Papæ, aut Cardinalibus Romanæ Curiæ ſerviunt, aut aliàs occaſione Curiæ morantur in Urbe. *Mannoſius in regula 5. Cancellariæ q. 1. num. 18. Rota dec. 616. par. 4. diverſor.* ubi Protonotarii Apoſtolici creati à Legatis de latere, non dicuntur Curiales, quia non habent officium in Curia, & poteſtatem illam non habent ampliùs de ſcribendis actis Martyrum & ſimilibus, quæ hodie

reſidet

resi̇det apud Protonotarios, participantes privativè quoad alios: non suffi it etiam, quòd quis semel fuerit Curialis, nisi probetur continuata usque ad mortem, *Mannosius ubi sup. quæst.* 3. semper tamen præsumitur quousque non probetur mutata, *Mannosius quæst.* 4. & est videnda decisio *Buratti* 540. ubi *Ferrentillus lit. C.*

Ubi tamen nota primo, quòd sub ista reservatione beneficiorum vacantium apud Sedem, non continentur beneficia juris patronatûs laicorum, *glossa in d. cap.* 2. *in verb. collatio*, *Barb. alleg.* 57. *num.* 26. Secundo noto, quòd Summus Pontifex de istis beneficiis vacantibus apud Sedem providere debet infrà mensem à die vacatiônis; alioquin dicto tempore elapso valebunt collationes ab ordinariis factæ potestate ordinaria, ac si nulla unquàm revocatio extitisset *Massobrius in praxi habendi concursum requisito* 7. *dub.* 48. & hic mensis numeratur à die vacationis, non scientiæ, *d. cap. statutum de præbendis in* 6. ubi *glossa*. *Antonius Faber lib.* 1. *Cod. tit.* 2. *defin.* 32. Potest tamen Summus Pontifex moram purgare extrà illum mensem, si tamen res sit integra, *Massobrius dub.* 49.

Nota secundo, quòd reservatio, est alicujus beneficii Ecclesiastici vacaturi per habentem potestatem ipse facta advocatio *Andreas de Fantonibus de reservat. q.* 1. *Gonzalez in regula* 8. *Cancellariæ glossa* 31. *Joannes à Cochier in regula prima Cancellariæ num.* 12. & est aut generalis, puta quandò reservatur beneficium, aut verò specialis, puta quandò certum tempus beneficii reservatur *Simonettus de reservatione quæst.* 4. Datur etiam in Jure nostro affectio, ut quandò Summus Pontifex apponit manum super dispositione alicujus beneficii, tunc enim dicitur affectio, ita ut omnes inferiores ampliùs se intromittere non valeant *DD. citati.*

Reservantur ergo primo Sedi Apostolicæ quæcunque beneficia vacatura per obitum Cardinalium, ut in extravaganti *ad regimen de præbendis*, & in *regula Cancellariæ* 1. *Gonzalez glossa* 51. Secundo quæcumque beneficia vacatura per obitum officialium Sedis Apostolicæ videlicet Camerarii Vicecancellarii, Notarii, Auditoris, Scriptoris Litterarum Apostolicarum, & aliorum, de quibus in *d. extravag.* & *in d. regula Cancellariæ*, & *in Bulla* 78. & 79. *Pauli Tertii* & *in Bulla* 44. *Julii Tertii*, ubi disponitur sub tali reservatione comprehendi, licèt in eodem palatio non habitent, nec comederint, vel comedant in tinello, *Gonzalez* & *Cochier ubi sup.* Tertio reservantur Pontifici quæcumque beneficia vacantia, vel vacatura per promotionem ad Archiepiscopatum ad Patriarchatum, vel Episcopatum, *Barb. de potestate Episcop. alleg.* 58. *num.* 86. Quarto beneficia vacatura per assecutionem pacificam quorumcumque Prioratuum, Dignitatum, Personatuum, & similium, *ut in d. extravag. ad. regimen.* Quinto beneficia vacantia per execrabilitatem, nempè quandò quis assecutus fuit secundum beneficium incompatibile cum primo, quia vacat utrumque ad Sedem Apostolicam, *Extravag. execrabilis* §. *qui verò deinceps*, & §. *quæ omnia de præbendis*, *Joannis* 22. Sexto omnia beneficia, de quibus ordinarii collatores contra Concilii decreta collationem faciunt, ut si conferant parochiam non habenti 25. annos, juxta *Trid. sess.* 27. *de reform. cap.* 3. vel si conferant alicui beneficium, qui non sit Clericus, quod est contra *Trident. sess.* 21. *de reform. cap.* 6. vel si conferant Canonicatus illis, qui non sunt Doctores, vel Magistri in Sacra Theologia, vel saltem Licentiati, juxta *Trid. sess.* 23. *cap.* 18. qua de re *DD. ubi sup.* Septimo omnia beneficia reservantur Pontifici, quæ vacant sede Episcopali vacante usque ad promotionem, & pacificam possessionem adeptam, ut in *regula* 3. *Cancellar.* & *Hieronymus Gabriel* 297. *Vivianus de jure patronatûs par.* 1. *cap.* 2. Octavo, omnes primæ dignitates in Cathedrali & Collegiatis Ecclesiis vacantes, ut *in regula* 4. *Cancellariæ*, *Riccius collect.* 1670. Nono, Prioratus, Præpositura, & similes, ut *in regula* 4. *Cancellariæ citata*. Decimo, familiarium beneficia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, quæ obtinuerint, & obtinebunt, eorum familiaritate durante, vel quamvis priùs illa adepti fuissent, etiamsi ab ipsa familiaritate per obitum dictorum Cardinalium, vel aliàs recesserint, ut *in regula* 8. *Cancellariæ in* 3. *par.* explicat *Barb. alleg.* 57. *num.* 106. Undecimo, omnia beneficia quorumcumque collectorum, & subcollectorum fructuum Cameræ Apostolicæ, ut *in regula* 8. *Cancellariæ*, *Riccius collectan.* 1647. *Barb. ubi sup.* Duodecimo, omnia beneficia Curialium, ut *in regula* 6. *Cancellariæ*, Cursorum; & cubiculariorum etiam honoris nuncupatorum, ut *in regula* 7. *Cancellariæ*. Dicuntur enim Cursores Papæ illi, qui habent locum ad instar Tribunalis, quod vulgò banchum Cursorum appellant, quorum officium est Cardinalibus intimare Capellas & consistoria Papæ & alia similia. Decimotertio, omnes Canonicatus Sancti Joannis Lateranensis, & Sancti Petri de Roma & Sanctæ Mariæ Majoris ut *in regula* 8. *Cancellariæ* Decimoquarto, omnia beneficia vacantia in Mense Januarii, Februarii, Aprilis, Maii Julii, Augusti, Octobris & Novembris, etiam extra Romanam Curiam vacantia, aliàs, quàm per resignationem *regula* 9. *Cancellariæ*. Decimoquinto, omnia beneficia vacantia propter crimen hæresis, ut in Bulla 29. Pii V. vel propter simoniam, aut crimen læsæ Majestatis humanæ, vel collata personis prohibitis, ut descendentibus ex Judaismo Bulla 66. Gregorii 13. vel beneficia recepta in confidentiam, ut in Bulla 85. Pii IV. vel beneficia parochialia collata, non servata forma *Trid. sess.* 24. *de reform cap.* 18. ut in Bulla Pii V. 52. vel vacantia ob non factam publicationem resignationis, per Bullam Gregorii 13. 85. Beneficia etiam illorum, qui seipsos pro aliis examini supponunt, ut in Bulla Pauli IV. & beneficia vacantia ob non delationem habitûs Clericalis, de qua in Bulla Sixti V. 92. quam refert *Quaranta in verb. habitus Clericalis*: Beneficia etiam litigiosa, quæ non possunt per ordinarium conferri, qua de re DD. ubi suprà; & ultimo loco beneficia affecta; dicitur verò affectum beneficium, si Papa ponat in eo administratorem, vel si concedat alicui mandatum de providendo, qua de re *Vivianus ubi sup.*

Tertio est advertendum, quòd omnia beneficia ista reservata si vacent Sede Apostolica vacante liberè conferri possunt per Episcopum quia tunc cessant regulæ reservatoriæ, & omnes menses sunt ordinarii: ergo possunt Episcopi, tanquam ad jus commune redeuntes providere de beneficiis in quolibet mense vacantibus, *Veralus decis.* 86. *par.* 1. & 214. *par.* 2. *Gonzalez in regula* 8. §. 5. *in proemio*, *Massobrius requis.* 7. *dub.* 43. & hoc fieri potest per Episcopos, quòusque Summus Pontifex faciat regulas Cancellariæ, quod semper fieri solet post diem assumptionis ad Papatum: qua de re *Massobrius requis.* 1. *dub.* 14.

Quarto est advertendum, quòd omnes illæ personæ quæ habent facultatem conferendi beneficia, quandòque eam amittunt, vel ex capite devolutionis, vel ex capite privationis; ex capite devolutionis, quia conferri debent beneficia intra sex menses, *cap. nulla de concessione præbendæ*, *cap. si. cum*

sequenti de supplenda negligentia Prælatorum, *Barb. alleg.* 126. *nu.* 42. quod tempus à die notitiæ vacationis incipit currere. *cap. quia diversitatem de concess. præben. cap. licet de supplenda neglig. Prælatorum*, latissimè *Barb. vbi sup.* quo tempore elapso est difficultas, ad quem fiat devolutio, & quidem si sint patroni negligentes ad jus patronatûs præsentandum, devolvitur jus præsentandi ad instituentem, *cap.* 3 *cap. cùm propter*, *cap. cùm se de jure patron.* & hoc etiam procedit in patronis regularibus, quaodò verò Prælatus inferior tamen Episcopo jus habet conferendi beneficium, eo negligente infrà tempus debitum, devolvitur potestas ad Episcopum, *cap.* 2. *de concessione præbenda. Clem. omni de supplenda negligentia Prælatorum.* Si verò potestas conferendi pertineat ad Capitulum cathedralis Ecclesiæ fit etiam devolutio ad Episcopum, *d. cap.* 2. Semper verò, quòd Episcopus est negligens infra tempus debitum ad conferendum, tunc devolvitur ad superiorem, *Garsia par.* 10. *cap.* 3. immò est nulla collatio facta à collatore negligente post elapsum tempus, *cap. ex parte de conceff. præbendæ.*

Perditur etiam jus conferendi per privationem, ut si quis suspendatur à jure conferendi, *cap. postulastis da Clerico excommunicato ministrante cap. grave de præben. D D. communiter ubi suprà.*

Adverte quinto multas esse personas, quibus collatio beneficii fieri non potest: & primo denegatur hæreticis, eorumque fautoribus usque ad secundam generationem, *cap. quicumque*, *§. hæretici*, *cap. constitutum il.* 2. *de heretic. in* 6. Idem dicas de Apostatis. & Schismaticis. *Sqvillante cap.* 4. *de privileg. Cleric. à nu.* 125. Denegatur secundo omnibus excommunicatis majori excommunicatione, isti enim sunt inhabiles ab quæcumque beneficia obtinenda, *cap. postulastis de Clerico excommun. ministrante*, *Garsia par.* 7. *cap.* 13 *Ricciulus lib.* 4. *cap.* 6. etiamsi non sint adhuc denunciati, quod tamen limitant D D. quandò excommunicatio est nulla; potest tamen Episcopus dispensare, ut quis retineat beneficium obtentum tempore excommunicationis, quia non est reservata Pontifici, *glossa in d. cap. postulastis in verb. dispensatum*, ubi *Abbas num.* 8. neque potest collatio beneficii fieri suspensis ab officio, vel beneficio, *cap. cùm dilectus de consuetud. Garsia par.* 7. *cap.* 14. *Ricciul. loco citato.* Sicut nec interdictis personaliter, vel irregularibus, *cap. tanta*, vbi *glossa de excessib. Prælatorum*, *cap.* 1. *de Clerico pugnante in duello*, *cap.* 2. *de Clerico non ordinato ministrante.* Nec fieri potest collatio sodomitis notoriis, alias est nulla. *Barb. alleg.* 44. *num.* 18. nec bigamis, *cap.* 1. *de bigamis*, nec simoniacis, qui quidem in beneficiis post privationem fiunt etiam inhabiles ad alia obtinenda Bulla Pii V, 5. *in ordine*, nec fieri potest Clericis concubinariis incorrigibilibus, nec Clericis conjugatis, *cap.* 2. *de Clericis conjugatis.* Nec laicis fieri potest collatio, *cap. ex literis de transact.* Nec Clerico initiato ab alieno Episcopo cum falsis litteris, vel sine eis, quia licèt per talem ordinationem receperit Caracterem, non tamen est capax beneficii, *Verallus par.* 1. *dec.* 126. *Riccius collect.* 1678. *Barb. alleg.* 8. Idem dicas de Clerico ordinato ab Episcopo hæretico, Schismatico, vel excommunicato, aut suspenso. Idem dicas de ordinato per saltum, vel antè ætatem sine dispensatione. *DD. citati.*

Nec filiis Clericorum ex legitimo matrimonio non natis conferri possunt beneficia in illis Ecclesiis, ubi eorum patres habent, vel habuerunt, *cap.* 2. *cap. cùm decorem*, *& toto titulo de filiis presbyter. Trid. sess.* 25. *de refor. cap.* 15. quod quidem limitant de filiis legitimis multi *DD.* apud *Barb. alleg.* 65. *num.* 16. alii verò dicunt, etiam legitimos esse incapaces horum beneficiorum ex dicto loco *Trident.* Vndè filius, quantùmvis legitimus, eget dispensatione ad obtinendum immediatè beneficium paternum, ut pluriès declaravit Sacra Congregatio apud *Barb. d. alleg.* 65. nec etiam fieri potest collatio impuberibus, *Trid. sess.* 23. *cap.* 6. Requiritur enim pubertas inchoata *Velaschus consult.* 8. quod multi dicunt habere l eum etiam in beneficio juris patronatûs; qua de re diximus alibi. Nec fieri potest collatio illiteratis, *cap. illiteratus* 33. *dist. cap. pœnitentes* 55. *dist.* nec infamibus fieri potest collatio, *cap. infamibus de regul. juris in* 6. *Garsia par.* 7. *cap.* 8. qua de re *D D. citati.*

Nec fieri potest collatio alicui beneficii incompatibilis, *cap. unio § penult. in q.* 3 *cap.* 4. *&* 5. *Trident. sess.* 7 *& in d. extravagan. execrabilis de præbendis.* Vndè habens parochiam si obtineat aliquod beneficium incompatibile cum ipsa, ipso jure vacat primum, & etiam secundo spoliari debet: vbi tamen est quæstio, utrùm inducatur vacatio ipso jure, & respondent D D. affirmativè, *Rota par.* 1. *dec.* 483. *Garsia vbi sup.* Illa verò beneficia, quæ sunt simplicia, faciliùs pluralitatem admittunt, *cap. fin.* 70. *dist. Trid. sess.* 24. *de reform. cap.* 17.

Vltimo est advertendum in materia beneficiaria ad plura: & quidem primo si plures in eadem Ecclesia impetrent beneficium, stamus datæ literarum, & priùs impetrans præfertur, etiamsi sit in hora prioritas, *cap. capitulum de rescriptis. Menochius casu* 48. *Cassadorus dec.* 20. *de præbend.* Secundo, si collatio facta sit duobus à diversis eodem die, nec appareat cui priùs facta fuerit, melior est conditio possidentis, *Barb. alleg.* 57. *num.* 3. Tertio ad acceptandam collationem beneficii, seù institutionem, requiritur speciale mandatum, *cap. si tibi absenti de præbendis*, ubi *glossa in verb. habueris.* Quarto in beneficiorum collatione, vel qualibet provisione nihil est detrahendum de injunctis oneribus, aut aliis qualitatibus constitutis in fundatione ipsorum, *Trid. de reform sess.* 25. *cap.* 5. *Garsia par.* 7. *cap.* 1. *num.* 111. Quinto à beneficiis consequendis non sunt Clerici minùs nobiles repellendi qualibet consuetudine non obstante, *cap. venerabilis de præbendis*, &, si dicat statutum, non admitti in Canonicos, nisi nobiles: Doctores non excluduntur, *Jacobus Bonnius de privilegiis jureconsultorum par.* 2. *privil.* 1. Sexto ille, cui Papa beneficium contulit etiam cum clausula, si idoneus fuerit, præsumitur idoneus, nisi contrarium appareat, undè ipse non tenetur se probare idoneum, *cap. fin. de præsumpt. Menochius lib.* 6, *præsumpt.* 91. *Mascardus concl.* 789. Intellige de idoneitate intrinseca, scilicet puritatis, & similium, non verò scientiæ, & litteraturæ, quæ cùm sit extrinseca, & accidentalis homini, inesse alicui non præsumitur, *Barb. alleg.* 10. *n.* 17. vndè Capitulo objicienti impuritatem, incumbit onus probandi, *Rota* apud *Card. Manticam dec.* 274. *&* 307. & apud *Seraphinum.* 353. *& par.* 1. *divers. dec* 177. *&* 182. Septimo, antequàm collatio fiat coram Judice executore, justificari debet narrativa, *Rota* apud *Burattum dec.* 838. est autem narrativa duplex, alia dicitur causa substantialis ipsius concessionis, ut quòd vacaverit in mense reservato, quòd ad ipsum pertinent collatio, quibus Papa se fundat quæ debent plenè, & concludenter probari, *Card. Puteus decis.* 265. *lib.* 3. *Rota par* 1. *decis.* 268. *& par.* 2. *dec.* 46. *additio ad Burattum* dec. 175. alia est narrativa, quæ est pars gratiæ, ut valor, Doctoratus, & similia & ad ista sufficit semiplena probatio, *Rota dec.* 14. *de probat. in antiquis.* *Puteus dec.* 29. *lib.* 1. *& Gregorius* 15. *dec.* 35. *Rota* apud

apud *Cavaleriam dec.* 202. qua de re DD. citati, & est originale litterarum Apostolicarum producendum, ut Judex, qui illas exequi debet, sit certus de sua jurisdictione, *Rota dec.* 28. *de concess. præben. in novis. Puteus lib.* 3. *decis.* 245. *Achilles de Grassis, dec.* 2. *de offic. delegati, Rota dec.* 143. *par.* 2. *in recentioribus.*

De Vacationibus Beneficiorum.

BEneficia ecclesiastica interdùm vacare solent, quibus ergo modis vacent, breviter explicandum est; & quidem primo vacat beneficium per mortem naturalem beneficiati, *cap. susceptum de rescriptis in* 6. adeò ut si miraculosè resurgeret, non recuperaret illud, *Gonzalez in regula.* 8. *Cancellaria glossa.* 15. *Garsia par.* 11. *cap.* 2. Secundo vacat per mortem civilem, veluti per ingressum Religionis, emissa jam professione, *cap. beneficium de regular. in* 6. *Garsia par* 11. *cap.* 9. quod etiam procedit in pensione: hoc tamen limita in professione emissa in Societate Jesu, ubi non vacant beneficia, & pensiones post emissa vota elapso biennio, sed durant usque ad professionem solemnem, *Sanchez lib.* 7. *summa cap.* 4. *num.* 7. *& cap.* 27. *num.* 32. *& cap.* 29. *num.* 10. Vacat tertio per renunciationem, vel permutationem, ut in toto titulo *de renuntiatione.* Vacat quarto si beneficiatus in minoribus constitutus contrahat matrimonium, *cap.* 5. *&* 3. *de Clericis conjugatis, cap. unico eodem titulo in* 6. *& regula* 58. *Cancellaria, Ricciullus lib.* 7. *cap.* 1. *Vivianus par.* 1. *cap.* 3. *de jure patron.* [illegible]æ quidem inducitur ipso jure in hoc casu, licèt non amittat possessionem, nisi auferatur ab eo. Vacat quinto per assecutionem alterius incompatibilis, *cap. de multa de præben. extravag. execrabilis, §. si verò de præben. Trident. sess.* 2. *cap.* 4. Vacat sexto si obtinens parochialem Ecclesiam non ordinetur Sacerdos infrà annum, *cap. statutum, cap. commissa de elect. in* 6. *Barb. de potestate Parochi, cap.* 3. Vacant septimo per promotionem ad Episcopatum, accepta tamen possessione, *cap. cùm in cunctis, §. cùm verò de elect. Trid. sess.* 7. *de reform. cap.* 9. *& sess.* 25. *cap.* 2. *de reform. Verallus dec.* 303. *& sequenti, &* 400. *par.* 2. *Riccius collect.* 1213. Verùm de stylo Curiæ Romanæ hæc vacatio inducitur per solam promotionem, non expectata possessione, quia Papa sic decernit in actu promotionis, qui si aliter non dixerit, non vacabunt, nisi post acceptam possessionem, *Rota* apud *Seraphinum* dec. 110. *Additio ad Burattum dec.* 344. *litt. A.* quod tamen limitatur in promotis ad Episcopatum in terris Infidelium, quia per talem promotionem beneficia non vacant, nisi aliter summus Pontifex dixerit, *Barb. alleg.* 57. *num.* 24. Vacat octavo per translationem Prælati ad aliam Ecclesiam, prima Ecclesia, litteris tamen expeditis, & ostensis capitulo, *cap. in apibus. §. translatis* 7. *q.* 1. *cap. quanto de translat. Episcoporum, extravaganti injunctæ de elect. inter communes.* verùm hodie ex declaratione Sanctissimi vacat Ecclesia, à qua quis transfertur ab eo tempore, quo idem Episcopus ab illius vinculo absolvitur in consistorio, etiam antè expeditionem litterarum, vel antè adeptam possessionem secundæ, *Barb. in cap.* 1. *num.* 5. *de translat. Episcopi.* Vacat etiam quandò resignans beneficium non supervixit per 20. dies, juxtà *regulam* 19. *Cancellaria*, & vacat ob non factam publicationem renunciationis. Vacat etiam per apprehensionem possessionis antè litterarum expeditionem si conferatur à Papa, juxtà Bullam 33. Julii 5. de qua *Riccius collect.* 1213. Sicut vacat propter crimen hæresis, *cap. ad abolendam de hæreticis*, vel per crimen læsæ Majestatis, vel falsitatis litterarum Apostolicarum, *cap. ad falsariorum de crimine falsi*, vel per crimen realis simoniæ commissæ, *extravag. cùm detestabile de simonia*, vel quæ fuerunt obtenta per violentum ingressum, *cap. eum. qui. de præb. in* 6. *Riccius collect.* 1475 Sicut vacant ipso jure beneficia percutientis Episcopum; illa scilicet, quæ obtinet in ea Ecclesia, cui talis Episcopus præest, *cap.* 5. *§. à feudis de pœnis.* si tamen Episcopus sit consecratus, nam qui occidit Episcopum electum, non dicitur occidere Episcopum, *Garsia par.* 11. *cap.* 10. *num.* 56. Idem dic de occidente Rectorem suæ Ecclesiæ, *cap. in quibusdam de pœnis, Barb. ubi sup.* Sic beneficia assassini vacant ipso jure, *cap.* 1. *de hæretic. in* 6. Sic vacat ipso jure beneficium illius, qui carceravit Clericum, donec resignaverit suum beneficium, *Clem. multorum, §. quòd si inferiores. de pœnis.* Sicut vacant beneficia obtenta in confidentiam, vel eorum, qui non incedunt in habitu clericali: Bulla Sixti V. 30. ubi tamen requiritur, ut non gestet habitum per multum tempus. Et ego dico hunc talem Clericum beneficiatum non gestantem habitum, non peccare mortaliter, contrà multos, quos refert, & sequitur *Sanchez lib.* 7. *opusc. cap.* 1. *dub.* 49. *concl.* 7. quia prædicta Bulla Sixti V. non est in observantia, præsertim in Regno nostro, ut refert *Regens Capycius Latro dec.* 175. immò fuisse moderatam, & revocatam per Clementem VIII. dicit *de Grassis effectu* 1. *num.* 5197. & dato quòd esset in observantia Bulla prædicta imponit pœnam privationis beneficii, ergo non obligat in conscientia ad peccatum, ut post multos *Diana par.* 8. *tract.* 8. *resol.* 17. loquens de lege pœnali.

Est etiam ultimo loco observandum, quòd impetrans beneficium non tenetur de jure exprimere modum vacationis, *Clem.* 1. *in verb. quamvis de præbendis*, exceptis tamen Canonicatibus, DD. communiter, de quibus *Barb. de jure eccles. lib.* 3. *cap.* 14. *in fine.*

In §. Et si quis litteras

COnclusio hujus textûs est, quòd si alicui concedatur facultas, ut provideatur de aliquo certo beneficio, non poterit ei provideri super pensione; undè docent DD. communiter ex hoc textu, quòd appellatione beneficii non veniat pensio: ad cujus intelligentiam

Sciendum est primo, quòd pensio dicitur, vel quia pendet à beneficio, undè extrahitur; vel quia appenditur, id est solvitur, sicut quælibet annua solutio dicitur pensio, & ipsius pensionis solutio dicitur pensitatio. Definitur verò, ut sit certa portio ex aliquo beneficio ex causa separata ad tempus non in perpetuum, pendens à proprietate beneficii, à quo extrahitur; qua de re *Garsia de benefic. par.* 1. *cap.* 5. Disputant verò DD. an pensio sit beneficium ecclesiasticum, & unanimiter respondent, quòd aut pensiones sunt merè temporales, quæ laicis dantur, veluti Decano Parafernariorum, Barbitonsori, & similibus, & in hoc casu pensio non est beneficium, & sic intelligitur *Garsia par.* 1. *cap.* 5. *Ricciullus lib.* 5. *cap.* 19. *& Gratianus cap.* 397. Si verò pensio daretur in titulum Clericis, & in hoc casu sapit naturam beneficii, secundùm textum sic intelligendum *in cap. audientiam* 31. *de rescriptis*, ibi pensiones, seù alia beneficia, considerando illam particulam, *alia*, quæ est implicativa similium, & sic distinguunt *Garsia ubi suprà, Bonacina de simonia §.* 13. *q.* 4. *Layman lib.* 1. *tract.* 5. *par.* 2. *cap.* 2. *& lib.* 5. *tract.* 2. *cap.* 18. ex qua posita distinctione resolvitur alia controversia: utrùm Clericus pensionarius

gaudeat fori privilegio, ficut beneficiatus? & refponfio eft communis, quòd fi confideretur penfio primo modo, non gaudet; fi verò confideretur fecundò modo, gaudet. *Diana par.* 1. *tract.* 2. *refol* 30. *Bonacina de legibus disp.* 10. *q.* 2. *punct.* 1.

Refolvitur ex hac eadem diftinctione alia controverfia, an fcilicet ficut impetrans beneficium tenetur facere mentionem de alio, quod habet, *cap. fi motu proprio. de præbendis in 6.* ita teneatur facere mentionem de penfione, & communis diftinctio eft ex fuprà traditis teneri facere mentionem de penfione collata per modum tituli, *Garfia* d. *cap.* 5. *num.* 81. ubi tamen noto, quòd fi quis in impetratione beneficii narret penfionem, fateretur quidem beneficium effe penfione gravatum, fed non propteteà confentire videretur fuiffe eam validè refervatam, cùm potuerit nulliter refervari, ut dixit *Rota* apud *Auguftinum Barb. lib.* 3. *de penfionibus cap.* 11. *num.* 18. recedens ab aliis decifis, de quibus addentes ad *Gregorium* 15. *decif.* 57. *num.* 17.

Refolvitur tertio ex eadem *dift.* penfionem non collatam per modum tituli non effe materiam fimoniæ, licèt de ftylo Curiæ Romanæ, abfque Romani Pontificis auctoritate alienari, vel vendi talis penfio temporalis non poffit. Refolvitur quarto, quòd ficut collatio beneficii facta illegitimo, eft invalida, *cap.* 1. *de filiis presbyter. in 6.* Ita collatio penfionis clericalis, non autem temporalis, *Garfia num.* 115. *Gratianus cap.* 397. *à num.* 11. & ficut per matrimonium vacat beneficium, ut fuprà diximus, ex *cap.* 1. *de Clericis conjugatis*, ità etiam vacabunt penfiones per modum tituli collatæ, ut de ftylo Curiæ Romanæ fervatur *Burattus dec. Rotæ Romanæ* 84. & apud *Cavalerium dec.* 166. *Ricciullus loco cit.* & ficut per promotionem ad Epifcopatum beneficia vacant: ita etiam vacabit penfio data in titulum clericalem, & per profeffionem fupra diximus vacare beneficia, ità etiam vacant penfiones, nec poteft penfio conferri excommunicato, quandò per modum tituli confertur. Sicut nec poteft beneficium, & breviter omnes prærogativæ beneficiorum competunt penfioni collatæ per modum tituli

Sciendum fecundo eft, poffe Summum Pontificem penfionem imponere fine ulla caufa, quia pleniffimam habet poteftatem, *cap.* 2. *de præbend. in 6.* regulariter verò fine caufa eam non affignat. Epifcopus verò ex jufta caufa poteft penfionem imponere in beneficio, *cap. dilecto* ubi *DD. de præbend* nullis verò Ecclefiis cathedralibus, quarum redditus fummam ducatorum mille non excedunt, penfio imponi poteft, *Trid. feff.* 24. *de reform. cap.* 13. Parochialis verò excedere debet fummam ducatorum centum, fecundùm verum valorem, *Garfia par.* 1. *cap.* 5. *num.* 373. *cum fequentibus*; undè dici folet, quòd in parochiali remanere debent centum annui liberi pro Rectore, & in cathedrali mille liberi pro Epifcopo, quod verbum liberi, excludit omne genus oneris, & gravamen, *Rota par.* 1. *dec.* 298. & penfio legitimè pofita folvenda eft à beneficiato, ità ut penfionarius agere poffit hypothecaria actione contrà fucceflorem in beneficio, in cujus tamen electinoe erit, vel agere contrà poffefforem beneficii, vel contrà hæredem defuncti beneficiati, vel contrà prædeceflorem in beneficio, fi adhuc vivit, utilius tamen eft contrà poffefforem beneficii agere, quia executivè procedit, fed contrà hæredem prædecefforis agere debet via ordinaria, eo tamen cafu, quo agit contrà fucceflorem in beneficio, idem fucceffor habebit actionem contrà fuum prædeceflorem, fi vivit, vel contrà ejus hæredes, DD. communiter, de quibus *Gratianus cap.* 94. & licèt *Rota* interdùm dubitaverit, an detur actio penfionario contrà fucceflorem in beneficio pro penfionibus decurfis, & non folutis in vita prædecefforis, ut videre eft apud *Caffadorum dec.* 3. & 4. *de locato*, & apud *Achillem de Graffis dec.* 3. *de penfionibus*, & apud *Crefcentium dec.* 6. & 7. *de folutionibus*, tamen eadem *Rota* conceffit hanc actionem penfionario, fi ipfe penfionarius non fuiffet negligens contrà prædecefforem ad eam exigendam, *Marefcottus lib.* 1. *variar. cap.* 18. *Rota* apud *Pacificum dec.* 99. *de Salviano interdicto.*

Sciendum eft tertio, extingui penfionem morte penfionarii, & aliis modis, de quibus fuprà diximus extingui beneficium; poteft etiam fine licentia Pontificis in totum, vel in partem remittere penfionem fibi debitam, quafi jus proprium, & privatum, *Riccius collect.* 1653. eft tamen quæftio, an quis amittat penfiones decurfas, fi ob illas non folutas obtinuit immitti in poffeffionem beneficii? & quòd amittat dicit *Gratianus cap.* 617. *nu.* 34. *Gigans de penfionibus q.* 76. contrarium tamen dicunt alii, argumento *textûs in l. Colonus, ff. locati*, ubi Dominus poteft expellere colonum contumacem in folvendo, & petere penfionem, & fic practicatum refert *Auguftinus Barb. in caufa propria de penfionibus*, *cap.* 11. *in fine.*

TITULUS XXVIII.

DE INSTITUTIONIBUS, ET JURE PATRONATUS.

Vifum eft fuprà de præbendis, earumque collationibus. Verùm quia interdùm beneficia pertinent ad patronorum præfentationem, poft quas fequuntur Epifcoporum inftitutiones. Meritò ponitur hic titulus, ad cujus intelligentiam

Sciendum eft primo, quòd inftitutio refertur ad Epifcopum inftituentem; Jus patronatûs verò refertur ad præfentantem; undè præfentatio præcedit inftitutionem, quia præfentatur quis, & poftea fequitur inftitutio, & hinc eft, quòd in Decretalibus adeft diftinctus titulus inftitutionis à titulo Juris patronatûs: hîc verò fub uno, & eodem titulo uterque ponitur.

Sciendum fecundo eft, quòd Jus patronatûs diverfimodè accipitur. Primum dicitur libertorum, de quo *in titulo ff.* de *Jure patron.* Secundum dicitur parentum, quod confideratur in patre refpectu filii, ut notatur in titulo *ff. fi quis à parente fuerit manumiffus.* Tertium dicitur Advocatorum, *l. rem non novam*, *§. patronum*, ubi *DD. C. de Judiciis.* Ultimum dicitur Ecclefiafticum, & de hoc agimus in præfenti, quod quidem definiri folet, ut fit jus honorificum, onerofum, & utile alicui in Ecclefia competens, pro eo, quòd de Epifcopi confenfu illam fundavit, conftruxit, vel dotavit ipfe, vel ille, à quo juftam caufam habet folus, vel alio concurrente. *Abbas*, *in rubrica de jure patron. num.* 3. *Vivianus de jure patronatûs par.* 1. *lib.* 1. *cap.* 2. *Sanchez lib.* 2. *opufcul. cap.* 3. *dub.* 48. Dicitur jus honorificum, quia honorem habet patronus in præfentando Clericum; dicitur onerofum, quia patronus tenetur defendere Ecclefiam fuam, *cap. filiis.* 16. *q.* 7. Dicitur etiam utile, quia fi patronus vergit ad inopiam, eum potiùs, quàm cæteros pauperes alere debet, *cap. quicumque cum fequenti*, 16. *q.* 7. *nobis. de jure patron.* Dicitur alicui in Ecclefia competens, quia competit Jus patronatûs, tàm mafculo, quàm feminæ, *d. cap. quoniam*, & *cap. nobis.* Dicitur pro eo, quòd de Epifcopi confenfu; quia non acquiritur Jus patronatûs,

nifi

nisi consentiente Diœcesano, *cap. ultimo, & toto titulo de jure patronatûs, Rota dec. 10. eodem tit. Rocchus de Curte in verb. pro eo.* Dicitur, Ecclesiam fundavit, construxit, vel dotavit, quia acquiritur fundatione, puta assignando fundum ubi Ecclesia construatur, *cap. nobis. hoc titulo*, vel constructione, puta quia suis expensis construi fecit Ecclesiam, vel dotatione, puta quia eam dotavit, DD. communiter citati. Dicitur ipse, vel ille, à quo causam habuit, quia non solùm habet Jus patronatûs, qui Ecclesiam construxit, sed etiam ille, in quem transfertur per modos, de quibus infrà.

Ex qua definitione infertur primo, quòd ille, qui construxit, fundavit, vel dotavit Ecclesiam, dicitur patronus, quasi quòd traduxerit Ecclesiam de non esse ad esse: sicuti Dominus manumittendo servum, Patronus dicitur, quia traduxit servum de non esse liberum ad esse liberum.

Infertur secundo quatuor causas considerari in Jure patronatûs. Prima quidem efficiens, est fundator, *cap. à nobis, eodem titulo.* Secunda causa est formalis, & est consensus, tàm ipsius, quam Diœcesani. Tertia causa est materialis, id est res ipsa, in qua est est Jus patronatûs; finalis verò causa est honor, & onus: fuit verò Jus patronatûs introductum ad hoc ut laici per sanctam quandam æmulationem inducerentur ad Ecclesias construendas, undè est introductum in favorem laicorum, *cap. decernimus, 16. q. 7.* ob incitationem verò ad devotionem permittunt Summi Pontifices jus Patronatûs laicis, Dicitur introductum favorem Ecclesiæ.

In §. Constituitur.

Agitur in hoc textu de modis, quibus constituitur Jus patronatûs, ad cujus intelligentiam

Sciendum est primo acquiri Jus patronatûs pluribus modis, scilicet primo fundatione, sivè quis Ecclesiam in proprio solo suis sumptibus construat. *c. Abbatem 18. q. 2. cap. nobis. de Jure patron. Lambertinus par: 5. lib. 1. q. 2.* nec quælibet fundandi donatio tribuit Jus patronatûs, sed opus est, ut totum dominium transferatur, ut post *Lambertinum* resolvit *Massobrius præludio 7. dub.* 18. undè, si Dominus tradens fundum, vellet retinere dominium aliquod directum, vel utile, tunc Ecclesia non deberet ibi fieri, & si fieret, non acquireretur Domino Jus patronatûs: posset tamen hic Dominus retinere aliquod jus exigendi censum, *Glossa in cap. constitutus. de religiosis domibus.*

Secundo acquiritur Jus patronatûs constructione, seù ædificatione, ut quandò quis in fundo ab alio dato propriis sumptibus Ecclesiam construxit, *cap. Monasterium 16. q. 7.* aliàs enim si hæc fiant juxtà terminos, *cap. ad audientiam. tit. 1. de Ecclesiis ædific.* & cum protestatione recuperandi expensas ab ipsa Ecclesia, tunc Jus patronatûs non illi acquiritur, sed Ecclesiæ, ex cujus bonis constructa fuit: *glossa in cap. Apostolicos, in verb. construxisse 17. q. 2. Garsia par. 5. cap. 9. à num. 56.* & quia non acquiritur Jus patronatûs ex constructione, nisi necessariò fiat, ut pluriès decidit *Rota* de qua *Ferrentillus in additionib. ad Burattum dec. 22. litt. A. num. 26.* Ideò ex refectione Ecclesiæ penitùs destructæ acquiritur Jus patronatûs; secùs verò si non erat taliter destructa, ità *Abbas in cap. 3. de Jure patronatûs, Rota apud Seraphinum dec. 518. & 907. Riccius par. 5. collect. 1559. Massobrius præludio 7. dub. 22. Ferrentillus ubi sup. litt. A Gratianus cap. 177. num. 26.* qui dicit ad acquirendum Jus patronatûs ex reparatione, requiri totalem reparationem Ecclesiæ funditùs dirutæ, *Rota par. 3. dec. 306.* ex quibus omnibus, scilicet constructione, & reædificatione, acquiritur Jus patronatûs absque alia reservatione. *Vivianus par. 1. lib. 2. cap. 1. nu. 9.* In quibus tamen semper requiritur Episcopi consensus, *cap. nobis sup. cit. Barb. alleg. 70. num. 20.* qui quidem consensus præstandus est ab eo Episcopo, in cujus loco fundatur Ecclesia, ut infrà dicemus. Tertio acquiritur Jus patronatûs dotatione, sivè certi reditûs assignatione, facta Ecclesiæ, *cap. filiis, cap. quicumque 16. q. 7. glossa in cap. piæ mentis 16. q. 7. Trident. sess. 14. cap. 12.* nec dicas, quòd in *Triden. sess. 25. de reform. cap. 9.* efficiatur mentio solùm de fundatione, & dotatione, quia in illa particula fundatione comprehenditur constructio, *Garsia par. 1. cap. 9. num. 38.* vel dicas, quòd constructio comprehenditur in illa particula, aliàs, secundùm juris dispositionem, ut advertit *Gonzalez glossa 18. num. 5.* Si verò tradiderint plures dotem, unusquisque pro parte, omnes erunt patroni, secundùm aliquos; verùm contrarium dico, quia ad acquirendum Jus patronatûs, requiritur dos sufficiens, *Gonzalez ubi sup. Vivianus dec. 112.* quod etiam Episcopus judicare debet, an sit congrua, & sufficiens, *Barb. alleg. 70.* ea tamen est controversia: an hæc tria requirantur copulativè, scilicet constructio, fondatio, & dotatio, an verò disjunctivè; communis sententia est sufficere disjunctivè, quia disjunctivè loquitur *textus in d. cap. nobis*, ubi *glossa in verb. construxerit, & in cap. filiis, & in cap. decernimus, & in cap. Monasterium 16. q. 7.* sic dixit *Rota* apud *Verallum dec. 133. par. 2. Riccius par. 1. dec. 172.* sic fuisse decisum per Sacram Congregationem dicit *Menochius lib. 3. præsumpt. 90.* & facit *Trident. sess. 25. de reform. cap. 9.* & licèt in *sess. 14. cap. 12.* copulativè videatur loqui, ibi Capellam fundaverit, & dotaverit, tamen dico dictionem illam potiùs stare alternativè, ut concordet cum *textu sess. 25. cap. 9.* nec est novum in jure dictionem, *Et*, resolvi in disjunctivam, ut in *cap. Clerici arma portantes, de vita, & honest. Cleric.* ait enim *textus. Clerici arma portantes, & usurarii excommunicantur*, & tamen sufficit alternativè.

Ultrà hos modos acquiritur Jus patronatûs successione, *cap. considerandum 16. q. 7. cap. quoniam de Jure patronatûs.* Acquiritur quinto donatione, *cap. ex insinuatione*, ubi *glossa de Jure patron.* & sexto acquiritur venditione, quia transit cum universitate bonorum. Si verò quis vendiderit hæreditatem, est quæstio, an transeat ad emptorem Jus patronatûs? & responsio communis est affirmativa: argumento *textus in cap. ex litteris hoc tit.* Sic decisum refert, *Riccius in praxi par. 1. resol. 179.* quia transit cum universitate bonorum, prout est hæreditas. Quandò verò Baro fundavit Jus patronatûs in suo Castro, & illud Castrum vendidit, Jus patronatûs non transit in novum Baronem emptorem, *Genuensis in practicab. q. 350. Riccius ubi suprà.* Si verò debitor nihil habeat in bonis, non potest cedere jus patronatûs creditoribus, nec illud tradere in solutum, secùs est, si daretur cum universitate bonorum; *Sanchez lib. 2. opuscul. cap. 3. dub. 80.* Si verò pignoretur aliqua universitas, non transit cum universitate pignoratata, *Sanchez ubi suprà, dub. 84.* nisi tamen recipiens pignus faceret fructus suos, ut in casu, *cap. salubriter de usuris, & in cap. 1. de feudis*, nec potest Jus patronatûs tradi in dotem: sicut non potest vendi, *Sanchez loco cit.* Si verò detur cum pluribus bonis, tunc constante matrimonio ad virum spectabit præsentatio, non ad uxorem, quia vir est dominus dotis, *DD. citati.* Confiscatis verò bonis alicujus, censetur confiscatum Jus patronatûs, etiamsi Judex laicus confiscationem faciat, *Molina de primogenitura lib. 1. cap. 24.*

Ampliatur ut transeat in uxorem celictam usufructuariam omnium bonorum à marito, ad quam spectabit præsentatio, quia usufructuarius omnium bonorum habetur loco hæredis, *l. fin. ff. de usufructu legato*, transit etiam in donatarium omnium bonorum: sic decisum in *Rota* refert *Seraphinus dec. 725. par. 1.* Acquiritur etiam Jus patronatûs permutatione, facta tamen consentientibus patronis *cap. nemini, 16. q. 7. DD. in cap. 1. de rerum permutatione in 6.* acquiritur etiam ex privilegio à Summo Pontifice concesso, ut patet in Regno nostro Neapolitano, ubi Summus Pontifex concessit privilegium Regi Hispaniarum præsentandi in Archiepiscopatibus, & Episcopatibus.

Acquiritur etiam præscriptione immemorabili, *Trid. sess. 25. cap. 9. Rota Romana dec. 243. par. 3.* Dicunt verò multi *DD.* immemorabilem præscriptionem esse centenariam *DD.* multi, quos allegat *Gabriel in communibus conclusionib. in tit. de præscriptionibus, Farinaceus dec. 583.* Probatur verò Jus patronatûs pluribus modis ex *Trident. ubi suprà. cap. 9.* Primo scilicet ex authentico documento fundationis, vel dotationis, *Cassadorus dec. 7. de Jure patron. Barb. alleg. 72. de Jure* patron. *Vivianus dec. 17.* Probatur secundo ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum cursum temporis, qui hominum memoriam excedat, *Trident. d. cap. 9. Menochius præsumpt. 90 Barb. ubi sup.* etiamsi nullum instrumentum fundationis, vel dotationis ostendatur, *Riccius par. 4. dec. 258.* & quidem immemorabilis possessio in centenaria verificatur, quæ quidem possessio tali tempore inducit præsumptionem tituli, *Burattus dec. 884.* quæ quidem immemorabilis requiritur etiam in privatis personis, ut de communi docent DD. de quibus *Barb. lib. 3. de jure Ecclesiast. cap. 12. num. 74.* ad probandum verò hoc tempus immemorabile sufficit memoria 40. annorum. & quòd de reliquo tempore testis deponat secundùm auditum, & famam; *glossa in cap. c. de præscript. in 6. Riccius in praxi de Jure patronat. resol. 70.* & si probatio sit facienda per testes, debent habere sexaginta annos, vel saltem ætatem 54. annorum, secundùm multos DD. de quibus *Riccius ubi sup. resol. 72.*

Probatur verò Jus patronatûs per multiplicatas præsentationes, ut suprà dicebamus, dicuntur verò multiplicatæ ad minus duæ, *Riccius resol. 77.* & sufficit una, si ille præsentatus per 40. annos possederit, nec unquàm venerit casus præsentationis, *glossa in cap. cùm de beneficio de prabendis in 6. DD. cit.* Semper verò, quòd constabit de aliquo vitio, tunc continuatæ præsentationes nihil faciunt, *Barb. alleg. 76. num. 77.*

Probatur etiam Jus patronatûs ex præsentationibus per 40. annos factis, concurrente publica voce, & fama, *Gratianus cap. 360. Riccius resol. 130. & par. 4. dec. 274. Garsia par. 5. cap. 5. num. 40.* Quinto probatur per enunciativas centum annos, & hominum memoriam excedentes, *Garsia, Riccius*, & alii apud *Barb. alleg. 72. num. 40. & seq.* dummodò sint duæ enunciativæ factæ per ordinarios, quòd si ab eodem ordinario procederent, pro unica haberentur. *Additio ad Burattum dec. 172.* & dummodò enunciativæ non fiant à personis suspectis.

Sexto probatur Jus patronatûs per insignia alicujus familiæ sculpta in Ecclesia, *Menochius ubi sup. Menochius de Jure patr. resol. 36.* quæ probatio plenè probat, concurrentibus aliis adminiculis, *Rota* apud *Vivianum dec. 26.* dummodò appareat, insignia fuisse antiqua, prout est Ecclesia, vel Capella. Sicut etiam probatur ex denominatione Capellæ alicujus familiæ, *Rota* apud *Burattum dec. 927. Mascardus concl. 958. Riccius ubi suprà resol. 34.*

Septimo probatur ex sententia alicujus Episcopi antiqua, declarante Jus patronatûs pertinere ad præsentationem alicujus patroni, *Puteus dec. 237. Burattus dec. 242.* existimatur verò antiqua, quandò quinquaginta retrò annis lata fuit, *Barb. num. 49.* Probatur etiam ex aliquo subsidio præstito patrono, non tamen ex libris visitationum probatur, quia fiunt ad alium effectum *DD. cit.*

Ad probandum verò, Jus patronatûs esse alicujus Universitatis, vel alterius personæ potentis, in quibus præsumitur jus quæsitum ex usurpatione, *Trident. ubi sup.* exposcit majores probationes, de quibus ibi tàm in petitorio, quàm in possessorio, *Riccius de Jure patron. resol. 84.* & quidem per authentica documenta semper requirit probationes, undè non sufficit fieri per testes, nec per enunciativas ordinariorum; præsumitur verò Juris patronatûs usurpatio in dominis locorum, & in multis aliis, de quibus latissimè *Augustinus Barb. lib. 3. cap. 12. à num. 129.*

Requiritur verò in acquisitione Juris patronatûs licentia Episcopi, *ut in cap. nemo de consecr. dist. 1. cap. nobis, cap. consuluit. hoc titulo*, qui consensus debet esse expressus, & 30 annorum spatio præsumitur intervenisse, *de Marinis cap. 203.*

Requiritur verò consensus Episcopi loci, ubi Ecclesia est, nec sufficit licentia Vicarii Generalis Episcopi, *Riccius par. 1. dec. 140. Barb. alleg. 54. num. 72.* etiamsi Episcopus esset absens, nisi tamen haberet speciale mandatum. *DD. ubi sup.* Si verò Patronus donet Jus patronatûs suo Compatrono non requiritur talis consensus Episcopi, *Rota dec. 636. & 163. par. 2.* Secundo non requiritur, quandò Jus patronatûs transiret cum universitate bonorum, per venditionem, vel hæreditatem, *DD. ubi sup.* Si verò Episcopus nollet consentire, poterit superior ei mandare, ut consentiat, aliàs ipse præstabit consensum, *cap. nullus*, ubi *glossa de Jure patronatûs, Lambertinus lib. 1. par. 2. q. 1. ar. 2.*

Sciendum etiam est habere patronum jus præsentandi personam, quæ ejus Ecclesiæ, cujus est Patronus, Rector, seù beneficiatus perpetuus existat, *cap. 1. vers. ædificatorii 16. q. 5. cap. Monasterium 16. q. 7. cap. nobis de Jure patronatûs*, dummodò sit habilis ad beneficia, nec incapacitatem aliquam patiatur. Est tamen quæstio an excommunicatus possit præsentare? Dico quantùm attinet ad præsentationem in jure patronatûs Ecclesiastico fieri non potest: si verò loquamur de præsentatione in jure patronatûs laico, tunc fieri potest per excommunicatum, quia præsentatio in Ecclesiastico jure patronatûs confert jus; & æquivalet electioni, quæ ab excommunicato facta non valet, *cap. cùm autem. de jure patronat.* Laicalis verò præsentatio, quia non tribuit jus, sed est quædam expressio voluntatis, & aliquid facti, fieri potest à laico excommunicato, ubi tamen nota in utroque casu præsentantem peccare mortaliter, quia utitur hominum communicatione, qua est privatus, *Garsia par. 5. cap. 4. num. 307.* omnes verò possunt præsentare, qui non sunt expressè prohibiti, *glossa in cap. ex litteris de jure patron.* Patronus autem Ecclesiasticus, si sit suspensus, non potest præsentare, argum. *textûs cùm inter de electione.* Persona conjuncta potest præsentare pro alia conjuncta cum promissione de rato, *Garsia par. 5. q. 9. num. 203.* & si jus patronatûs donetur filio eidem, non patri competit jus præsentandi, quia cùm sit aliquid spirituale non acquirit patri, *cap. si annum*, ubi *glossa de judiciis in 6.* Quòd si sit annexum aliquibus bonis adventitiis, in quibus pater habet usumfructum, tunc, quia præsentatio est fructus juris patronatûs, spectabit ad patrem usufructuarium, *Garsia ubi sup. num. 105.* pupillus etiam major septennia

tennio sine tutore potest præsentare, & præsentatio valet: tutor verò præsentare potest pro pupillo minore septennio, seù majore, & non præsentante, & si adsit duplex præsentatio pupilli, & tutoris, prævalet illa pupilli, ut post *Lambertinum* dicit *Vivianus lib. 5. cap. 3. num. 17.*

Existentes in quasi possessione præsentandi, rectè & validè præsentant, *cap. consultationibus de jure patronatûs*, dummodò sint bonæ fidei possessores, *Rota dec. 7. de jure patronat. in novis*, quòd si existenti bonæ fidei possessori in quasi possessione præsentandi moveatur lis, tunc poterit ab eodem præsentari antè litem contestatam, ut post alios *Vivianus ubi sup. cap. 4.* qui multos alios casus distinguit. Acquiritur verò quasi possessio juris præsentandi unico actu, & ex unica præsentatione, quæ suum effectum sortita sit, *cap. cùm Ecclesia de causa possess. & proprietatis*, *Garsia par. 5. cap. 5. num. 56.* Hodie autem ex *Concilio Trid. sess. 25. de reform. cap. 9.* non sufficit docere de quasi possessione, sed requiritur, ut doceat de fundatione dotatione, &c facit *textus in cap. vobis, & in cap. ultimo de jure patron.* quòd si simus in beneficio simplici, & notoriè constet Episcopo præsentatum esse idoneum, tunc præsentatio facta de absenti Clerico valet. Dixi in beneficio simplici, quia ad parochialem pro forma requiritur examen, quod fieri non potest de absenti, ut latissimè *Vivianus lib. 6. cap. 8.*

Ex quibus nota absque patroni consensu Episcopum non posse instituere Rectorem, dummodò simus infrà terminum ad præsentandum, *cap. determinimus*, ubi *glossa 16. q. 7. Riccius de jure patron. resol. 154.* Sunt verò multi casus, in quibus valet institutio Rectoris facta absque consensu, & præsentatione Patroni.

Primus est, quandò Patronus per negligentiam tempus statutum excedit, *cap. si verò, cap. Eam te. de Jure Patron. cap. 2. de supplenda negligentia Prælatorum*, quæ scientia debet esse certa, nec sufficit interpretativa, & verisimilis, *Rota dec. 1173.* apud *Seraphinum*, *Garsia par. 10. cap. 3. num. 34.* Tempus verò præsentandi est quatuor mensium a die vacationis cognitæ, quandò præsentans est laicus, vel si est clericus, & fundatum est jus patronatûs de bonis propriis patrimonialibus, sed per infrà quattrimestre est facienda præsentatio, *cap. cùm propter. de jure patron. cap. quoniam in quibusdam. eodem tit. cap. unico eodem titulo in 6.* Sed a patronis Ecclesiasticis facienda est infrà semestre, *d. cap. unico, cap. sicut de supplenda neglig. Prælator.* Quòd si sit jus patronatûs mixtum, & commune Clericis, & laicis; tunc omnes dicti patroni habebunt semestre ad præsentandum ratione communionis, *glossa in d. cap. unico de jure patron. in 6.* quia magis dignum trahit ad se minùs dignum, *cap. cùm in dubiis, de consecrat. Ecclesiæ, vel altaris*: possunt verò patroni in fundatione juris patronatûs cum consensu Episcopi apponere modum, vel conditionem etiam contrà jus commune *cap. cùm dilectus*, ubi *glossa de consuetudin. Vivianus lib. 7. cap. 1. in fine*: tale verò tempus non currit hodie nisi à die scientiæ, non à die vacationis, ut antiquitùs currebat, correcto *textu in cap. 2. de supplend. negligen. Prælator.* & quidem intelligitur de scientia certa, non verò de interpretativa: pluriès decisum refert *Riccius collect. 119. Vivianus lib. 2. cap. 2. Sperellus in simili decis. 66.* Undè non currit prædictum tempus ignoranti, neque patrono impedito justo impedimento. DD. ubi sup. & prædictum jus etiam in uno ex patronis, qui non habuit scientiam, conservari potest, aliis propter scientiam exclusis, *Garsia par. 10. cap. 2.* tempus verò prædictum est continuum posita scientia, & currit de momento ad momentum, *Barb. alleg. 72. num. 127.* Potest verò Ordinarius prorogare, vel abbreviare tale tempus patronis datum ad præsentandum, dummodò proroget in sui præjudicium, v. g. tenetur Ordinarius post præsentationem infrà sex menses instituere, poterit infrà illos sex menses prorogationem facere patronis in sui præjudicium, ut pluriès practicatum refert *Vivianus lib. 7. cap. 2. in fine. ex Cardin. Crescentio dec. 21. sub titulo de dilationib.*

Dantur verò multi casus, in quibus patroni præsentare possunt post tempus à jure præfixum, ut si præsentatus acceptavit præsentationem, & posteà renunciavit; vel si præsentatus antè institutionem obierit, vel si patronus præsentet indignum ignoranter, qua de re *Vivianus lib. 7. cap. 4.*

Secundus casus est, in quo potest Episcopus sine Patrono instituere in jure patronatûs, quandò scilicet plures Compatroni dividunt inter se præsentationem, & discordant. Idem dicas, si infrà quatuor menses, vel infrà sex menses lis non fuerit terminata, dummodò lis prædicta sit inter Compatronos, *cap. quoniam in quibusdam de jure patronatûs*, *Barb. lib. 3. de jure patron. cap. 12. num. 171.*

Tertius casus est, si patronus præsentet indignum, nisi tamen infrà tempus legitimum alium idoneum præsentaverit, tunc enim Episcopus poterit institutionem perficere, *cap. sicut de supplen. neglig. Prælat. ad cap. ad audientiam il. 1. de Ecclesiis ædific.*

Quartus casus est, si patronus primum aliquem præsentaverit idoneum: multos alios casus notat *Barbosa lib. 3. citato cap. 12.*

In §. Sunt tamen.

AGitur hîc de differentiis inter jus patronatûs laicarum, & Ecclesiasticarum personarum. Ad cujus intelligentiam

Sciendum est primo, quòd jus patronatûs triplex est, scilicet laicale, Ecclesiasticum, & myxtum; laicale dicitur, quod à Laïcis est fundatum ex propria substantia, *cap. unico, §. 1. de jure patron. in 6. cap. quòd autem, cap. præterea. cap. si verò, cap. cùm autem. hoc titulo*, quod verum est etiamsi Clericus de substantia sua ædificaverit Ecclesiam, adhuc enim dicitur jus patronatûs laicorum, ut habetur in juribus suprà citatis, decisum refert *Garsia par. 5. cap. 1. num. 594.* Jus patronatûs laicale duplex est, unum dicitur familiare, aliud verò hæreditarium; familiare est, quod competit illis tantùm de familia; hæreditarium verò, quod transit ad quoscumque hæredes etiam extraneos, nisi vocati sint ad jus patronatûs tantùm hæredes sanguinis, qui nascuntur ex masculis, vel etiam fœminis, quamvis non sint ejusdem familiæ, *Vivianus lib. 1. cap. 3. num. 27. cum seqq.*

Jus patronatûs Ecclesiasticum est, quod de bonis Ecclesiasticis fundatum est, *cap. dilectus de offic. delegati, cap. cum dilectus de jure patron. cap. unico hoc tit. in 6.* Vel dicitur, quod competit Clerico ratione suæ Ecclesiæ eidem à laico datum, quamvis ab initio esset laicale, & à laico fundatum, *d. cap. unico, Covarr. pract. cap. 26. cum Garsia ubi sup. num. 553. Riccius lib. 1. variar. resol. 152.* & ait *Garsia*, jus patronatûs fieri Ecclesiasticum, si patronus profiteatur in aliqua religione, &, si sit patronus alicujus familiæ, spectat ad religionem durante tantùm vita naturali illius professi: est etiam jus patronatûs Ecclesiasticum, quod competit confraternitati auctoritate Episcopi fundatæ, qua de re *Massobrius praelud. 7. dub. 21, Barb. de potestate Episcopi al-*

leg. 72. Vivianus cap. 3. lib. 1. Sic jus patronatûs ſpectans ad Oeconomos Eccleſiæ dicitur Eccleſiaſticum, quia competit ratione Eccleſiæ.

Jus patronatûs autem mixtum eſt, quod pertinet partim ad Eccleſiaſticum, & partim ad laicum, ut *in d. cap. unico*, & ſi tunc ſit facta concordia de alternis vicibus præſentando, juxtà *textum in d. cap. plures*, *§. ut faciliùs. de jure patronatûs*. in turno laici cenſebitur totum laicale, & *in* turno Eccleſiaſtici cenſebitur totum Eccleſiaſticum, quo de re *Vivianus d. lib. 1. cap. 3.* eſt tamen notabiliter obſervandum, quòd ad cognoſcendum an jus patronatûs ſit Eccleſiaſticum an non, an ſit fundatum ex bonis intuitu Eccleſiæ acquiſitis, vel de bonis patrimonialibus, inſpiciendum eſt an laicus ſit in quaſi poſſeſſione, præſentandi, quia tunc præſumitur laicale. Si verò Eccleſia, vel Eccleſiaſtica perſona ſit in dicta quaſi poſſeſſione, judicabitur Eccleſiaſticum, *Puteus dec. 182. lib. 2. dec. 90. lib. 3. Gonzalez, gloſſa 5. num. 5.* Eſt etiam notandum, quòd jus patronatûs quamvis tranſeat de laico ad Eccleſiam, ſeu Clericum, aliquandò non ſit Eccleſiaſticum, prout eſt quandò fuit relictum Eccleſiæ, vel Clerico ratione ſui beneficii, cum natura juris patronatûs laicalis, ut exemplificat *Maſſobrius prælud. 7. dub. 31. num. 39. & Vivianus ubi ſuprà.*

Sunt verò multæ differentiæ inter jus patronatûs Eccleſiaſticum, & laicale.

Prima eſt, quia patronus Eccleſiæ habet ſex menſes ad præſentandum Rectorem *in* jure patronatûs; laicus verò habet quatrimeſtre, *cap. unico*, *§. 1. de jure patron. in 6, cap. cùm propter. de jure patron.* quod quidem tempus non currit niſi à die ſcientiæ, & vacationis, *Rota, dec. 13. de jure patron. in antiquis, Vivianus lib. 7. cap. 2.* qui ex pluribus deciſionibus *Rotæ*, dicit intelligi de ſcientia certa, & non interpretativa, quo tempore elapſo, poterit Epiſcopus providere de Rectore infrà alios ſex menſes, *cap. cùm propter. eodem titulo*, & tenetur ſuperior præſentationem prædictam admittere, juxtà notata per *textum ubi ſuprà* & latiſſimè per *Vivianum lib 9. cap. 1. & ſequentibus.* Si verò patronus infrà tempus præfixum non præſentaverit, privatur jure præſentandi pro ea vice tantùm, nam ſi deindè iterùm vacaverit Eccleſia, permittitur patrono tempore ſtatuto præſentare Rectorem, *d. cap. cùm propter. cap. 2. de ſupplenda negligentia Prælatorum*; in Eccleſia verò parochiali, nec ſemeſtre, nec quatrimeſtre tempus currit, ſed duorum menſium, ut per Bullam Pii V. incipientem, *In conferendis.*

Secundo differt jus patronatûs laicale ab Eccleſiaſtico, quia ſi patronus laicus poſt primam præſentationem, qua præſentavit idoneum, & antè inſtitutionem illius, velit variando alium in ejus locum præſentare, poteſt Epiſcopus non attenta prima præſentatione admittere variationem: patronus verò Eccleſiaſticus id non poteſt facere, *cap. quod autem, cap. paſtoralis, cap. cùm autem. hoc titulo in 6*, Ratio diſparitatis eſt, quia patronus Eccleſiaſticus, quandò præſentat, dicitur eligere, in qua electione non cadit variatio, *cap. publicato*, ubi *gloſſa*, *cap. quod ſicut. de electione*, tùm quia Clerici habent ſemeſtre tempus ad præſentandum, & ſic majorem dilationem, poteſt verò laicus variare ſemel tantùm, & cumulativè, non autem privativè, id eſt non recedendo à priori præſentatione, ſed ſolùm addendo, & cumulando, *d. cap. quod autem, cap. cùm autem, cap. paſtoralis de jure patronatûs* quod ſi nihil addatur de variatione, aut cumulatione, & aliter ſimpliciter præſentetur, tunc præſumendum eſt cumulativè; quia cenſeri debet voluiſſe uti facultate à jure ſibi conceſſa variandi, *Lambertinus par 2. lib. 2. q. 7. art. 22.* illa verò concluſio, quæ dicit, quòd patronus laicus poteſt variare ſolummodò addendo, & cumulando, habet duas principales limitationes. Prima eſt, quandò accumulatio fieret lite pendente, quia tunc non eſt licita, *Rota par. 1. diverſor. dec. 442. Creſcentius dec. 10. de jure patron.* Secunda eſt limitatio quandò quis cum juramento promittit non revocare, nec cumulare; ſi verò promittit tantùm non revocare, poterit cumulare, quia reverà non revocat cumulando. *Lambertinus par. 1. lib. 2. q. 4. ar. 23. Barb. lib. 3. de jure Eccleſ. cap. 12. num. 177.* Quòd ſi Patronus laicus promittat alicui eum præſentare, antequàm vacet jus patronatûs, nulla eſt promiſſio, *cap. ultimo de conceſſ. præben. Vivianus lib. 10. cap. 2.* nec ſolùm patronus laicus variare poteſt, ſed etiam ejus procurator, *Barb. alleg. 72. num. 157.* Si verò Epiſcopus noluerit præſentatum inſtituere ſine cauſa, appellatio permittitur, *cap. paſtoralis de jure patron.* & præſentatus prædictus recurrere poterit ad Papam pro obtinenda ipſius beneficii poſſeſſione, ut poſt *Lambertinum* dicit *Vivianus lib. 10. cap. ult. & lib. 11. cap. 3.*

Tertio differunt, quia ſi Summus Pontifex provideat jus patronatûs laicorum, nulla facta mentione expreſſa de derogatione juris patronatûs, non valet collatio à Papa facta, ſed collatio juris patronatûs Eccleſiaſtici facta à Papa, nulla mentione facta illius juris patronatûs valet, ut ex *regulis Cancellariæ* docent communiter *DD.* de quibus *Vivianus lib. 14. cap. 1.* Solet verò Summus Pontifex derogationem facere ex urgentiſſimis cauſis, quas cauſas enumerant DD. ubi ſuprà præſertim *Vivianus cap. 2. & 3.* ubi etiam enumerat cauſas, propter quas concedatur derogatio.

Quarto differunt, quia quandò ſumus in patronatibus, quæ ſunt de jure patronatûs laicali non requiritur concurſus, ſed ſufficit ſi præſentatus à patronis examinetur per examinatores deputatos, & ſi reperiatur idoneus, erit admittendus *Triden. ſeſſ. 24. d. reform. cap. 18.* & Bulla Pii V. quæ incipit *In conferendis*; de qua *Quaranta in verb. Beneficiorum collatio*, quòd ſi plures eſſent præſentati à patronis laicis, tunc requireretur examen per concurſum, ut ex præſentatis eligatur magis idoneus; ſic deciſum per Sacram Congregationem teſtatur *Gonzalez in regula 8. gloſſ. 6. num. 134. Gregorius 15. dec. 594.* quod quidem intellige quandò plures præſentati habent æquales voces, nam ſi unus habeat plures voces, ipſe ſolus erit examinandus ſine aliorum concurſu: quòd ſi habens plures voces ſe ſubjiciat examini, & concurſui, ſibi præjudicat, & facit ſe parem cum aliis, & ſic jus patronatûs providebitur per concurſum, *Garſia par. 9. cap. 2. num. 157.* ſic deciſum refert Gregorius 15. ubi ſuprà. Parochialis verò juris patronatûs Eccleſiaſtici ſemper providetur per concurſum, juxtà formam *Trid.* d. *cap. 18.* qua de re *Vivianus lib. 10. cap. 1. à num. 31.* &, ſi vacatio contingat in menſe ordinario, ab ordinario eſt providenda: ſi in menſe Apoſtolico, expediuntur litteræ In Urbe *DD. cit.* Alias verò differentias numero quadraginta octo inter jus patronatûs laicale, & Eccleſiaſticum ponit *Paulus de Cittadinis de jure patronat. par. 13. Hoſtienſis in ſumma de jure patron. §. in quibus differant, Abbas in cap. ex litteris de jure patron. Vivianus lib. 1. c. 3.*

Notandum tamen eſt primo, quòd jus patronatûs mixtum etiam dicitur, quandò fortè Eccleſia fundatur à laico, Eccleſia verò dotat, vel ædificat, aut è contrà; *gloſſa in d. cap. unico*, quod quidem mixtum

tum jus patronatûs regulatur secundùm naturam juris patronatûs Ecclesiastici, juxtà regulam *textûs in cap. quod in dubiis*, ubi *glossa de consecr. Eccles. vel Altaris, & in l. quaritur, ff. de statu hominum*, & ideò subjacet concursui sicut Ecclesiasticum, quia favor Ecclesiæ est, ut provideatur per concursum, ergo prævalet qualitas Ecclesiastica: si verò qualitas prædicta noceat, tunc attenditur qualitas laicalis: ex quo si Summus Pontifex conferat jus patronatûs mixtum, requiritur expressa derogatio, sicuti in laicali, ut decisum in *Rota* refert *Garsia d. cap. 2. num.* 328.

Nota secundo, quòd Patronus Clericus non potest seipsum præsentare, *cap. per vestras. 16, de jure patr.* (qui textus, quia mentionem facit de personatu, nota, personatum esse beneficium simplex, *cap. super eo. 6. de præbend. in 6.* facit etiam *Trid. sess.* 24. *de refor. cap.* 17.) immò nec procurator constitutus à patrono ad præsentandum potest seipsum præsentare, si verò sit constitutus à pluribus patronis, poterit unum ex eis præsentare: *Barb. alleg. 72. num.* 91. licèt verò prohibeatur patrono seipsum præsentare, potest tamen præsentare filium proprium, *DD. cit.* Nec dicas obstare *textum in cap. consuluit.* 15. *hoc titulo*, ubi patronus non potest filio suo Ecclesiam patronatam conferre, quia *textus* loquitur de collatione, quam neque extraneo facere potest, *cap. preterea de jure patr.* non tamen prohibetur filium proprium Prælato præsentare, ut instituat, quod clarè patet ex verbis ibi, *propria auctoritate detinentur*, quæ quidem verba benè in collatione, sed non in præsentatione verificantur, ut ait *Barb. lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 198.

Nota tertio, quòd si patroni propter dissensiam non præsentent, nec Ecclesiæ aliter provideri possit, debet Episcopus ibi Missæ celebrationem interdicere, *cap. si plures, 16. q. 7. cap.* 1. *& 3. de jure patron.* Nec potest patronus à præsentato exigere aliquid temporale, *cap. sicut de supplenda neglig. Prælatorum, cap. præterea de jure patron.* diceretur enim Simoniaca præsentatio. Sic quandò aliquid datur, vel promittitur pro habendis vocibus, *cap. veniens il.* 1. ubi *Abbas de testibus*, *cap. penult. de eod. cap. nobis de simonia*, nec potest patronus promittere præsentationem, antequàm vacet Ecclesia, ut ex *cap. fin. de conceß. præben.* dixit *Rota* apud *Buratium dec.* 61.

Nota quarto, quòd Patronus non habet jus instituendi, vel destituendi Rectorem in Ecclesia, *cap. præterea, cap. quòd autem, in fine, cap. querimoniam, cap. cùm laici, cap. consuluit, de jure patron.* quamvis esset patronus Ecclesiasticus, *c.* 1. 16. *q.* 1. sed semper est facienda institutio per Episcopum, vel per Vicarium Capitularem sede vacante, vel per Vicarium Generalem absque speciali mandato, *cap. ex frequentibus de instit. Barb. alleg.* 54.

Quinto nota, quòd Patrono debetur honor processionis, *cap. nobis de jure patron.* ubi *glossa* debet etiam præferri omnibus, qui etiam ex alia parte tenetur Ecclesiam defendere, & denunciare personas dilapidantes ejus bona, *Rocchus in verb. ene-rosum*, *Rota* apud *Cavaleriam dec.* 321. & eum indigentem Ecclesia tenetur alere, *d. cap. à nobis*, *c. quicumque* 16. *q.* 7. *Rota par.* 4. *diversor. dec.* 594. non tamen opus est, ut in extremis sit constitutus, sed sufficit, quòd jam ad paupertatem devenit, *Lambertinus q.* 3. *art.* 3. quicquid in contrarium dicat *glossa in d. cap. quicumque*, existimans debere esse in extremis, loquitur enim contra *textum, in d. c. à nobis*, ibi, *ad inopiam vergat*. Hoc tamen verum, est, tunc debere Ecclesiam alimenta præstare Patrono pauperi, si supersit ultrà id, quod est necessarium ad Dei cultum, & Ministrorum alimenta, *Rocchus in verb. ut le*, *Surdus tit.* 7. *q.* 32. *de alim. Rota dec.* 454. *par.* 1. & sunt præstanda hæc alimenta in domo propria patroni, non in ipsa Ecclesia, *Surdus tit.* 4. *q.* 14. *num.* 21, non solùm pro se, verùm etiam pro uxore, filiis, & familia, *Surdus ubi suprà.* quæ sunt deducenda ex fructibus, non verò est vendenda proprietas, *Surdus tit.* 4. *q.* 18. *num.* 15. limita tamen in Patrono ingrato, qui non aliter est ab Ecclesia alimentandus, *Surdus tit.* 2. *q.* 32. *à num.* 61.

Nota ultimo, quòd quando Clericus est præsentatus, & renunciavit post institutionem, tempus quatrimestre, vel semestre currit à die renunciationis, *Abbas in d. cap. ex litteris*, *Rota Rom. dec.* 8. Quòd si quis præsentet Clericum, quem certò scit nullatenùs præsentationi consensurum, est quæstio, an a die, quo renunciat, competat sibi tempus aliud præsentandi? & respondet ad quæstionem *Franciscus Salernus conf.* 34. negativè, quia verè non est facta præsentatio, cùm certò sciat præsentans illum non consensurum.

In §. Successione.

Conclusio hujus textûs est, quòd jus patronatûs per successionem transfertur: transit enim ad hæredes patroni etiam extraneos, *cap. filiis* 16. *q.* 7. *cap.* 1. *de jure patron. Barb. alleg.* 71. dividitur verò quoad ipsos non secundùm se, sed secundùm effectum, *d. c.* 1. *de jure patron. Franc̃us dec.* 85. ubi dicit transire etiam ad hæredes extraneos, sicuti etiam transit ad filium institutum in legitima, *Tuschus in verb. jus patron. concl.* 611. licèt non transeat ad institutum hæredem in re certa, *Lambertinus lib.* 1. *ar.* 16.

Ampliatur ut transeat ad quemlibet ex hæredibus, etiamsi ex diversis, & inæqualibus partibus sint hæredes, *glossa in cap. piæ mentis* 16. *q.* 7. *Consta de portione rata q.* 67. verùm præsentatus ab illo, qui habet majorem partem hæreditatis præfertur alteri, *Lambertinus lib.* 2. *par.* 3. *q.* 5. *ar.* 16. quandò verò plures Universitates habeant jus patronatûs, qualibet Universitas habeatur pro una voce: sic decisum refert *Menochius conf.* 316. *num.* 17. Quòd si sint in hæreditate bona feudalia, & burgensatica, & jus patronatûs est conjunctum cum feudo, transit in successorem in feudo; si verò sit conjunctum cum burgensaticis, transit ad successorem burgensaticorum, *Abbas, & alii in cap. cùm saculum, de jure patron.* qui etiam dicunt, quòd filia dotata à patre, quæ renunciavit paternæ hæreditati, non habet vocem in præsentatione, quandò est jus patronatûs hæreditarium.

Ampliatur conclusio secundo, ut transeat jus patronatûs cum aliqua Villa, vel Castro dato in dotem ad ipsum maritum, *Riccius in praxi juris patronatûs resol.* 192. sicut etiam transit in conductorem Castri, *ex d. cap. ex litteris*, ubi *Abbas num.* 5. dicit transire ad conductorem ad longum tempus, quicquid in contrarium dixerit *Barb. lib.* 3. *c.* 12. *num.* 226. qui dicit transire etiam jus præsentandi in locatorem ad breve tempus, & nota etiam posse Curatorem hæreditatis jacentis præsentare in beneficio juris patronatûs prædictæ hæreditatis, *Riccius resol.* 192. prout etiam Tutor potest validè præsentare, *Verallus dec.* 323. *par.* 3. ad usufructuarium etiam Universitatis bonorum transit, ad fideicommissarium verò dicunt multi non transire, sed remanere penès hæredem, quos remissivè laudat *Barb. d. c.* 12. *num.* 232. Si verò

sequens

sequestretur Villa, ubi adsit jus patronatûs, pertinet jus præsentandi pro tempore sequestri ad ipsum sequastrantem, ad quem devolvitur successio, *Riccius ubi suprà* Intellige de sequestratione voluntaria, *l. licèt*; *§. rei deposita*, *ff. depositi*, secùs verò, si sequestratio sit necessaria auctoritate Judicis, quia per istam non transfertur possessio, nisi expressè dicatur, *l. interesse. 39. ff. de acquir. poss. ff.* Sic dicit *Seraphinus dec. 746.* non tamen transit in creditorem, cui fuit Castrum pignoratum, quia non habet possessionem, sed nudam detentionem, *l. si pignus 37. ff. de pignor. action. l. 1. §. servum il. 2. ff. de acquir. possess.* in feudatarium verò, vel emphyteutam transit si feudum detur in emphyteusim, vel in feudum, *DD. ubi suprà.* transfertur quoque per donationem, ubi tamen consensus Episcopi tunc requiritur, quandò fieret à laico in laicum, nam si fieret in Ecclesiam, seù in Clericum, non requiritur consensus Episcopi, *cap. unico de jure patron. in 6.* Si verò fiat ab uno Patrono alteri Compatrono non requiritur consensus Episcopi, *Verallus dec. 284. par. 1. & 313. par. 2. Piasecius par. 2. c. 5. Zerola in verb. Jus patron. §. 2. Barb. alleg. 71.*

In §. Penultimo, & finali.

AGitur hîc de modis, quibus amittitur jus patronatûs.

Primo enim destructa Ecclesia, vel Capella, vel deficiente omninò dote, arg. *textus in cap. fin. Instit. de usufructu, Gregorius 15. dec. 405. Vivianus lib. 15. c. 1.* ita ut nisi ab eodem instituatur, vel iterùm dotetur, jus patronatûs non revertatur.

Secundo, si Patronus patiatur, Ecclesiam erigi in collegiatam, aut conferri monasterio absque reservatione, perdit in ea jus patronatûs, *cap. nobis de jure patron.* ubi *glossa in verb. Capella.*

Tertio, quandò causa, propter quam quis erat Patronus, perempta est.

Quarto, per non usum, si v. g. præsentationes facere omisit Patronus, & quidem duabus saltem vicibus, si Rector fuerit absque præsentatione institutus, cessante tamen suo legitimo impedimento dicitur amitti, *Abbas cons. 106. vol. 2. Vivianus ubi suprà.*

Quinto, perditur jus patronatûs, extincta linea, quo casu remanet beneficium liberum ad collationem ordinarii.

Sexto, si Patronus Rectorem, vel alium Clericum ipsius Ecclesiæ occiderit, aut mutilaverit, eo jure patronatûs privatur ipso jure, *cap. in quibusdam, §. sacri, cap. ad aures de pœnis, Vivianus c. 2. num. 9.* qui *nu. 10.* dicit, quòd jus patronatûs devolvitur ad Ecclesiam, cui est facta injuria.

Septimo, si Patronus fiat hæreticus, vel sit eorum defensor, idem dicas de Schismatico, Apostata, & similibus, de quibus *Vivianus ubi suprà.*

Octavo, si Patronus sit ingratus Ecclesiæ, vel si se ingerat in perceptione fructuum beneficii, aut ipsius bona usurpet, privatur enim jure patronatûs in hoc casu, & incurrit excommunicationem reservatam in *Trid. sess. 22. de reform. c. 11. Gallectus in Margharita casuum conscientiæ, in verb. Jus patronatûs.*

TITULUS XXIX.

DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS.

DIctum est suprà, Clericos alios esse beneficiatos, alios verò minimè: verùm quia Clerici beneficiati interdùm tenentur residere, meritò ponitur hic titulus. Ad cujus intelligentiam

Sciendum est primo, quòd residentia est persistentia in loco, ubi quis habet beneficium, & dicitur residentia à re, & sidentia, nam realiter, & personaliter debet Clericus assistere in proprio beneficio, seù officio, undè apparet, aliud esse non residentiam; aliud verò absentiam à Choro, quia ille dicitur non residere, qui non habitat in loco, in quo est Ecclesia, ubi beneficium possidet: ille verò dicitur abesse à Choro, qui divinis officiis non interest, quamvis in eodem oppido existat, *Azorius lib. 7. c. 7. q. 5. Quaranta in verb. residentia, Layman lib. 4. tract. 2. c. 6. Moneta de distribution. par. 1. q. 4.*

Sciendum secundò est, beneficiatos curam animarum gerentes, ut Episcopos, & Parochos ad residentiam teneri de jure divino naturali, & canonico, & quidem quòd de jure naturali teneantur patet, quia qui suscipit aliquod officium, tenetur de jure naturali ad ejus onera; argum. *textûs in cap. qui sentit. de regulis juris in 6. & in l. secundùm naturam de regulis juris*; sed beneficiati sentiunt commoda beneficiorum, & habent curam animarum, ergo debent sentire incommoda. Quòd verò teneantur de jure divino patet ex verbis Christi Domini, *Pasce oves meas*, quæ verba licèt dixerit Christus Petro, tamen pertinent ad alios Ecclesiæ Pastores, quos Petrus repræsentabat tanquàm Dux, & supremus Pastor, patet etiam ex loco *Proverb. 27. Cognosce vultum pecoris tui, & greges tuos diligenter considera: & Ecclesiastici 7.* dicitur: *Pecora tibi sunt, attende de illis, & Actorum 20.* dicitur *Attendite universo gregi, in quo Spiritus sanctus vos posuit*, quòd verò teneantur de jure canonico, patet, tùm ex toto titulo de Clericis non residentibus: tùm ex *Trid. sess. 23. c. 1. sess. 6. de reform. c. 1.* tùm ex Bulla Pii IV. incipiente *De salute*, & ex alia Bulla incipiente, *In suprema* tùm etiam ex Bulla novissima Urbani VIII. 27 & ita ultrà jura citata colligitur ex *textu in cap. sicut 7. q. 1. & cap. pervenit, cap. sciscitaris 7. q. 1. cap. ad hæc, cap. extirpandæ de præbendis.* Sic dicunt communiter DD. de quibus *Valentia tom. 4. disp. 10. q. 3. punct. 5. Lessius lib. 2. c. 34. dub. 29. Sanchez lib. 4. summæ c. 37. Cavalles communes contrà communes q. 585. Barb. alleg. 53. Sanctarellus variar. q. 1. per totam.*

Dices Papa sæpè dispensat cum Episcopis in residentia, ergo non est de jure divino; consequentia patet, quia in his, quæ sunt de jure divino Summus Pontifex dispensare non potest, *cap. Sunt quidam 25. q. 1. glossa in cap. non est, in verb. auctoritate de voto.*

Respondent aliqui, Summum Pontificem in casu particulari justa concurrente causa auferre obligationem juris divini: alii verò dicunt, & meliùs non dispensare in obligatione residentiæ; sed solùm in aliquo casu particulari declarare præceptum divinum non obligare ob communem utilitatem, quia, cùm præceptum residendi sit affirmativum, consequenter non obligat semper, & ad semper, ideò non potest Summus Pontifex dispensare in residentia sine justa causa, *Sanctarellus variar. q. 1. Bonacina de obligation. Beneficiorum, disp. 5. q. 3. Layman lib. 4. tract. 2. c. 6. Barb. de potestate Parochi par. 1. c. 8. num. 2.*

Dices secundò, qui confert dignitatem, censetur conferre onera dignitatis, sed Episcopi suam auctoritatem recipiunt à Papa, ergo ab eo recipiunt præceptum residendi.

Respondeo negando minorem, nam Episcopi principaliter recipiunt potestatem à Christo, instrumentaliter verò à Papa, quatenùs Papa habet potestatem eligendi, & deputandi ad talem dignitatem, ergo potest à Deo illis tale præceptum imponi; ità respondet *Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice c. 25.* & alii *DD. ubi suprà.*

De Residentia Episcoporum

EX nostris dictis colligitur primo Episcopos non posse à suis Episcopatibus abesse, nisi per duos vel tres menses, singulis annis secluso damno gregis, ut colligitur ex *Trid. in. d. sess 6. & 23.* est tamen difficultas an possint episcopi sine justa causa accipere sibi illud trimestre tempus, de quo in *Trid. loco cit.* putat *Sotus lib. 10. de justitia q. 3. ar. 4.* posse sine ulla causa, solo animo recreandi, aut consanguineos, vel amicos videndi, alii dicunt ad hoc sufficere unum mensem, ultrà verò id non posse fieri, quia non adest justa causa, nam *Tridentinum* permittit absentiam trimestrem ad conscientiam Episcopi: Tu dicas solam recreationis causam esse sufficientem ad totum tempus, cum *Azorio, & aliis*, de quibus *Diana par. 5. tract. 13. resol. 90.* Quòd si velit Episcopus abesse ultra tres menses, obtinere debet licentiam Pontificis; antiquitùs sufficiebat à Metropolitano, vel eo absente ab Episcopo suffraganeo antiquiori, quòd si ultrà tale tempus abfuerint, non faciunt fructus suos, sed illos expendere tenentur in fabricam Ecclesiæ, vel in pauperes, & talis residentia fieri debet in cathedrali, id est in loco, ubi est ipsa Ecclesia cathedralis, *glossa in cap. Episcopus de consecr. dist. 3. Genuensis in praxi c. 38.* & illos tres menses debent Episcopi advertere non debere accipi in festivitatibus solemnibus.

Ex quo infertur, neque posse Episcopos votum facere, quo dirimatur vinculum residentiæ à suis Ecclesiis, puta peregrinationis, &c. *cap. nisi cùm pridem de renunciat. cap. licet de regularibus, cap. magna de voto*: nec possunt sine licentia Papæ Religionem ingredi, *cap. licet ubi sup.* nec Episcopus non residens in sua Diœcesi gaudet alternativa, ut declaravit Sacra Congregatio, de qua *Gratianus c. 156. Riccius in praxi par. 1. in magnis resol. 462. Gonzalez glossa 47. num. 85.* ubi asserit, quòd, cùm quidam Episcopus esset inquisitor instanter petiit à Clemente VIII. ut gauderet beneficio alternativæ, & non potuit, nec obstat, quòd *Flaminius lib. 1. q. 10. num. 58.* dicat, declaratum fuisse contrarium, quia respondet *Gonzalez* id procedere de jure antiquo: notat etiam idem *Gonzalez à num. 136.* quòd ad hoc ut mensis dicatur ordinarius vigore alternativæ acceptatæ, non requiritur integra residentia illius mensis, in quo vacat beneficium, sed sufficit major pars ejusdem, & nota. quòd Episcopus etiamsi sit absens ex causa à Concilio approbata, neque gaudet alternativa, *Garsia par. 5. c. 1. num. 463.* ubi sic ait respondisse Pontificem. Quòd si petas an Episcopus prædictus, qui alternativam amisit, retineat aliquod tempus ad conferenda beneficia. Respondeo diversas esse sententias. *Rota* enim interdùm dixit, Episcopum absentem à Diœcesi posse conferre beneficium vacans in uno ex quatuor mensibus, quos habent omnes Episcopi, licèt acceptaverit alternativam, posteà *Rota* dixit collationem beneficii vigore alternativæ acceptatæ non posse per Episcopum fieri si vacaverit in uno ex quatuor mensibus, undè menses, qui aliàs sunt ordinarii vigore acceptationis alternativæ efficiuntur Apostolici, quas decisiones *Rotæ* videre est apud *Riccium in praxi par. 1. resol. 582.* & apud *Gonzalem glossa. 43. num. 34.*

Sed petes, utrùm menses alternativæ debeant esse integri, ut Episcopus ea uti possit. Exemplum est, Episcopus habens alternativam est absens à sua Diœcesi in principio mensis Februarii, Aprilis, &c. Revertitur in eodem mense, an gaudeat alternativa in beneficiis vacantibus in tali mense post reditum ad Episcopatum, responsio est, non posse conferre, nec tali privilegio gaudere, quia menses semel facti Apostolici, non ampliùs fiunt Episcopi, qua de re *Augustinus Barb alleg. 53. num. 42.*

De Residentia Parochum.

PArochi, utpotè animarum curam habentes ex omni jure ad residentiam teneri constat ex supradictis, etiamsi parochia sit tenuis, & etiamsi remanserint duo, vel quatuor incolæ, nisi tamen in totum parochianos non habuerit, quia tunc reduceretur ad beneficium simplex, *Sanctarellus q. 4. Riccialius lib. 1. c. 14.* qui verò habet Ecclesiam baptismalem, scilicet solam curam baptizandi omnes infantes terræ, quia reliqua spectant, forsitan ad curam Archipresbyteri, tenetur ad residentiam saltem, ut Coadjutor Ecclesiæ parochialis: tenetur quoque ad residentiam ille, cui in capienda possessione lis mota fuit, *Riccius in praxi par. 1. resol. 393.* Si verò Parochus duas habeat Ecclesias unitas residere tenetur in digniori; si verò non constet, quæ sit dignior, tenetur residere in frequentiori: sed si una fuerit intrà Civitatem, altera extra, tenetur in ea, quæ est intrà, *Garsia par. 3. c. 2. num. 179. in declaratione 15.* qui verò habet parochialem Ecclesiam cum canonicatu ex dispensatione residere debet in parochia recipiendo fructus præbendæ, solùm amittendo distributiones quotidianas: quòd si canonicatus sit in eodem loco, ubi est parochialis, utrique potest servire, & quotidianas distributiones percipere, *Garsia ubi suprà, declar. 7.*

Ex quo infertur obtinentem Parochialem, in qua Vicarium perpetuum constituit eo vivente, residere non teneri, si tamen tota animarum cura translata fuerit in Vicarium, D D. ubi sup. quòd si Parocho sit datus Coadjutor ratione infirmitatis, non proptereà excusatur à residentia, *Garsia ubi sup. declar. 11.* & adeò hodie est necessaria residentia in Parochis, ut ex nulla causa excusari valeant ex illis, ob quas Canonici excusantur interdùm. Ideò non possunt in servitio Episcopi manere, vel Ecclesiarum Cathedralium, Vicarii Fiscales, &c. *Riccius par. 1. resol. 393 Bonacina ubi sup. punct. 5. num. 14.* si autem Ecclesiæ Cathedralis Parochus sit, poterit Vicariatûs officio fungi, decisum refert *Riccius par. 4. dec. 329.* nec excusatur à residentia subcollector Apostolicus si sit Parochus, vel exercens officium Inquisitoris, quia privilegium concessum Consultoribus, vel Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, Secretariis, & Fiscalibus, non se extendit ad parochiales Ecclesias, Bulla Pauli V. incipiens, *alias per nos, Sanctarellus quæst. 11.*

Infertur secundo, quòd quamvis olim potuerit Parochus studiorum causa abesse ex licentia Episcopi, ut in *cap. cùm ex eo de elect. in 6.* Hodie tamen hoc non permittitur, cùm ille *textus* abrogatus videatur per *Triden. sess. 23, c. 1. & 24. c. 18.* quia supponitur studuisse cùm sint examinati per concursum, *Riccius ubi sup. resol. 393. & 310. Quaranta in summa Bullarii in verb. residentia, Barb. alleg. 53. num. 26.*

Infertur tertio propter intemperiem aëris Parochum ex eo loco non oriundum à residentia non excusari, ut alibi possit habitare, etiam relicto Vicario approbato, dicunt *Zerala in verbo residentia §. 7. Barb. de potestate parochi par. 1. cap. 4.* Quòd si Parochus esset infirmus, & in loco parochialis curari non posset defectu Medicorum: posset ab ordinario dari licentia trium, aut quatuor mensium, ut in locis aliis vicinioribus maneat constituto Vicario, nec ob populi furorem, vel pestem à residentia Parochus excusatur, nec propter inimicitias capitales, nisi id

notum

notum sit Sacræ Congregationi, *Comitolus lib.* 1. *responsorum q.* 60. nec propter senectutem. quamvis ordinarius provideat de idoneo Vicario, DD. communiter ubi sup.

Infertur quartò, Parochum residentem ad tria teneri. Primo, ut stet in propria Ecclesia. Secundo, ut personaliter. Tertio, ut continuò. Circà primam conditionem dico debere residere in domo ipsius parochiæ, vel in alia viciniori, *Riccius par.* 4. *dec.* 41 quòd si habeat domum in parochia, & velit habitare in alia vicina pro suis necessitatibus vel majori commoditate, posset, *Possevinus de officio Parochi c.* 1. Undè non potest Parochus haberi pro residente si habitet in Civitate, à qua distet sua parochia tribus, aut quatuor miliaribus, etiamsi in diebus festis ad eam accedat, DD ubi sup. Quoad secundam verò conditionem, scilicet debere adesse personaliter, dico Parochum residentem quidem, sed non exercentem officium suum, minimè satisfacere præcepto residentiæ, undè fructus nequaquam acquirit Parochus non ministrans, quamvis materialiter resident, *Sylvester in verb. residentia num.* 6. *Sancius disp.* 47. *num.* 4. Quicquid dicat *Garsia par.* 2. *c.* 2. *num.* 53. Circà verò tertium requisitum teneri residere continuò; dico quòd si parvo tempore abesset, excusaretur, nisi tamen adesset aliqua copia infirmorum, & per consequens aliquod posset pati damnum, quare posset Episcopus prohibere parochis sub pœna pecuniaria, ne ultra biduum à sua Ecclesia absint, non tamen id potest sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ut declaratum per Sacram Congregationem refert *Garsia par* 3. *num.* 23.

Ex quatuor tamen causis in scripto ab Episcopo approbandis posse parochus abesse disponitur in *Trid. sess.* 23. *c.* 1. ubi licèt loquatur de Episcopo, tamen in fine comprehendit omnes habentes curam animarum, & prima causa est christiana charitas, puta ad adjuvandam aliquam privatam Ecclesiam vel ad dirimendas lites, dummodò sit provisum Ecclesiæ. Secunda causa est urgens necessitas, puta ob morbum curandum, vel inimicitias. Tertia causa est debita, obedientia, puta ut pareat Papæ, vel ejus Legato, seù Episcopo, &c. Quarta causa evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas, ut, si absit ad Concilium faciendum, vel pro lite Ecclesiæ. Vltrà istas causas concedit *Tridentinum*, ut in singulis annis ad duos tantùm menses recedant à parochia, habita etiam licentia per Episcopum, & id etiam recreationis causa, dummodò substitutum relinquat, quem tamen relinquere tenetur consulto Episcopo, quòd si abiit per quatuor, sex, vel septem dies, potetit relinquere substitutum sine approbatione Episcopi, nisi aliter disponatur in constitutionibus Synodalibus *Possevinus c.* 1. *num.* 19. Si verò petas, an Parochus sine licentia Episcopi ex justa causa possit abesse per duos menses continuò, vel divisim. Dico, duas esse sententias. Prima dicit affirmativè, *Sanchez lib.* 3. *de matrim. disp.* 31. *nu.* 11. *Sancius disp.* 47. *Valerius in verb. Parochus differ.* 5. quia id conceditur Episcopo; contrarium tamen defendunt communiter alii, de quibus *Augustinus Barb. de potestate Parochi par* 1. *c.* 8. *num.* 55. Semper enim requiritur, ut causa sit cognita, & si fingat causam justam, quam re vera non habet, peccat mortaliter cum obligatione restituendi fructus; non tamen tenetur probare judicialiter causam, *Riccius par* 1. *dec.* 152. quæ quidem licentia debet esse expressa, non tacita, *Barb. alleg.* 53. *nu.* 95. & si absit absque legitima causa privatur fructibus pro rata absentiæ, & restitutio facienda est pauperibus etiam antè Judicis sententiam & poterit compelli, & privari parochia, monitus tamen priùs, & sit citatus personaliter *cap. ex parte de Clericis non residentibus.* vel per Edictum, post quod expectari debet per sex menses *cap. ex tua de Clericis non residentibus*, Ritè *Barb. ubi sup.*

De residentia Canonicorum.

EX *Trident. sess.* 24. *c.* 12. *de reform.* habetur, obtinentes in Cathedralibus aut Collegiatis dignitates, aut præbendas, aliasque portiones, debere residere in eis, nec posse abesse nisi per tres menses, qualibet consuetudine in contrarium non obstante, exculat *Navarr. cons.* 1. & 2. *de Clericis non residentib. Bonacina de horis canonicis disp.* 2. *q.* 5. Isti verò tres menses, quibus Canonici quolibet anno abesse possunt; possunt accipi non solùm continui, sed etiam interpellati, *Menoch. de arbitr. casu* 50. *Garsia de benefic. par.* 3. *c.* 2. *num.* 306. in quibus tamen tribus mensibus non tenentur Canonici petere licentiam ab Episcopo. Verùm ne debito servitio Ecclesia defraudetur potest Episcopus statuere, ne omnes simul vacent, ut decisum refert *Zerola in praxi par* 1. *in verb. privatio* §. 2. *num.* 4. *Gallectus in margarita, in verb. Canonicus.* & sic declaravit Sacra Congregatio Rituum ut refert *Barb de Canonicis c.* 20. *n.* 4. & 5. & ideò providere Episcopus debet, ne dicti tres menses incurant in Natale, aut Pascha Domini, sivè similes maximas solemnitates, *Zerola dub.* 3. *ubi sup.* qui ergo vltrà hos tres menses abfuerit ab Ecclesia, peccat mortaliter, *Garsia c.* 2. *nu.* 231. *Diana par* 2. *tract.* 12. *resol.* 31. nec excusantur, quamvis velint quotidianas distributiones amittere. Nec quicquam eis prodest, quòd sint in Civitate, nisi Ecclesiæ debitis horis interviant, potest tamen Episcopus dispensare, ut suæ Ecclesiæ Canonici abesse possint per quatuor menses, *DD. ubi sup.* & decidit etiam Sacra Congregatio apud *Barb. num.* 13. non satisfacere suis obligationibus Canonicos, qui intersunt Choro, sed non cantant, tenentur enim alta voce canere.

Sciendum secundo est, posse Canonicum de licentia Episcopi abesse in visitanda Diœcesi, & aliis Ecclesiæ exercitiis præstandis, quia id fit ob Ecclesiæ utilitatem, *cap. ad audientiam cap. de cætero de Clericis non residentibus*, licèt Episcopus hoc casu non possit concedere, ut distributiones pro tempore absentiæ percipiat, quia Episcopus non potest dispensare in jure communi, nisi quatenùs sibi permissum est sed de jure communi distributiones non conferuntur absentibus; ergo, &c.

Sciendum est tertio, quòd contrà Canonicos obtinentes prædictas præbendas, & dignitates, & non residentes determinat *Tridentinum d. c.* 12. ut illi primo anno priventur dimidia parte fructuum, crescente verò contumacia proceditur contrà eos acriter, verùm numquàm potest procedi ad ad privationem in totum, nisi lapso tempore trium annorum, ut declaravit Sacra Congregatio apud *Barb. d. cap.* 20. *num.* 18. & debet quis personaliter citari, ut suo Canonicatu privetur ob non residentiam, *cap. ex parte il.* 1. *de Clericis non residentibus, glossa in cap. quoniam frequenter*, §. *si verò, ut lite contestata in verbo Canonicus, Veralus dec.* 375. & 78. *par.* 2. *Seraphinus dec.* 1346. sivè absens sit de licentia Episcopi, sivè non *c. Clericos*, & ibi *glossa, cap. pervenit il.* 2. *de Cler. non res. Seraph. dec.* 1538. & si personaliter citari non possit, debet in ejus Ecclesia edictum trinæ citationis publicari, & post alterum edictum per tres menses expectari, *cap. ex tuâ de Clericis non residentibus*, nam aliter factam privationem esse nullam, docent *Zerola* §. 3. *Seraphinus ubi sup.* & *dec.* 27.

pœna

pœnas verò prædictas contrà Canonicos non residentes potest Episcopus antè sententiam minuere, sed non in totum tollere, *D D. ubi sup.*

Sciendum est quarto, omnes Canonicos esse capaces distributionum quotidianarum, illarum scilicet, quæ quotidie distribuuntur illis, qui horis canonicis, divinisque officiis intersunt, *Moneta de distributionibus quotidianis par. 1. q. 1. Bartholomeus à S. Fausto de horis canonicis lib. 3. q. 1.* quæ quidem fuerunt institutæ, ut præter spiritualia præmia, quæ Clerici consequuntur pro divinis officiis, etiam temporale stipendium consequantur, *cap. Clericus victum* 20. *dist. cap. unico. cap. statuimus de Clericis non residentibus in 6.* quarum dominium acquirunt Clerici residentes in Ecclesiis cathedralibus, & Collegiatis. *Faustus lib 3. q. 7.* quæ distributiones debent esse pares, *Trentaking cons. 41. vol. 1.* competit etiam hoc jus percipiendi canonico dispensato in ætate, ut pluriès decidit Sacra Congregatio apud *Barb. de Canonicis cap. 21. num. 12.* non tamen competit Canonicis supernumerariis, nisi aliter dicatur, D D. ubi suprà.

Illi verò Canonici, qui divinis officiis non intersunt, amittunt distributiones quotidianas, ut suprà diximus: ex communicatus etiam justè eo ipso amittit distributiones quotidianas, *cap. pastoralis, §. verùm. de appellationib. extravag. unica de decimis, Seraphinus dec.* 1164. *Puteus* 180. *lib. 1. Riccinllus lib. 4. cap. 14 num. 7. Faustus lib. 3. q. 37.* etiamsi appellaverit ab excommunicatione, ut in *d. cap. pastoralis*, notat *Abbas num. 6.* sic etiam suspensus ab officio privatur distributionibus prædictis. Idem die de suspenso à beneficio, *Moneta q. 15. num. 37.* Accrescunt verò distributiones prædictæ aliis Canonicis præsentibus, *glossa in Cle. 2. de ætate, & qualitate, in verb. pars dimidia, & in Clem. 2. de vita, & honest. Clericor. Covarr. lib. 2. variar cap. 15.* colligitur *ex Trid. ubi sup. cap. 12. & sess. 21. de reform. cap. 3.* quod tertiùs est in fructibus ordinariis beneficii, quos ex *Trident. sess. 22. de reform. cap. 3.* tenentur distribuere in pios usus, Episcopus verò aut Capitulum non potest remittere, aut donare amissas distributiones ob non residentiam, ut ex decreto *Trident. ubi sup.* refert *Moneta loco citato:* consensus enim Canonicorum non potest facere, ut qui non interfuit divinis, habeat distributiones quotidianas, D D. sup. cit.

Sunt verò multi casus, in quibus non quis residendo lucretur distributiones quotidianas. Primo Auditores Rotæ Romanæ dùm assistunt in Rotà distributiones quotidianas lucrantur ex Constitutione Clementis Secundi, habentur enim pro præsentibus, de qua *Barb. alleg. 53. num. 153.* Sic etiam Inquisitores contra hæreticam pravitatem gaudent privilegio percipiendi fructus & distributiones quotidianas in absentia, in favorem fidei, ex concessione Pauli III. & Pii V. quod privilegium refert *Diana par. 4. tract. 8. resol. 21. & Barb. d. alleg. 53. num. 156.* Nec solùm Inquisitores gaudent hoc privilegio, sed etiam Consultores ipsius Sancti Officii, Fiscales, & similes, actu tamen intervenientes, quod privilegium fuit concessum ab Innocentio VIII. usque ad Paulum V.

Sic etiam Collector Generalis Cameræ Apostolicæ, Subcollector, Advocati, Procuratores, Fiscales, & Notarii in Causis spoliorum, & aliorum jurium dictæ Cameræ, durante eo officio, distributiones lucrantur, ut ex Bulla Sixti V. referunt *Moneta par. 2. q. 11. num. 111.* Sic Archidiaconus, vel Canonicus visitans Ecclesiam non amittit distributiones quotidianas, quia servit Ecclesiæ in re utili. Pœnitentiarius etiam, si, dùm recitantur divina officia, audit in Eclesia confessiones, percipit distributiones, decisum refert *Riccius par. 1. resol. 389. & 477.* etiamsi audiat confessiones peccatorum non reservatorum, dummodò tamen audiat in Ecclesia, non verò ad infirmos accedens. Canonici verò, quibus non incumbit onus audiendi confessiones, si pro eis audiendis absint à choro, non lucrantur distributiones, ut declaravit Sacra Congregatio, de qua *Barb. de Canonicis cap. 24. num. 6.* Theologus verò præbendam habens Theologalem habetur pro præsente, *Garsia par. cap. 2. num. 118.* ità declarante Gregorio 13. sic Concilio Provinciali, vel Synodali, præsentes gaudent: sicut etiam percipere possunt distributiones Canonici, qui mittuntur à Capitulo ad Pontificem, vel ad Principem etiam gratulationis causâ. D D. communiter apud *Monetam q. 11.* Lucratur etiam Canonicus missus ad Pontificem à suo Episcopo ad visitanda limina Apostolorum ejus nomine, vel si comitabitur ipsum Episcopum ad eadem limina *Garsia, Riccius, & alii ubi sup.* Canonicus verò electus in Vicarium Generalem non percipit distributiones, si horis canonicis non interfit, decidit Sacra Congregatio apud *Garsiam par. 3. de beneficiis cap. 2. num. 348.* quia non abest ex justa causa, Vicarius enim deservit soli Episcopo, & non Ecclesiæ. Ille verò Canonicus, qui est Procurator Capituli, haberi debet tanquàm præsens: *Navarrus cons. 8. de Clericis non residentibus Marcellus Vulpe in praxi ecclesiastica cap. 13. num. 27.* Absentes verò a servitio Ecclesiæ. pro defensione sui beneficii, debentur fructus, & distributiones, teste Sacra Congregatione apud *Garsiam ubi sup. num. 49. Navarrus cons. 24. de Clericis non residentibus.* Infirmus etiam, qui personaliter divinis officiis interesse non potest, percipit quotidianas distributiones, *cap. 1. de Clericis non residentibus in 6. Covarr. lib. 3. variar. cap. 13. Bartholomeus à S. Fausto lib. 3. q. 26. Bonacina de horis canonicis disp. 2. q. 5. punct. 1.* quæ autem infirmitas dicatur, id his remittitur arbitrio Judicis, *Menochius casu 60. Riccius in praxi par. 1. resol. 397.* Sicuti etiam Canonicus podagra laborans, vel quia medicinam sumit, vel sanguine minuitur, vel quia sanitatis causâ ad balnea, vel alium locum iret, D D. communiter ubi suprà, quamvis in has infirmitates propria culpa inciderit.

Ille verò Canonicus, qui est absens à choro, & a Civitate ob metum, ne occideretur ab inimicis, potest percipere distributiones, sic timens redire ad patriam, vel in ea commorari ob has inimicitias, potest percipere eas, quia mens Summi Pontificis in *d. cap. unico de Clericis non residentibus in 6.* est excludere ab iis distributionibus negligentes, vel contemnentes residere, non autem impotentes; qua de re *Gratianus cap. 591. num. 44.* Sic etiam absens causâ pestis a sua Ecclesia, distributiones percipit; *Covarr. ubi sup. num. 8. Ciarlinus controvers. forens cap. 26.* sic pluriès referens practicatum. Canonicus verò accusatus coràm suo Ordinario, vel alibi, si deindè appareat injustè fuisse accusatum debentur ei distributiones quotidianæ, ut decisum refert *Marchesanus par. 1. §. 1. de appellationib. pag. 509.* sic etiam carceratus injuste, lucratur distributiones, *glossa, & DD. in cap super causa 2. q. 4. Rota dec 168. par. 4. diversor. Novarr. cons. 10. & 11. de Clerico non residente*, cui etiam debentur mortuariæ seu funerales portiones. Exulatus a Civitate injustè non debet amittere distributiones. *Gratianus cap. 191. num. 36.* excommunicatus etiam injustè, non amittit distributiones *Barb. alleg. 53. num. 174.* Sic etiam suspensus injustè ab officio, vel

vel beneficio, vel qui non dicit officium in Ecclesia ratione interdictionis ipsius Ecclesiæ.

Dantur verò multi casus, in quibus Canonici à Choro absentes lucrantur fructus, non tamen distributiones.

Primo quidem, si fuerint absentes in servitio Papæ, *cap. cum dilectus. de Clericis non residentibus*, & dixit *Rota* apud *Duranum dec. 22. par. 5. diversor.* ubi etiam fuit dictum Cantores Capellæ Pontificiæ actu inservientes non lucrari distributiones suorum Canonicatuum; sic absentes in servitio Cardinalis Legati non lucrantur distributiones, sed solùm fructus, *Bartholomæus à S. Fausto lib. 3. q. 64. & seq.* & licèt Episcopus possit duos Canonicos suæ Ecclesiæ in sui servitium habere, isti tamen non lucrantur distributiones, sed solùm fructus, *cap. de cætero. cap. ad audientiam de Clericis non residentibus.* Nisi tamen ex quadragenaria consuetudine Canonicia in servitio Episcopi dentur distributiones, *Moneta par. 2. de distributionibus q. 8. num. 15.* Sic illi Canonici, qui comitantur Episcopum visitantem, non percipiunt distributiones, nisi tamen omnes fructus canonicatuum consisterent in distributionibus, quia tunc duas partes solùm reciperent, & tertia pars accresceret præsentibus, *Gallettus in margarita casuum conscientiæ in verb. Canonicus, & in verb. distributiones, Vulpe c. 13. num. 4.* Idem dicas quandò Episcopus vellet habere duos Canonicos ex Collegiata in suo servitio, *Moneta par. 2. q. 8.* Si verò Canonicus absfuerit causâ examinis non lucratur distributiones secundùm unam sententiam, de qua *Moneta ubi suprà.* sed *Marcellus Vulpe num. 30. ubi suprà.* tenet Canonicum absentem pro examine Confessariorum, vel Ordinandorum non amittere distributiones, secundùm quam sententiam fuisse decisum per Sacram Congregationem refert *Barb. de Canonicis cap. 25. n. 9.* Canonicus verò absens causa studii percipit quidem fructus sui Canonicatûs, sed non distributiones, *cap. licet vobis de elect. in 6. in verb. exceptis*, quòd si in distributionibus omnes Capituli reditus consisterent, tunc perciperent distributiones, dempta tertia parte, quæ inservientibus accrescit, qua de re *Borellus consf. 16.* decisum referunt *Bonacina de beris canonicis pun. 3. §. 9. Barb. alleg. 56. num. 18. & de Canonicis cap. 25. num. 10.* qui pluriès decisum refert; pertinet verò ad Episcopum, an plures Canonici de eodem Collegio eodem tempore absint causa studii, *Ugolinus de potestate Episcopi par. 1. cap. 19.* Non possunt verò Clerici abesse causa studii, nisi cum licentia, & causa cognita per Episcopum, *cap. relatum*, ubi *glossa de Clericis non residentibus*, & in hoc est advertendum discrimen inter Canonicos docentes, & discentes. Canonici enim docentes, etiam gratis, electi ab Universitate studii generalis, legentes tamen Sacram Theologiam, vel sacros Canones, abesse possunt absque licentia Episcopi, juxtà dispositionem *textûs in d. cap. ultimo de Magistris.* Sed Canonici discentes tenentur habere licentiam Episcopi, *Garsia ubi suprà. num. 559.* Illi verò Canonici, qui Missam celebrant in Ecclesia ex devotione, vel obligatione illo tempore, quo cantatur una hora in choro, non dicitur præsens illi horæ, nec illius distributiones accipit, nisi à superiore jussus fuerit, ut celebret, à qua jussione superior debet se abstinere, *Riccius in praxi par. 1. in magnis resol. 385. & par. 4. dec. 118. Vulpe cap. 13. num. 33.*

Rogabis primo, utrùm Episcopi, & Canonici ex aliqua causa abesse possint ultrà suprà enumeratas?

Respondeo ex illis quatuor causis, de quibus suprà, scilicet ob christianam charitatem, ut si aliqua Ecclesia versetur in aliquo periculo magno, ex urgenti necessitate, ut quandò gravi morbo affectus est, vel ex debita obedientia, ut si fit auctoritate Pontificis cre.rus, vel ex evidenti Ecclesiæ utilitate, ut si absit ad defendenda Ecclesiæ suæ jura, vel ex evidenti Reipublicæ utilitate, *Barb. alleg. 53. in princ.*

Rogabis secundò, utrùm alii Clerici sint obligati ad residendum?

Respondeo negativè, undè cæteri beneficiati, qui non sunt Canonici, Episcopi, vel Parochi, ad residentiam non tenentur, quia in locis citatis de istis nulla fit mentio, undè declaravit Sacra Congregatio, non posse Episcopum denegare dimissorias recedendi à Diœcesi illis Clericis, vel Sacerdotibus, qui non habent beneficia requirentia residentiam, &, si contrarium fieret, posset Clericus recurrere ad superiorem, qua de re post alios, *de Marinis cap. 107.* Sunt verò duo casus, in quibus Clericis denegari possunt. Primo, si adesset penuria Clericorum. Secundò, quandò essent vagabundi: immò illi Clerici, qui non habent beneficia simplicia, sed solùm sunt adscripti Ecclesiis, licèt regulariter non teneantur residere, tamen, si eorum Ecclesiæ paterentur detrimentum, possunt cogi ad residendum, ut post alios *de Marinis ubi suprà.*

TITULUS XXX.

De Regularibus, et Monachis.

Visum est suprà de Personis Ecclesiasticis, existentibus in statu clericali; videndum erat de alio Personarum genere, scilicet de Regularibus. Meritò ponitur hic titulus, ad cujus intelligentiam

Sciendum est primo, quòd Regularis dicitur ille, qui adstrictus est ad vivendum sub aliqua regula, *cap. quod Dei. de statu Monachorum, cap. cum ex eo. de elect. in 6.* nam dicitur regularis à regula, id est à forma benè vivendi, *cap. regula 3. dist.* Differt verò regularis à Monacho, nam omnis Monachus est regularis. Sed non omnis regularis est Monachus. Monachus verò dicitur à Monos græcè, quòd latinè solus, & segregatus dicitur. Undè malè vulgò confunduntur Monachi, Fratres, & Regulares, eo quòd omnes habeant illas duas literas, puta C. & P. geminatas, nempè Chorum, & Capucium, Pacem, & Patientiam, *Clem. ne in agro. de statu Monachorum.*

Sciendum secundò est, ex multiplici causa prohiberi ingressum in Religionem. Primò enim ob immaturam ætatem, quæ quidem in masculis est minor quatuordecim annis, in feminis verò duodecim, *cap. 1. & 2. 27. q. 2. c. ad nostram, cap. significatum de regular.* Secundò, servilis conditio impedit ingressum Religionis; servus enim sine consensu Domini non potest Religionem ingredi; *cap. 1. cap. si servus, cap. Generalis 54. dist. cap. qui verè 16. q. 1.* Tertio, uxorati ingredi non possunt Religionem, *cap. 2. 27. q. 2.* Quarto, filii habentes parentes in necessitate, *cap. 1.* ubi *DD. 30. dist.* quibus non possint subvenire, nisi maneant in sæculo, *S. Thomas 2. 2. q. 101. Suarez de religione lib. 5. cap. 5.* Immò etiamsi filius votum habeat Religionis, tenetur parentes non deserere, &, si Religiosus fuerit factus, potest eam deserere pro subveniendis parentibus, DD. communiter apud *Sanchez in summa lib. 7. disp. 30. de matrim. & in summa lib. 5. cap. 4. Bonacina de præceptis Decalogi disp. 5. q. unica, punct. 5. Bartholomæus à S. Fausto in Thesauro Religiosorum, lib. 5. q. 143.* Quinto, ingredi non possunt Religionem Episcopi, & cæteri Prælati sine Pontificis licentia

cap.

cap. temporis §. fin. 7. q. 1. cap. licet de regular. Immò etiam quicumque beneficiari non possunt admitti, nisi beneficiis renunciatis, cùm in Religione non possint beneficia retinere, nisi sint Patres Societatis Jesu, quibus permissum est beneficiis renunciare retentis pensionibus, & etiam post emissa vota biennii, *Sanchez lib. 7. cap. 4. & 29. summæ num.* 10. Sexto, obligati ad ratiocinia publica, non possunt Religionem ingredi, *cap. unico 53. dist.* immò ex Bulla Sixti V. etiam obligati ad privata ratiocinia. *Barb. in cap. 1. de obligatis ad ratiocinia.*

Sciendum est tertio, quòd ingressus in Religionem, antequàm profiteatur, debet per annum experiri Religionis austeritatem, *cap. 1. 17. q. 2. cap. ad Apostolicam de regular.* & interim vita ejus, & mores sollicitè comprubentur, & ipse expertus videat an sit contentus eo, quod voluit, *cap. Monasteriis 19. q. 3. cap. ad Apostolicam de regular.* invitus enim nemo est ad professionem compellendus, quia quod non petunt, non observant, *cap. sicut 20. q. 1.* poterat antiquitùs hoc tempus coarctari, *d. cap. ad Apostolicam, cap. constitutionem de regular. in 6.* Sed hodie nullus est admittendus antè annum novitiatûs, *Trident. sess. 25. de regular. cap. 15.* & refert decisum per Sacram Congregationem *Bartolomæus de Vecchiis in praxi admittendi novitios, disp. 11. dub. 2. & disp. 13. dub. 11. Barbosa alleg.* 101. quo etiam anno novitiatûs indiget professus in una Religione etiam strictiori transiens ad aliam, *Sanchez in summa lib. 5. cap. 4. num.* 12.

Ubi tamen nota primo, quòd professus nulliter, volens suam professionem ratificare, non tenetur novitiatûs annum reiterare, si aliàs fuit validus, *Sanchez*, & alii communiter apud eum *disp. 37. num.* 4. Habent verò privilegium Moniales Ordinum Prædicatorum, ut in mortis articulo constitutæ professionem emittant, etiam non finito anno novitiatûs de quo privilegio post alios *Bartolomæus à S. Fausto lib. 5. cap.* 167.

Secundo nota, hunc annum novitiatûs incipere à die susceptionis habitûs, *Trident. sess. 25. cap.* 16. & computari debet à momento ad momentum, & si per duas, vel tres horas anteà fiat, quo finitur tempus, est invalida professio, ut post alios refert, & sequitur *Faustus q.* 161. Debet esse annus continuus, non interpellatus. Undè si novitius completo anno novitiatûs interpellato profiteatur, professio non tenet: post alios *Barb. alleg.* 101. & procedit, etiamsi interpellatio sit modica per tres, vel quatuor dies, & declaravit Sacra Congregatio regularium, unum diem, non facere annum interpellatum, *Barb. lib. 1. de jure Ecclesiastico cap. 42. num.* 124. Si tamen novitius de licentia Superioris cum habitu ex aliqua justa causa infrà annum probationis extrà Monasterium egrediatur, & ibidem per aliquot dies commoretur, post reversum potest licitè profiteri, neque per hoc annus dicitur discontinuus, etiamsi illicitè, & sine causa concessa fuerit novitio licentia, quæ quidem licentia, per Guardianos, aliosque Prælatos Conventuales concedi debet, ut post multos *Barb. num. 27. alleg.* 101. Nec interrumpitur annus novitiatûs, si habitu Religionis indutus Monasterium exeat ex licentia Superioris, causa peregrinandi, vel accedendi ad alia loca pia, vel etiamsi ob adversam valetudinem maneat extrà Monasterium, ut decisum refert *Bartolomæus de Vecchiis in praxi admittendi Novitios, disp. 12. dub. 3. Gratianus cap. 166. num. 14. & in dec. 35. Barb. d. lib. 1. cap. 42. num.* 129. Prorogari autem novitiatum post annum completum ex aliqua causa est licitum, *Navarrus cons. 30. de regul. Sanchez lib. 5. cap. 4. num. 21. de Vecchiis disp. 11. dub.* 5. potest tamen Generalis Societatis Jesu dispensare cum suis Subditis, ut post unum annum novitiatûs profiteantur antè decursum biennii, *Barb. ubi sup. num.* 133.

Tertio nota, quòd ætas ad probationis annum hodie *ex Concilio Tridentino* esse debet post 16. annum completum quidem *sess. 25. loco citato de regular.* qui quidem annus 16. à die nativitatis computari debet, nec opus est à die Baptismi, ut declaratum per Sacram Congregationem refert *Navarrus in lucerna regularium, verb. ætas*, nisi tamen aliter disponatur per statuta religionum, ubi tamen observa, fuisse declaratum per Sacram Congregationem, validas esse professiones emissas post 16. annum, quamvis in Religione aliter per statuta disponatur, de qua declaratione meminit, *Barb. de jure Ecclesiastico lib. 1. cap. 42. num. 141. & in Trid. sess. 25. de regular. cap. 15. num.* 13.

Quarto nota, ad validam professionem requiri, ut fiat in manibus Superioris, secundùm *textum* sic intelligendum *in cap. consuluit. qui Clerici, vel voventes*, ubi dicitur fieri debere super altari, acceptante tamen eo, qui habet potestatem, & licèt antiquitùs *in cap. si vir 17. q. 1.* coràm Episcopo potuisset fieri professio, tamen hodie secùs est, quia Episcopus non est superior regularium, ubi tamen viget constitutio, ut requiratur etiam consensus majoris partis conventûs, tunc si aliter fiat, non est ipso jure irrita, sed irritanda, *Rodriquez 3. tom. quæstion. regular. q. 17. art.* 7. quòd si professio sit invalida ex defectu solius potestatis in admittente, potest ab eodem rata haberi, non mutata voluntate professi, *Sanchez, & Rodriquez ubi suprà.*

Quinto nota, requiri ad professionem, ut fiat sine pacto, conditione, vel modo de retinendo, aut habendo proprio: si enim aliter fiat, est vitiosa, *cap. 2.* ubi *glossa de statu Monachorum, Bartholomæus à S. Fausto in Thesauro Religiosorum lib. 8. q. 21. Riccius par. 4. dec.* 340. nec obstat *textus in cap. ult. qui Clerici, vel voventes*, ubi professio taliter facta approbatur per Pontificem, quia textus ille intelligitur de retentione ad usum profitentis de voluntate Superioris, ut post alios *Bartholomæus à S. Fausto lib. 8. q.* 23. Fuit autem dubitatum apud Sacram Congregationem, an valeat professio reservata sibi facultate testandi de patrimonio suo, & decidit valere, quam declarationem refert *Barb. lib. 1. de jure Ecclesiastico cap. 42. num. 153. & Navarrus in verb. professio num.* 10.

Requiritur etiam, ut valeat professio, approbatio votorum Castitatis, scilicet Paupertatis, & Obedientiæ, *Trident. de regular. sess. 25. cap.* 1. potest tamen Superior Generalis, cum consensu Capituli efficere aliqua statuta strictiora pro reformanda regula, *Faustus lib. 3. q.* 113.

Sciendum est quarto, quòd professio duplex est, tacita scilicet, & expressa: tacita est, quandò quis elapso tempore probationis perseverat in Religione cum habitu professurum, *cap. 1. de regular. in 6.* quæ quidem tacita professio hodie secundùm multos non inducitur, licèt alii dicant fuisse declaratum per Sacram Congregationem talem professionem tacitam non fuisse sublatam per *Tridentinum*, positis tamen requisitis, de quibus *Barb. lib. 1. cap. 42. à num.* 156. expressa professio est illa, quæ fit solemniter verbis expressis; videas *Navarr. ubi sup. num. 21. cum seqq.*

Sciendum est quinto, quòd durante tempore Novitiatûs, potest Novitius liberè exire, *cap. consulti de regular. cap. statuimus eodem titulo, cap. non solùm. eodem titulo in 6.* nec tenetur solvere Monasterio alimenta consumpta, quia non posset liberè exire, ut post

post alios *Faustus lib. 5. q.* 191. & exeunti Novitio à Monasterio omnia sunt restituenda, quæ sua erunt, *Trident. sess.* 25. *cap.* 16. *de regular.* unà cum fructibus, indè perceptis, *Gallectus in Margarita, in verb. Novitius,* & decidit Sacra Congregatio apud *Barb. ubi suprà num.* 178.

Sciendum est sexto, professionem Religionis diversos effectus producere. Primo quidem tollit omnem pœnam debitam pro peccatis, *S. Thomas* 2. 2. *q. ult. ar.* 3. *ad.* 3. *Navarrus de indulgentiis notabili* 20. *Sanchez in summa lib.* 5. *cap.* 5. colligitur *ex textu in cap. qui aliquandò, §. bis undecritatibus de pœnitentia dist.* 1. *Rodriquez in compendio quæstion. regular. resol.* 77. æquiparatur enim professio Baptismo, ut ex Sanctis Patribus colligit *Sanchez ubi suprà, & Bartholomæus à S. Fauste de tribus votis lib.* 1. *q.* 315. *cum seqq.*

Secundus effectus est, quia extinguuntur omnia vota antecedenter facta per votum Religionis, *cap. Scripturæ de voto, S. Thomas* 2. 2. *q.* 78. *art.* 12. *Sanchez. d. cap.* 5. *à num.* 36. ubi omnia vota dicit commutari in votum professionis: tollit etiam irregularitatem, quæ orta est ex defectu natalium, *Sanchez ubi suprà. cap.* 5. *num.* 9. *Rodriquez in compend. quæstion. regular. resol.* 52, & ideò illegitimi per solemnem professionem fiunt apti ad suscipiendos omnes ordines. D D. ubi suprà: est tamen controversia, an fiat aptus ad successionem, negant multi, sed veritas est contraria. qua de re *Rota* apud *Burattum dec.* 881. *Sanchez num.* 25. *Rodriquez, q.* 76. tollit etiam professio patriam potestatem in materia tamen odiosa; secùs in favorabili, *Sanch. ubi suprà num.* 29. *& sequentibus*; tollit etiam omnem maculam ingratitudinis, ob quam exhæredari poterat, *cap. non liceat* 19. *q.* 3. *Tiraquellus de pia causa privil.* 3. privat etiam professio facultate disponendi, *cap. quia ingredientibus cum seq.* 19. *q.* 3. potest tamen Religiosus disponere accedente Summi Pontificis licentia, *Sanchez lib.* 3 *in summa cap.* 3. & *cap.* 8. quandò tamen Summus Pontifex concedit licentiam Monacho testandi, intelligitur ad usus pios, *Sanchez ubi suprà num.* 51. quæ concessio semel facta, perpetuò duratura est, nisi ab alio Pontifice revocetur, & intelligitur non solùm pro primo actu, sed totiès, quotiès voluerit testamentum facere. *Bartholomæus à S. Fauste lib.* 8. *in Thesauro Religiosorum q.* 79.

Sciendum est septimo, bona alicujus Religiosi pertinere ad Monasterium facta professione, antè quam possunt liberè testari, & disponere *Authen. si qua mulier. C. de Sacros. Eccles.* Hodiè verò *ex Trident. sess.* 25. *de regular. cap.* 16. disponitur, ut nulla fiat renunciatio, nisi antè duos menses professionis cum licentia Episcopi, vel ejus Vicarii, sub cujus nomine venit omnis renunciatio, & lucrativus contractus, non tamen comprehenditur renunciatio beneficii, secundùm unam sententiam, de qua *Barb. alleg.* 99. Sed alii putant, etiam ipsam comprehendi, de quibus *Bartholomæus à S. Fausto lib.* 5. *q.* 181. Testamenta tamen codicilli, & donationes causa mortis non comprehenduntur, *Riccius collect.* 584. *Barb. ubi sup. num.* 12, nec comprehenduntur donationes factæ intuitu ingressûs, in sæculo tamen ut de communi dicit *Riccius par.* 1. *dec.* 205. licèt contrarium dicant alii, de quibus *Cancer. lib.* 1. *variar. cap.* 8. *num.* 81. est tamen quæstio an renunciatio facta à Novitio, si post professionem factus sit Episcopus, revocari valeat, in qua affirmativè respondent *Afolfesius conf.* 1. *&* 39. *Riccius in praxi resol.* 152. *Gratianus dec.* 42. Negant tamen *Anna conf.* 45. *Rovitus dec.* 20 quia factus Episcopus, non desinit esse Monachus. Distinguit verò & meliùs *Barb. lib.* 1. *de jure eccles. cap.* 42. *à num.* 241. & dicit, quòd aut bona per talem renunciationem fuerunt tertio acquisita, & tunc non ampliùs recuperantur, aut verò non fuerunt adhuc acquisita, puta, quia Monachus renunciavit hæreditati maternæ, vel paternæ, & factus Episcopus non adhùc mortui sunt parentes, & tunc sibi jus acquiritur, non verò donatario & ste decisum per Sacram Congregationem refert idem *Barb. ubi suprà*, ut autem Novitius prædictam renunciationem faciat: requiritur licentia Episcopi, ut dicebamus, non tamen opus est, ut in scriptis sit *Bartholomæus à S. Fausto lib.* 5. *q.* 200. & in Patribus Societatis Jesu profitentibus non requiruntur solemnitates Tridentini, ut declaravit Sacra Congregatio in una Neapolitana, de qua *Barb. ubi suprà num.* 246. quam etiam licentiam dare potest Abbas habens jura Episcopalia in sua Diœcesi, *Faustus q.* 196. non tamen potest Prælatus regularis eam concedere in Monasteriis exemptis, & sibi subjectis, D D. ubi supra, quam tamen licentiam benè poterit tradere Vicarius Capitularis, D D. citati apud *Barb. alleg.* 96. & concedi debet infrà duos menses, quod bimestre est computandum de momento ad momentum, *Faustus q.* 193. *& alii DD. ubi sup.*

De statu, & vita Regularium.

IN omni statu religioso sunt considerandi tres hominum gradus, Primo scilicet sunt Religiosi, seù Monachi. Secundo Conversi. Tertio Oblati. De quibus omnibus fit mentio *in cap. privilegia de privilegiis, cap. per exemptionem eodem titulo in 6. cap. ut lex* 27. *q.* 1. *cap. tuis de testibus. cap.* 5. *cap. Parochianos de senten. excomm. Clem.* 1. *de decimis.*

Religiosi, seù Monachi sunt illi, qui admittunt in Religione tria vota, Paupertatis, Obedientiæ & Castitatis, *cap. ad Monasterium de statu Monachorum, cap. unico de voto in 6. Sanchez de matrim. lib.* 7. *disp.* 25. Differunt à Conversis, quia Conversi non recipiuntur ad Chorum, *cap. ex eo §. ult. de elect in 6.* Differunt etiam ab Oblatis, quia Oblati nulla emittunt vota, sed solùm se, & sua Monasterio offerunt in sæculo tamen remanentes, *Abbas, Felinus, & alii in cap. Alma mater par.* 2. *§.* 2. *de senten. excommun. in 6* Dantur alii, qui dicuntur Tertiarii de quibus D D. ubi suprà, qui Tertiarii gaudent privilegio Religiosorum, unde resolvit *Castilius dec.* 88. legatum relictum, si monachabitur, verificari in Tertiario, & hodie appellatione Monachorum veniunt omnes Religiosi cujuscumque generis, *cap. quòd Dei timore, de statu regular. Tuschus littera M. conclus.* 311.

Sciendum secundo est, multa esse, quæ Regularibus prohibentur. Primo enim prohibetur eis, omne id, quod prohibetur Clericis, *in tit. de vita, & honestate Clericorum.* Secundo prohibetur, ne mulieres introducant in Monasteriis, ut in Bulla Pii V. incipiente *Regularium personarum*, de qua Bulla *Bonacina de clausura q.* 5. *puncto* 3. *Rodriquez resol.* 27. *Barb. alleg.* 102 & aliter facientes incurrunt pœnam excommunicationis Papæ reservatam, nomine verò Monasterii intelligitur spatium illud, quod continetur intrà clausuram, hortus verò Religiosorum subjectus est clausuræ, sic etiam Sacristia, Claustrum Religiosorum, & alia similia, de quibus *Bonacina ubi sup. puncto* 1. est tamen quæstio, an licet introducere aliquam mulierem medicam in dormitorio pro curatione infirmi? respondet *Coriolanus de casibus reservatis par.* 2. *cusu* 3. *num.* 32. quòd quandò infirmitas non potest aliter curari, nisi ope, & arte illius, nec infirmus posset in Ecclesia, vel

alio

alio loco venire, tunc licitum est mulierem medicam cum honestis personis associatam ingredi, si verò Prælatus regularis præciperet, ut fieret aliqua processio extraordinaria, ut illius occasione mulieres ingrediantur clausuram Monasterii, tunc dicit *Coriolanus* non incurrere in pœnas violantium clausuras, qua de re videas *Portellium in dubiis regularib. in verb. clausura Monachorum.*

Sciendum est tertio, virgines, aliasque Deo dicandas, non coactè, sed voluntariè debere Religionem ingredi, *cap. puellæ, & cap. sicut* 20. *q.* 1. ubi tamen nota quòd nec etiam volentes impediendæ sunt, *d. cap. puella* quod qui contrarium fecerint, excommunicantur. *cap. fin.* 132. *q.* 2. *Tridens. de regular. sess.* 25. *cap.* 18. non tamen sunt excommunicati cogentes fœminas ad Monasterii ingressum, non ut ibi profiteantur, nec ut habitum sumant, sed ut ibi educentur donec ætatis aptæ matrimonio sint, *Navarrus cons. 6. de regular. Barb. alleg.* 104. Nulla verò puella in Religione est recipienda causa inducendi habitum probationis, nisi habeat duodecimum annum. *Rodriquez tom. 3. q. 12. num. 2. Naldus in verb. habitus & in verb. Monialis, Barb. alleg.* 101. & antequam admittantur explorari debent eorum voluntates per Episcopum, vel Vicarium an sciant quid agant, *Barb. alleg.* 100. & est exploranda voluntas tempore ingressus, & tempore professionis, quamvis Monasterium sit exemptum ab auctoritate Episcopi, ut pluriès decidit Sacra Congregatio apud *Piasecium in verb. explorare.*

Sciendum est quarto, quòd omnes fœminæ Religiosæ divo sa velamina gestare solent. Primum est probationis, quod datur Novitiis antè professionem. Secundum est professionis, *Trident. sess. 25. de regular. cap.* 15. alia velamina colligit *Ludovicus Miranda de sacris Monialibus q. 7 art.* 8. Ad habitum puella nunquam admittitur, nisi duodecimum annum completum habeat, nec possunt ultrà duas sorores in eodem Monasterio habitum regularem suscipere, & professionem emittere absque Sacræ Congregationis licentia, & si hæc licentia obtenta sit, tertia soror ad habitum admittitur voce passiva, & activa tamdiù carens, quòusque una ex illis moriatur, & duplicatam dotem solvat si intra numerum, triplicatam verò si supra numerum existat, ut declaravit Sacra Congregatio apud *Barb lib. 1. cap. 44. à num* 24. A tempore suscepti habitûs usque ad professionem puellæ, tenentur consanguinei, vel parentes ei victum, & vestitum administrare, quamvis dos in deposito existat, nec debent admitti Moniales ad professionem quoad chorum, nisi legere noverint, ut declaravit Sacra Congregatio ubi sup. nec licitum est Episcopis, cùm Novitiæ profitentur, à propinquis, vel ab alio ejus nomine recipere comestibilia, ut rescripsit Congregatio Episcopo Aversano, quæ etiam dixit in omnibus Monasteriis præfigendum esse certum numerum Monialium secundum reditus Monasterii; Moniales verò tàm intrà, quàm suprà numerum absque dote nequaquàm admitti debent: probationis autem anno durante, deponi debent dotes prædictæ, secundùm statuta Monasteriorum, quæ etiam dotes solvi debent in ære, non verò assignatio bonorum stabilium sufficit, ut declaravit Sacra Congreg. apud *Barb. ubi sup. num.* 24. nec debent Episcopi admittere puellas educationis causa in Monasteriis ingredi, nisi cum licentia Sac. Congreg. *Quaranta in summa Bullarii, in verb. Monasteria Monialium. Zerola par. 1. in verb. Moniales §. 11. Barb. allg 102. num.* 63. Nec possunt Monasteria eas recipere, nisi sint capacia, & pro ipsis retinere debent loca particularia, in quo non est standum simpliciter relationi Abbatissæ, sed requiritur consensus omnium Monialium, ut rescripsit Sac. Congreg. apud *Barb. ubi sup.* qui etiam dicit fuisse denegatam per Sac. Congr. ancillam cuidam Moniali stanti in Monasterio educationis causa.

Sciendum est quinto, quòd ex gravissimis causis licitum est Monialibus à Monasteriis exire, *cap. periculoso de statu regul. in 6. Trid. sess 25. de regul. cap.* 5. & adest Bulla Pii V. incipiens, *Circà Pastoralis.* Præcipua verò causa est infirmitas incurabilis in Monasterio, vel incendium, & aliæ causæ, de quibus in *d. Bulla*, de qua *Sanchez lib. 6. summa cap. 15. Portellius in verb. Clausura*, & ultrà causas, de quibus in *d. Bulla*, *& in d. cap. periculoso*, licitum est ex similibus exire, *Bonacina de clausura disp. 1. punct. 9. Diana tract. 1. miscell. resol.* 23. Unde possunt Moniales de licentia superioris transire de uno Monasterio ad aliud, vel causa novæ fundationis, vel correctionis, vel reformationis, *Bonacina ubi sup punct. 9. num.* 10. tutius tamen est recurrere ad Sedem Apostolicam, *Barb. allg. 102. num. 15. & lib. 1. cap. 44. num.* 74. Si verò egrediantur à suis Monasteriis ultrà casus exceptos sunt ipso jure excommunicatæ, & excommunicatio est reservata Pontifici, DD. citati. Abbatissa non potest à Monasterio exire, ut videat ædificium Ecclesiæ, nùm ut sibi placeat, *Sanchez & Bonacina ubi sup.*

Præcipitur etiam in *d. cap pericul so*, ut nulli detur facultas ingrediendi Monasteria Monialium: concordat *Trid. d. sess. 25. cap. 5. Bulla Gregorii* 13. incipiens *Dubiis*, de qua *Quaranta in verb. Monasteria Monialium*, sub qua prohibitione comprehenduntur Prælati habentes curam ipsorum. non tamen comprehenduntur infantes carentes usu rationis, *Bonacina de clausura q. 4. pun.* 1. includuntur tamen fœminæ *Bonacina num.* 3. quibus tamen permittitur si fuerint in discordia cum maritis, de licentia tamen superioris, DD. citati, refert etiam decisum *Zerola in verb. Moniales §.* 8. non licere matribus ingredi Monasteria Monialium ad videndas filias morti proximas.

In casibus verò permissis licentia ingrediendi Monasteria dari potest per Episcopum, vel per suum Superiorem regularem, si Monasteria sint eis subjecta, *Bonacina punct 2. Barb. alleg. 102. nu.* 42. Nullatenùs tamen sufficit tacita licentia, quæ ex scientia, & patientia Superioris colligitur; quòd si quis contrarium faciat, excommunicationem incurrit, reservatam Pontifici, quam tamen excommunicationem illi solùm incurrunt, qui ingrediuntur præsumptuosè, præsumentes se habere licentiam sine causa, & ratione, qui verò non taliter ingrediuntur, solùm incurrunt censuram, de qua *Trid.* d. *cap.* 5. quæ cùm non sit reservata absolvi potest ab Episcopo, argum. *textus in cap. nuper* de *senten.* *excommun. Bonacina ubi sup. punct.* 5. Casus verò propter quos dari potest licentia ingrediendi claustra Monialium resultant ex necessitate, *Bonacina punct.* 4. Confessarius verò justam causam habet ingrediendi in Monasterium pro audienda confessione alicujus Monialis surdæ, aut infirmæ in lecto *Bonacina ubi supra num.* 4.

Tenentur verò Episcopi singulis quibusque trienniis mutare confessarios, Monialibus, & bis, vel ter in anno deputare debent Confessarios extraordinarios, non tamen possunt deputare confessarios habentes curam animarum, & quandò ingreditur confessarius in Monasterium pro audienda confessione infirmæ, vel administranda Eucharistia, vel Extrema Unctione, debet associari à duabus recta via ad cellam infirmæ, & recta via exire & dùm confitetur Monialem, cellæ janua aperta remanere debet, & illæ, quæ eum comitarunt ad eandem cel-

læ januam motari debent, ità ut confessarius, & infirma cerni possint: nec possunt confessarii claufuram ingredi ad conspergendum cellas Monialium in die Sabbati sancti. Declaravit hæc omnia sacra Congreg. apud DD. cit. Cùm verò ingreditur Medicus causâ gravis infirmitatis ingredi debet cum duobus sociis de familia Monasterii, *Barb. alleg.* 102. *num.* 52. Bajuli etiam justam causam habent ingrediendi Monasteria, modò aliquid portent in utilitatem Ecclesiæ. *Bonacina pun.* 4. *num.* 8. operariis, & similibus licitum est ingredi, DD. citati. Si verò contingit in Monasterio adesse Monialem energumenam, exorcizari debet in Ecclesia exteriori Monasterii obtenta licentia Congregationis, præsentibus aliis Monialibus provectæ ætatis, ut declaravit Sacra Congregatio. Ingressus verò Superiori, scilicet Episcopo non est prohibitus causa visitationis, *Riccius par.* 1. *resol.* 544. contrà clericum verò frequentantem Monasterium Monialium, si ab Episcopo monitus corrigi noluerit, infetenda est pœna suspensionis, *cap.* 8. *de vita, & honest. Cleric.* adversùs verò Religiosos est imposita pœna privationis vocis activæ, & passivæ, *Quaranta in verb. Monasteria Monialium.* sub qua prohibitione veniunt Hierosolymitani, *Barb. d. cap.* 42. *num.* 157. & novissimè ex Urbano VIII. fuit data licentia Episcopis, ut concederent Regularibus facultatem alloquendi cum Monialibus servatis certis conditionibus. Primo, ut per quatuor vices ad summum in quolibet anno. Secundo ut sint in primo, vel secundo consanguinitatis gradu conjunctæ. Tertio, ut id nullo modo liceat diebus festivis, aut in Adventu, Quadragesima, feria sexta, sabbato, & vigiliis. Quartò, ut prædicta licentia obtenta ab ordinario consignetur confessario Monasterii. Quinto, ut ipse confessarius associet, & præsens sit. Sexto, adesse debent auscultatrices. Septimo, prædicta licentia pro die dari debet, & hora certa, & in scriptis concedi: qua de re videas *Bonacinam punct.* 4. *num.* 4. si verò regulares accesserint ad Monasteria, puniri possunt ab Episcopo, non tamen potest Episcopus excommunicare loquentes cum Monialibus subjectis regularibus, qui verò Monisli scripserit litteras non incidit in pœnas loquentis, *Barb. alleg.* 102. *num.* 81. Tenentur tamen Moniales saltem singulis mensibus confiteri, *Clem. ne in agro*, §. *sanè de statu Monachor. Trid. sess.* 25. *de regular. cap.* 10. nec apud Moniales adesse debet clavis custodiæ Eucharistiæ, sed apud eum Sacerdotem adesse debet, qui curam habet Monasterii, ut dixit sacra Congregatio apud *Barb. num.* 34. 180.

Sciendum est ultimo Abbatissam, vel Priorissam eligendam esse non minorem quadraginta annis, *Tridentinum, session.* 25. *cap.* 7 & quæ octo annis post professionem, laudabiliter vixerit, quòd si non reperiatur talium qualitatum, capi debet ex alio Monasterio ejusdem ordinis, & si hoc incommodum videatur superiori, eligere debet 30 annorum, & quæ saltem quinque annis post professionem laudabiliter vixerit; circà quam ætatem 40. annorum non potest Episcopus dispensare, *Rodriq. in compendio regular. resol.* 2. putat verò *Novarius, concl.* 33. *in singularibus canonicis*: hos quadraginta annos non debere esse completos, contrà *Garsiam*, & alios quos refert. Abbatissa non est eligenda illegitima absque Apostoli a dispensatione, nisi aliter habeant in privilegio, *Rodriquez ubi sup.* nec bigama: ad quem effectum etiam dicitur, quæ post castitatis votum prævaricata est, *Sanchez lib.* 5. *summæ, cap.* 5. *nu.* 23. licèt aliter dicat *Rodriq. ubi sup.* nec illa, quæ virgo non est, in Abbatissam eligi potest, *cap. Juvenculas* 20. *q.* 1. *cap.* 2. 1. *q.* 7. ubi solus Summus Pont. dispensare potest, *Bon. q.* 64. *ar.* 4. Putat verò *Portellius* viduam posse eligi in Abbatissam, sequitur *Barb. lib.* 1. *cap.* 45. *à num.* 24. ex omnibus Monialibus duæ partes concurre debent ad eligendam Abbatissam, nisi alia fuerit consuetudo Monast. &, si fuerint discordes, Episcopus poterit nominare unam, quam judicaverit magis idoneam, ut rescripsit Sacra Congregatio apud *Piasecium par.* 2. *cap.* 3. Superior verò non poterit dare votum in caso discordiæ, & ad crates Monasterii debet se mittere pro electione, declaravit Sacra Congregatio ubi sup. Post verò electionem Abbatissa potest cum Monialibus dispensare in jejuniis Monasterii. *Portellius num.* 3. Debet etiam Abbatissa certiorem facere Episcopum de tempore professionis virginum antè mensem, juxtà decretum *Trid. sess.* 25. *de regular. cap.* 7. Vota verò Monialium non potest Abbatissa commutare, benè tamen poterit irritare per potestatem dominativam, *Portellius ubi sup.*

FINIS LIBRI PRIMI.

INSTI-

INSTITUTIONUM CANONICARUM,

LIBER SECUNDUS.

TITULUS PRIMUS.

DE RERUM DIVISIONE, ET ILLARUM ADMINISTRATIONE.

TITULUS hic ad præcedentes tali ordine continuatur. Jus nostrum Canonicum versatur circà tria, scil. circà Personas, circà Res, & circà Judicia *§. fin. suprà de Eccles. constit.* Vidimus suprà lib. 1. de Personis Ecclesiasticis, videndum erit de rebus, meritò ponitur hic titulus, qui dividitur in duas partes, in prima agit de divisione rerum, in secunda de administratione.

Circà primam partem sciendum est primò, quòd omnium rerum Ecclesiasticarum, quædam sunt mobiles, quædam verò immobiles, item quædam corporales, quædam verò incorporales, aliæ consecratæ, aliæ verò non consecratæ, aliæ sunt res spirituales, ut Sacramenta, de quibus infrà.

Res mobiles corporales sunt, quibus Ecclesia in divinis officiis, & ministeriis utitur, qualia sunt vasa sacra, & linteamina, atque ornamenta Ecclesiæ, & Altaris. Item vestimenta sacra, & Imagines, sanctæ Cruces, & candelabra, & alia his similia, quorum quædam sunt sacrata, aut benedicta, quædam verò minimè.

Res autem immobiles corporales sunt prædia, vel agri, ac domus, & alia hujusmodi, immobiles possessiones incorporales, sunt jura percipiendi fructus Ecclesiasticos, quorum diversa sunt genera, quæ generali nomine beneficia nuncupantur, *Barb. par. 3. de jur. Eccles. cap. 1.*

Sciendum secundò est, quòd administratio rerum Ecclesiæ alia est auctorizabilis, & hæc est Episcoporum, alia est ministrabilis, & hæc est Clericorum, alia dicitur providentialis, & hæc competit laicis, qui fiunt Magistri, seù œconomi Ecclesiarum, ità Archidiaconus in *cap. beat 16. q. 5. & Antonius de Butreo, & Abbas in cap. Decernimus de Judiciis.*

Super principium textus.

CONclusio hujus textûs est res in universum, alias esse temporales, alias spirituales, temporales sunt, quæ sunt deputatæ in servitium Dei mediatè, ut prædia, &c. spirituales sunt, quæ immediatè Deo serviunt, ut Sacramenta Ecclesiæ, altaria, &c. quæ conclusio desumitur ea his, quæ notat *Abbas in cap. quanquàm de Judiciis, Roccus de Curte in tit. de jure patronatûs, in verb. Jus.*

Sunt autem res spirituales septem modis, Primo modo per essentiam, ut sunt virtutes, & dona Dei, *cap. 1. glossa 1. q. 1.* Secundò spirituales dicuntur per effectum, ut Sacramenta Ecclesiæ, quæ conferunt gratiam, *cap. non satis de simonia.* Tertiò dicuntur res spirituales secundùm statum Ecclesiæ, ut Religio, *cap. cùm dilectus il. 2. de simonia.* Quartò dicuntur res spirituales, quia dependent à potestate Ecclesiastica, prout est absolutio ab excommunicatione, ob quam si aliquid recipiatur simonia committitur, *c. ad nostram de simonia.* Quintò dicuntur res spirituales ratione officii, quod ipsis rebus impenditur, ut potestas consecrandi vasa Ecclesiæ, & vestes sacerdotales, ut habetur in *d. cap. ad nostram de simonia*, Sextò dicuntur res spirituales, quia sunt deputatæ ad usum Ecclesiæ, ut ornamenta ipsius Ecclesiæ. Septimò, et ultimò dicuntur res spirituales, quia sunt annexæ ipsis rebus spiritualibus, ut sunt beneficia Ecclesiastica, jus patronatûs, &c. *cap. quanto de Judiciis*, ubi *DD. Abbas, & alii in cap. consulere. de simonia.*

Sciendum secundò est, quòd res spirituales, aut sunt corporales, ut Sacramenta, res sacræ, &c. aut incorporales, ut virtutes, & dona Dei, ut in *§. Rursùs hoc titulo:* & licèt Sacramenta ponantur inter corporalia, *in cap. inter corporalia de translatione Prælatorum:* tamen id intelligitur quoad effectum, quem causant, non quoad materiam, & formam. Primò enim modo sunt incorporalia. Secundò corporalia, & quamvis in Sacramento Pœnitentiæ nihil tangi possit, tamen in eo aliquid percipitur pronunciatione verborum, quæ proferuntur in tali Sacramento.

TITULUS SECUNDUS.

DE SACRAMENTIS.

ACturi de rebus corporalibus dignissimis, titulum cum Paulo ponimus de Sacramentis in genere. Secundò de eis agemus in particulari. Tertiò de Ecclesiis ubi dispensantur Christi Fidelibus, undè agemus de Ecclesiis ædificandis, consecrandis, & reparandis. Quartò de privilegiis, & immunitatibus Ecclesiarum, præsertim circà prohibitionem alienationis earumdem Ecclesiarum: tandem agemus in hoc secundo libro de decimis, primitiis, & aliis Clericorum oblationibus, & sic erit completus secundus liber.

Ad intelligentiam sciendum est primo hanc, vocem, Sacramentum, interdùm significare juramentum, *cap. Sacramentum cum duobus seqq. 2. q. 5. cap. illud. 30. q. 1. Authen. Sacramenta puberum, C. si adversùs venditionem*, ubi Sacramentum dicitur juramentum. Secundò sumitur Sacramentum pro secreto, ut in libris *Tobiæ cap. 12*, ibi, *Sacramentum Regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare, & confiteri honorificum est:* ubi Sacramentum Regis, id est secretum Regis significat. Tertiò Sacramentum significat rem abditam, & absconditam, ità sumitur in titulo nostro, ut benè *Navarrus in manuali cap. 22. Filiuccius 1. tom. tract. 1. cap. 1. q. 1. Valentia 4. tom. disp. 3. q. 1. par. 1.* ubi diversas significationes ponit.

Dicitur verò Sacramentum à sacrando, sicut medica-

dicamentum dicitur à medendo, & ornamentum ab ornando; Magister, & alii Theologi *in 4. dist. 1.* sunt verò Sacramenta, nec plura, nec pauciora, quàm septem, *cap. ad abolendam de hereticis, Trident. sess. 7. can. 1.* quia ut benè *S. Thomas in 4. dist. 1.* fuerunt constituta contrà triplicem culpam, & quadruplicem pœnam. Baptismus contrà peccatum originale, Pœnitentia contrà mortale, Extrema unctio contrà veniale, Confirmatio contrà impotentiam, Eucharistia contrà malitiam, Ordo facer contrà ignorantiam, Matrimonium contrà concupiscentiam, & Baptismus est ordinatus pro intrantibus in mundo. Confirmatio est pugnantium, Extrema unctio est exeuntium; Pœnitentia est resurgentium, Ordo ignorantium, Matrimonium est producentium novos ministros in Ecclesia Dei, *Abbas in rubrica de Sacramentis iterandis, Bonacina disp. 1. de Sacramentis q. 1 par. 2.* Quæ quidem Sacramenta omnia Christus instituit immediatè *Trident sess. 7. can. 1. & Suarius de Sacramentis disp. 12. §. Dico primò*, ait hanc rem esse omninò certam, non tamen audet dicere, quòd sit de fide, eo quòd in Concilio non adsunt illæ particulæ immediatè, vel per seipsum, *Vasquez verè de Sacramentis disp. 115. cap. 1.* ait esse de fide, quia Concilium planè loquitur de immediata institutione, si enim de aliquo Sacramento posset dubitari, maximè esset Extrema unctio, & tamen de hoc *sess. 14. can. 1.* ait à Christo Domino institutum, & à Beato Jacobo promulgatum, consonat communia Patrum sententia, ut *Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 4. Augustinus lib. 3. de doctrina christiana cap. 9.* & discurrendo per singula patet in Evangelio de Baptismo *Matth. 28.* de Eucharistia *Matth. 26.* de Pœnitentia *Joan. 20.* de Ordine insinuatur *Matth. 26.* illis verbis, *Hoc facite, &c.* unde errat *glossa in Summa de pænitentia, dist. 15* dicens ex traditione Ecclesiæ fuisse Pœnitentiam institutam, & loca aliquorum sacrorum Patrum, præsertim *Augustini epist. 118. cap. 1. & lib. 3. de doctrina christiana cap 9.* explicantur *à Patre Suario ubi suprà, sect. 1. §. 3. ex Patribus à Vasquez loc. cit.* & longè veriùs à *Cardinale de Lugo de Sacramentis disp. 7. sect. 1.* qui etiam *sect. 2.* cum Theologis, præsertim cum Thomistis docet potuisse Christum Dominum facultatem instituendi Sacramenta tradere puræ creaturæ, licèt de facto omnia Sacramenta novæ legis suam habuerint efficaciam ex Christi passione, Theologi cum *S. Thoma 3. par. q. 64. art 2.* licèt per diversa tempora suæ ætatis, de facto enim non dedit prædictam facultatem Apostolis, vel Ecclesiæ, tùm ne plura essent capita in Ecclesia, sed unum, tùm etiam ne homines ponerent spem suam in creaturis, sed in Deo, justa illud *Hieremiæ 9. Qui gloriatur, in Domino glorietur. S. Thomas 3. par. q. 64. ar. 4. Filiuccius tract. 1. cap. 9. q. 3. Bonacina disp. 1. q. 3. par. 1. n. 8.* qua de re infrà dicemus.

Secundum secundò est, dari in jure nostro canonico, Mysterium, Sacrificium, Sacramentum, & sacramentalia, mysterium, sivè ministerium dicitur sacrum, sivè absconditum, vel occultum secretum, aut figuratio occulta, & dicitur ministerium à misticis, vel à mixitione græcè, quod latinè est secretum, & mysticum dicitur illud, quod in se occultum & secretam habet intelligentiam, & sic cùm aliud dicitur, & aliud intelligitur, ut benè explicat *Jacobus Graffius in suis decisionib. par. 2. lib. 1. cap. 1. n. 11.*

Sacrificium dicitur quasi satisfactum, quia per Missam consecratur pro nobis Hostia in memoriam Dominicæ passionis; hinc dicit *textus in canone sacrificium de consecrat. dist. 2.* Sacrificium visibile invisibile est Sacramentum, & generaliter sacrificium significat omnem oblationem Deo factam, & sacrificium dicitur quasi sacrum factum.

Sacramentum est, illud, de quo suprà.

Sacramentalia verò dicuntur quædam actiones, per quas secundùm receptam sententiam peccata venialia remittuntur, & sunt sex, quæ hoc versu continentur.

Orans, Tinctus, Edens, Confessio, Dans, Benedicens.

Per verbum Orans, intelligitur oratio Dominica, aut illa, quæ fit in Ecclesia consecrata, vel illa quæ fit cum tunsione pectoris. Per verbum Tinctus, intelligitur aqua benedicta. Per verbum Edens intelligitur Eucharistia, vel panis benedictus, & alia hujusmodi. Per verbum Confessio, non solùm intelligitur Confessio Sacramentalis, verùm etiam non Sacramentalis, qualis est illa, quæ publicè fit antè Missam. Per verbum Dans, intelligitur eleemosyna, vel etiam opera misericordiæ corporalia, vel spiritualia. Per verbum Benedicens intelligitur benedictio, quam Episcopus, vel alius Abbas consecratus impendit, ut explicat *Hostiensis in summa de pænit. & remission.* post alios *Bonacina de Sacramentis disp. 5. q. 6. sect. 2. par. 2. Reginaldus lib. 3. num. 43. Valentia tom. 4. disp. 7. q. 4. par. 1. Suarez in 3. par. disp. 12. sect. 2. Filiuccius tract. 6. cap. 5. q. 10. num. 127. Lugo de pænit. disp. 9. sect. 3. & 4.* Qui numerus sacramentalium augeri posset ab Ecclesia, licèt non possit ab ea augeri numerus Sacramentorum, *Valentia* *d. disp. 7. par. 5.* non tamen per sacramentalia remittuntur peccata venialia ex opere operato, sed opere operantis; excitando ad actum contritionis, vel amoris, per quem actum peccata venialia immediatè delentur, ità communis Theologorum sententia contrà alios, putantes per sacramentalia remitti venialia ex opere operato, quæ de re *DD.* ubi suprà; quicquid contrarium de aqua benedicta, quòd remittat venialia ex opere operato, doceant multi, quos sequitur *Diana par. 3. tractat. 4. resol. 65.*

Neque dicas in hoc sensu posse sacramentalia prodesse ad tollenda peccata mortalia, sicut ad venialia. Respondetur enim posse conducere aliquo modo, non tamen ità frequenter sicuti ad venialia primo ex parte Dei, qui non ità facilè placatur in uno, ac in alio casu. Secundò ex parte hominis, qui non ità facilè concipit motum sufficientem contrà mortalia. Tertiò ex parte Ecclesiæ, quæ non ità applicat remedia hæc contrà mortalia, sicut contrà venialia, quia fortasè contrà mortalia habet efficaciam remedia, ut benè *Joannes de Lugo disp. 9. de pænit. sect. 4. n. 64.* qui etiam tradit intelligentiam ejus, quod dixit *Augustinus in enchyrid. cap. 71.* de quo *in cap. de quotidianis de pænitent. dist. 3.* ubi venialia ait tolli per orationem Dominicam, mortalia verò per eandem juncta pœnitentia, & retractatione, quasi quòd ad venialia remittenda per orationem Dominicam nulla requiratur retractatio, quod tamen non intendit *Augustinus*, sed ut benè *Lugo, & Vasquez* id quod vult *Augustinus* est, quòd ad utramque remissionem requiratur retractatio, sed quòd ex quotidiano lapsu in venialia non arguatur defectus dispositionis requisitæ ad eorum veniam, quia, cùm impossibile sit sine illis vitam transigere, stat benè hominem dolere de illis, & tamen sæpè relabi; non sic in mortalibus, quæ, cùm possint facilè evitari, argumentum est non leve insufficientis pœnitentiæ si nunquàm vitæ, & morum emendatio appareat.

Scien-

Sciendùm est tertiò inter Sacramenta dari quemdam ordinem inter se, & connexionem, si verò respiciamus ordinem essentialem, tunc Baptismus sibi vindicat primum locum; est enim janua omnium Sacramentorum, ità ut alia Sacramenta invalidè suscipiantur non suscepto Baptismo: si verò respiciamus ordinem necessitatis. Primum locum tenet Baptismus, deindè Pœnitentia, quia nullus salvari potest sine Baptismo, vel sine Pœnitentia post lapsum in peccato. Si verò respiciamus ordinem perfectionis, primus locus debetur Eucharistiæ, quia continet Christum veræ sanctitatis auctorem, *S. Thomas 3. par. q. 95. ar. 1.* ubi *Nugnus concl. 1. Corinthus art. 2. & 3.* & tanquàm de fide colligitur *ex Trident. sess. 7. can. 5.* teste *Bonacina disp. 1. q. 1. p. 2. in fine, Valentia 4. tom. disp. 3. q. 6. par. 3.* Discrimina verò, quæ in Sacramentis novæ legis existunt, ponit *Filiuccius tract. 2. cap. 1. quæst. 9. & quæst. 10.* ponit Sacramentorum proprietates, *& cap. 2. quæst. ult.*

In §. *Sacramentum.*

SAcramentum definitur hîc ut sit invisibilis gratiæ visibilis forma, ità quòd ejus similitudinem gerat, & causa existat, quam definitionem desumit *Paulus Lancellottus ex canone sacrificium de consecrat. dist.* 2. colligitur ex *Augustino de Civit. Dei lib. 10. cap. 5.*

Explicatur definitio, quia in Sacramentis forma est visibilis, sed gratia est invisibilis, quod primò patet in Eucharistia, in qua forma panis, & vini est visibilis, sed gratia est invisibilis, sic in Baptismo materia, quæ est aqua, est visibilis, sed gratia invisibilis. Dicitur in definitione, ità quòd ejus similitudinem gerat & causa existat ad differentiam Sacramentorum veteris legis, quia illa gratiam significabant, sed non causabant; Sacramentum verò novæ legis significant, & causant *Trident. sess. 7. de Sacramentis cap. 2. 6. & 7.*

Alii putant, hæc verba, (*ita ut ejus similitudinem, &c.*) non esse de essentia, quia non adsunt in *d. cap. sacrificium*, neque in loco S. Augustini, sed addita sunt per Paulum, teste *Petro de Gregorio lib. 1. Juris Canonici tit. 6. cap. 2.*

Alii putant, Sacramentum non posse definiri, quia ens per accidens, ità multi apud *Vasquez 3. par. disp. 128. cap. 1.* alii, & communiter dicunt, quòd sit signum rei sacræ, ità *Magister sententiarum in 4. dist. 1. cap. quid sit Sacramentum*; sequuntur plures relati per *Bonacinam ubi suprà q. 1. par. 1.* quæ definitio est diminuta, quia competit multis rebus, quæ non sunt Sacramenta, sed sunt signa rei sacræ, etenim rem sacram significant aqua benedicta, consecratio altaris, linguæ igneæ in die Pentecostes super Discipulorum capita apparentes: nubes lucida in die Transfigurationis, Serpens æneus, quem exaltavit Moyses in deserto, qui significabat gratiam à Christo dandam credentibus; transitus maris rubri, qui significabat gratiam per Christum dandam per baptismum, & aqua scaturiens ex petra per Moysen: item sacra Scriptura est signum rei sacræ, sicut creaturæ omnes; ut benè *Lugo disp 1. sect. 12*

Dico ergo (omissis variis definitionibus) quòd Sacramentum est signum rei sacræ in quantùm est sanctificans animam, quæ definitio bona est, juxtà præceptum *Aristotelis 6. topic. & Boetii lib. de definitionibus.* Desumitur ex *Filiuccio 1. tom. tract. 1. c. 1. n. 10. Valentia 4. tom. disp. 3. q. 1. par. 1.* Constat enim ex genere, & differentia: Genus est signum, quia omne Sacramentum est signum, sed non econtrà, & hoc signum est sensibile aliquo ex quinque sensibus, est etiam effectivum, quia unumquodque illorum efficit gratiam instrumentaliter, nam principaliter solus Deus gratiam producit *S. Thomas*, & cum eo omnes 2. 2. *quæst. 11. art. 8.*

Dicitur ergò in definitione (signum,) quia signum præter sui notitiam inducit nos in cognitionem alterius, ut fumus est signum ignis, risus signum lætitiæ, & sic de aliis, *cap. signum 33. de consecrat. dist. 2. can. mali sæcularium 84. dist. Petrus Gregorius partitionum juris canonici lib. 1. tit. 6. cap. 2.* tale est Sacramentum tàm novæ legis, quàm veteris, utrumque enim significat gratiam, licèt Sacramenta veteris legis significaverint tantùm, sed non causaverint; nostra verò significant, & causant.

Dicitur *rei sacræ*, id est gratiæ sanctificantis, quia licèt Sacramentum novæ legis significet multas res cùm ex *S. Thoma 3. par. q. 60. art. 3.* Sacramentum novæ legis sit rememorativum passionis Christi, quæ est causa nostræ sanctificationis, demonstrativum præsentis justificationis, & prognosticum, seu pignus futuræ gloriæ, ut de venerabili Sacramento Eucharistiæ canit Ecclesia in antiphona, *O sacrum Convivium*, & apertè colligitur ex *Luca 22, Joanne 6. & ad Corinth. 11.* expressè docet *Apostolus ad Rom. 6.* adhuc tamen hæc multiplex significatio secundùm *S. Thomam* non est de essentia Sacramenti, & sic non conveniebat veteribus Sacramentis, significare verò gratiam utrisque convenit, quamvis diversimodè, ut suprà *Bonacina q. 1. par. 1.*

Ex quo primò infertur multas ceremonias institutas ad aliquas fidelium sanctificationes in Ecclesia non esse Sacramenta, quia non causant, nec significant gratiam sanctificantem; quàpropter prima tonsura, aspersio aquæ benedictæ Sacramenta non sunt, quia gratiam sanctificantem non conferunt, sic licèt per signum Crucis, & manûs impositionem in cathecumenis aliqua imperfecta sanctitas conferatur, ex quo à *S. Augustino lib. 3. de peccatorum meritis cap. 24.* latissima significatione Sacramenta vocantur, tamen, cùm gratiam non significent, Sacramenta propriè non erunt, Sic benedictio Abbatis, seu Abbatissæ, professio emissa in Religione, etsi ceremoniæ sacræ sint, per quas aliquo modo homo sanctificatur, quatenùs per eas peculiari quodam modo divino cultui mancipatur, tamen hæc omnia Sacramenta non sunt, neque novæ, neque veteris legis, quia Sacramentum est rei sacræ, id est gratiæ sanctificantis signum, cùm ex sua institutione non significent gratiam, & veram sanctitatem, non erunt Sacramenta.

Infertur secundò, omnia Sacramenta esse signa practica gratiæ, quatenùs per omnia Sacramenta causatur aliqua sanctitas, quam verè significant, nova enim causant veram sanctitatem, vetera verò causabant tantùm legalem sanctitatem.

Dicitur (in quantùm est sanctificans animam) ad differentiam multarum ceremoniarum, quæ antiquitùs non conferebant sanctificationem, ut esus mannæ, transitus maris rubri, &c. quæ significabant quidem veram gratiam, dandam in Eucharistia, & Baptismo, nullam tamen neque veram, neque legalem sanctitatem conferebant, & sic non fuerunt Sacramenta.

Est tamen advertendum primò, quòd cùm dicimus (sanctificans) intelligimus de ceremonia legitimè, & stabiliter instituta ad sanctificandum; Sacramenta enim debent esse ceremoniæ quædam firmiter stabilitæ, quia per ipsa Ecclesia, & Dei popu-

populus à cæteris distinguitur *Lugo de Sacramentis disp.* 1. *sect.* 13. ex quo

Infertur primò, lotionem pedum Apostolorum à Christo Domino factam, per quam secundùm multos DD. Apostoli sanctificati fuerunt, ut videre est ubi suprà, non fuisse Sacramentum, sic insufflatio in Apostolos, verba illa dicta Paralytico, & Magdalenæ remittuntur tibi peccata tua, quantùmvis per ea sanctificatæ fuerint tales personæ, tamen non fuerunt propriè Sacramenta, quia non firmiter, & stabiliter fuerunt instituta ad gratiam significandam.

Infertur secundò, sacrificium non esse propriè Sacramentum, quia sacrificium non est ordinatum ad sanctificationem Sacrificantis, sed ordinatum in testimonium divinæ excellentiæ; verùm si sumatur sacrificium pro contento in eo, scilicet pro hostia, quæ in eo offertur, erit Sacramentum, verùm hoc casu erit sacrificium acceptum materialiter, non formaliter, quia essentialiter in sola consecratione consistit: hostia verò consecrata, ejusque comestio habent rationem Sacramenti, sicut etiam occisio agni paschalis erat propriè sacrificium, ipse verò agnus, & ejus comestio habebant rationem Sacramenti.

Infertur tertiò, actus virtutum, charitatis scilicet, fidei, spei, &c. non esse Sacramenta, quia licèt conferant sanctitatem, non tamen eam conferunt ex Dei instituto, & ex opere operato, sed tantùm ex merito, & ex opere operantis, ut infrà.

Infertur quartò, martyrium non esse propriè Sacramentum, quia licèt secundùm communiorem opinionem, de qua infrà, conferat gratiam, ex opere operato, quia tamen non est à Deo institutum ad hunc effectum, scilicet conferendi, & significandi gratiam, sed potiùs prout est actio inferentis mortem à Deo est prohibitum, prout verò est passio martyris ad defendendam divinam gloriam, est opus fortitudinis ex motivo virtutis à martyribus susceptum.

Secundò est advertendum, quòd antè legem evangelicam, si petas, an fuerint aliqua Sacramenta.

Respondeo distinguendo tres casus. Primus est in statu innocentiæ, & tunc adhuc distinguo, aut loquimur pro illo brevi tempore, quo Adam in eo fuit, absque peccato scilicet, & dico non fuisse Sacramenta, quia justitia originalis sufficienter præstabat, quod Sacramenta præstitissent *S. Thomas* 3. *par. q.* 61. *ar.* 2. ubi *Coninch. Nugnus* & alii *Suarez ibid. disput.* 3. *sect.* 3. *Filiuccius tract.* 1. *cap.* 3. *q.* 3. cum aliis quæsitis omninò videndus *Bonacina disp.* 1. *q.* 1. *p.* 3. *Vasquez disp.* 130. *Lugo disp.* 3. *sect.* 1. *num.* 5. Matrimonium verò Adæ, & Evæ aliquandò appellatur Sacramentum, ut ad *Ephes.* 5. quia fuit figura futuræ incarnationis: sicut etiam lignum vitæ ab *Augustino* fuit dictum Sacramentum *Suarez*, & alii ubi suprà, *Bonacina de matrimonio, q.* 2. *punct.* 2. *propos.* 1. *Lugo loco citato.* si verò status innocentiæ sic perseverasset, & Adam non peccasset, fuissent in illo statu Sacramenta ad causandum gratiæ augmentum, & ad Dei gloriam ordinata, sed non fuissent ex vi præsentis decreti, ità communiter Theologi, ut ait *Lugo disput.* 3. *sect.* 1. *num.* 10. quia de facto fuerunt Sacramenta volita à Deo propter Christi merita, at Christus non fuisset incarnatus passibiliter, si Adam non peccasset, ut est communis Theologorum opinio; Christus enim fuit incarnatus principaliter ex vi præsentis decreti, scilicet passibiliter ob nos à peccatis redimendos *Lucæ* 19. *Venit Filius hominis, & quærere, & salvum facere, quod perierat, & Joannis* 3. *In hac apparuit filius hominis, ut dissolveret opera diaboli, misit Deus filium suum in mundum, ut salvetur mundus per illum, & Apostolus ad Galatas* 4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret; &* 1. *ad Timoth.* 1. *Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, & in Symbolo Nicæno, Qui propter nos homines, & propter nostram salutem, & Isaiæ* 13. *Vulneratus est propter peccata nostra, attritus est propter iniquitates, & Apostolus* 1. *ad Tim. cap.* 1. *Qui dedit semetipsum in redemptionem pro omnibus; & ad Titum* 2. *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate. Suarez* 3. *par. tom.* 1. *de Incarnatione disp.* 5. *seù* 6. *Beccanus de Incarnatione cap.* 1. *quæst.* 9. *Barbosa de jure Eccles. cap.* 1. *nu.* 2. *Bonacina de Incarnatione, disp.* 2. *q.* 1. *p.* 5. *propos.* 2.

Secundus casus est in statu naturæ lapsæ, scilicet ab Adami peccato usque ad legem scriptam, datam per Moysem, fuerunt aliqua Sacramenta, quia non est verisimile Deum, qui vult omnes homines salvos fieri, reliquisse homines in eo statu sine remedio, quo salvari possent; hoc autem remedium erant Sacramenta, & hæc fuerunt saltem duo, primum fuit remedium pro parvulis, quod justificabat ad modum operis operati, & consistebat in externa protestatione fidei, facta à parentibus, qua protestabantur omnes salvandos per Christi adventum, & ideò dicebantur parvuli justificari in fide parentum, nam utpotè rationis usu carentes non possent sibi remedium applicare, & ideò opus erat, ut hoc illis applicaretur ab aliis per externam fidei protestationem, & cum *Deuteron.* 3. dicatur Dominum fuisse propè parvulis, signum est fuisse propè eis per remedium aliquod, quo parentes protestabantur fidem, &c. ità *Vasquez* 3. *par. de Sacramentis disp.* 165. *q.* 70. *Suarez de Sacramentis disp.* 4. *sect.* 1. *Lugo disp.* 3. *sect.* 2. *Coninchus*, & alii, quos sequitur *Bonacina disp.* 1. *q.* 1. *par.* 3. *num.* 3. & colligitur ex *Augustino lib.* 2. *de nuptiis, & concupisc. cap.* 11. & clariùs *lib.* 5. *contrà Julianum cap.* 21. *& ex Gregorio lib.* 4. *moralium cap.* 2. *Beda lib.* 1. *in Lucam cap.* 8. *Bernardus epist.* 77. *Hugo de Sancto Victore lib.* 1. *de Sacramentis p.* 11. *cap.* 6. *& p.* 12. *cap.* 2.

Quæ quidem applicatio, & fidei protestatio, facta à parentibus pro parvulis, non in solo actu interno consistebat, ut putat *Vasquez disp.* 165. *cap.* 3. alioquin potuisset applicari pro parvulis absentibus, & in utero existentibus, sed consistebat in actu externo, ut benè *Suarez ubi suprà sect.* 2. *Coninch.* & alii, quos refert, & sequitur *Lugo disp.* 3. *sect.* 2. *num.* 28. Quæ fidei applicatio externa facienda erat per parentes puerorum, vel alios, quibus parentum cura incumbebat, secundùm *Suarez ubi suprà.* secundùm alios, quos refert, & sequitur *Lugo*, validè potuisset fieri per omnem alium extraneum, sed non licitè.

Secundum Sacramentum, quod fuit in hoc eodem statu naturæ corruptæ, fuit sacrificium pro adultis; nam sicut institutum fuerat remedium pro originali, ità congruum erat, ut aliquod institueretur pro actuali peccato, sed nullum aliud remedium congruentius dari poterat: ergo. In quo sacrificio duo sunt distinguenda, unum est cultus Dei, qui per sacrificium colitur, & supremus omnium Dominus indicatur. Secundum est Sacramentum, quatenùs per ipsum remittebantur peccata in virtute Christi venturi, qua de causa Sanctus Job offerebat sacrificia pro peccatis filiorum; quod sacrificium alii putant propriam habuisse naturam Sacramenti, alii negant; qua de re *Lugo, Suarez*, & alii ubi suprà.

Tertius

Tertius casus est in statu legis scriptæ (qui fuit a Moyse usque ad Christi adventum) fuerunt aliqua Sacramenta, puta circumcisio, agnus paschalis, sacrificium, & alia de quibus *S. Thomas 3. par. q. 61. ar. 3. Valentia tom. 4. disp. 3. q. 2. par. 2. Bonacina disp. 1. q. 1. par. 3. n. 9. Lugo disp. 3. sect. 2. n. 69.* quæ quidem Sacramenta erant propriè talia, quia in *Trident. sess. 7. can. 2.* dicitur. Sacramenta novæ legis differre multùm à Sacramentis veteris legis, ergo Tridentinum supponit, Sacramenta veteris legis fuisse propriè Sacramenta. undè ratio Sacramenti univocè prædicatur de Sacramentis veteris legis, & novæ: in ratione enim signi omnia conveniunt *Conimb. disp. 60. art. 4. dub. 2. Nugnus ibidem art. 4. dub. 2. Vasquez 3. par. q. 60. art. 4. disp. 128. cap. 5. num. 49. Bellarminus lib 5. de Sacramentis cap. 12. Bonacina disp. 1. q. 1. par. 3. num.* 12. Neque obstat, quòd nostra sunt perfectiora, quia non sunt perfectiora in ratione Sacramenti, sed talis Sacramenti, sicut est homo respectu bruti.

Possunt verò plures differentiæ inter nova, & vetera Sacramenta assignari. Primò quidem Sacramenta novæ legis sunt immediatè signa gratiæ, Sacramenta verò veteris legis non sunt immediatè signa gratiæ, sed mediatè. Secundò Sacramenta novæ legis significant, & conferunt gratiam, Sacramenta verò veteris legis significabant solùm sed non conferebant gratiam, ex quo Sacramenta veteris legis Regnum Cœlorum non aperiebant, ut legitur de multis Sanctis Patribus, qui fatentur, se esse descensuros in Infernum, undè Jacob dicebat, *Descendam ad filium lugens in Inferno, ut in Genes. cap. 27. & Job cap. 14. dicebat, se velle protegi in Inferno, & David, quis videt hominem, & mortem non videbit, ut eruat ab Inferno.* Sacramenta verò novæ legis aperiunt januam Cœli, ut patet *Matth. cap. 3. Prædicabat Joannes, pœnitentiam agite, quia jam appropinquat Regnum Cœlorum. & Apostolus ad Ephes.* dicebat, *Cujus gratia salvi facti estis, & facit nos consedere cum eo in cœlestibus: & Matth. cap. 6. Venite Benedicti Patris mei, & accipite Regnum. quod ab initio mundi vobis paratum fuit, & Matth. cap. 3.* docet, *quòd baptizato Jesu, Cœli aperti sunt*, ideò Sacramenta veteris legis non constituebant hominem in statu sufficienti ad Regnum Cœleste, prout faciunt Sacramenta novæ legis.

Differunt etiam, quia Sacramenta legis veteris fuerunt difficiliora, ut patet in circumcisione. Secundò illa fuerunt umbræ nostrorum Sacramentorum. Tertiò non conferebant gratiam ex opere operato. Quartò non habebant determinatam formam verborum, quia nullus potest eam assignare. Quintò non faciebant de attrito contritum. *Sayrus lib. 5. de Sacramentis cap. 7. quæst. ult. ar. 5. Camerota de Sacramentis cap. 1. num. 3. Henriquez lib. 1. cap. 2. Valentia tom. 4. disp. 3. quæst. 6. punct. 1. Suarez disp. 6. sect. 2. Filliucius tractat. 1. cap. 1. num. 17. Bonacina disp. 1. q. 1. punct. 3. n. 11. Lugo disp. 5. sect. 4. in fin. Filliucius tract. 1. cap. 2. q. 8. cum sequenti.*

Circumcisio, quæ erat in lege scripta, fuit à Deo instituta, & tradita Abrahamo, licèt præcepta fuerit per Moysem, & obligabat omnes ab Abrahamo descendentes, ut colligitur ex *Joanne 7. & Genes. cap. 27. Illi verò, qui non descendebant ab Abrahamo, poterant circumcidi, sed non erant obligati, Henriquez lib. 2. cap. 6. num. 3.* & colligitur ex *d. loco Genesis*, ibi, *Tam emptitius, quàm vernaculus circumcidetur, & quicumque non fuerit de stirpe vestra*, ubi verbum illud, circumciditur, importat capacitatem circumcisionis, quamvis non importet præceptum, ut benè *Bonacina d. disp. 3. q. 1. puncto 1. §. unico; n. 2.* Minister circumcisionis non erat determinatus; undè non solùm masculi, sed etiam mulieres filios suos circumcidebant, ut patet exemplo *Sephora; Exodi cap. 4. Quæ circumcidit filium suum, ne ab Angelo interficeretur*, ut ostendit *Barrada par. 1. tom. 1. cap. 9. & Abulensis in Josue cap. 5.* qui addit non fuisse necessarium, ut minister esset distinctus à suscipiente, sed aliquem potuisse seipsum circumcidere, quia in circumcisione non erat determinatus minister, nec ulla erat forma, quæ redderetur falsa ex hoc capite, quòd quis seipsum circumcideret, *Suarez 3. par. q. 70. art. 2. Abulensis locis citatis, Bonacina ubi sup.*

Quæ quidem circumcisio fuit instituta ad delendum peccatum originale, ut patet tùm ex *Genes. 17.* ubi masculus circumcisus salvabatur, est tamen quæstio, an gratiam conferret ex opere operato. Prima opinio affirmat, ità *Suarez disp. 5. sect. 1. & disp. 10. sect. 1. & 2. Azorius lib. 4. cap. 34. Barrada tom. 1. in Evangelia lib. 9. cap. 1. Valentia tom. 4. q. 70. p. 11.* sequitur *Salas 1. 2. tom. 2. tract. 13. disp. 11. sect. 1.* colligitur ex *Augustino lib. 16. de Civitate Dei cap. 27. lib. 2. de peccato originali cap. 30. & 32. lib. 4. de Baptismo contra Donatistas. cap. 23. & 24. & 2. de nuptiis cap. 11.* & habetur in *cap. ex quo. de consecratione dist. 4.* pro eadem sententia facit *Gregor. lib. 4. moralium cap. 2.* & refertur in *cap. quod autem. de consecratione distin. 4.* hanc tenet *Bonacina disp. 1. q. 1. p. 3. §. unico propos. 4.*

Secunda opinio est, non contulisse gratiam ex opere operato; ita videtur de mente *S. Thomæ 3. par. q. 62. ar. 6. ad 3. & q. 70. art. 4.* eandem sequitur *Bellarminus, Ledesma, Capreolus*, & alii, quos refert, & sequitur *Vasquez disp. 184. cap. 3. Conimbrius 3. par. q. 62. art. 6. Lugo disp. 5. sect. 2.* & alii apud eos, quia hoc peculiare est Sacramentis novæ legis, sed ex fide parentum, & Christi venturi, & requirebatur fides in eo, qui ministrabat Sacramentum circumcisionis. ut contrà *Suarez disp. 10. §. Dico*, docent *Bellarminus lib. 2. de Sacramentis cap. 13.* & alii, quos refert, & sequitur *Lugo ubi sup. sect. 4.* & eodem modo, quo profuit parvulis, profuit etiam adultis secundùm multos posita attritione, ut tenet *Bonacina, d. §. unico num. 6.* qui infert deletum per circumcisionem posita attritione, peccatum etiam actuale. Alii putant non contulisse adultis gratiam ultrà quòd habebant illi per contritionem, qua de re *Lugo de Sacramentis disp. 5. sect. 4. n. 72.*

Putant verò communiter DD. quòd ex justa causa licitum erat post octavum diem applicare parvulis circumcisionem, ut patet in filiis Israel, qui itineris causa per 40. annos in deserto circumcisionem omiserant, & posteà ex Dei præcepto fuerunt circumcisi, *Josue cap. 5.* licèt illam omissionem circumcisionis ex alia causa factam fuisse ostendat *Vasquez disp. 164.* scilicet in pœnam incredulitatis parentum; & infans graviter ægrotans antè octavum diem circumcidi non debebat, quia fuisset eum manifestè occidere, & sic ex justa causa licebat prævenire; præcisa ergo causa, quia non licebat prævenire circumcisionem absque peculiari Dei dispensatione, quòd si præventum esset, validum Sacramentum fuisset, sed illicitum, licèt alii putent, nec validè, nec licitè licuisse: qua de re *Joannes de Lugo disp. 5. sect. 4. à n. 8.*

Necessaria erat adultis necessitate præcepti, ut patet ex verbis *Genes. 17. & 14. Masculis, &c.* Parvulis verò non fuit necessaria, nec necessitate præcepti, nec medii, non præcepti, quia parvuli ante usum rationis præcepti non erant capaces, non medii, quia illud est necessarium necessitate medii,

medii, quo omisso qois salvari non potest, sed parvuli antè octavum diem poterant justificari per remedium legis naturæ, sicut etiam poteraot salvari fœminæ, & masculi aliarum rationum ope, ergò circumcisio non erat necessaria necessitate medii, sed solùm ex suppositione, quòd aliud remedium non fuisset adhibitum, & sic intelliguntur illa verba, *Masculus, cujus præputii caro, &c.*

Fiebat verò ciscumcisio in ea corporis parte, tùm ad ostendendum Christum nasciturum ex semine Abrahæ; tùm quia ciscumcisio erat ordinata ad remittendum peccatum originale, quod per generationem transmittitus in posteros; tùm quia osdinabatur ad diminutionem carnalis concupiscentiæ; quæ præcipuè urget in ea parte, *Bonacina disp. 1. q. 1. p. 3. §. unico num. 9.* qui etiam *num.* 10. addit fuisse interdùm factam cultro ferreo maximè ad scindendum apto, quandòque cultro lapideo, & poterat fieri in quolibet loco. undè Christus fuit ciscumcisos Bethleem in domo, ubi fuit à Magis inventus, & Joannes Baptista domi cognatis vocatis, quia de hoe non aderat præceptum.

Pro fœminis perseveravit præceptum legis naturæ, quod etiam perseveravit pro masculis morientibus antè octavum diem. qui non poterant tunc circumcidi, *Bonacina ubi sup. n. 12.*

An Sacramenta novæ legis causent gratiam ex opere operato?

SUppono cum communi Theologorum sententia, de qua *Vasquez disp. 131. cap. 1. Lugo disp. 4. sect. 1. Bonacina disp. 1. q. 4. p. 1.* causare gratiam ex opere operato. esse causare gratiam in omni suscipiente benè disposito, seù non habente impedimentum. & id non per modum meriti, sed abstrahendo ab omni dignitate conferentis, & merito suscipientis, v. g. Baptismus collatus ab impio Sacerdote alieni infanti. qui nullum habet meritum, sed merè passivè se habet, tantam gratiam confert, quantam, si eum conferret sanctissimus Sacerdos cum magna devotione. Causare verò gratiam ex opere operantis. est causare gratiam quatenùs habet rationem actionis virtuosæ, & laudabilis, & consequenter dependendo à merito, & dignitate personæ conferentis, vel suscipientis. Idem dicas de satisfactione; nam per opus bonum homo justus satisfacit ex opere operantis pro pœna temporali debita, per indulgentias verò, vel per sacrificium Missæ dicitur satisfacere ex opère operato, quia attenditur ad valorem, quem aliundè habet opus. Hoc posito.

Respondeo Sacramenta novæ legis gratiam conferre ex opere operato. ita *Trid. sess. 7. can. 8.* ubi contrarium dicens est hæreticus, *can. 4. & 5. & 6. & 7.* & habetur in *Concilio Niceno, Milevitano, & Arausicano*, ut habetur in *cap. quòd autem, cap. filius. cap. per aquam, cap. nunquàm. de consecrat. dist. 4.* & de Baptismo specialiter in *sess. 6.* dicitur esse causam instrumentalem justificationis, & est Catholicorum omnium sententia, de quibus DD. citati, & probatur, quia conferunt gratiam, sed eam conferunt sine ullo respectu, & dignitate, ad meritum conferentis, & suscipientis, ergo. Major patet *1. de Baptismo Joannis 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non poterit intrare in Regnum Dei.* De Confirmatione *Actor. 8. Per manuum impositionem dabatur Spiritus sanctus.* De Ordine *2. ad Timoth. 1. Ut resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem.* De Pœnitentia *Joann. 20. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, &c.* De Eucharistia *Joannis 9. Qui manducat meam carnem, &c.* De Extremâ Unctione *Jacobi 5. Oratio fidei salvabit infirmum.* De Matrimonio. *Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico vobis in Christo, & Ecclesia.* Minor probatur, quia gratiam conferunt sine ullo merito suscipiantis, ut patet in parvulis, vel solùm sine obice, ut in adultis, in quibus nullum præterea requirunt meritum, ergò non conferont ex opera operantis: sed ex opere operato.

Neque dicas, primò gratiam conferri ex fide, ut ait *Paulus ad Rom. 1.* ibi, *Justus ex fide vivit, & Marci ultimo*, ibi. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, & qui non crediderit, condemnabitur, ergo non per Sacramenta.*

Respondeo enim, dupliciter posse gratiam causari. Primo modo fundamentaliter. Secundò formaliter, & proximè, fides non est causa gratiæ formaliter, & proximè, sed fundamentaliter, & remotè quatenùs fides requiritur in susceptore Sacramentorum; quamobrem recipiens Baptismum, si sit adultus debet credere, & fidem habere, juxtà illud, *Credite, & baptizetur unusquisque vestrum.* Dicitur ergò, justum ex fide vivere non proximè, sed remotè, quatenùs fides disponit ad justificationem, & sic fides dicitur remotè justificare, aliàs. si fides justificaset, sequeretur, adultum baptizatom, esse justificatum antè baptismum, cùm fides tanquàm fundamentum, & dispositio præcedat susceptionem Baptismi: *Bellarminus de Sacramentis c. 3. Suarez disp. 7. sect. 1.*

Neque dicas secundò pro hæreticis, quia etiam Pharisæi intellexerunt, quòd nemo potest peccata remittere, nisi solus Deus, ut habetur *Lucæ 5.* ergò non possunt peccata remitti per Sacramenta.

Respondeo: allucinari hæreticos, dùm magis credunt Pharisæis, eam sententiam proferentibus, quàm ipsi Christo *Joannis 20.* dicenti, *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Quare negamus consequentiam, quia licèt Deus remittat peccata auctoritate propria, & principaliter conferendo gratiam, Sacerdotes autem per Sacramenta instrumentaliter gratiam producentia remittunt peccata, sibi auctoritate à Deo collata.

Adverte tamen primò, quòd semper Sacramenta conferunt gratiam, nisi obicem ponat suscipiens, scilicet nisi cum peccato accedat, vel sine debita dispositione, & ultrà gratiam sanctificantem producunt Sacramenta gratiam virtutum, seù donorum, ut Fidei, Spei, Charitatis, Pœnitentiæ, Justitiæ, Temperantiæ, &c. quia tales virtutes, seù dona sunt veluti proprietates, consequentes, seù comitantes gratiam sanctificantem, ergò. producta gratia, producuntur tales virtutes, ut patet ex *Trident. sess. 6. cap. 7.* ubi dicitur, *In ipsa justificatione cum remissione peccatorum accipi etiam Fidem, Spem, & Charitatem.* Immò producit unumquodque Sacramentum gratiam sacramentalem, ordinatam ad finem consequendum, ad quem ordinatur Sacramentum ultrà gratiam justificantem, quam tamen alii putant non ab ea distingui; qua de re *Filiuccius tract. 1. c. 6. q. 2. Bonacina disp. 1. q. 4. punct. 1. num. 6.* communiter enim dicunt gratiam sacramentalem non addere aliam qualitatem distinctam ab habituali. sed solùm specialia Dei auxilia ad aliquos actus peculiares, ad quos dirigitur Sacramentum, v. g. in Sacramento Confirmationis datur gratia habitualis cum speciali titulo, & jure ad auxilia divina, quibus fidem christianam liberè, & audacter profiteantur, & sic de aliis; est communis sententia teste *Joanne de Lugo disput. 4. de Sacramentis sectio. 3.*

Adverte secundò, quòd aliqua Sacramenta ex sua institutione conferunt primam gratiam, & tollunt

peccatum

peccatum mortale: patet in Baptismo, & Pœnitentia, quorum primum ordinatur ad originale de lendnm. Secundùm verò ad mortale. Cætera verò quinque Sacramenta præter baptismum, & pœnitentiam non habent ex se, & ex sua institutione conferre primam gratiam, quia hæc quinque non sunt ordinata ad delendum peccatum originale, vel mortale, undè illa duo dicuntur Sacramenta mortuornm in vita gratiæ per peccatum; ista quinque verò dicuntur Sacramenta vivorum, qoia præsupponunt primam gratiam.

Verum tamen est, quod sicut si quis accederet ad pœnitentiam cùm actu contritionis antecedenti reciperet tunc ex Sacramento pœnitentiæ non primam gratiam, sed augmentum primæ gratiæ (quod idem dic de Baptismo suscepto per adultum) ità si quis accederet ad Sacramentum matrimonij ordinis, &c. (excepto Sacramento Eucharistiæ) in peccato mortali, putans bona fide se non esse in peccato, & accederet cum actu attritionis, benè dispositus, tunc reciperet à talibus Sacramentis verè, & realitèr primam gratiam; ità communiter DD. citati, & alij apud *Bonacinam disp. 1. q. 4. pun. 2. propos. unica.*

Adverte tertiò, quòd in susceptione Sacramentorum plures requiruntur conditiones.

Prima enim est fidea, sine qua impossibile est placere Deo, ut habetur ad *Hebr. 11.* Cum ergo quis per gratiam placeat Deo, requiritur, ut præcedat fides, undè de baptismo, qui videtur minimam omnium Sacramentorum dispositionem requirere, habetur *Matth. ult. Qui crediderit, & baptizatus fuerit salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur, & Actor. 8. Philippus Eunucho* petenti Baptismum ait. *Credis ex toto corde*, qui actus fidei explicitus debet esse in eo, qui baptizatur; sed in eo, qui iterum per Sacramenta justificatur satis est implicitus, *Bonacina 2. tom. disp. 3. q. 2. pun. 2. n. 10.* In eo verò, qui ad usum rationis pervenit requiritur explicita cognitio articulorum fidei Præceptorum Ecclesiæ, & Decalogi, & Sanctiss. Trinitatis, non tamen requiritur ut tales articulos memoriæ mandent fideles, sed sat est, ut si de illis interrogentur respondeant: scire enim non est memoriæ rem mandare, sed sensum, & potestatem intelligere, *l. scire, ff. de legib.* & in rusticis sufficit si confessarij doceant eos mysterium Trinitatis, & incarnationis, latè *Bonacina ubi sup. p. 2. num. 16. & P. Diana cum Marchantio*, quem allegat *5. tom. tract. 13. & 1. miscellaneo*, quendam rusticum non obligavit ad confessiones reiterandas, qui per multum temporis spatium, ignorans mysterium Trinitatis confessus fuerat, quia implicita fides adsuit, quatenus credebat rusticus, Deum esse nostræ salutis Auctorem, ac nos redemisse, imò etiamsi nullam habuisset rusticus fidei cognitionem, fuissent præteritæ confessiones informes, & non reitcrandæ secundùm opinionem eorum, qui dant confessionem informem, & addit *Diana*, quod si Confessarius in confessione interroget pænitentem de numero peccatorum, & respondeat, se nunquam in præteritis confessionibus esse interrogari solitum, & ignorare ad id teneri, non debet talis pænitens confessiones reiterare, sicut nec quando omisit aliquod peccatum mortale, quod non putabat nisi veniale, & etiam addit, quod quando pænitens de numero omisso in prioribus confessionibus tacet, ignorans obligationem illam exprimendi, Confessarius non tenetur eundem hac de re interrogare, sed posse bona fide eum relinqnere maximè si potius perturbationem timet, quàm fructum. Imò rustici, qui bona fide putant se bona fide confessos, non sunt multum inquirendi, & inquietandi interrogando de aliquo præteritæ confessionis, nisi aliquod essentiale manifestum sit, nam licèt confessiones non fecerint aliquando materialiter non integras, propter tamen bonam fidem censentur formaliter integræ.

Ex quo collige ad conficienda Sacramenta requiri intentionem actualem, vel virtualem, nec sufficere habitualem: ad recipienda verò Sacramenta sufficit intentio habitualis, ut benè *Bonacina dis. 1. q. 6. punt. 2. num. 9.* undè sequitur, quod invalidè suscipit Sacramentum quis, quando nunquam ipsum petit, vel si omninò innitùs id petierit; validè verò administratur Sacramentum ei, qui existit in articulo mortis, sed catholicè vixit, quia hic catholicè vivendo, censetur implicitè petiisse Sacramenta, quæ conferri consueverunt existentibus in periculo mortis, *Bonacina loco citato.*

Secunda conditio est præter fidem in intellectu, est pius motus in voluntate (loquendo in adulto) nam *Trident. sess. 6. de justificat. adultorum per baptismum, & sess. 14.* agens de justificatione, quæ fit per pænitentiam, ad utramque requirit pium motum, & actum in voluntate, qui actus est conversio ad Deum, & aversio à peccato, quæ conversio aut habetur perfectissimè per contritionem, aut imperfectè per attritionem, de quibus agemus infra.

Tertia conditio in adultis ad recipiendum Sacramentum requiritur positivus consensus ex *S. Thoma 3. par. q. 68. art. 7. Scoto in 4. dist. 4. q. 4. Conin bo de Sacramentis q. 64. art 8. dub. 5.* Alij verò, & melius putant, non requiri positivum consensum, undè *P. Diana par. 5. tract. 13. resol. 32.* quendam Sacerdotem liberavit à scrupulis, qui ordinem presbyteratus sumpserat, in cujus susceptione neque actualiter, neque virtualiter habuit intentionem suspiendi illum, tùm ex doctrina *Cajetani 3. par. q. 68. art. 7.* cum alijs, qui dicunt ad valorem Sacramenti non requiri positivum consensum in adultis, sed sufficere non resistentiam, ut videtur expressissè *Innocentium Tertium in cap. majores de Baptismo*; tùm quia ad valorem Sacramenti sufficit consensus habitualis, scilicet præteritus non retractatus, ut supponitur in *d. cap. Majores*, & ratio est, quia suscipiens non se habet ut agens, & operans, sicut se habet minister, sed tantum se habet, ut patiens, ergo non opus est consensu actuali, neque virtuali, ut ex eo, tanquam ex causa efficiente derivetur, & fiat Sacramentum, sed sufficit, quod suscipiens aliquo modo consentiat in susceptione Sacramenti, ad quod sufficit consensus præteritus nondùm revocatus, & etiam sufficit consensus ex metu coactus, ut in *d. cap. Majores, & ex Concilio Toletano 4. can 55.* ut benè *Hurtadus de Sacramentis in genere disp. 4. diffic. 13.*

Quarta condio est, ut non ponat suscipiens obicem, qui obex dupliciter poni potest, aut scilicet committendo peccatum in ipsa susceptione Sacramenti (hoc ipso enim per tale peccatum excluderetur gratia, essentialiter ei incompossibilis) aut ex defectu debitæ dispositionis, ut si quis sit antecedenti actu pænitentiæ, scilicet contritionis, vel attritionis accederet ad Sacramentum confessionis, vel si invitus accederet DD. ubi supra.

Quinta conditio ad Sacramentum suscipiendum est, ut dolor, vel alia pia voluntatis motio non sit naturalis, quicquid in oppositum dixerit *Sotus in 4. dist. 6. q. 1. art. 7.* qui videtur dicere ad baptismum sufficere dolorem naturalem, nostra verò conditio requisita videtur de mente *Tridentini sess. 6. can. 3.* ubi ait Concilium. *Si quis dixerit sine divina gratia, hominem credere, sperare, diligere, aut pænitere sicut oportet anathema sit*, ergò non possumus

ſumna per actum pænitentiæ merè naturalem, & ſine auxilio gratiæ nos diſponere ad juſtitiam conſequendam in Sacramento, alioquin ſine gratia pœniteret nos ſicut oportet, & idem *Trident. cap.* 3. 4. 5. & 6. docens modum, quo peccator adultus per baptiſmum pervenit ad juſtitiam, ad omnes actus, ad hoc diſponentes, requirit auxilium gratiæ, ergò non poſſumus ad hoc diſponi per actum merè naturalem, ac ſine auxilio gratiæ, cujus ratio ea eſt, quia diſpoſitio, & forma debent eſſe in eodem ordine, ut patet in naturalibus, ubi omnia forma naturalis naturalem requirit diſpoſitionem, ergo pariter gratia ſupernaturalis requirit ſupernaturalem diſpoſitionem, atque adeò non poſſumus ad eam ſufficienter diſponi per actum merè naturalem.

Ex quibus primò infertur, omnia hæc requiſita eſſe neceſſaria neceſſitate medij, ità ut etiam ſi ſuſcipiens Sacramentum iis careat ſine ſua culpa, adhùc tamen non recipit Sacramentum; ita communiter Theologi loco citato: ratio eſt, quia quamvis Deus de potentia abſoluta poſſit conferre adulto gratiam, ſine ullo proprio ejus actu ſicut de potentia ordinaria de facto infantibus ſine ullo proprio actu remittit originale peccatum per Baptiſmum, adhùc tamen de potentia ordinaria non poteſt, quia non convenit rerum naturis, & ideò nunquam id facit, quia Deus ſemper convenienter naturis rerum operatur.

Infertur ſecundò non poſſe licitè conferri ullum Sacramantum adulto, quem moraliter conſtat eſſe in peccato mortali, & nullam de eo habere diſplicentiam, etiam ſi talis conſtitutus ſit in articulo mortis, & talis diſplicentia ſit ei impoſſibilis, v. g. non poteris licitè abſolvere, vel baptizare eum, qui in duello, vel exercitio alterius peccati, ſubitò ſenſibus deſtituitur, ſine ullo prorſus dolore de peccato; verùm quia difficile admodum eſt id moraliter certò judicare, cum ſemper poſſit adeſſe probabile aliquod dubium, an is, qui ſenſibus eſt deſtitutus verè ſit in mortali, & an actu habeat, an ſaltem habuerit talem dolorem, qualem requirit ſumptio Sacramenti, ideò quando adeſt tale dubium probabile ſecundùm, omnes DD. conſultiùs eſt conferre Sacramentum ſub conditione mentali, hoc eſt cum intentione conferendi, ſi ille ſit ſufficienter diſpoſitus, ſecùs verò, ſi non ſit dipoſitus.

Sexta conditio in ſuſcipiendis Sacramentis eſt (ad baptiſmum, & pænitentiam, quæ conferunt primam gratiam) attritio perfecta, etiam ſi non ſit putata contritio: ità *S. Thomas in* 4. *diſt.* 6. *q.* 1. *art.* 3. *Suarez in* 3 *par. diſp.* 7. *ſect.* 4. *Bonacina*, & alij ubi ſupra, eſt contra *Magiſtrum ſententiarum in* 4. *diſt.* 18. ubi docet ad ſacramentum pœnitentiæ requiri contritionem, eſt etiam contra *Cordubam*, *Adrianum*, *Medinam*, *Vegam*, & alios, quos meritò impugnat *Villalobos in ſumma* 1. *tom. tract.* 5. *diffic.* 19. *num.* 3. Tamen adverte non ſufficere attritionem imperfectam, quæ eſt illa, quæ non eſt deteſtatio peccati, niſi ob aliquod motivum naturale, quia hæc naturalis eſt, ut falsò dixerunt *Pirigianus*, *Cano*, & *Sotus*, quos juſtè impugnant DD. communiter apud *Dian. de Sacramentis*, *tract.* 4. *reſol.* 13. & ſanè noſtra doctrina colligitur ex *Trident. ſeſſ.* 14. *cap.* 4. ubi explicans diſpoſitionem requiſitam ad effectum Sacramenti pœnitentiæ, ait eſſe attritionem, tùm quia duo prædicta Sacramenta ſunt ordinata ad conferendam primam gratiam, ergò non ſupponunt actum contritionis, quia jam ſupponerent primam gratiam: non nego tamen per accidens etiam primam gratiam conferri per alia Sacramenta, *Diana par.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 31.

In ſuſcipiente verò quatuor Sacramenta, ſcilicet Confirmationem, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium diſpoſitio ſufficiens eſt vera contritio in eo, qui eſt conſcius peccati mortalis à ſe commiſſi, communiter DD. quos refert *Suarez d. ſect.* 4. quia Sacramenta dicuntur vivorum; quia in ſuſcipiente prærequirunt vitam ſpiritualem gratiæ, ergo qui conſcius eſt ſe eſſe ſpiritualiter mortuum per mortale, debet prius per contritionem ſpiritualiter reviviſcere, alioquin enim in mortali exiſtens indignè accederet.

Ad Euchariſtiam verò ſuſcipiendam propter ejus eximiam dignitatem ex Chriſti inſtitutione, habita ea immemorabili conſuetudine Eccleſiæ prærequiritur confeſſio ſacramentalis, quamvis videatur quis ſibi verè conſcius, juxtà illud Apoſtoli: *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat*, quod de ſacramentali confeſſione prærequiſita explicatur à *Trid. ſeſſ.* 13. *cap.* 3. niſi tamen ignorantia, aut neceſſitate excuſetur à confeſſione; quia tunc ſatis erit ſola contritio, cum propoſito deindè confitendi; immò etiam in cæteris omnibus valdè decet confeſſionem præmitti ob majorem certitudinem, & reverentiam.

Adverte quartò principaliter, quod qui recipiunt Sacramenta ejuſdem ſpeciei, cum æquali diſpoſitione, recipiunt æqualem, gratiam, *S Thomas* 3. *par. q.* 69. *art.* 8. *Coninch. q.* 62. *art.* 1. *dub.* 3. *Suarez diſp.* 7. *ſect.* 5. *concl.* 1. ad exemplum agentis naturalia, quod æqualem producit formam in ſubjecta æqualiter diſpoſita, licèt enim poſſet Deus æqualiter diſpoſito majorem gratiam conferre, tamen talis exceſſus gratiæ non erit effectus Sacramenti, ſed donum à Deo gratis, & liberaliter datum: Recipiens verò Sacramenta diverſarum ſpecierum cum æquali diſpoſitione, non eſt certum, & definitum an æqualem, vel majorem recipiat gratiam, ut putat *S. Thomas* 3. *par. q.* 65. *art.* 3. Sacramentum Euchariſtiæ majorem conferre gratiam, legas *Bonacinam de Sacramentis diſp.* 1. *q.* 4. *punt.* 3. qui verò recipiunt Sacramenta ejuſdem rationis cum inæquali diſpoſitione, inæqualem gratiam recipiunt, facit *Trident ſeſſ.* 6. *cap.* 7. ubi dicitur dari ſecundùm diſpoſitionem; undè ſi duo accedant ad Sacramentum pœnitentiæ, quorum unus eſt attritus, alius contritus, contritus recipit majorem gratiam, non ſolum ex vi Sacramenti, quod majorem gratiam confert magis diſpoſito, verùm etiam ex vi diſpoſitionis, i. contritionis, quæ ſufficit ad conſequendam gratiam extrà Sacramentum, nec debet eſſe deterioris conditionis ob conjunctionem cum Sacramento, *Bonacina diſp.* 1. *quæſt.* 4. *punt* 3.

Adverte quintò, quod qui recipit Sacramentum à majori miniſtro, non recipit majorem gratiam quia gratia non confertur ob merita miniſtri, ſed ob merita Chriſti. Undè *Paulus* 1. *Corinth. cap.* 1. repræhendit aliquos dicentes ſe ab alio baptizatos, & alios à Paulo, ergò non majorem gratiam recipit quis à majori miniſtro & meliori, licèt verò non recipiat majorem gratiam habitualem, recipit tamen aliquod auxilium, ſeù motum, quo recipiens Sacramentum ſe præparat, & diſponit ad gratiam, & ità intelligitur *S. Thomas* 3. *par. q.* 82. *ar.* 6. ubi ait magis fructuoſam eſſe miſſam dictam à meliore Sacerdote, cum majori devotione, quàm ſit miſſa dicta ab alio *Bonacina ubi ſup. p.* 4.

Adverte ſextò, quod gratia eſſentialis, quæ confertur in Sacramentis, eſt ejuſdem ſpeciei in omnibus; eſt tamen aliqua accidentalis diverſitas, quæ conſiſtit in hoc, quod ſcilicet Primò in Sacramento Baptiſmi conferuntur ſpecialia auxilia ad chriſtianè viven-

vivandum, ad suscipienda alia Sacramenta, & ad Christi præcepta servanda. Secundò in Sacramento confirmationis confertur gratia cum speciali auxilio ad constanter, & firmiter confitendam fidem. Tertiò in Sacramento Eucharistiæ tribuitur gratia cum speciali auxilio ad præcavendas, & superandas tentationes, & actus virtutum eliciendos. Quartò in Sacramento pænitentiæ tribuitur gratia, cum speciali auxilio ad perfectius detestanda peccata, & ad satisfaciendum pro delictis patratis. Quintò, in Sacramento extremæ unctionis datur gratia cum speciali auxilio ad facilius resistendum tentationibus in periculo mortis, *Trident. sess.* 14. *cap.* 2. in sacramento ordinis datur gratia cum speciali auxilio ad rectè obeunda sacri ordinis munera, Septimò, in Sacramento matrimonij datur gratia cum speciali auxilio ad fovendum mutuum amorem, & servandam fidem, *S. Thomas* 3. *par. q.* 82. *art.* 2. *Suarez disp* 47. *sect.* 3. *Vasquez* 3. *par. disp* 8. *art.* 4. *cap.* 7. *num* 78. *Pesantius* 3. *par. q.* 62. *art.* 2. *disp.* 1. *Bonacina d. q.* 4. *punt.* 5. *in fine.*

Adverte septimò quæstionem esse inter DD. an Sacramenta sint causa physica gratiæ, an moralis? quod ut intelligas.

Suppono, causam duplicem esse moralem, scilicet, & physicam; moralis dicitur, quæ verè non influit in effectum, sed ipsius intuitu: causa physica operatur effectum. Causa physica dicitur, quæ per se influit, v. g. tu solvis debitum ex precibus creditoris, tu es causa physica solvens, preces verò, vel chyrographum, quod habet ille contra te, est causa moralis solutionis, quia eo viso, motus es ad solvendum. Hoc posito.

Respondeo, sacramenta causant gratiam moraliter, & physicè, est communis inter Theologos, teste *Bonacina ubi supra par.* 6. contrà *Lugo de Sacramentis disp.* 7. *sect.* 4. & 5. qui putat solùm causare moraliter.

Prima pars probatur, quia illa est causa moralis instrumentalis, cujus intuitu causa physica aliquid producit, sed Deus intuitu Sacramentorum repræsentantium merita Christi producit gratiam, ergo Sacramenta sunt causa moralis instrumentalis gratiæ.

Secunda pars probatur, quod scilicet causent physicè, tùm quia majorem virtutem habent Sacramenta, quàm simplex signum, puta chyrographum, &c. tùm quia Deus potuit elevare sacramenta ad physicè producendam gratiam, cum non implicet, Deum uti creatura ad aliquod supernaturale producendum, ergò, tùm quia sacramenta conferunt gratiam immediatè, ergò physicè non solùm moraliter, licèt enim creatura non possit sua naturali facultate producere aliquid spirituale, & supernaturale, tamen ratione potentiæ obedientialis, potest à Deo elevari ad id producendum, quæ potentia obedientialis est ipsamet entitas creaturæ, ut Deo subjecta ad producendum quidquid non implicat contradictionem DD. citati. Dicunt verò communiter Theologi, quod gratia non creatur per Sacramenta instrumentaliter, sed educitur de potentia animæ, patet, nam creari dicitur res, quæ ex nihilo fit, idest quæ in esse, & fieri non dependet ab aliquo tanquam à causa materiali. Undè anima rationalis dicitur creari, quia à nullo dependet tanquam à causa materiali; educi verò dicitur, quæ in esse, & fieri dependet ab alio tanquam à causa materiali. Sed gratiam in esse, & fieri dependet ab anima tanquam à causa materiali; cum accidens non possit esse sine subjecto; subjectum verò gratiæ est anima, ergo educitur de potentia obedientiali animæ, *Bonacina* post alios ubi supra *par.* 6.

Causant verò gratiam Sacramenta, quando sunt in esse completo Sacramenti, idest in eo instanti, in quo materia, & forma habent perfectam significationem, ad quam sunt instituta, unde Baptismus in ultimo instanti prolationis formæ, & ablutionis gratiam causat, idem dic de aliis, in Eucharistia verò secùs est, quia non producitur gratia in recipiente, nisi in susceptione: ille verò, qui baptizatur, & deficit in eo instanti, in quo perficitur Sacramentum Baptismi (idem dicas de Adulto, qui desinit in eo instanti, in quo perficitur ablutio) non recipit Baptismum, ut contra *Sotum in* 4. *dist.* 9. *q.* 31. *art.* 7. & alios docent *Suarez tom.* 3. *disp.* 8 *sect.* 2. *Henriquez*, & alii, quos refert, & sequitur *Bonacina disp.* 1. *q.* 4. *p.* 7. *in fine*, quia in eo instanti, in quo moritur homo non est homo, sed immediatè anteà fuit, ut dicunt Philosophi, ergò Sacramentum agere non potest, tunc in subjectum non existens, *Lugo sect.* 6. *disp.* 4.

Gratia verò accidentalis, quæ confertur per Sacramenta non oportet, quod detur; tunc, quando Sacramenta conferuntur, sed tunc quando adest occasio, & opportunitas operandi *Joannes de Lugo* post alios *disp.* 4. *sect.* 6.

Adverte octavo quæstionem esse inter DD. an Sacramenta fictè suscepta recedente fictione suum producant effectum? pro cujus resolutione.

Suppono primò sensum quæstionis esse, an qui bona fide recepit baptismum, v. g. sine attritione posita attritione recipiat effectum baptismi, quem anteà non receperat, & hoc est quærere utrum Sacramenta fictè suscepta, recedente fictione reviviscant.

Suppono secundò fictionem posse contingere duobus modis. Primò defectu intentionis recipiendi sacramentum, vel cum alio defectu essentiali, ità ut sacramentum sit invalidum. Secundò defectu attritionis, ut si recipiens Sacramentum, non habuit attritionem, quam inculpabiliter omisit. Hoc posito.

Dico primò, qui accipit Sacramentum cum fictione primo modo, quia scilicet deficit intentio sublata fictione, & mutata voluntate non recipit effectum quia Sacramentum irritum, & invalidum defectu voluntatis, & intentionis non validatur: tùm quia quando aufertur fictio, tunc non adest materia, & forma, ergo: excipitur tamen matrimonium, quia si cum defectu consensus celebretur, accedente deindè consensu validatur *Bonacina disp.* 1. *q.* 6. *p.* 3. *Lugo de Sacramentis disput.* 9. *sect.* 3.

Dico secundò, qui recipit Sacramentum cum fictione secundo modo, quia scilicet inculpabiliter omisit attritionem, & dolorem requisitum ad fructum sacramenti, sublata fictione, idest posita attritione consequitur effectum sacramenti, ità Theologi communiter cum *S. Augustino lib.* 1. *de Baptismo contra Donatistas cap.* 12. & *lib.* 3. *cap.* 13. & *lib* 6. *cap.* 5. & habetur *in cap. tunc valere de consecrat. dist.* 4. *Lugo ubi supra sect.* 3. *Bonacina loc. cit.*

Probatur, quia hæc sententia est conformior bonitati Dei, Deus enim sacramenta instituit ad sublevandam hominum necessitatem, ut benè *Suarez tom.* 3. *in* 6. *par. disp.* 28. *sect.* 6. tùm quia de Baptismo omnes cogimur dicere, quod recedente fictione reviviscat: Fuit enim controversia ista disputata ab *Augustino contra hæreticos*, ergò idem dicere debemus de aliis sacramentis, quia utilius est, quod reliqua sacramenta fictè suscepta, posteà recedente fictione conferant gratiam, ergò idem illis tribui debet, quod Baptismo.

Putant verò *Sotus in 4. dist.6.q.1.art.8. & Vasquez 3.p.disp.161 c.2.* nulli Sacramento præter baptismum competere eam efficacìam gratiæ ablato obice: postea secunda opinio docet competere etiam Sacramento pœnitentiæ, ità *Durandus in 4. dist.q.4.n. 8. & dist.17. q. 13.n. 7.* Tertia opinio id tribuit solis Sacramentis imprimentibus characterem, ità *Covar. Major*, & alij apud *Vasquez. cap. 1.* Quarta opinio est, quod illis tribus Sacramentis, quæ imprimunt characterem, est addenda pœnitentia ità *Paludanus, Sylvester*, & alii apud eundem *Vasquez.* Quinta opinio est id competere omnibus Sacramentis novæ legis, ità *Diana par. 3. tract. 4. resol. 15. & par. 5. tract. 13. & 1. miscell. resol.30.*

Ex quo infertur illum, qui bona fide accepit Baptismum, aut pœnitentiæ Sacramentum sine dolore requisito ad fructum, posito dolore recipere Sacramenti fructum; sic ille, qui bona fide recepit Eucharistiam in peccato mortali, putans se esse in gratia, recipit gratiam, postea posita attritione, si durant tribus iisdem speciebus tollatur, quia tunc manet Sacramentum de sese efficax ad producendam gratiam ex opere operato, ergò remoto obice ex parte suscipientis statim producet gratiam, quod est propriè reviviscere; si verò corruptis speciebus auferatur obex, tunc non produceretur gratia, tùm quia tunc nullo modo, neque actualiter, neque habitualiter manet Sacramentum, tùm quia alioquin sequeretur eum, qui millies in eadem die cum magno sacrilegio communicaret, sublato postea per pœnitentiam hoc sacrilegio, reciperet maximam gratiam, aut sanctitatem, quod exterminia patet esse absurdum.

Infertur secundò, quod matrimonium susceptum, cum fictione, & obice, si talis ob ex vivente utroque conjuge tollatur, gratiam confert, idem dic de extrema unctione, si obex tollatur durante eodem morbo, ità communiter DD. citati. Ratio est, quia matrimonium, & extrema unctio vivente utroque conjuge, & durante eodem morbo iterari non possunt, ergo pro tali statu sunt perpetua, ergò si pro tali statu sublato obice non reviviscerent, sequeretur hominem pro tali statu sublato obice esse omninò gratiæ sacramentalis in capacem, eoque perpetuò privarentur, quod alienum est à clementissima institutione horum Sacramentorum: si verò obex tollatur mortuo jam alterutro conjuge, & dissoluto matrimonio, aut exclusò jam morbo, probabilius est talia Sacramenta non reviviscere, quia sublato tali statu non perseverat eadem necessitas gratiæ sacramentalis ipsorum, neque ulla ratione tunc permanent Sacramenta, sed possunt iterari.

Infertur tertiò, quod si Sacramentum pœnitentiæ sit collatum informe (posse autem dari infrà probabimus) tunc illa peccata, quæ quis validè confessus est, remittuntur postea oblato obice, virtute clavium per absolutionem præteritam, alioquin nunquam remitterentur virtute clavium, nisi indirectè, & per accidens cum aliis, quod dici non debet, nec potest, nam omnia peccata mortalia, quæ ab Ecclesia non remittuntur directè, debent ei subjici, ut remittantur directè. Illa autem peccata semel explicata in confessione valida, non subjiciuntur iterum Ecclesiæ judicio, ergo debent remitti virtute clavium per absolutionem præteritam, quando aufertur obex, ut benè *Lugo ubi supra sect. 6.* Idem dicas de aliis Sacramentis.

Neque dicas non posse intelligi, quomodo id quod non est, possit producere effectum; sed quando suppleatur dispositio, quæ fuerat prætermissa in susceptione Sacramenti non est amplius Sacramentum, ergo non potest producere effectum recedente fictione.

Respondeo cum *Suario, Henriquez*, & aliis apud *Bonacinam disp. 1. q.6.punt.3.num.3.* quod non est absurdum dicere effectum produci à causa non existente, quia potest aliqua causa non solùm divina, sed etiam naturali virtute producere aliquod eo tempore, quo ipsa non est: tùm quia terminus indivisibilis productus à motu non est simul cum ipso motu; quia de ratione effectus non est ut sit simul simultate coexistentiæ cum sua causa, sed ut ab ea dependeat, at effectus dependet à sua causa etiamsi cum ea non coexistat, ut benè DD. ubi supra.

Si verò petas quantum gratiæ conferatur recedente fictione.

Respondeo, produci gratiam non solùm respondentem dispositioni, per quàm recedit fictio, verùm etiam respondentem Sacramento præterito, ità ut tollens obicem plus gratiæ recipiat, quam per eum actum reciperet si præcedens Sacramentum non reviisceret. Ratio est, quia cum Sacramentum recedente fictione suum producat effectum; necesse est dicere conferri gratiam respondentem Sacramento præterito, alioquin Sacramentum non diceretur recedente fictione reviviscere: & cum dispositio, per quam recedit fictio non fit deterioris conditionis ob conjunctionem cum Sacramento, dicendum est gratiam conferri non solùm respondentem Sacramento præterito, verùm etiam respondentem dispositioni, per quam recedit fictio, ità communiter DD. apud *Bonacinam ubi supra*, sequitur *Lugo disput. 9. sect. 5. dub. 1. & 2.*

Ex quo infertur primò baptismum reviviscentem remittere omnem pœnam temporalem, debitam peccatis commissis ante ipsius baptismi susceptionem, ità *S. Thomas 3. par. q.69. art. 10. ad 3. & in 4. dist.4.q.3. art.3. quæstium.3.* & alij communiter, quia Baptismus reviviscens verè regenerat, ergo, &c.

Infertur secundò, quod si confessioni, & contritioni, per quam recedit fictio admissa in susceptione Baptismi debeatur gratia, ut quatuor, Baptismo verò suscepto cum fictione debeatur gratia, ut duo, confertur recedente fictione per confessionem, vel contritionem gratia, ut sex; ità communiter DD. ubi supra.

Infertur tertiò eum, qui recepit Baptismum absq; attritione, & fide, recipere quidem Baptismum quoad characterem, sed non quoad gratiam, & remissionem pœnæ, cum fides, & attritio sint dispositiones ad gratiam, & remissionem pœnæ eum vero, qui recipit Baptismum absq; intentione non recipere Baptismum non solùm quoad gratiam, & pœnæ remissionem, verùm neque quoad characterem, nam ad validitatem Baptismi requiritur intentio suscipiendi Baptismum.

Si vero petas quid requiratur, ut Baptismus, vel alia Sacramenta reviviscant?

Respondeo, quod si sint recepta fictè primo modo, scilicet sine debita intentione, requiritur ut denuò ea recipiantur, nec sufficit elicere actum intentionis, quia hic quando elicitur non est materia & forma.

Si verò quis recipit sine attritione, & fide Baptismum (discurras similiter de aliis dispositionibus) tunc satisfacit auferendo obicem, & defectum attritionis, & fidei, qui commissus fuit in susceptione Baptismi, modo Baptismus bona fide susceptus sit; unde quando fictio est sine peccato, puta quia recipit quis Baptismum bona fide, non advertens se debita dispositione carere, tunc recipit fructũ Baptismi, eliciendo actum fidei, & attritionis, quia nihil aliud requiritur ad effectum Baptismi, quàm ut tollatur impedimentum, & obex, sed sufficienter censetur ablatum impedimentum, si per attritionem tollatur fictio, ergo.

Si

Si verò quis accepit Sacramentum Baptismi cum fictione peccaminosa, scilicet mala fide, sciens se non habere debitum dolorem, & fidem, aut advertens se habere complacentiam peccati mortalis, tunc requiritur contritio, vel Sacramentum pœnitentiæ ad recipiendum fructum Baptismi, quia hoc peccatum commissum in susceptione Baptismi, & perseverans in ipsa, est quodammodo posterius in ipso Baptismo, cum sit sacrilegium commissum ob indignam Baptismi susceptionem, ut tradit *S. Thomas 3. par. quæst. 69. art.* 10. ubi *Vasquez*, sed peccata commissa post Baptismum delentur per contritionam, vel per Sacramentum pœnitentiæ, ergò, legas *Dianam par. 3. tract. 4. resol. 14. Lugo disp. 9. de Sacramentis sect. 4. per totam.*

Adverte nonò Sacramenta non esse administranda indignè petentibus, quia non sunt mittendæ margaritæ ante porcos: ità communiter Theologi, teste *Filiuccius tract. 1. cap. 5. quæst. 13. & tract. 4. cap. 9. quæst. 10. Bonacina disp. 1. quæst. 6. punt. 4. num. 2.* unde publicò peccatori non sunt Sacramenta ministranda, etiamsi secretè petat, juxtà Christi præceptum, *Matth. 7. Nolite Sanctum dare canibus.* Peccatori verò occulto, si petat, occultè sunt deneganda, secùs si publicè petat, quia tunc sunt danda. *Lugo* post alios *disp. 8. de Sacramentis sect. 10. num. 168. & sect. 11. num. 189. & sect. 12. per totam, Filiuccius quæst. 11. num. 279. Coninch. quæst. 80. art. 6.* quia non imputatur peccatum illi, qui facit actionem per se bonam, quamvis prævideat fore quod alter peccet, quia non censetur cooperari peccato alterius, sed solùm permittere: ergò si publicè petat, debet minister ministrare Sacramenta. Legas *Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 16. Suarez de Sacramentis disp. 18. sect. 2.* & communis opinio apud *Bonacinam loco citato num. 4.*

Ex quo infertur peccatori occulto publicè Sacramenta petenti non esse deneganda, quoties repelli non potest sine scandalo, & infamia, etiamsi administrans non sit proprius Sacerdos suscipientis: secus dic si absque scandalo, & infamia repelli possit. Datur tamen casus in quo licitum est inducere aliquem ad recipiendum Sacramentum, quamvis illud indignè suscepturus sit, quando videlicet adest justa causa, & rationabilis necessitas, ut si populus auditurus sit sacrum in die festo, & non habeat copiam alterius Sacerdotis præter Sacerdotem peccatorem: tunc enim si populus talem Sacerdotem inducat ad celebrandum non videtur graviter peccare, quia utitur jure suo inducendo Sacerdotem ad celebrandum, quod licitè præstare potest, quamvis indignè præstatur ex malitia celebrantis. *Suarius d. disp. 18. sect. 2. ad finem, Filiuccius tract. 1. cap. 5. q. 12. num. 91. Bonacina disp. 1. q. 6. punt. 4. num. 6.*

Neque dicas, denegare debet Eucharistiam Sacerdos illi, quem novit petere ad incantationem, vel conculcandam, vel projiciendam in lutum, ergò etiam debet eam denegare illi, quem scit occultè recipere in p. m.

Respondeo negando paritatem, quia ut benè *S. Thomas 3. par. q. 80. art. 5. ad finem*, gravius peccatum est fun ere Eucharistiam intentione conculcandi, aut causa incantationum, &c. quam eam sumere in peccato mortali, ergò gravior est obligatio denegandi Eucharistiam petenti ad incantationes, vel ad eam conculcandam, &c. quàm peccatori occulto publicè petenti.

Ego addo contrà *Sotum in 4. dist. 12. q. 1. art. 7. cum Bonacina ubi supra p. 4. num. 12.* eum, qui Romæ est publicus peccator, si veniat Neapolim, & Sacerdos scit eum esse talem, potest denegare ei Eucharistiam, quia infamis in uno loco, amittit jus ad famam in alio loco, ergò Sacerdos denegans Sacramenta, nulli facit injuriam.

Addo secundò, quod sicut licitum est peccatori occulto administrare Sacramenta ad evitandam ipsiusmet infamiam, ità peccatori publico licitum est administrare Sacramenta ad evitandam infamiam, vel mortem eidem ministranti minatam, præciso tamen scandalo quantum possumus, *Bonacina p. 4. n. 14.*

Addo tertiò non posse Sacerdotem peccatori occulto, publicè petenti Eucharistiam, præbere hostiam non consecratam ad evitandum sacrilegium petentis, quia daret occasionem majoris peccati, scilicet idolatriæ, ut in similis dicunt DD. quod Sacerdos dissimulando consecrationem gravius peccat, quàm si irreverenter, & cum peccato mortali ad illam accederet, *S. Thomas 3. par. q. 8. art. 6.* ubi *Suarez disp. 67. sect. 4. Valentia tom. 4. disp. 6. q. 8. punt. 3. Bonacina ubi supra num. 16.*

Addo quartò ob necessitatem, vel ob justam, & rationabilem utilitatem licitum ast petere, & recipere Sacramenta à quolibet Sacerdote potestatem, & jurisdictionem habente, quem scimus administraturum in peccato, sive paratus sit ad ea ministranda, sive non *S. Thomas 3. par. q. 6.* ubi *Coninch dub. 2. Sanchez, Naldus, Filiuccius, Camerota, Toletus*, & alij apud *Bonacinam ubi sup. pun. 5.* quia utimur jure nostro petendo Sacramentum, & qui jure suo, nemini facit injuriam *l. injuriarum ff. de injuriis*, ergò; præcisa verò necessitate, vel rationabili necessitate id non est licitum, quia potens impedire peccatum proximi, non impedit absque ulla causa *DD.* ubi sup. *P. Diana par. 5. tract. 7. resol. 4. & par. 3. tract. 4. resol. 59.* putat non esse peccatum mortale accipere Sacramentum à Sacerdote, quem invenio in loco publico excipientem confessiones aliorum, etiam si possum accedere ad alium ministrum bonum, quia non pono ego in peccato mortali, neque cooperor, quia ipse jam se offert ad illud peccatum committendum: immò à Sacerdote excommunicato, qui non habet, à quo absolvatur petere Sacramentum, non est peccatum mortale, ut contra *Vasquez in opusculis de charitate q. 41. ar. 8. dub. 4. n. 42. contra Pontium lib. 5. de matrim. cap. 18. §. 9. n. 65.* & alios docet *Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 9. nu. 8. Diana d. resol. 4.* neque dictus Sacerdos excommunicatus absolvendo petentem administrationem Sacramenti incurrit irregularitatem, qui etiam addit, neque peccare mortaliter ministrum juvantem Episcopo, conferenti ordines in peccato mortali qui posset aliter conferre, vel ministrantem Sacerdoti in missa in peccato mortali celebranti.

Addo quintò, quod si Parrochus assistens matrimonio cognoscit conjuges indignè suscipere Sacramentum illud, ex eo quod adest impedimentum occultum, quod conjux habet ad matrimonium contrahendum, puta votum simplex castitatis, tunc si impedimentum sit ità occultum, ut probari non possit, & matrimonium petatur in publico, nec admoniti conjuges velint desistere, debet Parochus assistere secundum aliquos; alij verò putant non debere assistere, sed manifestare rem totam ordinario, *Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 15. num. 14.* qui ordinarius ex denunciatione Parochi debet matrimonium denegare, quod si ipse ordinarius impedimentum non posset probare, deberet matrimonium publicè petentibus non negare, cum ipse non posset etiam simul Judex, & testis: alij etiam, & melius dicunt ordinarium deberet tunc negare, & denunciare Nuncio Apostolico, v. g. vel Congregationi; immò ipse solus in hac causa esse potest Judex, & testis: ità *Coninchius disputat. 27. de matrim. dub. 7. nu-*

7. *numer.* 67. *Lugo disputa.* 8. *de Sacramentis sect.* 13.

Si verò conjuges petant matrimonium in peccato, vel in aliqua censura, qua prohibetur matrimonium in eo statu recipere, & Parochus id sciens poterit assistere, undè posset assistere matrimonio inter hæreticos, vel excommunicatos, quia Parochus non est minister Sacramenti, sed testis assistens, ità *Layman lib.* 5. *tract.* 10. *puncto* 2. *cap.* 4. & *Lugo disp.* 8. *sect.* 13. *num.* 206. cum aliis, quos referunt.

Dices primò, Parochus sciens impedimentum occultum, v. g. votum castitatis omissum à petente matrimonium, non potest etiam in publico assistere, ut suprà, ergò etiam quando novit peccatum, vel excommunicationem occultam.

Respondeo (omissa responsione *Sanchez lib.* 3. *de matrim. disp.* 15. *num.* 13. quam benè impugnat *Lugo disp.* 8. *de Sacramentis sect.* 13. *num.* 208.) quod disparitas est, quia Parochus non est minister Sacramenti matrimonii; sed testis, atque adeò si consideremus matrimonium, ut Sacramentum, non habet Parochus jus denegandi ipsum indigno, cum non ipse ministret; tamen jus repellendi aliquem cum impedimento impediente matrimonium, ut contractus est, quia ut sic subjicitur superioribus Ecclesiasticis, ut judicibus contractuum, ut benè *Lugo citato loco* n. 218.

Dices secundò quando peccatum, vel censura est publica, cooperatur Parochus peccato conjugis, ergò non potest assistere.

Respondeo eam cooperationem esse valdè materialem, & inculpabilem Parocho, qui non potest suam assistentiam denegare, quam debet, ut minister publicus: sicut nec publicus Notarius, vel Judex potest negare auctoritatem sui muneris contractui alicui legitimo, licet contrahens ex intentione prava peccet in ipso contractu, & sicut uxor non peccat reddendo debitum conjugale viro, petenti contra votum castitatis, quod habet; sic nec Parochus peccat assistendo, quia reddit, quod ex suo munere debet, & quod absque gravi inconvenienti negare non potest; si verò posset facile petentem admonere, & removere ab ea indigna receptione Sacramenti, deberet utique ex lege charitatis id facere: persistenti verò, & volenti contrahere matrimonium non debet denegare auctoritatem, legas *Lugo ubi supra in fine.*

Addo sexto non licere conjugi contrahere matrimonium cum altero conjuge excommunicato vitando, ut benè *Sanchez lib.* 7. *de matrim. disp.* 9 *n.* 6. cum excommunicato verò tollerato possumus sine peccato contrahere matrimonium *Sanchez ubi supra n.* 8. undè neque erit illicitum matrimonium inter catholicum, & hæreticam, modò evitentur alia inconvenientia, & pericula, *Sanchez lib. de matrim. disp.* 72. *Lugo disp.* 8. *sect.* 13. *num.* 225. cum hæretici non sint excommunicati denunciati nominatim, nec notorii Clericorum percussores.

Dices, peccat mortaliter conjux, quia ministrat Sacramentum matrimonii alteri conjugi indigno, scilicet hæretico.

Respondeo, si hoc esset, sequeretur etiam peccare mortaliter uxorem, vel econtra maritum contrahentem cum eo, quem scit esse in peccato mortali, quia adhùc ministraret Sacramentum indigno, & incapaci gratiæ sacramentalis, quod tamen falsum est, quia nullus Theologus obligat fœminam ad repellendum sponsum, & negandum consensum matrimonii quamdiù ille est in statu peccati, sed unusquisque tenetur seipsum in gratia constituere, consortem verò relinquit suæ conscientiæ, ut constat ex usu omnium fidelium, ut benè *Lugo ubi supra num.* 227. & ratio à priori est, quia non sunt conjuges ministri essentialiter ad hoc deputati.

In §. Sacramentorum.

Quia perfecta doctrina à definitione, & divisione procedit, ideò posita definitione Sacramenti, nunc in hoc §. ponitur prima Sacramentorum divisio, & dicitur, quod quædam sunt necessaria, quædam voluntaria, necessaria sunt, quæ sine interitu salutis æternæ prætermitti, & contemni non possunt, ut sunt Baptismus, Confirmatio, Euchatistia, Pænitentia, & Extrema Unctio, quæ omnia ad particularem cujuscumque profectum sunt ordinata: voluntaria sunt, quæ sine interitu salutis æternæ, pro cujuscumque; arbitrio recipi possunt, refutari, qualia sunt ordo sacer, & matrimonium, quæ duo ad totius Ecclesiæ profectum pertinent.

Ad cujus textus intelligentiam sciendum est primò, quod si quæramus an Sacramenta novæ legis sint necessaria?

Respondeo distinguendo duos casus. Primus est an sint necessaria de natura rei ad salutem, & negativè respondeo, ità *Bellarminus lib.* 1. *de Sacramentis cap.* 22. & alii plures, quos refert, & sequitur *Bonacina disp* 1. *de Sacramentis punt.* 4. assignatur ratio, quia virtus infinita Dei non est alligata Sacramentis, Deus enim liberè Sacramenta instituit ad nostram justificationem, & salutem, & potuisset alia media ad nostram salutem instituere, & nos sine Sacramentis ad Cæli gloriam perducere, ut benè *S. Thomas* 3. *par. quæst.* 6. *art.* 4. *Suarez tom* 4. *disp.* 3. *sect.* 1. *Filiuccius tract.* 1. *cap.* 2. *q.* 6. & alii apud eos.

Secundus casus est si loquamur an Sacramenta posita Christi institutione ad salutem sint necessaria necessitate medii, & dico, quod Baptismus est necessarius necessitate medij ad salutem, sicuti est necessaria fides, quæ si omittatur, licet inculpabiliter, non potest salus comparari. Pœnitentia est necessaria etiam necessitate medij relapsis in mortali post Baptismum. Sunt autem ista necessaria necessitate medii in re, vel in voto: est etiam necessarius necessitate medij ordo, non quidem singulis, sed universæ Ecclesiæ ad ritè conficiendum Sacramentum pœnitentiæ, sic matrimonium ad legitimam Christiani populi, & divini cultus propagationem.

Necessitate verò præcepti, sine quibus quis potest quidem salvari sine si culpa careat sunt necessaria in re baptismus & pœnitentia relapsis in peccatum mortale & Eucharistia ratione utentibus: Confirmatio verò, & extrema unctio non simpliciter, sed ad benè esse sunt necessaria, illa quidem ratione utentibus, hæc verò periculosè ægrotantibus, quæ si absit contemptus, sine peccato omitti possunt, ità *S Thomas* 3. *par. q.* 61. *art.* 1. *Vasquez, Suarez, Reginaldus*, & alii apud *Bonacinam loco cit.*

Congruentias verò plures, ob quas Christus Dominus Sacramenta novæ legis instituit, ponunt Theologi communiter cum *Lugo disp.* 3. *sect.* 3 Prima scilicet ad nostram eruditionem, nam homini connaturale est per signa sensibilia venire in cognitionem rerum spiritualium, & divinarum, *Augustinus* 5. *in Genesim ad literam*, *Chrysostomus homil.* 38. *in Matthæum*, sic etiam *Socrates* suam doctrinam tradebat per similitudines, imò eidem tribui solent fabulæ, quæ sub nomine Æsopi circumferuntur, ut ait

ait *Cajetanus 3. par. q. 42. in 4.* & utitur *Trident. sess. 22. cap. 5.* ad oltendendam necessitatem ritus externi, & ceremoniarum sensibilium, quæ in missa adhibentur, qnam rationem optimè declarat *Augustinus 3. de Trinit. cap. 4. & Chrysostomus hom. 83. in Mattheum, & 60. ad Populum.* Secnnda congruentia est, quia per Sacramenta ostenditur Dei sapientia, quæ non solùm contraria contrariis curat, sed & similibus, sicut canit Ecclesia, *Ut qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur*, ergò, quia homo per affectum ad sensibilia corruerat, per usum eorumdem sensibilium congruum fuit, ut medelam reciperet, alias ponit *Lugo ubi supra.*

In 2°, Rursus Sacramentorum.

SAcramentorum aliam tradit *Paulus* divisionem, quod scilicet quædam, ut Baptismus, Confirmatio, & Ordo characterem imprimunt, alia minimè, quæ conclusio est veritas de fide, definita à *Tridentino sess. 7 can. 9. & ab Innocentio Tertio, in cap. Majores de Baptismo, §. ultimo contra hæreticos nostri temporis*, quos latè refert, & impugnat *Bellarminus lib. 2. de Sacramentis, cap. 18.* qui negant characterem, utpotè nullum habentem fundamentum in scripturis, & Patribus, & Innocentium Octavum fuisse primum excogitatorem, inventorem hujus characteris, nos verò catholici characterem cum Sancta Matre Ecclesia agnoscimus, & cum omnium catbolicorum sententia, de qua *S. Thomas 3. par. q. 63. art. 1.* ubi *Conincbus, & Nugnus, Vasquez, Pesantius*, & alii *Suarez 3. par. disp. 11. sect. 1. Filiuccius tract. 1: cap. 7. Bonacina disp. 1 q. 5. punt. 1.* cum sequentibus, *Valentia 4. tomo, disp. 3. q 4. p. 2. Lugo de Sacramentis disp. 6. sect. 1.* colligitur ex scripturis; & quidem *2. Corinth. cap. 1.* ait *Paulus*, *Qui unxit nos Deus, & signavit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris, & ad Ephes. 1. In quo & credentes signati estis in spiritu promissionis, qui est pignus hæreditatis, & ad Ephes. 4. Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis*, quæ loca licèt aliam habeant explicationem, adjuncta tamen Ecclesiæ traditione, & communi Sanctorum Patrum intelligentia, melius intelliguntur de sigillatione, quæ fit per characterem. Sicut ovis sigillo Domini, vel servus, ità homo charactere signatur, *Suarez q 63. tom. 3. in coment. ad art. 1.*

Ratio autem quare tria illa Sacramenta imprimant characterem non est facile assignabilis: putant communiter esse, quia reiterari non possunt, quod non aliundè provenit, nisi ex charactere, quem imprimunt, & hanc videtur tradere *Trident. sess. 7. can. 9.*

Verùm hæc ratio non est efficax, quia licet *Tridentinum* inferat ex charactere ea iterari non posse, non tamen è contra argui potest ex eo, quod iterari non possunt, imprimere characterem, nam consecratio Calicis, vel Ecclesiæ, ac etiam prima tonsura iterari non possunt, & tamen non imprimunt characterem, ut constat.

Erit ergo vera ratio (supposita Christi institutione, quæ magis auctoritate, quàm ratione probanda est) quæ desumitur ex iis, quæ fiunt in exercitu, vel familia Principis, ubi ii, qui designantur ad peculiaria officia, vel obsequia, designari etiam solent peculiaribus signis, & notis, quibus à cæteris discernantur, sic olim milites notabantur charactere impresso, ut discernerentur ab aliis, sic magistratus, sic famuli peculiaribus signis discernuntur, ergò congruum fuit, ut in familia magni Principis Christi, ejus famuli, militea, & ministri peculiaribus signis notarentur, ut benè ait *Lugo ubi supra sect. 1. n. 9.* & ideò benè ait *S. Thomas ubi supra art. 1 ad 3.* circumcisionem, vel aliud Sacramentum legis veteris non contulisse characterem, quia ex eis nullum ordinabatur ad faciendum militem Christi, quicquid id oppositum dixerit *Scotus in 4. dist. 6. q. 9. de circumcisione*, quòd characterem impresserit.

Ea quibus apparet ratio, quare alia Sacramenta non imprimant characterem, quia scilicet per illa homo non designatur, nec deputatur tanquam minister, vel famulus Christi sed solùm accipit gratiam sacramentalem ad aliquas necessitates peculiares, scilicet in Sacramento Pænitentiæ accipit gratiam reconciliationis, ut mundetur à peccatis, in Eucharistia, ut nutriatur, & crescat spiritualiter, in extrema unctione ut purgetur à reliquiis peccatorum, & resistat Diabolo in ultimo agone tentanti, denique in matrimonio ad benè portanda onera conjugii, quæ omnia non sunt officia, aut munera, quibus homo fungatur in ordine ad Christi familiam, ideò non accipit in iis Sacramentis Christi characterem, sed jus ad auxilia, quibus provideatur ipsius necessitatibus, at verò in aliis Sacramentis deputatur homo, & constituitur miles, minister, servus Christi peculiariter, & ut talis designatur, ut discernatur ab aliis, qui hæc Sacramenta non habent, licèt ergo matrimonium non posset iterari, adhùc non imprimeret characterem, quia scilicet hominem non constituit in aliquo officio, vel ministerio pertinente ad Christum: immò matrimonium de facto non solùm potest iterari cum alio conjuge mortuo primo, sed etiam cum eodem, si v. g. moreretur vir, & postcà miraculosè resurgeret, quo casu uterque conjux manet solutus, & liber à primo matrimonio, cujus vinculum durabat solùm usque ad mortem, juxtà illud *Pauli 1. ad Chor. cap. 7. Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit, quod si dormierit vir ejus libera est, cui vult nubat*, ut observat cum aliis *Henriquez lib. 1. de Sacramentis cap. 13. num. 4. in margine lit. F.* undè vir resurgens non posset amplius primæ uxori copulari absque novo contractu matrimonij, ergò posset reiterari inter eosdem conjuges matrimonium, quod idem potest accidere absque miraculo; si post matrimonium ratum, & non consummatum alter conjux fieret religiosus, in quo casu per professionem dissolveretur prius matrimonium; postea verò si per dispensationem Pontificis ille professus rediret ad sæculum, & contraheret matrimonium, posset iterum cum priori conjuge contrahere secundum matrimonium ergo matrimonium est iterabile cum eisdem conjugibus, ergò non benè arguitur, imprimit matrimonium characterem, quia non est reiterbile.

Dubium primum est inter DD. an character sit aliquod reale, an verò aliquid rationis *Durandus in 4. dist. 4. q. 1.* putat esse aliquod morale, seù rationis, sicut in Doctoratu, vel collatione primæ tonsuræ, & hoc ait *Durandus* sufficit ad ea omnia explicanda, quæ de charactere dicunt SS. Patres, quæ *Durandi* sententia hodie est hæretica ob definitionem *Tridentini, & Florentini*, de quibus *Bellarminus lib. 2. de Sacramentis cap. 19. §. Secunda propositio, Suarez disp. 11. sect. 2.* quamvis *P. Vasquez disp. 134. cap. 2.* conetur defendere *Durandum*, licèt teneat characterem esse aliquod physicum, quem *Vasquez* benè impugnat *Lugo disp. 6. de Sacramentis sect. 2.* Quod verò sit aliquid reale, patet, quia est signum indelebile, impressum in anima, ergò definitio non potest competere enti morali, seù denominationi extrinsecæ.

Dubium secundum est, an character sit distinctus realiter ab anima, & potentiis ejus, an verò modaliter? putant multi, quos refert, & sequitur *Vasquez, 3. par. disp. 134. cap. 3.* distingui solùm modaliter, quia per characterem hoc modo distinctum

benè omnia salvantur, quæ de ipso dicimus. Alij putant, quod sit entitas realis: ità post alios *Lugo disp. 6. sect.* 2. patet, quia non debemus ponere accidentia modalia, nisi quando habemus non posse duo separari, nec per divinam potentiam, fed nullam habemus rationem, quare Deus non possit characterem ab anima separare, ergo non est modalis distinctio. Accedit, quia character est in prædicamento qualitatis, estque sigillum spirituale, designans subjectum, & segregans ab aliis, qui illud signum non habent; ità enim eum appellant Patres communiter apud *Bellarminum lib.* 2. *de Sacramentis cap.* 21. *Lugo dicta sect.* 3.

Dubium tertium est in quo subjecto sit character?

Respondeo, dicendo non esse corpus, sed animam, quia est potestas spiritualis, sicut gratia, ergò non in corpore, sed in anima subjectatur, ergò: in qua verò animæ potentia sit character, intellectu scilicet memoria, vel voluntate quæstio est?

Prima opinio ait: in utraque potentia subjectari, scilicet in intellectu (qui idem est, ac memoria) & in voluntate, quamvis principaliter dicant esse in intellectu, quam in voluntate, ità *Alensis in* 4. *parte q.* 19. *memb.* 3. *& S. Bonaventura in* 4. *dist.* 6. *art.* 1. *q.* 3.

Secunda opinio est *Scoti in* 4. *dist.* 6. *q.* 11. qui docet characterem proximè esse in voluntate, sequuntur communiter Scotistæ.

Tertia opinio est omnium Thomistarum, characterem esse proximè in intellectu, ità *S. Thomas* 3. *par. q.* 63. *art.* 4. & cum eo omnes, sequitur *Valentia ubi sup. p.* 4.

Quarta opinio, & communis est characterem subjectari in substantia animæ tanquam in subjecto proximo, & immediato, ità ferè omnes Fratres Societatis Jesu, ut *Suarez*, *Vasquez*, *Coninch.* & alij *in d. q.* 63. *art.* 4. *Bonacina disp.* 1. *q.* 5. *par.* 2. *Lugo disp.* 6. *sect.* 4. *Bellarminus lib.* 2. *de Sacramentis cap.* 19. *conclus.* 4. *Filuccius tract.* 1. *cap.* 7. *q.* 6. & probatur, tùm quia Concilia Florentinum, & Tridentinum absolutè dicunt recipi characterem in anima, ergo non imprimitur immediatè in potentiis: nam si non imprimeretur in anima, utique concilia dixissent imprimi in homine, quod est subjectum denominationis, vel expressissent potentiam, in qua imprimitur, tùm quia character imprimitur, ut signum ad distinguendum Christi fideles à cæteris: ergo debet imprimi in parte nobiliori, & notiori, non in minus nota, sed substantia animæ sicut natura sua est prior potentiis, ità etiam est notior, ergò character, qui ponitur ut signum in ordine ad cognoscitivum spirituale congruentius ponitur in substantia animæ, quam in potentiis minus notis, & nobilibus.

Dubium quartum est inter DD. an quilibet homo sit capax characteris?

Respondetur communiter affirmativè de potentia Dei absoluta, cum habeat animam, in qua recipitur: immò etiam Angeli habent hanc capacitatem, sicut in ipsis reperitur capacitas ad reliqua dona gratiæ; in Christo verò non est character, quia character arguit quandam imperfectionem, & dependentiam ab alio, sicut miles dependet à Principe, & ab alio Superiore, character enim est signum ovium, servorum, & militum, sed Christus Dominus est supremus Princeps & Sacerdos, non indigens charactere, ut ab aliis distinguatur, & reddatur aptus ad opera divini cultus, nam seipso distinguitur ab aliis, & per unionem hypostaticam, potest ea præstare, quæ pertinent ad divinum cultum, ergò: & hæc est doctrina *S. Thomæ* 3. *par. quæst.* 63. *art.* 3. *Suarez tom.* 3. *disp.* 14. *sect.* 4. *Bonacina ubi sup. punt.* 2. *Filuccij tract.* 1. *cap.* 7. qui ait fuisse in B. Virgine tùm Baptismum, tùm confirmationem.

Dubium quintum est inter DD. quomodo character sit indelebilis?

Respondetur communiter in ordine ad potentiam Dei absolutam non esse indelebilem, neque de facto in hac vita deletur, & manet etiam post mortem, secundùm sententiam communem Theologorum, licèt hoc non sit de fide; undè Christianus, qui post mortem miraculosè resurgit, non baptizatur, aut ordinatur iterum, quia manet in eo character, & quidem in æternum; nam est ob suam incorruptibilitatem, & spiritualitatem à solo Deo dependens, nec habet qualitatem contrariam, ergo non est cur aliquando debeat corrumpi, ut benè *Lugo disp.* 6. *sect.* 4. patet ex *Trident. sess.* 7. *can.* 9. & post alios *Bonacina ubi sup. p.* 3.

Ex quo collige characterem esse indelebilem ex natura sua, non ex sola Dei ordinatione, ut benè *Lugo ubi supra num.* 75. tùm quia non debemus fingere miracula absque necessitate, ergò cum non corrumpatur, dicendum est id habere ex natura sua; tùm quia non habet contrarium, ergò ex natura sua est indelebilis.

Dubium sextum est inter DD. an character sit qualitas indivisibilis, vel divisibilis?

Putat *Suarez ubi sup. art.* 5. esse indivisibilem, & incapacem intentionis. Differunt verò specie inter se character ordinis, Baptismi, & Confirmationis, quia sunt ordinati ad diversos actus, ergo. Characteres verò singulorum ordinum non videntur specie differre inter se, quia singuli ordinantur ad unum completum characterem sacerdotij, & ad eundem finem.

Est etiam connexio necessaria inter characterem confirmationis, & ordinis cum charactere Baptismi, quia confirmatio, & ordo necessariò supponunt Baptismum: quapropter si confirmatio, vel ordo conferatur non baptizato invalidè confertur, *cap. veniens*, *de presbytero non baptizato*, character verò ordinis non habet necessariam connexionem cum charactere confirmationis, nam ordo si conferatur alicui non confirmato tenet: neque inter se necessariam connexionem habent characteres ordinum, quia si per saltum conferantur tenent, *cap. unico de Clerico per saltum promoto*, excepto charactere Episcopatus, qui necessariò supponit characterem sacerdotalem, sive dicamus characterem Episcopatus distingui à charactere Sacerdotali, sive dicamus eundem extendi, & perfici per Episcopatum, ut dicemus cum de ordine *Bonacina d. p.* 3. *in fine.*

In §. Constat.

EGimus supra quid sit Sacramentum, & quot species Sacramentorum dentur in Jure; nunc *Paulus* dicit Sacramenta constare ex materia, & forma; seu ex elemento, & verbo: elementi nomine venit omne id, quod sub visibili natura gratiam designat invisibilem, verba sunt, quæ formæ visibilis efficaciam exprimunt, undè sequitur, quod accedente verbo ad elementum, fit Sacramentum, ut ex *Augustino in Joannem tract.* 8. notatur bic, *& in cap. detrah.* 1. *q.* 1. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est, quod licèt hic Auctor doceat, in Sacramento esse duo tantùm necessaria, materiam scilicet, & formam, seu verba, tamen rei veritate quatuor necessaria sunt, scilicet elementum forma verborum, minister, & intentio ministri. *Petrus de Gregorio lib.* 1. *partitionum juris Canonici tit.* 6. *cap.* 4. *Te-*

4. *Toletus lib. 2. cap. 16. Episcopus Montis regalis in examine Episcoporum lib. 1. cap. 1. num 3.* Hinc in Baptismo requiritur elementum aquæ, in Eucharistia panis, & vinum, *cap. cum Marte de celebratione missarum*, in confirmatione oleum, & balsamum, in extrema unctione oleum olivarum, *cap. unico de sacra unctione.* Secundò requiruntur verba, quia accedente verbo ad elementum fit Sacramentum. Tertiò requiritur minister, qui conficiat Sacramentū. Quartò, & ultimò requiritur intentio ministri, ut faciat id, quod Ecclesia facere intendit, ità declarat *Catechismus Romanus pag 162. & 369. Navarrus cap. 22. num. 21. Sotus lib. 4. q. 1. dist. 1. art. 8.*

De materia, & forma Sacramentorum in genere.

Dico primò, in quolibet Sacramento requiri determinatas res, idest aliquam sensibilem substantiam tanquam materiam, v. g. quod Baptismus fiat aqua, non vino, pœnitentia per confessionem. Ratio potissima *S. Thomæ 3. par. q. 60.* quia sic Deus instituit, sicut autem solius Dei est populum sibi peculiarem eligere, eumque sanctificare ità solius Dei est signa instituere, quibus talis populus ab aliis distinguatur, suntautem tales res congruentissimè determinatæ in omnibus ex Dei institutione, quia sicut una per Universum Orbem est Ecclesia, ità conveniens est, ut iisdem signis ubique distinguatur, & sanctificetur, & suam in Deum fidem protestetur, quod fieri non posset, si quilibet pro suo libito posset Sacramentorum materiam mutare.

Dico secundò, Sacramentum in genere non postulat essentialiter verba, ità communiter D D. & colligitur ex *S. Thoma 3. p. q. 60. art. 6. ad 3.* Patet, quia vetera Sacramenta erant vera Sacramenta, & tamen non constabant verbis, in circumcisione enim, de qua *Genes. 17.* nulla fit verborum mentio, sed solius actionis, nec in esu Agni paschalis *Exod. 12.* Congruentia, quam assignat *S. Thomas* est, quia vetera Sacramenta significabant Christum venturum, & futuram sanctitatem, ideò necessè non erat, ut tàm expressè significarent sanctitatem, sicut nova Sacramenta, expressior autem significatio habetur, per verba, quæ sunt ordinata ad significandum.

Dico tertiò, Sacramenta novæ legis de facto constant verbis, & rebus, & quidem verbis, tanquam forma, rebus tanquam materia: ità *S. Thomas 2. par. q. 60. art. 6. ad 4.* quém communiter sequuntur Theologi *Suarez 3. par. disp 2. sect. 1.* & omnes, *Bellarminus lib. 2. de Sacramentis cap. 18. Filiuccius tract. 1. cap. 4. Bonacina disp. 1. q. 2. punt. 1. Lugo disp. 2. sect. 1.* Ratio est, quia, sicut dicunt Physici, corpus constare debet ex materia, & forma, tanquam partibus essentialibus, ità dicunt Theologi Sacramentum effici rebus, ut materia, & verbis tanquam forma, tanquam partibus substantialibus; nam sicut materia in physicis est, quæ de se indeterminata, determinatur per formam, ità ablutio v. g. in baptismo, de se indeterminata ad significandam ablutionem tàm corporalem, quàm spiritualem, determinatur per illa verba, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti,* quæ est forma baptismi ad significandam ablutionem spiritualem animæ, non corporalem tantùm, ergò dantur in Sacramento materia, & forma materia consistit in rebus, forma verò in verbis, ut benè *Lugo ubi supra sect. 2.* & quidem sunt materia, & forma partes intrinsecè componentes Sacramentum, ut benè *Vasquez 3. par. disp. 129. cap. 3. Suarez in 3 par. d. q. 60. & disp. 2. sect. 2. Lugo sect. 3. Bonacina ubi supra p. 2.* Cum verò dicimus verba requiri tanquam forma, intelligimus hoc sive de verbis formalibus, sive vocibus articulatis, sive verbis virtualiter, prout sunt nutus, & alia signa externa, nam certum est matrimonium solo nutu sine ullis verbis formaliter expressis contrahi posse.

Immò cum dicimus Sacramenta dicere verba tanquam formam, intelligitur de Sacramentis, quæ consistunt in usu, & actione, undè venerabile Sacramentum Eucharistiæ, cum sit res permanens non potest ex verbis transeuntibus, ut sunt verba consecrationis, quæ statim desinunt, componi intrinsecè, nam ejus forma intrinseca, non verba consecrationis, sed aliud est, ut dicemus cum de Sacramento Eucharistiæ.

Neque dicas Sacramentum pænitentiæ ex solis verbis consistere, & item matrimonium solis verbis fieri, quibus utriusque conjugis consensus explicatur, ergò non omnia Sacramenta novæ legis essentialiter componuntur ex rebus, & verbis.

Respondeo enim ex communi opinione, quod etiam prædicta duo Sacramenta constant rebus, & verbis, & sic materia, & forma: undè in pænitentia actus ipsius pœnitentis sunt materia juxta definitionem *Florentini, & Tridentini*, qua ratione actus contritionis, & confessionis sunt materia hujus Sacramenti, actus verò absolutionis est forma, ut dicemus cum de pœnitentia. Item in matrimonio adhuc reperire est, res ut materiam, & verba ut formam, corpora enim conjugum sunt res, seu materia, mutuus verò verbalis, vel quasi verbalis continens traditionem proprij corporis, & acceptationem alterius corporis alieni est forma.

Dico quartò materia, & forma in Sacramentis essentialiter requisitæ, semper fuerunt eædem, quas Christus instituit, nec unquam mutatæ fuerunt in omnibus Ecclesiis, ità communiter Theologi, teste *Bonacina ubi supra num. 7. Suarez tom. 4. de Sacramentis disp. 2. sect. 3.* ubi *Coninchus art 5. & 7, Bellarminus lib. 1. de Sacramentis cap. 21. Filiuccius tract. 1. cap. 4. q. 4.*

Probatur, tùm quia Sacramenta debent esse signa efficacia firmiter, & stabiliter instituta in Ecclesia, ergò quoad sua substantialia non possunt subesse mutationi, tùm quia Sacramentum totum suum esse habet à Christo, ergò tale esse debet, quale Christus instituit, sed Christus instituit determinatam materiam, ergò materia Sacramentorum est determinata, non quidem in individuo, ut patet, cum possit quis hac, vel illa aqua naturali, hac, vel illa hostia Sacramentum conficere, fed in specie, ut benè *Bonacina ubi supra 1. punt. num. 2*.

Ex quo sequitur non posse Ecclesiam mutare substantialiter materiam, & formam Sacramentorum, quia non habet potestatem super ea, quæ Christus instituit.

Dices Ecclesia facit matrimonium celebratum coram Parocho, & testibus ut sit validum, sine Parocho verò, & duobus testibus invalidum in iis locis, in quibus Tridentinum receptum est, ergò ab Ecclesia potest mutari materia, & forma Sacramenti.

Respondeo cum *Coninch. 3. par q. 60. art. 6. num. 42.* Ecclesiam non mutare materiam, & formam Sacramentorum in matrimonio, sed redde contrahentes inhabiles ad ponendam veram formam, & materiam, nisi servaverint conditiones, præscriptas ab Ecclesia, sicut si essi eret aliquem ineptum, & impotentem ad proferendam formam Baptismi esset causa, nè Baptismus validè conferretur, sed non diceretur mutare materiam, & formam: vel dicas, quod Ecclesia non mutat materiam, & formam formaliter; & propriè, sed tantùm remotè,

tè, quatenus habet potestatem in contractibus, nam cum Christus elevaverit contractum matrimonialem in Sacramentum, & contractus sit in potestate Ecclesiæ, potest aliqua ratione variare; non tamen formaliter variat, quia non substituit aliquid aliud pro materia; at verò materia cæterorum Sacramentorum non fuit instituta in ea re, quæ sit in potestate Ecclesiæ, nam Ecclesia non potest facere ut id, quod est panis, non sit panis, & id, quod est aqua, non sit aqua, & ideò materia aliorum Sacramentorum non dicitur posse ab Ecclesia variari non solùm formaliter, & directè, sed neque remotè, & indirectè.

Dico quintò accidentaliter mutari potest materia, & forma Sacramentorum; communiter DD, ubi supra; patet, quia accidentalis aliqua mutatio non est contrà institutionem, ac veritatem Sacramenti, quapropter si quis latinus sacerdos consecraret, in fermentato, & non in azymo, aut in Baptismo, pro ego te baptizo, diceret baptizaris à me: faceret certè Sacramentum, quidquid contrarium dicat *Pelynus in cap. qua in ecclesiar. de constitut. & Innocentius in cap. 1. de Baptismo, & glossa in cap. literas de celebratione missarum*: quia nihil refert ad essentiam sacrificij, sive consecretur panis azymus, sive fermentatus, quia opinio communis est Theologorum, post *S. Thomam 3. par. q. 74. art. 4.* & certa de fide teste *Suarez ibid. disp. 44. sect. 3. Coninch. eodem art. 4. num. 94. Vasquez tom. 3. in 3. partem disp. 174. cap. 3.* sicut ad essentiam consecrationis sanguinis sufficit, quod sit vinum de vita, nec refert an sit album, an rubrum DD, ubi supra.

Verùm adverte primò, quod adest præceptum Ecclesiæ, ut Græcus in fermentato, & latinus in azymo consecret, ut est communis opinio Theologorum, & definita in *Concilio Florentino sub Eugenio 4.* in verbis relatis à *Cajetano in appendice ad articulum quartum supra citatum*, ubi *Coninch.* qui ait tale præceptum graviter obligare, ideò latinus graviter peccaret consecrando in fermentato, sicut è contra Græcus in azymo, ut probat *Fagundez in 3. præceptum Eccles. lib. 2. cap. 1. num. 15. & cap. 2. num. 5.* & idem dic de communicante. Verùm satisfaceret Sacerdos latinus consecrans in fermentato, vel Græcus in azymo pro eo, pro quo esset obligatus applicare sacrificium. *Alphonsus de Leone de offic. Cappellani q. 8. sect. 17. casu 5.* casu verò, quo Græcus vellet consecrare in Ecclesia latinorum, debet in fermentato consecrare, idem dic de latino, volente consecrare in Ecclesia Græcorum, quia tenetur in azymo consecrare DD. ubi supra. Quod si Græcus reperiretur in parte aliqua, ubi non esset Ecclesia propria, vel proprium monasterium, adhùc debet suum ritum servare: licèt alij putent utrumque ritum servare posse: qua de re *Coninchius ubi sup. art. 4. num. 117. & P. Suarez de Sacramentis disp. 44. sect. 3.* ait cum communi, neque licere Sacerdoti latino consecrare in fermentato in Ecclesia sua ratione necessitatis, scilicet, nè proximus sine viatico decedat, vel nè totus populus sacrificio privetur, cum azymus panis non reperitur, quia licet præceptum communicandi in articulo mortis sit de jure divino, & præceptum consecrandi juxtà consuetudinem suæ Ecclesiæ sit de jure positivo, tamen illud primum præceptum de communicando in articulo mortis, quia est affirmativum, obligat tantùm quando commodè, & cum debitis circumstantiis observari potest; at verò in casu nostro commodè observari non potest, nè universalis Ecclesiæ consuetudo facilè violetur, & aperiatur via ad tractandum indignè hoc Sacramentum, & contemnendi Ecclesiasticas cæremonias, sequitur *Fagundez loco citato, Layman lib. 5. summa tract. 4. cap. 2. num. 4.* prout in simili dicunt DD. non licere Sacerdoti non ieiuno celebrare, ubi non adest particula consecrata pro communicando infirmo: qua de re DD. citati, & nos infra. Si verò quis Sacerdoti latino minetur mortem si non consecraret in fermentato, posse securè consecrare.

Dico sextò, sicut est determinata materia Sacramentorum, ità etiam est determinata forma verborum, quia cum Sacramenta totam vim suam habeant à Christo ex ipsius institutione, debent ità fieri, sicut Christus instituit, sed Christus pro forma instituit verba determinata, ergò si talia verba substantialiter mutentur, non validè conficiuntur, nam forma substantialiter variata non est illa, quam Christus instituit *Suarez disp. 2. sect. 4. Bellarminus lib. 1. cap. 21. Coninch. de Sacramentis q. 50. art. 8. num. 56. & seqq.*

Possunt verò hæc verba variari multis modis, ut per *Toletum lib. 2. cap. 19. num. 4. Coninch ubi supra art. 8. num. 68. Filiuccius tract. 1. cap. 4. q. 6.*

Primò quidem additione, & tunc invalidum erit Sacramentum, quando verba ità variantur, ut non maneat eadem significatio: si verò mutatione facta manet eadem significatio, tunc dicitur tantùm mutatio accidentalis, & valet Sacramentum, *Vasquez in 3. par. disp. 129. cap. 7. Bonacina disp. 1. q. 2. punt. 1. num. 17. Lugo disp. 2. sect. 6. n. 106.* & alij apud eos *Valentia tom. 4. disp. 3. q. 1. punt 2.*

Ex quo infertur validum esse Sacramentum Baptismi hoc modo collatum: ego te baptizo in nomine Patris, qui te creavit, Filij qui te redemit, &c. vel si dicat, ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, & Filij, qui à Patre procedit, & Spiritus sancti, vel si dicatur commendo te Beatæ Virgini, & baptizo te in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti; quia in his omnibus semper manet integer sensus formæ requisitæ, nec destruitur ullo modo per illa, quæ adjunguntur. Si verò quis diceret, Ego te baptizo in nomine Patris, & Matris, & Filij, & Spiritus sancti, vel Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti, & Beatæ Virginis; est in hoc casu videndum an baptizans intendat conferre baptismum virtute Matris, an non: si primo modo est invalidum Sacramentum, quia substantialiter variatur significatio præscripta à Christo, si autem non intendat conferre virtute Matris, sed per illius intercessionem, validè baptizat, quia non destruitur significatio formæ, ità *S. Thomas 3. par. q. 60. art. 8. Coninchus*, & alij apud *Bonacinam ubi supra. Lugo loco citato, sect. 6. n. 126.* valeret jam Baptismus collatus in nomine Patris Omniputentis, & Filij unigeniti, & Spiritus sancti Paracliti. Secus si dicatur, Ego te baptizo in nomine Patris majoris, & Filij minoris, &c. quia primo casu non mutatur sensus formæ. Secundo casu maximè, sic est invalidum Sacramentum, quando quis diceret. Hoc est corpus meum, quod pro vobis non tradetur, vel non morietur, quia etiam mutatur sensus formæ. *Vasquez ubi supra num. 106.* sicut si diceret quis Hoc est corpus meum æreum, non valeret Sacramentum, quidquid malè distinguat *P. Lugo ubi supra num. 127.*

Secundò potest contingere mutatio in forma detractione, quo casu si facta detractione vitiatur forma, non valet Sacramentum DD citati.

Ex quo infertur, validè confici Sacramentum Eucharistiæ ab eo, qui consecrande dicit (Hoc est corpus meum) prætermissa particula (enim) nam prætermissa

termiſſa illa particula, ſalvatur ſignificatio per ſe intenta in forma Sacramenti Euchariſtiæ, cum ſignificatio per ſe intenta in Sacramento Euchariſtiæ ſit ſignificare tranſubſtantiationem panis in corpus Chriſti, quæ ſignificatio adhuc ſubſiſtit, prætermiſſa particula (enim) ſicut etiam ſubſiſtit ſignificatio in Baptiſmo, prætermiſſa particula (Ego) ità *Suarez diſp.* 2. *ſect.* 4. *& diſp.* 59. *ſect.* 1. *concl.* 3. *Sotus in* 4. *diſt.* 11. *q.* 1. *art.* 8. *Henriquez lib.* 8. *cap.* 16. qui etiam dicunt Sacerdotem omittentem particulam (enim) non peccare mortaliter ratione parvitatis materiæ, quia ejus omiſſione ſalvatur adhùc ſenſus verborum qua de re infra, & eſt communiter recepta, teſte *Bonacina ubi ſupra num.* 19.

Tertiò poteſt accidere mutatio in forma depravatione, & corruptione, quo caſu ſi formæ ſignificatio retinetur, valet Sacramentum DD. ubi ſupra.

Ex quo primò infertur Sacramentum Baptiſmi validum eſſe, ſi quis dicat, Ego te baptizo in nomine Patrias, & Filias, & Spiritua ſanctas, ità determinavit *Zaccharias Papa in cap. retulerunt de conſecrat. diſt.* 4. quia verba taliter prolata ſignificant eundem ſenſum, licèt barbarè, & imperitè ſignificetur: idem dicas ſi quis loco particulæ, eſt, diceret, es, puta, hoc es corpus meum, vel hoc eſt corpia meum, quia per talea depravationes ſenſus formæ non mutatur, ut benè *Lugo diſput.* 2. *ſect.* 6. *num.* 108.

Obſerva tamen ſingulariter, ſæpius contingere, ut Sacramentum invalidè adminiſtretur quando mutatio verborum contingit in principio, ut ſi in baptiſmo litera P. mutetur in litera M, nam in prolationem illius vocis Patria reſultaret vox Matria, & ſic baptiſmus invalidè miniſtraretur, quia mutatio eſſet ſubſtantialis, cum verba tranſeant in ſignificationem diverſam à ſignificatione formæ & conſequenter mutatio eſt ſubſtantialis: ſi verò mutatio contigens à principio ſit tantùm accidentalis, valebit Sacramentum, putà ſi quis dicet, Hic eſt Calix Zanguinis mei, nam illa particula Z, ex communi modo concipiendi non tollit ſignificationem ſubſtantialem, ità *Graffius* 2. *par. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 19. *Bonacina ubi ſupra.*

Quartò, poteſt contingere mutatio tranſpoſitione, quo caſu ſi verba ità traſponantur, ut nihilominus ſignificatio ſubſtantialis ſalvetur valet ſacramentum, ut ſi quis baptizando dicat, Baptizo te, cum illa particula, te, in forma conſueta ſoleat anteponi verbo baptizo; ſic ſi quis diceret in conſecratione, meum eſt corpus hoc: ſic valet baptiſmus, quando quis dicit, Ego in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti te baptizo, quia manet idem ſenſus: non verò manet idem ſenſus ſi dicatur, Ego in te baptizo nomine Patris, &c. eſſet tamen valida forma ſi diceret, Ego Patris baptizo te in nomine Filij, & Spiritus ſancti, ut benè *Lugo diſp.* 2. *ſect.* 6. *num.* 112. licèt *Scotus in* 4. *diſt.* 3. *quæſt.* 2. immeritò illam dicat eſſe formam invalidam, quia auſert conceptum orationis, ſed re vera apud latinos poetas ille modus loquendi uſitatus eſt.

Quintò poteſt contingere mutatio interruptione verborum, quo caſu ſi verba ità interrumpantur, ut non componant unam orationem, & unum integrum ſenſum, invalidè adminiſtrat quis Sacramentum, ut ſi inter unum, & aliud verbum intermediet una hora, vel ſi ipſamet verba dividantur, ut ſi quis dicat, Ego te bapt, deindè additis aliquibus verbis, ſubjungat, tizo, quia tunc invalidè adminiſtratur baptiſmus, quia non adeſt integer ſenſus formæ: ſecùs verò eſt ſi poſita interpoſitione adhùc moraliter una oratio componeretur, ut accidit quandò mora exigua eſt, ut ſi quis dùm profert verba baptiſmi: ego te baptizo, dicat, fuge hinc, vel parvulis, recedite inde, & nolite ibi garrire; vel ſi dicat, iſta aqua eſt nimis frigida, aut ſternutet, aut brevem mentis evagationem patiatur, deindè ſubjungat: in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: ità *Bonacina ubi ſupra, Diana par.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 6. *& par.* 5. *tract.* 50. *reſol.* 39. 40. *&* 41. ſi verò in baptiſmo quis antequam abluat, aut etiam poſt ablutionem proferat formam baptiſmi, validè baptizat, quia non adeſt talis interruptio, & mutatio, quæ ſenſum, & ſignificationem verborum deſtruat DD. citati.

Sextò, poteſt contingere mutatio in forma per verba ſynonima, ut ſi loco verbi (baptizo) dicatur (abluo) quia non mutatur ſubſtantialis ſignificatio. Si verò verbum non importet idem æquè diſtinctè, ſed tantùm confuſè, fieri poteſt ut Sacramentum ſit invalidum, quia mutatio cenſetur ſubſtantialis, quandò in baptiſmo loco illorum verborum, In nomine Patris, &c. dicatur in nomine Trinitatis, ut melius conſtabit ex dicendis cum de Baptiſmo. Sic valet abſolutio, ſi dicatur: Ego tibi remitto peccata tua, *Lugo diſp.* 2. *ſect.* 6. *num.* 107. ſic valet quando dicitur, prout dicunt Græci: Baptizetur ſervus Chriſti, *Lugo num.* 109. qui advertit Grecos non dicere, baptizetur ſervus Chriſti.

Ex quibus omnibus infertur contra *Sotum. in* 4. *diſt.* 2. *q.* 1. *art.* 8. *in fine*, illam formam baptiſmi, Ego te baptizo in nomine Filij, & Patris, & Spiritus ſancti non vitiare ſacramentum, etiam ſi miniſter intenderet errorem inducere, quod Filius eſſet principium Patris, nam ille error per talia verba communiter non ſignificatur, immò eo ipſo, quod nominatur Pater, & Filius, ſignificatur Filius procedere, & naſci ex Patre, non verò è contra: ſic non benè ait *Vaſquez ubi ſupra num.* 104. non valere ſacramentum ſub illis verbis, Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, & Filij ſapientis, & Spiritus ſancti paracliti, ſi miniſter ità tribueret prædicata prædicta illis perſonis, quia exiſtimaret ſeipſa non eſſe communia, ſed propria, nam talis error merè habitus non declaratur ſufficienter per illa verba, quæ in communi loquendi modo id non ſignificant, ut benè *Lugo ubi ſupra num.* 117.

Infertur etiam in formis Sacramentorum loco verborum non poſſe aliquem uti ſignis, ſcriptura, vel nutu, quia non alia eſt adhibenda forma, niſi quam Chriſtus inſtituit: Chriſtus autem non inſtituit nutus, aut ſigna, vel ſcripturam, ſed verba, excepto matrimonio, in quo Chriſtus præſcripſit id quod requiritur ad humanum contractum, humanus autem contractus celebrari poteſt nutibus, & ſignis, quibus contrahentium conſenſus, & animus manifeſtatur, ità *Suarez diſp.* 3. *ſect.* 1. *& ſect.* 4. *Coninchus ubi ſup. art.* 8. *num.* 77.

Dico ſeptimò, peccare mortaliter eum, qui mutat materiam, & formam in Sacramentis requiſitas, & ſacrilegium committere, ratio eſt, quia talis mutatio reddit irritum Sacramentum, quod ſemper includit graviſſimum contemptum ipſius Sacramenti, & inſtitutionis ipſius, ſi fiat voluntariè, & per conſequens ſacrilegium, quod nihil aliud eſt ut ipſum vocabulum oſtendit, niſi ſacri læſio, *S. Thomas* 2. 2. *q.* 99. *ar.* 1. ideſt quædam irreverentia, & violatio rerum ſacrarum.

Graviter etiam peccat, qui in adminiſtrandis Sacramentis utitur forma, vel materia dubia, de qua ſcilicet controvertitur inter DD. an ſit ſufficiens, ut ſi quis in conficiendo Baptiſmo utatur brodio, aqua roſacea, &c. vel dicat Ego te baptizo in nomine Chriſti, aut in nomine Genitoris, prætermiſſo nomine Patris, quia controverſia eſt inter DD. an valeat talis Baptiſmus. Ratio verò, quare graviter peccat,

peccat, est quia exponeret se periculo faciendi Sacramentum invalidum, cum fieri possit, ut re vera illa materia, & forma non sit sufficiens, ergò sicut graviter peccaret ille, qui faceret Sacramentum invalidum, ità qui exponit se periculo faciendi illud invalidum, *Coninchius q. 60. art. 8. Filiuccius tract. 1. cap. 4. q. 10. Suarez disp. 16. sect. 2.*

Quod si necessitate motus id faciat, quia scilicet non est vera materia, sed tantummodò dubia, & eam adhiberet in baptismo, tunc non est peccatum, puta si puer sit in articulo mortis, & solum sit aqua, de qua dubium est an sit sufficiens ad baptismum potest cum tali aqua baptismus ministrari, DD. citati quibus adde *Bonacinam disp. 1. de Sacramentis q. 2. pun* 1. n. 32.

Quando verò quis utitur forma certa, sed ei aliquid addit, vel detrahit, tunc facit contra ritum Ecclesiæ quod si velis cognoscere an si peccatum mortale, vel veniale, opere pretium est videre an fuerit advertentia, & deliberatio, & an res gravis, vel levis, nam levitas materiæ excusat à peccato gravi, sicut etiam excusat indvertentia, & indeliberatio, *Sayrus in clavi regia lib. 1. cap. 4. art. 8. ex S. Thoma 3. par. q 60. art. 8. Filiuccio tract. 1. cap. 4. q. 9. Bonacina ubi sup. num. 34.*

Dico octavò, quando dubitatur de validitate Sacramenti, puta quia fuit adhibita materia, & forma dubia, est iterum administrandum sub conditione, idem dicas, si adsint opiniones utrinque probabiles de validitate materiæ, vel formæ Sacramenti, vel quando adhibita sufficienti diligentia remanet quis dubius an sit baptizatus: ratio est, quia adest justa, & rationabilis causa id faciendi, si verò dubium fit leve, non debet fieri reiteratio Sacramenti, *S. Thomas 3. par. q. 66. art. 9. ubi Coninch. & alij supra citati.*

Ex quo non sunt baptizandi illi, quos domi constat fuisse baptizatos à parentibus, obstetricibus, vel aliis, sed solum sunt supplendæ sollemnitates in Ecclesia *Suarez 3. par. de Sacram. disp. 31. sect. 6. Sotus in 4. dist. 3. q. unica, & alij citati.* Neque sunt baptizandi illi, qui nati, & educati fuerunt inter christianos, nisi claré constet, non fuisse baptizatos. Secùs dicas de infantibus captis à Barbaris si dubitetur an fuerint capti ab illis ante, vel post baptismum. Sunt enim isti tales baptizandi sub conditione, si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, &c.

Rebaptizandi verò sunt infantes expositi sine ullo testimonio indicante eos esse baptizatos, sufficit verò unus testis, de quo non sit probabilis suspicio mendacij, qui testetur se certò scire talem esse baptizatum, nam illi fides adhiberi potest, *Suarez 3. par. disp. 22. sect. 2. Coninchus*, & alij apud *Bonacinam d. pun. 1. num. 40. Toletus lib. 1. cap. 22.* undè si talis infans reperiatur in janua alicujus Ecclesiæ, vel alterius hominis, baptizandus erit sub conditione: secùs si reperiretur infans cum scedula baptismi teste, si verò talem testimonium non apponatur, sed puer ex colore, & ex ætate videretur infans natus ante mensem, erit etiam baptizandus sub conditione, idem dico si reperiatur puer expositus inter infideles, & fideles, licèt enim habeat hoc ultimo casu cartam appositam testantem de baptismo, erit sub conditione baptizandus, *Vasquez 3. par. tom. 3. disp. 146. cap. 4. Diana in ad par. 3. resol. 6.* qui est videndus etiam *in p. 2. tract. 15. resol. 22.* essent etiam tales expositi baptizandi sub conditione, si inveniantur in nemore, de quibus dubitaretur, ex quibus parentibus essent nati an fidelibus, an infidelibus, deberent enim sub conditione baptizari, ut salutis æternæ amittendæ periculum evitaretur, & tandem cum *Diana loco citato*, nota, quod si quis eum, quem certò scit non esse baptizatum, baptizaret sub conditione, non peccat mortaliter, sed venialiter, quia est actus inutilis & materia injuriæ levis est, ego tamen puto peccare mortaliter, quia fit irritum Sacramentum, ergo sacrilegium committitur.

In §. Illud quoque.

CONclusio hujus textus est, quod non Ecclesia, sed Christus instituit Sacramenta, quæ tamen dicuntur Ecclesiæ, quia per illa Ecclesia sanctificatur & illa ministrat. Ad cujus intelligentiam.

Dico primò, Christus dominus instituit omnia Sacramenta per potestatem excellentiæ, quam habet *Trid. sess. 7. can. 1.* & est de fide, contra aliquos, qui ante *Tridentinum* scripserunt; quorum aliqui dixerunt Christum Dominum per se instituisse aliqua Sacramenta immediatè, alia verò per Apostolos, vel Ecclesiam, quibus eam facultatem concessit: ità ait *Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis par. 15. cap. 2. Magister in 4. dist. 23. cap. 1.* qui dicunt extremam unctionem fuisse institutam *à Beato Jacobo Apostolo caq. 5. suæ epistolæ canonicæ*, & contra *Alensem. par. 4. q. 24. memb. 1.* qui ait, confirmationem institutam fuisse in Concilio Maldensi, & utraque sententia non videtur displicuisse *S. Bonaventuræ in 4. dist. 7. quæst. 1. & dist. 23. art. 2. q. 2.*

Dico secundò, potuit puræ creaturæ, vel Angelo dari facultas instituendi sacramenta, est contra *Scotum in 4. dist. 1. q. 3. Gabrielium, Durandum*, & alios, quos refert, & sequitur P. *Vasquez disp. 135. cap. 2.* est tamen nostra conclusio *S. Thomæ 3. par. q. 64. art. 4.* & alios, quos refert, sequitur *Suarez 3. par. de Sacramentis disp. 12. sect. 2.* cui favet *Augustinus tract. 5. in Joannem*, quia id nullam implicat contradictionem, ergò potuit Christus Dominus puræ creaturæ, puta Angelo, Apostolis, vel suæ Ecclesiæ communicare facultatem instituendi sacramenta, quod latè explicat *Lugo disp. 7. sect. 2.* congruit autem, ut Christus Dominus neque Ecclesiæ, neque Apostolis, neque aliis tradiderit facultatem, ut supra diximus, nè scilicet homines in aliis glorientur, & suam ponerent spem, *S. Thomas 3. par. quæst. 64. art. 4. Filiuccius tract. 1, cap. 2, quæst. 5. & per totum capus prædictum*, ubi latè.

Dico tertiò ministrum Sacramenti eum esse, qui concurrit ad conficienda Sacramenta in virtute Christi, & dicitur instrumentum conferendi gratism, *1. Corinth. 4. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei, & 2. Corinth. 3. Qui ideneos nos fecit ministros novi testamenti, & à S. Thoma 3. par. quæst. 64. art. 1. Suarez. Sayrus*, & alii citati *à Bonacina disp. 1. quæst. 3, punt. 1.* quia ille est ministet sacramentorum, quem Christus instituit, sed Christus instituit homines ergo &c.

Ex divina verò dispensatione posset Angelus ministrare Sacramenta, quia virtus Dei non est alligata: tùm quia sicut Deus potest effectum sacramentorum producere absque sacramentis, ità etiam potest Angelos constituere ministros sacramentorum; ut verum habendum esset illud sacramentum, quod constaret ab aliquo Angelo, vel Beato administratum, verbis per assumptum corpus prolatis *S. Thomas ubi supra art. 7. Bonacina*, & alij supra, *Lugo sect. 1. n. 4. & de Sancto Amphilochio* narrat *Nicephorus lib. 11. historia cap. 20.* relatus per *Lugo disp. 8. sect. 1. num. 1.* quod fuerit ad Angelis consecratus Episcopus, quam consecrationem alij Episcopi posteà ratam habuerunt, & in his casibus Angeli proferrent voces similes nostris, & facerent sacramenta nostris similia, quatenus poneretur idem effectus per aliud medium aliquantulum diversum.

Homines gloriosi, & comprehensores ex vi præsentis institutionis possunt conferre sacramenta validè secundùm *Suarium disp. 13. sect. 1.* cum aliis,

quibus

animam gloriosam, & sic Beatum non posse Sacramenta conficere, patet, quia si qua esset ratio, utique esset, quia retinent Beati characterem; sed hæc ratio nulla est, ergò probatur minor, quia animæ post diem judicij retinent characterem, & tamen non possunt ministrare sacramenta, ait enim *Paulus 1. ad Corinth. cap. 11. Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis mortem Domini annunciabitis donec veniat*; quæ verba juxta communem interpretationem explicant institutionem sacrificij, factam solùm pro tempore hujus mundi duraturi usque ad consummationem sæculi.

Confirmatur, quia si id possent animæ beatæ, utique possent idem damnatæ: undè anima damnata in Inferno, puta Episcopus damnatus, ibi existens in anima, & corpore, ordinaret, vel confirmaret alium damnatum, qui ibi etiam esset cum corpore, & anima, quod certè si id posset facere, utique faceret in odium Dei ad irrogandam injuriam sacramentis: decere autem, quod possit id facere, sed quod impediatur à Deo, nè id faciat videtur voluntariè dictum, & recurri ad miracula.

Confirmatur secundò à priori, quia sacramenta sunt data à Cristo Ecclesiæ ut ministretur iis, qui sunt intra Ecclesiam, ab ipsa Ecclesia visibili militante, per suos ministros, quales non sunt illi, qui sunt jam extra mundum, qui nullo modo subjacent directè, vel indirectè Ecclesiæ.

Quod si anima illa redeat ad corpus mortale, posset sicut prius validè ministrare sacramenta, quod si unitur solùm cum corpore glorioso id non sufficit ad validè ministranda sacramenta, *Lugo ubi sup. num. 3.*

Neque objicias, quod ex aliis refert *Thomas Stapletonius in collectaneo de Sancto Thoma Apostolo*, scil in anno 1120. Patriarcham quendam Indorum, Joannem nomine Romam venisse, ibique Castillo 2. Papæ, & Cardinalibus in Concistorio testatum esse S. Thomam Apostolum omni anno communicare solitum populum suum manu propria dignis porrecta, & retracta ab indignis, ergò ea dicta narratione apparet Apostolum celebrasse, & consecrasse Eucharistiam ad populum communicandum, ergò Beatus retinet adhùc potestatem consecrandi.

Respondeo enim, quidquid sit de veritate illius Historiæ, nihil aliud ibi probari, nisi quod Apostolus distribueret dignis Eucharistiam, & negaret indignis, an verò eam ipse consecraret, non colligitur: id ipsum Angeli fecerunt cum Beato Stanislao Societatis Jesu, & cum aliis Sanctis, non consecrando hostiam, sed adducendo hostiam à Sacerdote consecratam, vel potest dici Apostolum id fecisse ex speciali Dei concessione, non ex communi lege, ut benè *Lugo ubi sup. sect. 1. num. 4.*

Confirmo ego cum mirabili facto; anno enim Christi 610. mirabiliter in Anglia apparuit noctis tempore S. Petrus Apostolus, & benedixit Ecclesiam ritu pontificio, suo nomini dicatam, quam die sequenti Episcopus consecraturus erat, & per nuncium admonuit Episcopum, nè iterum Ecclesiam consecraret sed suppleat, inquit, quod omisimus Dominici Corporis, & Sanguinis sacrosancta mysteria, quæ scilicet celebrari, & consecrari à S. Petro Deus non volnit, ut ex antiquis historicis refert *Card. Baronius tom. 8. anno. 619. num. 13. cum seqq.*

De Sacramento verò collato è Diabolo dico, quod si administretur ex Dei dispensatione erit validum, quia potest Deus de potentia absoluta facere, ut Dæmon assumpto corpore validè baptizaret, quia est Dei creatura, ergò ei obedire debet: si verò administretur sine ulle dispensatione Dei, non est habendum, ut velidum, quia non est credibile, Deum nunquam daturum Diabolo facultatem conferendi vera Sacramenta, cum Dæmon intendat hominis perditionem, & non salutem, *S. Thomas 3. par. quæst. 64. art. 7. Bellarminus lib. 1. de Sacramentis cap. 24. Bonacina*, & alij ubi supra. Ratio verò quare Christus Dominus constitueris homines ministros Sacramentorum, non verò Angelos, ea est, quia conformes sunt homines inter se, & sicut Deus ut homines servaret, factus est homo, ità ut homines curaret ministros homines, non Angelos reliquit: quis verò sit minister uniuscujusque Sacramenti, dicemus cum de unoquoque ipsorum.

In §. Ergò.

Conclusio hujus textus est, quod in singulis Sacramentis Deus est, qui divinitùs operatur, undè etiam malus minister, vel hæreticus potest Sacramenta ministrare, ita habetur in præsenti, & *cap. aliud est de consecrat 4. dist.* in quo ꝑ. sunt tria videnda, primum de probitate ministri, secundum de fide ipsius,

Dico primò, probitas ministri regulariter loquendo non est necessaria ad valida Sacramentorum administrationem; ratio est, quia minister sacramentorum, quamvis sit improbus, vel etiam hæreticus, retinet adhùc characterem indelebilem, & per consequens habet potestatem conficiendi Sacramenta, per quam operatur in virtute Dei: tùm quia sequeretur alioquin suscipientem aliquando frustrari, & privari sacramentis, aut sacramentorum effectibus defectu ministri, quem constat aliquando carere fide, & gravissimis detineri sceleribus, quod admittendum non videtur, ità *S. Thomas. 3. par. q. 64. art 5.* ubi *Coninch. Pesantius*, & alij *Bellarminus lib. 1. cap. 26. Bonacina disp. 1. q 7. p. 2. §. 1.*

Est tamen advertendum, quod interdum sacramentum non validè administratur ab improbo ministro, ut est in Sacramento Pœnitentiæ, ad cujus administrationem pœnitens absque ulla necessitate ipse inducit confessarium, quem novit illud administraturum in peccato mortali, cum tamen ipse habeat copiam alterius confessarij probi; tunc enim pœnitens invalidè recipit sacramentum pœnitentiæ, quia inducit improbum ministrum ad peccatum, & peccatum ministri sibi imputatur, sed qui mortaliter peccat in susceptione Sacramenti pœnitentiæ invalidè recipit sacramentum pœnitentiæ, ut infra dicemus, ergò.

Sic invalidè susciperet quis sacramentum si ab excommunicato vitando illud reciperet, quia hic talis caret jurisdictione, secùs si non esset vitandus, quia tunc non caret jurisdictione: post alios *Bonacina ubi supra in fine*: tunc verò dicitur excommunicatus vitandus, quando est denunciatus excommunicatus, vel publicus Clerici percussor, qui adeò notoriè talis sit, ut nulla tergiversatione celari possit, ut benè ex plicat *Frater Sigismundus de Bononia de elect. Prælatorum cap. 3. dub. 63.*

In articulo mortis licitum est petere ab excommunicato vitando sacramentum Baptismi, & pœnitentiæ: de Baptismo docet *Augustinus lib. 1. contra Donatistas cap. 2* & refertur *in cap si quem forte 24. q. 1.* de pœnitentia, id insinuat clarè *Trident sess. 14. cap. 7.* ubi docet in articulo mortis posse quoslibet Sacerdotes quoslibet ab omnibus criminibus absolvere: alij addunt, à talibus etiam viaticum licere accipere legas *Coninch. de Sacramentis q. 64. dub. 2. à num. 64.*

Dices nemo dat quod non habet, sed improbus homo non habet gratiá, ergò eam dare non potest, ergò

sacrementa ab improbo ministo collata non erunt valida.

Respondeo nullum posse dare, quod non habet virtute propria, minister verò gratiam non consert virtute propria, sed virtute Christi, undè non ast mirum ministrum sacramenti conferre gratiam, quam non habet DD. citeti.

Dico secundò, probitas ministri licèt non sit necessaria ed validitatem sactamenti est tamen necessaria ad licitam sacramentorum edministrationem, nam qui deputatus ast ad talem administrationem, tanetue se ad gratiam præparare, ut ea licitè administrer *S. Thomas* 3. *par. q.* 64. *art.* 4. *&* 6. ubi *Cajetanus*, *Coninch. ibid. art.* 6. *dub.* 1. & alij communiter apud *Bonacinam d. p.* 2. *propos.* 2. *in princ.* Ratio est, tùm quia minister saciamenti debet se illi conformare, cujus est minister, juxtà illud *Genes.* 19. *Sancti eritis, quia ego sanctus sum.*, *& Ecclesiast.* 10. *Secundum Judicem populi sic & ministri ejus*, sed illi, cujus sunt ministri, est Deus, qui justus, & sanctus est, ergò ministri sacramentorum debent essa sancti, & justi: tùm quia ministri, non axistentes in gratia, contaminant, & commaculent sacramenta, nam quantum ex parte sua tractant illa tanquem peosana, ergò, &c.

Ex quo sequitur primò, sacerdotem conscium peccati mortalis debere conari, & curare, ut in gratia constituatur antequam sacramenta administret; quapropter si advertat se solum attritum, debet actum contritionis elicera, si verò advartat, se non posse actum contritionis elicera, debet sacramentum pœnitentiæ recipere, quia debet assumere media ad gratiam sanctificantem suscipiendam, nè sacramenta indignè pertractet *Henriquez lib.* 1. *de Sacramentis cap.* 39. *Suarez disp.* 16. *sect.* 3. *Filiuccius tract.* 1. *cap.* 5. *quæst.* 1. *num.* 86.

Sequitur secundò, exercentes functiones ordinum in peccato mortali, ut lector lectionem, aut subdiaconus apistolam, aut Diaconus Evangelium, non peccare mortaliter, itè contrà *Navarrum*, *Nugnum*, *Camerotam*, & alios docet *Bonacina disp.* 1. *q.* 3. *punto* 2. §. 1. *propos.* 2. *num.* 5. Ratio est, quia exercitium ordinum non videtur materia adeò gravis, ut peccati mortelis eeus constituatur, quie illud indignè præstat, quod adeò verum est, ut etiam si quis pluries exerceret has functiones, neque peccarat mortaliter, ut contrá *Navarrum cap.* 25. *num.* 72. *Cajetanum* 3. *par. q.* 64. *art.* 3. *Toletum*, *Nugnum*, *Angelum*, & alios tenet *Villalobos in summa tomo* 1. *tract.* 4. *diff.* 10. *num.* 7. *Vasquez* 3 *par. tom.* 3. *disp.* 136. *Bonacina loco cit. Coninch. de Sacramentis q.* 64. *art.* 6. *dubio* 10. *nu.* 38. *Suarez in* 3. *par. tom.* 3. *disp.* 16. *sect.* 4. *Diana par.* 3. *tract.* 4. *de Sacramentis resol.* 167. *&* 195. *Lugo disp.* 28. *de Sacramentis sect.* 9. *num.* 143. ratio est, quia non per hoc, quod quis sæpius peccat venialiter ministrando ordinem, & faciendo teles functiones, videtur in posterum peccare mortaliter, quia pluries peccara venialiter, non ast mortaliter peccare. Neque dicas, quod sæpius exercere tales actus videtur contemptum includere, dico enim id esse falsum: si enim hoc esset, seqneretue, quod si quis frequentius diceret mendacium jocosum, comtamptum haberet, & sic pluries dictus, peccaret mortaliter, quod ast falsum.

Undè Acholysi sollemniter serentes careos in peccato mortali, vel qui recitat in choro solemniter capitulum, vel collectam, non peccant mortaliter, ut contrà *Navarrum*, & alios docet *Diana ubi supra resol.* 196. quia licet ordines minores sint Sacramenta, eorum tamen officia non sunt perfecta in genera sacri ministerij, & consequenter ex levitate materiæ non erit peccatum mortale, latè *Lugo sect.* 9. *num.* 152. qui sibi objicit de quodam Diacono, qui nocte entecedanti commiserat peccatum carnis, & die sequenti canens Evangelium cum peccato, fuit à Deo occisus visibiliter: & respondet *Lugo* primò, Deum sæpè punire culpam non mortalem pæna aliqua gravi temporali. Secundò, Deum voluisse punire luxuriam antecedentam, quod utique non fecisset, nisi eam culpam conjunxisset cum impudentia illa, per quam saltem demeruit Diaconus remissionem vel dilationem supplicij, quod jam meruerat.

Sequitue tertiò Diaconum ministrantem Eucharistiam in peccato mortali non peccare mortaliter, ut contià *Layman lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 8, & alios docet *Joannes de la Crux in directorio conscientiæ par.* 2. *de Sacramentis in genere q.* 4. *dub.* 3. Neque Sacerdotem ministrantem aliis Sacramentum Eucharistiæ in peccato mortali in missa, vel extra missam. Dico peccare mortalitee cum *Vasquez* 3. *par. tom.* 2. *disp.* 136. *cap.* 3. *num.* 38. *Ledesma in summa tom.* 1. *cap.* 6. *conclus.* 8. *diffic.* 5. & alij, quos sequitur *Diana de celebratione missarum resol.* 23. quæ opinio cum visa essat nimis laxa cuidam Theologasto, idem *Diana par.* 3. *in addit. resol.* 5. adducit *Barbosam de potestate Parochi cap.* 20 *num.* 17. est temen hæc seutentia contra *Suarez* 3. *par. tom.* 3. *sect.* 6. alios, qui dicunt peccare mortalitar quod si plures communicat simul, quia est modum unius convivij, unum peccatum committeret. Est etiam contrà *Coninchum disp.* 64. *de Sacramentis art.* 6. *dub.* 1. *num.* 25. qui dicit tot peccata mortalia committete, quot hostias fidelibus distribuit, secùs si plures uno traderet fideli, tunc enim unum peccatum mortale committere. Legas *Filiuccium tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 9. *q* 9. *num.* 271. *& Bonacinam disp.* 1. *de Sacramentis*, *q.* 3. *p.* 2. §. 1. *propos.* 2. *nu.* 1e Nostra ergò sententia docet nullum esse peccatum mortale Sacramentum Eucharistiæ fidelibus distribuera in peccato. Probatur; quie qui Eucharistiam ministrat consecratam non est minister Dei proximè ad justificationem, sicut in aliis Sacramentis, sed ast tantum veluti applicans activa passivis, in aliis eutem Sacramentis Sacardos simul conficit, & ministrat secramentum, non eutem in hoc, non anim est idem coonficere, & aliis ministrare; cætara verò sacramenta in usu, & actione consistuut: Sacramentum verò Encharistiæ post consecrationem permanet. Sequitur *Lugo disp.* 8. *sect.* 9. *num.* 155. & idem *Diana de circumstantiis resol.* 41.

Sequitur quattò á fortiori excusari à peccato mortali Stcerdotem, qui dùm existit in peccato mortali transfert Eucharistiam ab uno Altari ad aliud, quia hæc non videtur mataria sufficiens ad peccatum mortele. *Bonacina ubi supra num.* 13.

Sequitur quintò, Goncionatores prædicantes in peccato mortali non paccare mortaliter, est contrà *S. Thomam in* 4. *dist.* 19. *q.* 2. *art.* 2. *q.* 2. *ad* 4. contra *Cajetanum* 2. 2. *q.* 187. *art.* 3. *Navarrum in manuali cap.* 21. *num.* 141. & alios, qui dicunt prædicatorem prædicantem in peccato etiam occulto, peccate mortaliter non habita prius contritione.

Nostra

Nostra verò opinio est *Soci in 4. dist. 2. q. 5. art. 6, Suarez in 3. par. tom. 3. disp. 16. sect. 63. Valentia tom. 4. disp. 3. q. 5. p. 3.* & aliorum, quos sequitur *Diana tract. 4. de Sacramentis resol.* 197. *Lugo disp.* 8. *sect.* 9. Ratio est, quia actus praedicandi de sua natura neque est consecratus, ut actus sacramentorum cum gratiam ex opere operato non conferat, neque est consecratus ex aliqua institutione Ecclesiae, neque certo ordine deputatus de jure divino, vel positivo humano. Idem dic de Lectore sacrae Theologiae, & sacrae Scripturae, qui neque peccato mortaliter legendo in peccato mortali, etiam publicè, dummodo adsit scandalum, quidquid dicant DD. citati.

Sequitur sextò, Episcopum consecrando chrisma, vel oleum in peccato mortali non peccare mortaliter, ut contra *Nugnum*, *Medinam*, *Sylvium*, *Gabreram*, & alios docent communiter DD. quos sequitur *Diana par. 3. tract. 6. miscell. resol.* 67. & idem *Diana par. 5. tract.* 13. *resol.* 73. *contra Joannem de Lugo disp. 8. de Sacramentis in genere sect. 9. num.* 156. idem de novo docet cum *Hurtado*, *ConinchO*, *Praeposito*, *Meratio*, *Tannero*, & aliis, Ratio est quia Episcopus hoc casu non se habet, ut Dei minister ad proximè, & formaliter sanctificandas animas, ergò non peccat mortaliter. Addit *Diana ubi sup.* neque peccare mortalitee Episcopum conferentem ordines minores, primam tonsuram in peccato mortali. Ratio est, tùm quia non ità sunt propinqui Sacramenta Altaris prima tonsura, & ordines minores, undè illorum officia sunt imperfecta in ratione sacri ministerij, immò addunt alij, ut *Vasquez tom. 3. in 3. par. disp.* 237. *cap.* 2. primam tonsuram, & quatuor ordines minores non esse sacramentum, ergò (dicunt ipsi) Episcopus conferens ordines minores in peccato mortali, non peccat mortaliter. Verùm ego admitterem hanc secundam opinionem tantùm in casu, quo conferret Episcopus primam tonsuram in peccato mortali, aut benediceret sacras vestes, aut consecraret Ecclesiam, aut co .fi. ceret Chrisma, vel haberet concionem ad populum, quia istae actiones non sunt sacramenta, nec immediatè ordinatae ad conferendam gratiam, ut benè ex Doctoribus, quos refert *Bonacina* colligitur, undè eam opinionem, quae habet Episcopum in peccato mortali conferentem ordines non peccare mortaliter, non admitto contrà *Dianam ubi supra tract* 6. *miscell. resol* 67. non enim video cur conferens Sacramentum majoris ordinis Episcopus peccet mortaliter in peccato mortali, secùs ordinis minoris, cum verè conferat gratiam.

Sequitur septimò, laicum non peccare mortalitee, si habens conscientiam peccati mortalis baptizet in casu necessitatis, quia laicus non est ministee consecratus ad hunc effectum *Diana par. 5. tract. 3. resol.* 34. sicut neque graviter peccat elevans Eucharistiam de terra in peccato mortali, quia non dicitur Eucharistiam conficere: sicut neque peccasset mortaliter, qui Christum in hac vita degentem extensa manu lapsum elevasset *Coninch. loco citato dub.* 1. *num.* 39. *Filiuccius tract.* 1. *cap.* 5. *q.* 10. *num.* 85.

Dices primò *Oza 2. Regum cap. 6.* morte percutitue, quia tetigerat arcam Domini cum esset periculum lapsus, ergò magis meretur mortem, qui existens in peccato mortali tangit venerabile Sacramentum, illud transferendo in alium locum, vel levando de terra.

Respondeo negando consequentiam quia ille sine necessitate faciebat id, quod Numeri 4. c. 15. omnibus qui non erant ex filiis Aaron sub poena mortis, prohibebatur, at in nostro casu nulla est prohibitio.

Dices secundò, laicus baptizando concurrit ad gratiam producendam, ergò peccat mortalitar, si iter in peccato mortali.

Respondeo negando consequentiam, nam non ideò ministrans in peccato mortali peccat mortaliter, quia producit gratiam, sed quia est principaliter deputatus, & consecratus ad tale officium, at laicus non est consecratus ad baptizandum, ergo: & licèt omnes te..eantur exhibere reverentiam sacramentis, non tamen omnes eodem modo tenentur *S. Thomas 3. par q. 64. ar. 3. ad 3. Sylvester in verb. Baptismus num.* 4. undè recedendum est ab opiniona *Vasquez in 3. par. tom. 3. disp.* 136. *cap.* 3. *num.* 30. qui asserit etiam laicos baptizantes in casu necessitatis cum peccato mortali, peccare mortaliter, quia si hoc esset verum, vae vae obstetricibus, & aliis laicis in tali casu abstantibus. *Diana tract. 4. de Sacramentis resol.* 10.

Sequitur octavò, benedicentem aquam in peccato mortali non peccare mortaliter, quia non conficit sacramentum neque actionem facit, quae mereatur tantam reverentiam, ità DD. citati, quamvis *Sayrus lib. 2. clavis Regiae cap. 7. q. 1. art. 5.* contrarium putet cum *Navarro de horis canonicis cap. 6. num.* 41.

Sequitur nonò, Parochum non peccare mortaliter assistendo matrimonio in peccato mortali, aut benedicendo sponsis, quia Parochus non conficit illud sacramentum sed assistit tanquam testis publicus essentialiter requisitus, ut contrahentes possint validè contrahere. *Lugo disp. 8. sect. 9. num.* 155. contrahentes verò in peccato mortali graviter peccant, non quatenus ministri, cum non sint essentialiter ad hoc deputati, sed quatenus recipiunt sacramentum, cum ponant obicem, & impedimentum ad gratiam, quam alioquin recipierent, ità *Bonacina de Sacramentis disp. 1. q. 3. puncto 1. propos. 2. num.* 10. contra aliquos dicentes committere duo peccata mortalia, unum quatenus recipiunt sacramentum, aliud quatenus ministrant.

Sequitur decimò. Sacerdotem in peccato mortali existentem, & baptizantem infantem in casu necessitatis non peccare mortaliter, ità contrà *Layman lib. 5. tract. 1. cap. 5. num. 8. Vasquez 3. par. tom. 3. disp.* 136. *cap.* 3. *Coninch. de Sacramentis q. 64. art. 6. dub 4. num.* 36. & alios, docent *Sylvester in verb. Baptismus il 3. num.* 50. *Caietanus in 3. par. q. 64. art. 6. Suarez in 3. par. tom. 3. disp. 16. sect. 4. Diana par. 3. tract. 4. resol.* 10. Ratio est, quia non agit hoc casu talis Sacerdos, ut minister ex officio, sed perindè, ac laicus, ut benè *Sylvius in 3. par. S. Thomae quaest. 64. art. 6. conclus.* 2. Neque exercet aliquem actum ordinis spiritualis, sed eum, qui omnibus omninò hominibus divina institutione est permissus, scilicet necessitati infantis subvenire.

Sequitur undecimò, Sacerdotem audientem confessionem debere esse in gratia, non quidem dum audit confessionem, ut putant aliqui, sed sufficit si dùm absolvit sit in gratia, puta quia ante absolutionem fecit actum contritionis, quia tunc cum absolvit administrat, & conficit sacramentum, ut benè *Henriquez lib. 6. cap. 18. num 6. in glossa lit. V. Diana de circumstantiis aggravantibus, resolut. 47. Ludovicus de Ponte tom. 4. de perfectione Christiana tract. 5. cap. 3. Lugo disp. 8. sect. 9.* qui addit aliam rationem, quia scilicet Sacerdos dùm audit confessionem, habet se merè passivè, dùm

dùm verò absolvit agit, ergo tunc non prius requiritur, ut sit in gratia; ego puto etiam non debere esse in gratia cum imponit pœnitentiam pœnitenti, quia pœnitentia, & satisfctio non est pars essentialis sacramenti, neque gratiam confert, dùm fit ex opere operato, si enim talis esset, ut putant aliqui, deberet etiam Sacerdos satisfactionem imponens esse in gratia, ità *Lugo ubi supra sect. 9. nu. 160.*

Quod si Sacerdos absolvat in peccato mortali plures personas: tot peccata mortalia committit, quot absolvit. *Azorius par. 1. lib. 4. cap. 4. quæst. 6. Suarez 3. par. tom. 4. disp. 22. sect. 5. num. 55.* Alij verò putant, quod si eos plures successivè absolvat in peccato mortali, sed sine interruptione est unum peccatum mortale in genere moris, & sic sufficit dùm confitetur posteà confessarius si dicat, administravi Sacramentum pœnitentiæ peccato mortali, itá *Rodriquez in summa tom. 2. cap. 44. num 23. Diana de circumstantiis, resolut. 43.*

Sequitur duodecimò, Sacerdotem celebrantem in peccato mortali non satisfacere dicendo in confessione, se accepisse Sacramentum in statu peccati, habet enim tale peccatum, non quidem tres malitias, ut volunt aliqui relati à *Diana par. 1. de celebratione missarum resol. 24.* nec solùm unam, ut ipse *Diana* cum aliis insinuat, sed duas, alteram scilicet conficiendi in statu peccati, in qua includitur malitia offerendi, cùm oblatio non distinguatur à consecratione, & sumptione. Oportet ergò explicare utramque illam malitiam dicendo se celebrasse missam in peccato mortali, *Lugo de Sacramentis disp. 8. sect. 9. num. 161.* quidquid *Diana* putet unum esse peccatum mortale.

Dico tertiò, Fides ministri Sacramentorum non esse necessaria pro valida eorum administratione DD. communiter apud *Vasquez 3. par. disp. 138. cap. 2.* & apud *Bonacinam disp. 1. q. 3. punt. 2. §. 2.* ratio est, quia validè Sacramenta ministrantur, si adsit materia, forma, & intentio ministri, sed hæc possunt adesse, quamvis minister non habeat fidem, dummodò tamen intendat facere, quod facit Ecclesia, ergo: accedit alia ratio, quia minister instrumentaliter concurrit, nec operatur in virtute propria, sed in virtute Christi, ergò non est necesse in ipso adesse, neque probitatem, neque fidem.

Intellige tamen de ministro baptizato non habente fidem; nam si loquamur de infideli nondùm baptizato, tunc dicendum est ipsum non posse validè Sacramenta conficere, & administrare, excepto baptismo, nam minister aliorum Sacramentorum, præter matrimonium est Sacerdos, sed infidelis nondùm baptizatus, esse non potest Sacerdos, ergo &c.

Dico ultimò, fides requiritur ad licitè administranda Sacramenta, nam qui caret fide impossibile est placere Deo, sed qui administrat sacramenta in peccato mortali graviter peccat ex supradictis, ergò ad licitè administrandum Sacramenta debet minister esse in fide. DD. ubi supra munda enim debet esse manus, quæ aliorum sordes diluere curat, *cap. necesse 1. q. 1. cap. in gravibus 3. q. 7.*

In §. Hoc. tamen.

Conclusio hujus textus est, quod id, quod supra diximus, scilicet malum ministrum posse validè ministrare Sacramenta, intelligi debet, si habeat intentionem, Ecclesiæ conformem, quod si aliud facere intendat, quàm id, quod facit Ecclesia, nihil agit, quia spiritualis potestas sine fide exerceri potest, sed sine debita intentione minimè; ad cujus intelligentiam, cum hic agatur de intentione ministri in Sacramentis requisita.

Suppono primò, dari intentionem, & attentionem: intentio est actus liber voluntatis in finem: undè actus, quo quis determinat ire Romam, dicitur intentio, quia est actus voluntatis in finem, & actus, quo quis intendit conficere Sacramentum, dicitur intentio, quia est actus liber voluntatis in finem.

Attentio verò est actus intellectus considerantis ea, quæ homo agit, & sic patet differre intentionem ab attentione, nam attentio est actus intellectus, intentio verò voluntatis, qua homo se determinat, ad aliquod faciendum Hoc posito.

Dico primò ad validè conficiendum Sacramentum requiritur intentio faciendi, quod facit Ecclesia, vel quod Christus instituit; est contra Lutherum, & alios Hæreticos, nullam requirentes intentionem est: de fide definita in *Trident. sess 7. can. 11. in Florentino*, & aliis Conciliis, de quibus *Lugo disp. 8. sect. 2. Suarez disp. 13. sect. 2. Bellarminus lib. 1. de Sacramentis cap. 27. Bonacina disp. 1. q. 3. punt. 2. §. 3. propos. 4.* Ratio est, quod scilicet requiratur intentio, quia actio conficiendi sacramentum est actio humana; ergò debet humano modo exerceri, sed non potest humano modo exerceri sine intentione, ergo &c. Quod verò requiratur intentio faciendi, quod Christus instituit, vel quod Ecclesia facit, probatur, quia ad conficienda sacramenta requiratur ea intentio, quæ determinat actionem ad esse sacramentale, & tollat indifferentiam verborum, quia cum sensus verborum sit indifferens, requiritur aliquod, quod hanc indifferentiam tollat, qua quidem indifferentia benè tollitur per hanc intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, vel quod Christus instituit, ut benè *Sanctus Thomas 3. par. quæst. 64. art. 10.*

Dices primò, obstat auctoritas *S. Augustini, qui tract. 5. in Joannem* ait, baptismum collatum ab ebrio validum esse: sed ebrius non habet intentionem, ergo &c.

Respondeo, *Augustinum* asserere ibi Baptismum collatum ab ebrioso, non ab ebrio validum esse, ebriosus enim dicitur, qui solitus est inebriari, sed actu talis non est, prout in simili; licèt furiosus in actu non possit facere testamentum, tamen ille, qui habet lucida intervalla benè potest testamentum facere, ut diximus in §. *furiosi, institut. quibus non est permissum facere testamentum.*

Dices secundò, obstat factum illud, quod refert *Nicephorus lib. 3. histor. cap. ult.* de puero Judæo ab aliis pueris per ludum baptizato, quem etiam Baptismum Ecclesia Constantinopolitana approbavit, ergò non requiritur intentio.

Respondeo, aliud esse fictionem, aliud ludum, potest enim cum ludo adesse sufficientem intentionem ad faciendum actum validum, quod patet ex historia illa, quæ refertur in *prato spirituali cap. 196. de pueris*, qui per ludum voluerunt missam celebrare, & elegerunt unum in presbyterum, & alios duos in ministros, cum verò ad consecrationem perventum esset, & verbis prolatis communicare vellent, igne de Cœlo misso, territi, & semimortui jacuerunt, nam illi non fingere visi sunt, sed missam facere quantum possent

Dices tertiò, obstat factum illud S. Genesij Martyris, qui cum esset Minus, & in scena, ut Imperatori placeret, & irrideret Sacramenta christiana, baptizari se fecit, & continuò ab Angelo monitus

monitus de efficacia illius aquæ, si ex toto corde crederet, credidit statim, & publicè fidem professus est, sed ibi non habebat Mimus baptizans intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, ergo.

Respondeo, Deum honorasse illam imaginem veri baptismi, & S.Genesium excitasse ad veram conversionem, amorem sui ipsius, & desiderium salutis, ut latè probant *Lugo disp. 8. de Sacramentis sect. 3.* prout in simili *Prato spirituali cap. 176.* legitur, Judæum quendam moribundum in deserto petiisse enixè baptismum ab itineris comitibus, cumque aqua nulla posset haberi, baptizatus fuit arena loco aquæ, & statim ab omni ægritudine liberatus fuit, ergò similiter potuit Deus honorare illam imaginem veri baptismi in Genesio propter affectum suscipientis, donando eidem indulgentiam plenariam peccatorum quoad pœnam.

Dices quarto *ex Innocentio Summo Pontifice in cap. Majores de Baptismo*, qui ait, quod ebrius in ebrietate validè recipit baptismum, ergò etiam in ebrietate qui validè administrat baptismum, ergò non requiritur intentio ministri in Sacramento.

Respondeo, verum illud quando ebrius ante ebrietatem baptismum petüt, sed non per hoc sequitur hoc licere ministro, si ante ebrietatem voluerit aliquem baptizare, nam adhùc validè non potest conferre baptismum in ebrietate, quia plura requiruntur ad agendum, quàm ad recipiendum, quia in recipiente non requiritur usus rationis, cum administratio Sacramentorum debeat esse actio libera, & humano modo debet exerceri, ità *Suarez de Sacramentis disp. 13. sect. 3. concl. 1. Valentia*, & alij, quos adducit, & sequitur *Bonacina de Sacramentis q. 3. punt. 2. §. 3. num. 17.* licèt enim ebrius in ebrietate proferret verba sacramentalia, ablueret, &c. (sicut de dormiente legimus, quod in somnis surrexit de lecto, aperuit tabernam, eamque adornavit, & lectum repetivit, & de alio legimus, quod in somnis interfecit inimicum, & scelere patrato domum in lectum redijt, ut legi possunt similia exempla in *Theatro vitæ humanæ, vol. 2. lib. 2. sub titulo de passionibus corporis*) tamen tales actiones in somno, vel ebrietate exercitæ, etiam si prævisæ, & volitæ fuissent in vigilia non essent aptæ ad constituendum Sacramentum, latè *Lugo disput. 8. sect. 6. num. 102.*

Dico secundò in Sacramento non requiri intentionem explicitam conferendi effectum Sacramenti. Ratio est, quia actio sufficiente determinatur ad esse sacramentale per intentionem faciendi Sacramentum, ergò non requiritur intentio explicita effectum conferendi. Dixi, explicita intentio conferendi effectum implicitè, includit in intentione faciendi Sacramentum, seù faciendi illud, quod intendit Ecclesia, &c. nam qui vult conficere Sacramentum, vult etiam ejus effectum, qui consequitur ad Sacramentum, juxtà illud, qui vult antecedens, vult etiam consequens, imò qui vult conficere baptismum, illum verè confert cum effectum, etiamsi nolit gratiam, & effectum conferre, nam posito quod vult conferre Sacramentum, necessariò vult etiam implicitè, & virtualiter effectum, illumque verè confert, nisi adsit obex ex parte suscipientis, Sacramentum enim est signum sacrum, significans, & infallibiliter efficiens gratiam, *S. Thomas 3. par. quæst. 64. art 4.* & alij communiter apud *Bonacinam disp. 1. quæst. 3. punt. 2. propos. 2.*

Alij putant, & speculativè loquendo non est improbabile, quod si quis intendat conferre baptismum, sed non gratiam, conferret quidem baptismum, sed non gratiam: ità docuit *Præceptor meus J. Caponi Instit. Can. Tom. 1.* *de Sacramentis in genere disp. 6. quæst. 3. art. 2. concl. 1. in fin.* movebatur ex duplici ratione; Primò, quia sicut ad ponendum Sacramentum quoad substantiam, & effectum requiritur intentio integra saltem implicita ponendi illud quoad substantiam, & effectum, ità ad ponendum dimidiatum, seù informe sacramentum videtur requiri, ac sufficere dimidiatam intentionem, hoc est ponendi substantiam, & non effectum, sacramenti sed cum quis intendit facere, quod Christus instituit, & non conferre gratiam, habet hanc dimidiatam intentionem, scilicet ponendi substantiam, & non effectum Sacramenti, ergò, tunc verè conficiet, & confert Sacramentum quoad substantiam, quamvis non quoad effectum.

Confirmatur, quia omnes admittere id tenemur in suscipiente sacramentum, qui si fictè accedat cum dimidiata intentione suscipiendi sacramentum quoad substantiam, & non quoad effectum, verè suscipit quoad substantiam, & non quoad effectum, ergò pariter si conferens intendat dare quoad substantiam, & non quoad effectum, verè confert quoad substantiam, & non quoad effectum, de qua opinione cogita, mihi enim videtur satis probabilis.

Ex quo collige, eum validè baptizare, qui baptizat cum intentione faciendi id, quod facit Ecclesia, non verò faciendi, quod facit Ecclesia Romana, quam ipse falsò putat, non esse veram Ecclesiam; hic enim quamvis erret circa veram Ecclesiam, tamen non errat in intentione generali, cum habeat intentionem faciendi, quod facit vera Ecclesia. Secùs dic si habeat intentionem faciendi quod faciunt Calvinistæ, & non quod facit Ecclesia Romana, quam excludit, credens Calvinicam Ecclesiam esse veram, quia tunc non habet sufficientem intentionem, cum non intendat facere, quod facit vera Ecclesia, sed illam excludat, ità *Suarez disp. 13. sect. 1. Bellarminus lib. 1. de Sacramentis cap. 27 Bonacina q. 3. punt. 2. §. 3 propos. 4. num. 9. Lugo* latissimè *disp 8. sect. 8. per totam.*

Collige secundò, eum, qui per ignorantiam credit, se esse baptizatum, cum verè non sit baptizatus, defectu debitæ intentionis in baptizante, non esse salvandum, nisi baptismum iterum suscipiat, aut nisi contritionem eliciat, in qua continetur votum baptismi. Quamvis aliqui DD putent perversam intentionem ministri in conferente baptismum, & alia sacramenta suppleri à Deo, ità *Valentia tom. 4. disp. 3. quæst. 5. tom. 3.* & alij relati à *Diana tract 4 de Sacramentis resol. 17.* Ego tamen puto cum communi Theologorum sententia oppositum, quos refert *Naldus in verbo Sacramentum num. 10. Silvius in 3. par. quæst. 68. art. 2. ad 4* & alij, quos sequitur *Diana ubi supra, Filiuccius d. cap. 2 num. 80.* Ratio est, quia quod Deus suppleat defectum intentionis ministri, tali casu, non fundatur ulla lege, promissione, aut necessaria ratione. & ex alio capite intentionem ministri requiri de fide est, ut suprà diximus, ergo.

Rogabis qualis intentio requiratur in administrante, vel suscipiente Sacramentum?

Pro responsione suppono intentionem ministri triplicem esse, scilicet virtualem, actualem, & habitualem. Intentio virtualis est, quando minister accedit ad Sacramentum Baptismi, v. g. conficiendum, eo animo faciendi, scilicet quod facit Ecclesia, licèt dùm actu baptizat non cogitet quid faciat: dicitur enim habere virtualem intentionem. Intentio actualis est, quando quis actualiter intendit, & vult conficere Sacramentum, & dùm illud conficit ad hoc intendit. Tertia dicitur intẽtio habitentio habitualis, & est illa, qua quis facit ali-

quod ex habitu nulla præcedente intentione, vel si intentio præcessit, non amplius perseverat virtualiter in aliquo opere externo, cum sit virtualiter interrupta.

Additur his omnibus intentio conditionalis, & est quando quis intendit aliquid facere sub conditione, ut si quis baptizando dicat, *Ego te baptizo si non es baptizatus*, de qua *in cap. de quibus de baptismo*: alia est intentio absoluta, ut quando quis intendit aliquid facere absque ulla conditione, puta *Ego te baptizo in nomine Patris*, *&c.* Hoc posito ea *Lugo disp. 9. sect. 5. Coninch. q. 64. art. 8. dub. 1.* ubi alij *S. Thomæ* expositores.

Respondeo ad quæsitum sufficere intentionem virtualem, DD. ubi supra: ratio est, tùm quia est communis opinio hanc sufficere, tùm quia si non sufficeret aperiretur via infinitis scrupulis, homines enim sæpè dubitarent, an habuerint actualem intentionem, quæ est difficilis, tùm quia hæc intentio sufficit ad operandum humano modo, ergò, & à fortiori sufficit actualis, à qua procedit virtualis, & bonum est, ut procuretur, licet non sit necessaria, ut benè *S. Thomas 3. par. q. 64. art. 9. Toletus lib. 2. cap. 16. Bellarminus lib. 1. de Sacramentis cap. 27.*

Dices, si aliquis tenetur crastina die sacrificium pro anima Caij applicare, & hodie dicat in mente sua *Volo crastina die sacrificium offerre pro Caio*, satisfacit obligationi, etiam si posteà non habeat aliam voluntatem applicandi sacrificium, ergò ad applicandum sacrificium sufficit habitualis intentio, nam illa voluntas, quam habeo hodie applicandi, per somnium, aliasque impertinentes actiones interrumpitur, ergò etiam ad Sacramentum sufficiet intentio virtualis.

Respondet *Vasquez in 3. par. disp. 38. cap. 6. num. 74.* negans antecedens, quia applicare si quis tenetur, non satisfacit, nisi applicet, dùm de facto offert, offerre enim est applicare ait *Vasquez*: huic opinioni videtur accedere *Beia par. 1. casu 23. & Fraxinellus de obligation. sacerdot. sect. 4. conclus. 4. §. 7. num. 1.* dùm dicunt Sacerdotem in Memento debere applicare sacrificium iis, pro quibus offert.

Respondeo Ego cum communi concedendo antecedens, ità enim concedit *Suarez de Sacramentis disp. 13. sect. 3. conclus. 2. Bonacina disp. 1. quæst. 3. punt. 2. §. 3. num. 11. Diana tom. 1. de celebratione missarum resol. 57. Lugo disput. 8. sect. 6. num. 93.* Nego tamen consequentiam, quia voluntas applicativa sacrificij non est necesse, ut sit operativa sacrificij, sed solùm applicative fructus ejus, & ideò fieri potest per simplicem voluntatem, quæ antecedat ipsum sacrificium, & posteà nihil circa ipsum operetur, at verò intentio conficiendi Sacramentum debet esse intentio operativa conficiendi ipsum Sacramentum, ergò quando nihil actualiter, vel virtualiter operatur, non est ad Sacramentum sufficiens, neque est propriè voluntas efficax ejus, licèt aliter, & non benè respondeat *Lugo loc. citato numer. 79.*

Petes quomodo explicetur hæc intentio virtualis sufficiens ad hoc Sacramentum?

Prima opinio est, quòd hoc modo explicanda sit hæc virtualis intentio. Suscepit quis ordines sacros, ut fiat Sacerdos, & minister Ecclesiæ, & absque alia intentione solet celebrare, & ministrare Sacramentà sine ulla contraria intentione ejus, quam primo loco habuit, hic conficit Sacramenta, ità *Henriquez in summa lib. 1. cap. 10. Valentia tom. 4. disp. 3. q. 5. p. 3.*

Sed contra, quia illa intentio est habitualis, utpotè interrupta per plures actiones impertinentes, ergò rejicienda, ut benè *Bonacina q. 3. pun. 2. §. 3. prop. 4. num. 15.*

Secunda opinio, & verior, est considerari virtualem intentionem hoc modo, incipit quis sacrum intendens celebrare, vel induit vestes sacerdotales, vel recedit à domo, & posteà totum sacrum omninò distractus dicit, validè enim hic celebrat cum debita virtuali intentione, *Coninchus d. q. 64. art. 8. dub. 2. num. 71. Bonacina disp. 1. de Sacramentis disp. 3. p. 2. & 3. Reginaldus in praxi tom. 2. lib. 26. cap. 3. num. 38. Diana tract. 17. & 3. miscell. resol. 32.*

Ex quibus infertur, confici Sacramentum Eucharistiæ à Sacerdote, qui secum tulit hostiam ad altare, quam antequam se indueret, intendit consecrare, vel habuit intentionem celebrandi, seque continuò contulit ad Ecclesiam, sed tempore oblationis, consecrationis, &c. Stetit omninò distractus, ille veró, qui prolatis aliquibus verbis substantialibus formæ, advertit se nullam habuisse intentionem non validè conficit Sacramentum, secùs si non essent de substantie verba prolata, teneretur, ergò iterum dicere formam. Hinc invalidè consecrat, qui profert sine debita intentione illa verba, *Hoc est*, deindè cum debita intentione diceret *corpus meum*, è contra validè baptizat, qui incipit dicere sine debita intentione *Ego*, deindè cum debita intentione dicit *baptizo in Nomine Patris*, *&c.* DD. citati.

Infertur secundò non validè baptizare eum, qui prævidens inebrietatem intendit, & determinat aliquos ebrietatis tempore baptizare, tùm quia tempore ebrietatis non est intentio, tùm quia tunc actus non fieret humano modo, ergò

Neque dicas petentem baptismum in ebrietate, vel amentia, validè recipere in ebrietate, vel amentie, *cap. majores de Baptismo*, ergò etiam validè baptismum administrat, qui ante ebrietatem intendit baptizare.

Respondeo negando consequentiam, & disparitas est, quia plura requiruntur ad agendum, quàm ad recipiendum, undè in recipiente Sacramentum usus rationis non requiritur, at secùs in administrante, ità *Suarez disp. 13. sect. 3. concl. 1.* & alij ubi supra.

Rogabis secundò quid dicendum de intentione conditionali in Sacramento adhibita?

Pro responsione suppono, conditionem triplicem esse in materia nostra. Prima est de præsenti, ut si quis dicat, Ego te baptizo, si es masculus. Secunda de præterito, ut ego te baptizo, si non es baptizatus. Tertiò de futuro, ut si quis dicat, absolvo te si cras restitueris, vel ego te baptizo, si dederis centum Caio, distinguunt aliqui conditiones de futuro in necessarias, & contingentes, necessaria est, v. g. absolvo te si Sol cras orietur, contingens est illa, de qua supra, & sub conditione de futuro necessaria putant posse conferri Sacramentum: Hoc posito.

Dico primò, si conditio apponatur de præsenti, vel de præterito valet Sacramentum si conditio posita sit; undè potest Sacerdos, qui dubitat an formam absolutionis benè protulerit, dicere Ego te absolvo si non es absolutus, idem de baptismo quando id dubitatur: ratio à priori est, quia conditio de præterito, vel de præsenti non suspendit actum, cum non sit propriè condi-

conditio, quod si conditio non verificatur, nihil operatur Sacramentum, quia minister non intendit conficere nisi sub conditione si res ità sit; ad valorem autem sacramenti requiritur intentio ministri, & hæc est communis doctrina Theologorum, teste *Coninchs* 3. *par.* q. 64. *art.* 8. *dub.* 2. *num.* 61. *Suarez disp.* 13. *sect.* 2. *Pater Lugo disput.* 13. *de pænitentia sect.* 5. & aliis supra citatis.

Dico secundò. Sacramentum administratum sub conditione de futuro non est validum, sive sit conditio necessaria, sive contingens; ità communiter Theologi ubi supra; est tamen contra Modernum quendam, de quo *Pater Lugo*, qui putabat posse administrari speculativè loquendo Sacramentum sub conditione de futuro, est etiam contra alios, qui id putant posse fieri sub conditione necessaria de futuro.

Probatur prima pars, quod scilicet non valeat sacramentum sub conditione de futuro, quia vel est validum statim, vel tempore adimpletæ conditionis, sed neutro modo dici potest, ergò minor probatur, quia non est validum tempore edimpletæ conditionis, cum tunc temporis non existat materia, & forma, quæ sunt partes necessariò requisitæ ad validitatem Sacramenti, neque statim, quia minister non intendit conficere statim sacramentum, cum voluntas conditionata, quamdiù talis est, maneat suspensa, & nihil operetur, sed solùm intendit conficere adimpleta conditione de futuro, ergò sacramentum non est statim validum, ergò nullo modo est validum, exceptuatur tamen matrimonium, quia hoc sacramentum habet rationem contractus, à quo non currit paritas ad alia Sacramenta, alioquin enim sequeretur posse per nuntium, per epistolam, & per nutum dari alia sacramenta, sicut potest matrimonium, quod falsum est, ut benè *Lugo disputat.* 13. *sect.* 5. *num.* 118.

Probatur secunda pars etiam scilicet si apponat conditionem necessariam; quia ut benè *Caninchaus*, & *Lugo ubi supr.* utraque conditio pariter suspendit actum ergò utraque æquè impedit effectum sacramenti de præsenti, nisi tamen illa conditio necessaria adjiciatur non ad suspendendum actum, sed ad declarandum certius intentionem, quasi diceret quis, tàm certò te absolvo, sicut est certus ortus Solis, tunc enim valet Sacramentum. *Lugo ubi supra.*

Petes an peccet mortaliter, qui apponit conditionem in conficiendis Sacramentis?

Respondeo, peccare mortaliter, non solùm si apponat conditionem de futuro, sed etiam de præterito, vel de præsenti sine rationabili causa. Ratio est, quia exponeret se periculo, administrandi sacramentum invalidè, quia cum sacramentum non valeat absque intentione ministri, & minister non intendat conficere sacramentum, nisi dependenter à tali conditione, & fieri potest, ut talis conditio non subsistat; sequitur invalidè posse administrari, & consequenter illum graviter peccare, subsistente verò causa potest sacramentum administrari sub conditione de præsenti, vel de præterito, undè si dubitaverit Sacerdos an pœnitentem absolverit, poterit dare absolutionem sub conditione, si non es absolutus, ego te absolvo, vel si non te absolvi, ego te absolvo DD. ubi supra.

TITULUS III.

De Baptismo.

Titulus hic ad præcedentes tali ordine continuatur. Dixerat *Paulus in §. fin. tituli præcedentis*, se esse primo loco tractaturum de Baptismo, quod est janua omnium sacramentorum, meritò ponitur hic titulus. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, quod verbum hoc *baptizo*, est verbum Græcum, quod latinè significat *lavare*, hinc legitur in libro *Judith cap.* 12. quod Judith exibat in vallem, & baptizabat se; idest lavabat se.

Sciendum secundò est, baptismum multis modis posse definiri, ut videre est apud Theologos in 3 *par. S. Thomas quæst.* 66. *Summistæ in verb. Baptismus*, *Canonistæ in rubrica de Baptismo lib.* 3. *decretal. tit.* 42. ubi *Barb.* & omissis pluribus definitionibus, dico, quod Baptismus est Sacramentum consistens in ablutione corporis exteriori sub præscripta verborum forma à Christo instituta ad regenerationem spiritualem; post alios *Bonacina disp.* 2. *de Baptismo q.* 2. *puncto* 1. fuit autem baptismus institutus à Christo, ut supra diximus de omnibus sacramentis, & licèt aliqui, dicant eum fuisse à Christo institutum, quando post resurrectionem *Matth. cap. ult.* ait, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; tamen veritas est, quod fuerit à Christo institutus in Jordane, quando fuit Christus baptizatus à Joanne, nam tunc indicata fuit materia, scilicet aqua. indicata fuit forma, quæ est invocatio Sanctissimæ Trinitatis, nam persona Patris fuit indicata in voce Patris, persona, Filij manifestata fuit illis verbis, *Hic est Filius meus dilectus, &c.* persona Spiritus sancti in specie Columbæ, per descensum verò Columbæ, & Cælorum aperturam fuit demonstratus effectus Baptismi, *S. Thomas* 3. *par. q.* 66. *art.* 2. quando verò Christus ait *Euntes docete, &c.* mandavit potius baptismum promulgari, quam instituit. Alij verò, & forsan melius putant, baptismum inchoatum fuisse in Jordane; sed institutionem completam jam fuisse, quando Christus ait, *Euntes, &c.* legas *Bonacinam ubi supra.*

Sciendum secundò est ex nostro textu, baptismum successisse in locum circumcisionis, ut habetur in nostro textu; ob multas autem rationes Christus Dominus in locum Circumcisionis subrogavit baptismum; Primò quidem quia Sacramentum Baptismi est perfectius circumcisione, confert enim characterem incorporantem hominem Christo, quod non faciebat circumcisio, ut supra.

Secundò, quia licèt, per circumcisionem tolleretur peccatum, & evitaretur pœna damnationis, tamen per illam non poterat quis pervenire ad regnum cœleste, per baptismum verò peccatum tollitur; damnationis periculum evitatur, & aperitur Regnum cœleste, ità ut si infidelis adultus illicò baptizatus decederet non sentiret Purgatorij pœnas, *cap. nullus de pænit.* 7. *dist.* qui textus ponderatur primò ad hoc, quod *Augustinus* dicit ibi, Auctoritate *Ezech.* 33. in ultimo vitæ de peccatis præteritis posse pœnitentiam agi, quod idem fieri *Papa* docet *in cap. nemo eadem distinct.* ex quibus latè id probat *Menochius lib.* 6.

præsumpt. 94. licèt in hoc non debeat quis confidere secundùm *S. Augustinum*, sic intelligendum, relatum per *Gratianum in cap. si quis positus*, *& in cap. si quis autem de pœnit.* 7. *dist.* quod si petat quis in mortis periculo pœnitentiam fictè, non est concedenda secundùm *textum* sic intelligendum *in cap. ideircò de pœnit.* 7. *dist.* ut patet ex litera *textus* ibi. *Pœnitentiam non agentes.* Idem *textus in cap. nullus in verf. ibi: excedit omnem pœnam*, ponderatur ad hoc quamlibet pœnam purgatorii graviorem esse quæcumque pœna hujus vitæ, latè *Cardin. Bellarminus lib.* 2. *cap.* 14. *Laverius de indulgentiis p.* 2. *cap.* 29. *num.* 56. *ex Thoma in* 4. *dist.* 20. *q.* 1. *art.* 2. in Purgatorio putat *Sotus in* 4. *dist.* 20. *q.* 1. *art.* 2. nunquam animam post decem annos, vel ad summum 20. permansuram, sequitur *Vivaldus in candelabro aureo de Purgatorio num.* 19. *& Rodriquez in explicatione Bullæ cruciatæ §.* 7. *n.* 7. quia cum tales animæ sint Deo ex charitate conjunctæ, non est credibile, quod velit Deus eas acerbissima pœna excruciare ultrà tale tempus: at verius est non posse tradi certam regulam in particulari, quia pro qualitate peccatorum datur talis pœna, juxtà regulam *textus in cap. non afferamus* 24. *q.* 1. *in fine*, & illud *Apocalypsi* 18. *Quantum se glorificavit*, *& in deliciis fuerit*, *tantùm date illi de tormentis*, & in aliquibus usque ad diem Judicij durabunt pœnæ Purgatorij, ut ex multis revelationibus probat *Bellarminus lib.* 2. *cap.* 9. & ad argumentum *Soti* dico, quod in vita est tempus misericordiæ, sed in morte tempus justitiæ, legas *Barbosam in collect. ad textum in d. cap. nullus.*

Tertiò, quia Sacramentum baptismi est magis commune, quàm circumcisio, quia solùm masculi circumcidebantur antiquitus.

Quartò, ob honestatem, quia honestius est, aqua lavari, quàm gladio circumcidi DD. communiter *in cap. majores de Baptismo*; *Campanilis in diverforio juris canonici*, *rubrica* 1. *num*, 26. *Bonacina disp.* 1. *de Sacramentis quæst.* 3. *p.* 3. §. *unico*, *Barb. in collect. ad tex. in d. cap. Majores de Baptismo.*

Et est advertendum, quod Baptismus Joannis non habuit eandem virtutem, hac Baptismus Christi, ut in *Trident. sess.* 7. *can.* 1. *de Baptismo*, ibi, *Si quis dixerit*, *baptismum Joannis habuisse eandem virtutem cum baptismo Christi*, *anathema sit*, talis enim Baptismus Joannis fuit præparationis baptismi Christi, ut quasi quodam præludio baptizari assuescerent, *can. non. regenerabantur dè consecrat* 4. *distin*, qui *textus* colligitur ex *S. Augustino in cap.* 49. *sui Enchyrid.* post alios *Barbosa in collect. ad textum prædictum*, & est legenda *tota* 4. *dist. de consecrat.* ubi latè de Baptismo agitur.

Ex quo baptismus Joannis non aliter liberabat à peccato originali, nisi esset quis circumcisus, dicebatur tamen baptismus pœnitentiæ, quam Joannes prædicabat in deserto, dicens, *Pœnitentiam agite*, *&c. glossa in d. can. non regenerabantur.*

Sciendum est tertiò, Baptismum esse necessarium necessitate medij in re, vel saltem in voto, quando non adest facultas illud suscipiendi in re, ut autem hoc intelligas, scias quod datur baptismus in re, & est quando quis verè, & realiter baptizatur, datur baptismus in voto, & est quando quis facit aliquid, in quo continetur votum, & propositum baptismum suscipiendi, ut accidit quando quis non potest actualiter baptizari defectu ministri, materiæ, vel alterius causæ, elicit actum contritionis, vel dilectionis Dei super omnia, hic enim dicitur habere baptismum in voto saltem implicitè, quia contritio includat propositum vitandi omnia peccata, & servandi legem Dei, ut infrà dicemus cum de contritione, sequitur eum, qui habet actum contritionis, vel dilectionis Dei super omnia, habere baptismum in voto, idest in voluntate, & desiderio, qood continetur in actu dilectionis, & contritionis. Idem dicas de martyrio, in quo continetur votum baptismi, nam qui martyrium suscipit ità est affectus, ut susciperet baptismum, si haberet facultatem illud suscipiendi. Hoc positum.

Probatur, baptismum esse necessarium necessitate medii, sive in re, sive in voto, quia illud est necessarium necessitate medij, sine quo salus non potest obtineri, se sine baptismo in re, vel in voto non potest salus obtineri, ergò probatur minor ex illo loco *Joannis* 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, *& Spiritu sancto*, *non potest introire in Regnum Dei*, & ità concludunt communiter Doctores apud *Filiuccium tract.* 2. *cap.* 6. *q.* 1. *num.* 116.

Ex quo infertur esse etiam necessarium Baptismum necessitate præcepti, tùm quia quod est necessarium necessitate medij, est etiam necessarium necessitate præcepti, quia non assumens medium sibi necessarium, peccat, & consequenter facit contra aliquod præceptum, quo tenetur unusquisque sibi consulere; tùm quia *Matthæi* 28. dicitur, *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos*, *&c.* quo loco Christus præcepit Apostolis, ut baptismum gentibus præciperent; undè adulti quamprimum commodè, & dignè possunt, tenentur baptismum recipere, *Suarez disp.* 31. *sect.* 3. *Coninch. q.* 66. 3. *par. art.* 2. *dub.* 1. & pater tenetur curare, ut filij nati quamprimùm baptizentur, quia tenetur curam habere de sua familia, eiquè consulere in necessitatibus, quare in Concilio Provinciali Mediolanensi est imposita pœna excommunicationis contra parentes, qui non curant, baptizari infantem ante nonum diem, teste *Bonacina de Sacramentis disp.* 2. *q.* 2. *p.* 2. *prop* 2. *num.* 2. idem determinatum in *Synodo Panormitana* refert *Diana de Sacramentis resol.* 8. regulariter verò præcisa synodali dispositione tenentur parentes suos filios, quàm primum baptizari, quæ particula (quàm primum) secundùm *Sotum in* 4. *dist.* 5. *q. unica art.* 3. intelligit infra 8. 12. vel 13. dies, & ego addo cum *Vasquez*, & aliis apud *Dianam* posse ex legitima causa, puta si expectaretur patrinus, &c. differri baptismus per plures dies quàm *Sotus* dixit, dummodò non immineat mortis periculum.

Infertur secundò, quòd si cathecumenus sit constitutus in gratia per actum contritionis, tenetur adhùc suscipere baptismum, quia tenetur adimplere præceptum baptismi, *Coninchus loco citato dub.* 3. sic si daretur aliquis, qui ex Dei privilegio in utero matris fuisset justificatus, quod adhuc teneretur baptizari, undè Apostoli, & Beata Virgo quamvis ante baptismi completam institutionem recepcrint gratiam, nihilominus tenebantur recipere baptismum post evangelii promulgationem, ut fierent capaces Sacramentorum, quorum Janua est baptismus, & ut signo characteris distinguerentur ab infidelibus, quia vero de facto Apostoli, & Beata Virgo ante universalem promulgationem Evangelii baptizati fuere, ut explicat *Gloss.* in illa verba, *qui lotus est*, *&c.* consequenter sequitur, Beatissimam Virginem, & Apostolos post Evangelij promulgationem, immunes fuisse ab obligatione iterum suscipien-

suscipiendi baptismum, quia jam satisfacerant obligationi; sicut debitor, qui creditori solvit ante terminum præfixum, non tenetur adveniente termino ad novam solutionem, post alios *Filiuccius tract. 2. cap. 6. q. 5.*

Si verò petas, quo baptismo fuerit baptizata Beata Virgo, & Apostoli? respondeo secundum communem opinionem baptismo Christi, & quidem Apostolos à Petro, Beatam Virginem, & Petrum à Christo. *Bonacina disp. 1. de Incarnatione q. 2. p. 2. num. 6.* & ultrà baptismum accepit Eucharistiam confirmationem, & extremam unctionem, licèt de hoc ultimo probabile putent oppositum alij apud *Bonacinam.* Pœnitentiam non recepit ex defectu materiæ, scilicet peccati, neque sacramentum ordinis suscepit, quia fœminæ sunt incapaces illius sacramenti, matrimonij non suscepit, quia licet illud contraxerit cum S. Joseph, tamen non erat tunc Sacramentum, DD. citati. Non tamen Beata Virgo fuit baptizata ad tollendam maculam alicujus culpæ originalis, in qua non fuit concepta ex peculiari Dei dispensatione, vel quia sanctificata in utero, qua de re *Gabriel in 4. sentent. q. 2. dist. 4. Paludanus in 4. dist. 6. q. 1. art. 4.* Ego verò dico non fuisse conceptam in peccato originali cum communi Theologorum sententia apud *Bonacinam de Incarnatione disp. 1. q. 3. puncto 1. propos. 2.* tum ut verificentur verba Canticorum, *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te,* tùm quia dispensavit Deus cum Virgine in illa lege, *In dolore paries*, & in illa alia, *In pulverem reverteris*, & in illa etiam, *Omnes in Adam peccaverunt*, immò in instanti conceptionis fuit accelleratus usus rationis, quo accelerato se disposuit ad gratiam, eique propriis actibus fuit data gratia sanctificans, ut contra *S. Thomam 3. par. q. 27. art. 4.* putantem ex gratia Christi sine ullo merito, & proprio actu eam habuisse, tenent *Vasquez, Suarez Cajetanus*, & alij apud *Bonacinam ubi supra p. 2. num. 4.* Immò semper crescebat in gratia Beata Virgo, etiam, post divini Verbi incarnationem, quia erat in via, non in termino, & etiam merebatur dormiens, quia sine ulla intermissione merebatur, juxtà illud, *Ego dormio, & cor meum vigilat*, ut probabile putant Theologi apud *Bonacinam ubi supra num. 7.* Immò (& hoc pro devotis B. M. V.) tantam gratiam accepit Maria nostra Mater, ut superaret omnes Angelos, & Sanctos collectivè acceptos, quia exaltata est super omnes Choros Angelorum, & Sanctorum, immò Beata Virgo perfectius videbat divinam essentiam, quàm omnes Sancti, & Angeli simul, ut benè *Suarius tom. 2. in 3. par. disp. 28. sect. 4. conclus. 2. & disp. 21. sect. 3. Valentia tom. 4. in 3. par. disp. 2. q. 1. p. 5.* quicquid putet contrarium *Bonacina*, imò & malè asserit, nostram sententiam non esse apud populos prædicandam, audivi ego enim eam à pluribus Mariæ devotis, & doctissimis Patribus prædicatam.

Si verò petas secundò, quando nam incepit obligatio suscipiendi Baptismum.

Respondeo, non incepisse ante Christi mortem, quia tunc erat lex vetus obligans, quæ duravit usque ad mortem Christi, quod patet tùm ex scissione veli templi, quæ significavit, legem veterem tunc cessasse, tùm ex verbis Christi, *Consummatum est*, quasi diceret, jam cessavit lex vetus.

Post Christi mortem obligavit lex Baptismi eos, quibus fuerat promulgatus ante Christi mortem, licèt Evangelium non fuisset omnibus promulgatum, sicut leges Principis prius obligant in Urbe, quàm alibi. Quoad omnes verò baptismus obligavit post sufficientem promulgationem Evangelij, factam in universo mundo, quæ promulgatio facta fuit in die Pentecostes secundùm aliquos, quos tempore Apostoli prædicaverunt varijs linguis omni nationi Judæorum concurrentium. Alij putant cæpisse universalem obligationem paulò post excidium Jerusalem, quod accidit anno 40. post Christi passionem, quo tempore Apostoli obierant, & Evangelium toto Orbe prædicaverant, qua de re *Bellarminus de Baptismo c. 5. Filiuccius tract. 2. cap. 6. q. 2. num. 120. Scotus in 4. dist. 3. q. 4.*

Illi verò, qui existunt hodie in partibus remotis cum invincibili ignorantia Baptismi, & legis Christi, damnantur, quia non habent baptismum in re, vel in voto; putat verò *S. Thomas 2. 2. q. 10. art. 4.* & alij apud *Bonacinam de Baptismo disp. 2. q. 2. p. 2. num. 15.* salvari hos tales, si naturæ legem servaverint, quia credibile est, Deum servanti legem naturalem daturum gratiam specialem, quo se valeat ad ipsum convertere, quæ opinio *Suarez* pietati Dei conformis videtur.

In §. Non tamen.

Notat hic *Paulus*, quod licet in Baptismo plena contingat peccatorum remissio, non tamen contingit plena nativitas, & sic remanet fomes peccati, colligitur *ex cap. non ex eo de consecrat. dist. 4.*

Ad cujus intelligentiam sciendum primò est, tres effectus causare Baptismum.

Primus est Gratia habitualis, Secundus est Remissio totius pænæ, Tertius est Character. Dico ergò, per baptismum peccatum remitti originale, *Trident. sess. 5. de peccato originali*, & simul cum peccato originali remittuntur peccata actualia ante baptismum commissa, *cap. ex quo de consecrat. 4. dist.* quia gratia sacramentalis facit hominem simpliciter Deo gratum, & amicum, ergò excludit omne peccatum, DD. communiter relati per *Barbosam in collect. ad textum in d. cap. ex quo, Ricciullus lib. 4. de jure personarum c. 58. num. 17.* & ideò *Trident. sess. 6. de justific.* ait, per baptismum conferri justificationem, delentem omnia peccata; licèt ergò per se sit ordinatum ad solum originale, potest tamen per accidens delere mortale, & actuale.

Sciendum secundò est, quod per Baptismum pueris æqualis confertur gratia, adultis verò inæqualis pro ratione majoris, vel minoris dispositionis, *S. Thomas 3. par. q. 69. art. 8.* ubi *Nugnus concl. 1. Suarius tom. 3. in 3. par. disp. 28 sect. 3*, immò delet omnem pænam peccatis debitam, ut est de fide, & definitur *in Concilio Florentino in decretis Armenorum*, ubi habetur. Baptizatis non imponi pœnitentiam pro peccatis præteritis, ergò Baptismus delet omnem pœnam, alioquin esset imponenda satisfactio: *S. Thom. 3. par. q. 69. art. 2.* undè statim evolat in Cœlum, qui statim moritur suscepto baptismo, antequam ullam culpam committat: non tamen tolluntur per baptismum pœnalitates, quæ remanserunt post originale, ut concupiscentia inordinata, mors, ægritudines, &c. ut patet experientia *S. Thomas ubi sup. art. 3.* aliique relati per *Barbosam in d. cap. Majores de Baptismo num. 8.* habet tamen baptismus virtu-

virtutem auferendi in justis tales pœnalitates in resurrectione, quando mortale hoc induet immortalitatem, *Corinth.* 1. *cap.* 15. *S. Thomas ubi supra art.* 3. *Barb. ex illo textu in cap.* 1. *de consecrat.* 4. *dist. Bonacina disp.* 2. *q.* 2. *p.* 7. *num.* 7. noluit autem Deus, has pœnalitates auferri, ut pugnam exerceremus spiritualem, ad ejus exemplum, cum indecens sit sub capite spinoso membra esse delicata.

Sciendum est tertiò, Baptismum alium conferre effectum, scilicet characterem, quamvis sit collatus à Pagano, vel Hæretico, undè non potest reiterari, quia sicut impossibile est hominem bis nasci, ità est impossibile bis renasci per Baptismum: immò id etiam procedit, quando quis in peccato mortali recepisset Baptismum, quia licèt tale peccatum, vel obex impediat collationem gratiæ, non tamen impedit effectum characteris, qui non habet contrarium; sic colligitur ex *Trident. sess.* 7. *de Baptismo*, *& Suarez disp.* 22. *sect.* 2. *& disp.* 31. *sect.* 6. *Valentia tom.* 4. *q.* 1. *pun.* 4. *Filiuccio tract.* 2. *cap.* 7. *q.* 1. *num.* 151. *ex Bonacina*, & aliis ubi sup.

Ex quibus infertur per Baptismum remitti peccatum originale, quod originale trahitur ab Adamo & punitur pœna damni, scilicet privationis Dei, ad differentiam peccati actualis, pro quo ultrà pœnam damni, datur pœna sensus, de qua materia *Azorius lib.* 4. *par.* 1. *à cap.* 25. *usque ad* 33. *Lavorius de indulgentiis par.* 2. *cap.* 1. ultrà alios quos allegat *Barb. in d. cap. Majores à num.* 6. *usque ad num.* 12.

Infertur secundò habere alios effectus secundarios, scilicet tollere irregularitates omnes ex delicto provenientes, *cap. unà*, *cap. deindè* 26. *dist.* qui textus sunt omninò videndi, & unus est *Innocentij*, scilicet *textus in cap. deindè*, *textus* verò *in cap. una est Ambrosij*, verùm advertè irregularitatem non dici propriè tolli per Baptismum, cum ante Baptismum nulla sit propriè irregularitas; sed melius est si dicamus hominem non affici irregularitate ob defectum existentem ante Baptimum.

De Bigamia verò est difficultas, an scilicet matrimonia contracta ante Baptismum efficiant contrahentem Bigamum, & irregularem? & prima opinio fuit *S. Hieronymi in cap. unius* 1. 26. *dist. & in cap.* 1. 28. *q.* 3. quod scilicet non faciant irregularem, sequitur *glossa ordinaria*, *& Nicolaus de Lyra* 1. *ad Thim.* 3. *Major in* 4. *dist.* 27. *q.* 6. *dub. ultimo*, *Almainus in* 4. *dist.* 26. *q.* 1. dat rationem *S. Hieronymus*, quia ea matrimonia jam baptizato non imputantur quasi novus homo per baptismum effectus sit, sicut nec stupra, & adulteria ante baptismum patrata imputantur ei.

Secunda opinio contraria est *S. Augustini in epistola ad Titum*, *& de bono conjugali cap.* 18. refertur *in cap. acutius d. dist.* 26. & jam est definitum ab *Innocentio* 1. *in cap. deindè eadem dist.* 26. *& in cap. Si quis viduam il* 1. 34. *distin.* sequuntur *S. Thomas in* 4. *distin.* 27. *quæst.* 1. *art.* 4. *& in supplemento ad* 3. *par. quæst.* 66. *art.* 4. *Covarr. in clem. Si furiosus par.* 1. *§.* 2. *num.* 5. *Bellectus par.* 1. *disq. cleric. de disciplina clericorum*, *§.* 5. *num.* 148. *& §.* 6. *num.* 17. *Campanilis rubrica* 11. *cap.* 6. *num.* 3. *Sanchez lib.* 7. *de matrimonio*, *disp.* 83. *n.* 9. *Ricciullus lib.* 2. *de jure personarum cap.* 7. *num.* 21. *Grisaldus in decision. fidei in verbo Bigamia d.* 3. *Barbosa in collect. ad textum in d. cap.* 1. 26. *dist.*

Ratio est, quia Ecclesia non induxit impedimentum hoc ad ordines suscipiendos in alicujus delicti pœnam, ut ea per baptismum unà cum delicto remittatur, sed quia tale matrimonium non est aptum ad significandam conjunctionem Christi cum Ecclesia, qui defectus æquè invenitur in matrimonio ante Baptismum, ac post illud facto, sicut ante Baptismum corrupta, non consecratur post illud instar virginum, legas *Abbatem in cap. Gaudemus de divortiis*, *& DD. citatos.*

Undè nota ex *textu in d. cap. unius*, quod Judæus factus christianus, puniri non potest ex delictis ante baptismum commissis, *Farinacius par.* 3. *praxis q.* 98. *num.* 145. *Barb. in cap. Gaudemus de divortiis num.* 23. *Ricciullus lib.* 4. *tit.* 69. *num.* 17. *& in tractatu de Neophitis cap.* 9. *num.* 26. ubi ex communi, & receptiori tenet, teneri Neophitum ex delicto commisso ante Baptismum sequitor *Barbosa in cap* 1. *&* 3. 26. *distin.*

Infertur tertiò, Baptismum causare secundario alium effectum, scilicet obligare fidelem baptizatum ad servanda Ecclesiæ præcepta, nam homo per baptismum fit subditus Ecclesiæ, & promittit saltem implicitè Ecclesiæ obedientiam, sicut suscipiens ordines emittit implicitè votum castitatis, *Trident. sess.* 7. *de Baptismo can.* 7. ex quo id colligit *Vasquez* 3. *par. tom.* 2. *disp.* 156. *num.* 68. *Bonacina*, & alii ubi supra.

Sciendum est quartò, recipientem baptismum debere esse dispositum, inter quas dispositiones.

Prima est intentio actualis, vel virtualis recipiendi Baptismum si loquamur de adulto, quia, ut ait *Augustinus*, *Qui fecit te sine te*, *non salvabit te sine te*. In pueris Ecclesia, & Christus supplent intentionem, & dispositionem, quia sicut in Adamo peccarunt, ità alterius scilicet Christi, & Ecclesiæ sufficit voluntas, *can. illud* 7. *de consecrat.* 4. *dist.* ubi *Barbosa*, *cap. nulla præter eadem dist.* 4. *cap. Firmissimè eadem dist.* 4. Quod de puero dixi, dicas de amente perpetuo à nativitate, non habente lucida rationis intervalla, *Sanctus Thomas* 3. *par. quæst.* 68. *artic.* 12. ubi DD.

Secunda dispositio est (ut scilicet recipiatur cum fructu) in adulto fides spiritualis, *Matth. ultimo*, *Baptizantes*, *&c. & Marci* 11. *Qui crediderit*, *&c.* Dari tamen casus potest, ut quis non habeat fidem infusam, & recipiat nihilominus verum baptismum, & characterem, quamvis non recipiat fidem, & gratiam. Exemplum erit, si quis sit ab hæretico instructus, & habeat intentionem recipiendi, quod Christus instituit, quidquid illud sit, hic enim recipiendo baptismum validè illud recipit, sed non accipit gratiam; & quidem quod recipiat baptismum, patet, quia alioquin esset rebaptizandus hic talis, & ex alio capite adest materia, forma, & intentio, ergò, quod verò non recipiat gratiam, patet, quia non habet fidem, sine qua non potest placere Deo, quod verò neque recipiat fidem infusam, patet ex eo, quod non est sufficienter dispositus ad illam recipiendam, ità post alios *Bonacina disput.* 2. *q.* 2. *p.* 6. *prop.* 2. *num.* 20.

Tertia dispositio in adulto est attritio, patet ex *Trident. sess.* 6. *can.* 6. unde non requiritur confessio sacramentalis, cum Baptismus sit omnium sacramentorum janua, quæ attritio debet esse supernaturalis, scilicet debet procedere ex auxilio Dei supernaturali ob metum Inferni, vel turpitudinem peccati, *Trident. sess.* 6. *can.* 6. *&* 14. *can.* 4. ubi attritionem vocat *Concilium Donum Dei*, neque opus est, ut putetur contritio DD. citati, cum de sacramentis in genere. Quod si adul.

adultus recipiat Baptiſmum cum ſolo originali (qui caſus in opinione *S. Thom.* eſt impoſſibilis, quia tenet, non poſſe in adulto reperiri peccatum originale ſine actuali, quia homo ſub peccato mortali cum habet rationis uſum tenetur ſe ad Deum convertere, quod tamen contra *S. Thomam, Sotum, & Navarrum*, tenet *Vaſquez diſp.* 149. *cap.* 2.) tunc non opus eſſet pœnitentia, ſeù deteſtatione peccati originalis, quia actus deteſtationis habet pro objecto peccatum à ſe commiſſum, quale non eſt originale, ex *Bonacina loco citato.*

Sciendum eſt quintò, quod licèt adultis baptizatis non ſit imponenda pœnitentia, ſeù ſatisfactio aliqua, tamen tenetur adultus prædictus baptizatus reſtituere ablata, & ſatisfacere de uſuris illicitis, *S. Thomas* 3 *par. q.* 58. *art.* 5. undè uſurarius, ut baptizetur opus eſt, ut præſtet uſuras, vel ſaltem det cautionem de illis reſtituendis, DD. communiter apud *Bonacinam*, & alios citatos, ſicut neque liberatur à ſervitute quis per Baptiſmum per ſe loquendo, *S. Thomas in* 4 *diſt.* 39. *art.* 4. *ad* 1. quia nullo jure conſtat liberari hominem à ſervitute per Baptiſmum. Dixi per ſe loquendo, quia alicubi receptum eſt in favorem fidei, ut ſervus fiat liber per baptiſmi ſuſceptionem. Sic ſi infidelis eſt condemnatus ad mortem, & ſpontè petat baptiſmum, eſſet ei à Principe chriſtiano vita donanda, ut ex pluribus probat *Anliſius de modo adjuvandi morientes morti violenta cap.* 24. *in fine.*

Sciendum eſt ultimò, quod ſi quis baptiſmum recipiat cum complacentia peccati venialis, reciperet effectum baptiſmi, & remiſſionem aliorum peccatorum, nam non per hoc impedimentum poneret, quin gratiam reciperet, quia impoſſibile eſt peccatum ſimul fieri, & deleri, *Bonacina*, & alij DD. citati.

In §. Baptizandi autem.

AGit hic *Paulus* de Miniſtro Baptiſmi; & ait quod cura baptizandi, ad alios Sacerdotes ſpectat, ità ut nec etiam Diacono id competat, niſi ex commiſſione Sacerdotis, ſcilicet Epiſcopi, vel Parochi, vel niſi eſſemus in caſu neceſſitatis, quo caſu, quilibet poteſt baptizare, etiam laicus, ut habetur hic, & in *cap. Conſtat de conſecratione diſtin.* 4. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum eſt primò, quod miniſter Baptiſmi duplex eſt, alius ſcilicet ſolemnitatis, alius neceſſitatis. Miniſter ſolemnitatis eſt ille, cui ex officio competit baptizare cum debita ſolemnitate: miniſter verò neceſſitatis eſt ille, ad quem non ſpectat ex officio baptizare, ſed ob neceſſitatem tantùm.

Sciendum ſecundò eſt, miniſtrum ſolemnitatis, & ex officio eſſe omnem Sacerdotem habentem curam animarum, ut Epiſcopum, & Parochum, *cap. conſtat de conſecr. diſt.* 4. Epiſcopo enim competit jus baptizandi in Diœceſi, Parocho in Parochia, Summo Pontifici in toto Orbe chriſtiano: poſt alios *Bonacina diſp.* 2. *de Sacramentis q.* 2. *p.* 2. *Layman lib.* 5. *tract.* 2. *cap.* 7. *Barboſa de poteſtate Parochi cap.* 18. *num* 1. qui tenent, graviter peccare parentes ſi prolem ſuam Parocho alieno abſque proprij licentia baptizandum afferant. Ideò præſente Epiſcopo non baptizabit Sacerdos, qui tamen ordo, ſi pervertatur nulla incurritur irregularitas, vel alia cenſura, nam nullibi reperitur talis cenſura *Bonacina*, & alii ubi ſupra. Sic Sacerdos minor Parocho, baptizans extrà neceſſitatem, peccaret mortaliter, ſed non fieret irregularis. Qui verò non eſt Sacerdos, & ſolemniter baptizat extrà caſum neceſſitatis illicitè baptizat, quia peccat mortaliter, & ſi Clericus ſit, fit irregularis, *cap.* 1. *de clerico non ordinato miniſtrante.* Immò *Barb in d. cap.* 1. *num.* 2. ait Clericum etiam baptizantem in extrema neceſſitate ſolemniter fieri irregularem; caſu verò, quo Clericus non Sacerdos, non baptizaret ſolemniter extrà neceſſitatem, non fieret irregularis, quia non exercet actum connexum ordini, ut eſt baptizare ſolemniter,

Diaconus verò ſolemniter non habet ex officio, ut baptizet, *cap. Diaconos* 93 *diſt.* caſu verò, quo baptizaret, non fieret irregularis, etiam extrà tempus neceſſitatis, ſed peccaret, niſi baptizaret ſolemniter, quia tunc efficeretur irregularis, utpotè exercens officium, quod non habet, ſcilicet baptizando ſolemniter, secùs ſi haberet licentiam Parochi, ità *Navarrus conſ.* 1. *&* 2. *ſub tit. de Clerico non ordinato miniſtrante*, *Maceratenſis lib.* 3. *variar. reſol.* 13. *Bonacina de Sacramentis diſputat.* 2. *quæſt.* 2. *p.* 4. *num.* 3. *& de cenſuris diſp.* 7 *quæſt.* 3. *p.* 6. *num* 5. *Barboſa in d. cap.* 1. *de Clerico non ordinato miniſtrante*, qui reſpondet ad *textum in cap. Baptiſma de conſecr. diſt.* quod non ſit uſu receptus, ut ſcilicet Diaconus ſollemniter baptizet, quia adeſt copia Sacerdotum. Putat verò *Diona par.* 5. *tract.* 3. *reſol.* 28. *in fine*, probabile, quod Diaconus baptizans ſolemniter in caſu neceſſitatis non fit irregularis; ſed tu nè recedas à prima opinione, quia exercet Diaconus actum officij, & ordinis, quem non haberet, ſcilicet baptizare ſolemniter, quod non habet, niſi cum licentia Epiſcopi, vel Parochi.

Ex quo collige fieri Clericum irregularem exercendo ordinem, quem non habet, dummodò id fiat ſcienter, & seriò, & ex officio, *Suarius tom.* 5. *de cenſuris diſp.* 11. *ſect.* 3. *num.* 22. *Bonacina de cenſuris diſput.* 7. *q.* 3 *p.* 6. non tamen prædictam irregularitatem incurrit laicus ſolemniter baptizans, quia textus intelligitur ſecundùm rubricam, ſub qua ponitur, ſed ponitur ſub rubrica *de Clerico non ordinato, &c.* ità *Bonacina ubi ſupra p.* 6. *Barb. in d. cap.* 1 *num.* 4 ſic Clericus non ordinatus ordine ſacro, ſi canat ſolemniter epiſtolam, ſcilicet cum manipulo, vel Evangelium cum ſtola, dicitur exercere actum ordinis, quem non habet, & fit irregularis, *Bonacina d. p.* 6. *n.* 9. Clericus verò excommunicatus inſerviendo miſſæ, non fit irregularis, quia exercet actum, qui à laicis ſolet etiam de conſuetudine exerceri, *Maceratenſis d. reſol.* 16. *nu.* 10. *& n.* 71. ait fuiſſe deciſum, Diaconum alba, & ſtola indutum, aquam ſolemniter ad fontem in Eccleſia benedicentem, eſſe irregularem, quia benedictio aquæ, ejuſque exorciſmus ſpectat ad ſacerdotem, de qua re *Barboſa ubi ſupra num* 6.

Ex quo etiam collige ſecundò, Clericum non adhùc Sacerdotem ſacramentaliter alium abſolventem eſſe irregularem, DD. communiter apud *Bonacinam d. p.* 6. n. 4. Laicus verò abſolvens, non fit irregularis, DD. citati per *Barboſ. in d. cap.* 1. *de Clerico non ordin. miniſtr. num.* 7 qui etiam addit ex *Bulla Clementis* 8. & talem audientem confeſſionem non adhuc Sacerdotem tradi Curiæ ſæculari, quod etiam tradit. *Quaranta in ſumma Bullarij in verb. ordo in fine, & Rodriquez* 2. *tom. quæſt. regul. q.* 27. *art.* 2. quod ſi quis ſit Sacerdos, ſed non approbatus ad confeſſiones,

&

& eas audiat, non erit casus sancti officij DD. citati.

Collige tertio, Clericum Diaconum missam celebrantem non posse promoveri ad Sacerdotium, sed debere manere suspensum per duos vel tres annos arbitrio ordinarij, & beneficium, si quod habet, ei conceditur misericorditer, nè cogatur ad negotia secularia revertere *cap. 2. de clerico non ordinato ministrante* Hodie traditur talis Curiæ sæculari ex Bullis *Clement.* 8. *& Urbani* 8. *Barb. d. cap.* 2. *omninò videndus.*

Minister verò necessitatis Baptismi est omnis homo habens usum rationis, potens, & sciens debitam formam proferre, & materiam applicare, sive sit laicus, sive Clericus, sive excommunicatus, sive depositus, suspensus, interdictus fidelis, sive infidelis, sive masculus, sive fœmina, dummodò tamen habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia *cap. Quicumque, cap. in necessitate*, ubi *Barbosa de consecrat.* 4. *dist.* & cum aliis juribus *in d. dist. Concilium Trid. sess.* 7. *can.* 4. *de Baptismo*, & alia Concilia apud *Bonacinam disp.* 2. *q.* 2. *p.* 5. *n.* 2. Ratio est, quia Sacramentum Baptismi ex maximè necessarium, ergò congruum fuit, ut Christus Dominus pro ministro constitueret quemlibet hominem unum rationis habentem.

Ex quibus infertur primò, fœminam posse baptizare in casu necessitatis, *cap. super quibusdam* 30. *q.* 3. undè plures DD. affirmant obstetrices teneri addiscere formam Baptismi saltem lingua vulgari, ut consulant infantibus in casu necessitatis; alij verò id negant quia nullibi reperitur tale præceptum, & licet charitas obliget subvenire alteri, tamen officium obstetricis est subvenire corpori, & per accidens est periculum animæ, ad quod evadendum posset alius vocari; undè non debemus talem imponere obligationem obstetricibus, ut post multos *Diana par.* 2. *tract.* 15. *resol* 46. qui addit, quod non solùm laici, sed Sacerdotes possunt baptizare in lingua vulgari, verum peccant Sacerdotes peccato veniali id facientes sine causa.

Nota verò in praxi, quod si fœmina, seu obstetrix plures baptizaverit sine forma, &c. & sie invalidè, & hoc non possit aliter remediare, nisi suum manifestando malitiam, vel ignorantiam, & per seipsam detegendo cum periculo famæ, vel vitæ, non tenetur id facere, quia possunt illi homines se salvare cum actu contritionis, ut benè *Layman lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 3. *num.* 3. debet tamen se abstinere in futurum: sequitur *Diana par.* 3. *tract.* 5. *miscell. resol.* 5. qui tamen est sibi contrarius *in par.* 5. *tract.* 13. *resol.* 55. non advertens ad id, quod prius dixerat *loc. cit.* & sic Ego dico, quod tenetur obstetrix se manifestare, si prævidet, posse consulere illis malè baptizatis, nè aliàs sequantur alia mala scilicet susceptio ordinis invalidi, & aliorum Sacramentorum, quod idem dico de ordinante malè & invalidè aliquem in sacerdotio, quia tenetur id manifestare, ne alia sequantur mala. Idem de ordinante aliquem invalidè Episcopum, secùs dic de ordinante aliquem invalidè subdiaconum, vel diaconum, quia si postea validè ordinetur Sacerdos, potest per Sacerdotium exercere functiones aliorum ordinum, *Sanchez tom* 2. *opusc. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 14. *Diana par.* 5. *tract.* 13. *resol.* 15.

Infertur secundò, hæreticum, immò etiam paganum posse validè baptizare, dummodò habeat intentionem baptizandi debitam, *cap. Romanus Pontifex de consecrat. dist.* 4. Peccaret verò mortaliter adultus recipiens baptismum à Pagano, propter periculum, illum non recipiendi defectu intentionis, vel propter periculum scandali, *Bonacina disp.* 2. *q.* 2. *p.* 5. *num.* 6. *Barbos. in d. cap. Romanus Pontifex de consecrat. dist.* 4.

Infertur tertiò, graviter peccare eum, qui cum non sit Sacerdos baptizat extrà casum necessitatis, etiam sine solemnitate, *S. Thom.* 3. *par. q.* 67. *art.* 3. *Suarez disp.* 31. *sect.* 4. tùm quia solus Sacerdos est minister, tùm quia id est ei prohibitum ab Ecclesia.

Infertur quartò unumquemque esse baptizandum in sua Parochia, cui subest, quia unus Parochus non valet terminos alterius Parochiæ usurpare, *cap. placuit* 7. *q.* 1. *cap. sicut* 9. *q* 2. *cap.* 1. *cap. nullus*, *cap. Episcopum*, *cap. Episcopi*, *cap. non invitati* 9. *q.* 1. *cap. nullus de Parochiis*; ubi probatur nullum Episcopum Parochianum alterius sine ipsius licentia ordinare posse, ubi *Barb*, plures cumulat. Quod si consuetudo sit alicubi, ut baptizetur puer à quocumque præsbytero, vel canonico, est servanda *Barbosa de potestate Parochi cap.* 18. *num.* 7. qui sic decisum refert per sacram Congregationem, vel nisi baptizandus peregrinetur, vel certum non habeat domicilium, quia tunc in ea Ecclesia quam elegerit, baptizari potest, *cap. nec numerus*, *vers. aut in electa* 10. *q.* 3.

Infertur quintò, Monachos non posse suscipere in Baptismo, vel confirmatione *cap. placuit* 2. 16. *q.* 1. post alios *Bonacina q* 2. *de matrim. p.* 5. *§. num.* 23. *Barb. in d. cap. placuit* 16. *q.* 1. *& de potestate Episcopi alleg.* 30. *num.* 36. ubi probat, quod licèt suscipiant in talibus sacramentis prædicti Religiosi, tamen verè contrahunt cognationem, quia in prædicto textu non fit mentio de aliquo verbo, quod factum irritet; cum licentia tamen ordinarij, etiam seclusa necessitate id licebit religiosis, *Layman lib.* 5. *tract.* 2. *cap.* 7. *Ascanius Tamburrinus de jure Abbatum tom.* 2. *disp.* 4. *q.* 1. *& Barbosa de potestate Parochi cap.* 18. immò putat *Diana par.* 5. *tract.* 13. *resol.* 58. sine ullo peccato mortali prohiberi Monachis in sacris canonibus baptizare. Posset etiam de licentia proprij sacerdos expressa, vel rationabiliter præsumpta alienus Sacerdos baptizare, *cap. interdicimus* 16. *q* 1. *Barb. d. cap.* 18.

Si verò petas, an sit servandus aliquis ordo, tempore necessitatis in administrando Baptismo, ut si contingat infantem periclitari præsente viro, & fœmina, vel laico, & clerico, & proprio Parocho?

Respondeo, servandam esse ordinem dignitatis personæ, ut scilicet præsente viro, fœmina non baptizet, nec laicus præsentæ clerico, nec clericus, licèt diaconus præsente Sacerdote, etiamsi Sacerdos urbanitatis causa cedat: Inversio verò hujus ordinis non est peccatum mortale, nisi adsit Sacerdos, nam præsente Sacerdote nemo potest sine peccato mortali baptizare, alioquin sibi usurparet officium alienum in re gravi; facilè verò posset quis excusari ab hoc peccato ratione ignorantiæ, vel ob infantis necessitatem, si Sacerdos præsens nolit baptizare, ità *Suarez disp.* 31. *sect.* 4. *Toletus lib.* 2. *cap.* 2. *Bellarminus de Baptismo lib.* 2. *cap.* 7. *Filiuccius tract.* 2. *cap.* 4.

Verùm adverte, quod tunc ordo servandus est, quando illi, qui concurrunt sunt integri status; nam si concurreret ille, qui est integri status, & ille, qui non est integri status, licèt superior primus præferendus est, non secundus, v. g. si concurrat clericus cum laico, sed clericus sit suspensus, vel alio modo censuratus; laicus verò est integri status, tunc laicus baptiza-

bit,

sit, & non clericus, post alios *Barbosa de potestate Parochi cap. 18. num. 5. P.* verò *Diana par. 5. tract. 9. resol.* 87. putat Sacerdotem debere, licèt excommunicatum præferri laico, vel alteri clerico in administrando baptismo in necessitate, quia quando pluribus conceditur privilegium, servandum est inter ipsos jus commune, *l. assiduis, C. qui potior in pign. hab.* sed jure communi jus baptizandi competit solis Sacerdotibus, *cap. Diaconus* 93. *dist. cap. constat. de consecrat.* 4. *dist.* ergò cum in articulo mortis concedatur tàm laicis, quàm clericis, & tàm excommunicatis, quàm non excommunicatis facultas baptizandi, servandum est jus commune, & eligendus Sacerdos. Si verò non adsit necessitas, & Parochus excommunicatus majori excommunicatione solemniter baptizat, peccat mortaliter.

Laicos baptizans præsente Diacono in casu necessitatis, non peccat mortaliter, *Suarez d. disp.* 31. *sect.* 4. *Diana par.* 3. *de Sacramentis resol.* 4. *& par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 18. *Layman lib.* 5. *tract.* 2. *cap.* 7. *n.* 4. qui communiter asserunt, solùm præsente Sacerdote non licere laico sine peccato mortali baptizare existente in necessitate, undè consuluit *Diana*, & benè *d. resol.* 4. obstetricem quandam non peccasse mortaliter, dum in casu necessitatis baptizavit infantem existentibus aliis religiosis in sacris, non tamen Sacerdotibus, qui id facere potuissent.

Neque desunt gravissimi viri, ut *Valentia tom.* 4. *disp.* 4. *q.* 2. *p.* 1. *& Joannes Suarez in Enchiridio casuum conscientiæ lib.* 5. *verb. Baptismus*, § *in necessitate*, qui docent laicum baptizantem præsente Sacerdote, secluso contemptu, & minimè renuente Sacerdote peccare solùm venialiter sequitur *Diana par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 4.

In §. Præsbyter.

PAulus in hoc textu ait, quod si Præsbyter sit vocatus ad baptismum, sive in propria Parochia, sive aliena, & noluerit baptizare, est deponendus, si sine baptismo moriatur infirmus, colligitur *ex cap quicumque de consecrat. dist.* 4. *Barb. d. cap.* 18. *de potestate Parochi num.* 8. quia verò textus dicit *deponatur*, ideò non intelligitur ipso jure, sed per sententiam, ut benè *Felynus in cap.* 1. *de constitut. gloss. in can. fraternitas* 12. *q.* 2. ea qua etiam colligitur, quod pœna imposita a lege nunquam debetur in foro conscientiæ, nisi posita sententia declaratoria, licèt dicatur ipso jure, vel ipso facto incurrenda, de qua re *Barbosa in collect. ad textum in d. cap. Fraternitas.*

Ex quo infertur, quod Parochus, vocatus ad hoc Sacramentum administrandum, statim ad Ecclesiam se conferre debet, ubi fons baptismalis decenter debet esse collocatus, & de super cautè occlusus, habens intus aquam mundam, & sufficientem, ut advertit *Piacesius in praxi Episcopali par.* 2. *cap.* 3. *num.* 25. & indutus super pelliceo, & stola violacea ad Ecclesiæ januam consistat, ubi ante omnia petat ab illis, qui deferunt infantem de nomine, infanti imponendo, qui sint patrini, an infans domi ob casum aliquem fuerit baptizatus, &c. *Castaldus in praxi ceremoniali lib.* 2. *sect.* 14. *cap.* 3. & parvuli prædictiaiorum fide sunt baptizandi, *cap. baptizati de consecr. dist.* 4. *cap. illud, cap. filius Dei, cap. parvulis cum aliis de consecrat. dist.* 4. *Barbos. d. cap.* 18. *num.* 16.

Circa nomen debet Parochus advertere, ut sit alicujus sancti, ea nomine enim præsertim bono oritur suspicio *DD. in cap.* 1. *de deposito, Matthesilam singul.* 35. ex quo dicunt DD. quod si quis deponeret res suas penès turpe nomen habentem, sibi imputare debet, si eas perderet *Farinac. in praxi par.* 6. *q.* 176. *num.* 91. *Barbosa in d. cap.* 18. *num.* 18. *cum seq.*

Si verò petas, quid dicendum, si Parochus nolit infantem morti vicinum baptizare, nisi ei detur pecunis, nec alia via possit conferri baptismus, an liceat præbere illi pecuniam.

Respondeo, *S. Thomam in* 4. *dist.* 6 *q.* 2. *art.* 2. & alios dicere, non posse præberi, quia esset emere Sacramentum, quod fieri non potest, utpotè intrinsecè malum. Tu verò dicas, posse fieri cum *Lessio lib.* 2. *de Justit. & jure cap.* 35. *dub.* 7. *num.* 13. quia fit ad tollendam injustam vexationem, sequitur *Diana par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 29. datur enim pecunia non ad emendum Sacramentum, sed ut medium alliciendi voluntatem illius Sacerdotis, sic etiam dicas de Sacramento pœnitentiæ, vel Eucharistiæ, si enim quis reperiatur in necessitate extrema, vel gravi spirituali, & opus habeat Sacramentis prædictis, quæ non ei vult aliter præbere sacrilegus Sacerdos, nisi pecunias accepta, potest eam dare, *Diana* post alios *par.* 5. *tract.* 7. *resol.* 16. *&* 17. ubi etiam probat posse dignum, vel digniorem tradere pecuniam electori, volenti eligere indignum, vel minus dignum, quia id fit ad tollendam injustam vexationem; immò id potest facere dignus, etiamsi videat, & sciat electorem accepisse pecuniam ab indigno, *Diana d. resol.* 17. esset enim minus malum permittere, vel consulere ei, qui paratus erat majus malum facere: undè parato committere adulterium possum ego consulere fornicationem, ut committat, licèt de ea non cogitaverit, post *Vasquez, Diana par.* 5. *tract.* 7. *resol.* 18. & volenti surripere nummos pauperi possum suadere ut diviti surripiat, etiam determinando personam, à quo surripiat, post alios *Diana ubi supra resol.* 19. sic licitum est mihi petere à meretrice Judicis causæ intercessionem, justè tamen apud eundem Judicem, *Diana resol.* 20.

In §. Sed, & si.

PAulus in præsenti ait, non esse rebaptizandos eos, qui ab hæreticis, vel alius fidelibus baptizati sunt, ut etiam *Trident.* dicitur *sess.* 7. *can. de baptismo*; observavit tamen Ecclesia multo tempore, quod quando talis baptizatus revertebatur ad Ecclesiam, fieret quædam solemnitas in signum reconciliationis, de qua *in cap. ab antiqua de consecrat. dist.* 4. *& in cap. hi qui* 1. *q* 1. ubi *Barb. in collect.* Quæ solemnitas consistebat in hoc, quod Episcopus imponebat manus super caput ipsius baptizati, vel ungebatur baptizatus chrismate sancto, aut faciebat professionem fidei, *d. cap hi qui, & cap. Ecclesia de consecrat. dist.* 4. ubi DD. & erat etiam interrogandus an verè crediderit, licet non sit iterum baptizandus.

Neque dicas obstare *textum in cap. quos à Paganis de consecrat. dist.* 4. ubi baptizati à Paganis sunt iterum baptizandi, ergò.

Respondetur enim *textum* prædictum intelligi, quando sunt baptizati sine debita mentione, ut benè *Glossa* ibi. Verùm scias hanc quæstionem tempore D. Augustini non fuisse adhùc definitam, an scilicet baptismus à Paganis collatus valeat, undè agens ipse de Baptismo *lib.* 7. *cap.* 13. non ausus est eam determinare, sed nunc ab

ab Ecclesia est determinata, ut in juribus citatis, & declarat *S. Thomas 3. par. q. 63. art. 3.* ubi *DD.*

In ℟. Sed quamquam.

Conclusio hujus textus est, quod quamvis Baptismus ab Hæreticis, Scismaticis, vel Paganis collatus valeat, tamen nemo potest seipsum baptizare, tùm quia generatio spiritualis est ad similitudinem carnalis; ergò sicut in carnali generatione alius est, qui generat, alius generatus, ità in spirituali alter est qui baptizat, alius baptizatus: undè à seipso nullus oriri potest, *cap. didicimus 24. q. 1.* colligitur hæc eadem nostra conclusio *ex cap. debitum 4. de baptismo*, ubi post alios *Barb. in collect.*

Probatur etiam, quia Episcopus habens beneficium, quod est in sua potestate conferre, non potest sibi ipsi conferre, *glossa in cap. cum jure peritus de electione*, neque id potest facere per Procuratorem, quia hic institueret, vel conferret nomine Episcopi, nisi tamen in totum principalis transtulisset facultatem procuratori, quia tunc posset procurator eligere, vel præsentare principalem, latè *Barbos. de potestate Episcopi alleg. 72. num 85. & in d. cap. fin. de instit.*

Probatur secundò, quia patronus, qui habet potestatem præsentandi in jure patronatus, licèt sit clericus non potest seipsum præsentare, *cap. per nostras de jure patronatus*, *Vivianus de jure patronatus par. 2. lib 6. cap 8. Barb. d. allegat. 72. & in collect. d cap. per nostras*, potest tamen prædictus clericus petere per preces ab Episcopo, ut sibi conferat tale beneficium, quo casu ordinarius posset eum gratificando concedere, immo neque procurator constitutus ad præsentandum potest seipsum præsentare, *Vivianus loco cit. Barb. in d. car. per nostras*, & licèt *textus in d. cap. per nostras*, loquatur de Prælatura, tamen intelligitur etiam de beneficio simplici, ad quod non potest patronus se præsentare, quia textus prædictus loquitur de personatu, & tamen constat personatum esse beneficium simplex, *cap. super eo de prabendis in 6.* & ratio prohibitionis in utroque casu reperitur, & sic pluries decisum refert *Barb. ubi supra in d cap. per nostras.*

Est tamen primò advertendum, quod licèt non possit quis seipsum baptizare, tamen poterunt duo se invicem baptizare tempore necessitatis, dicendo ego te baptizo, &c. quia sic verificatur forma, &c. *Bonacina disput. 2. q. 2. p. 4. propos. unica.*

Adverte secundò, quod licèt nemo possit seipsum baptizare etiam in articulo mortis, tamen si quis tempore mortis seipsum immergendo in aquis diceret Ego me baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti si moriatur salvus erit, non quidem ratione baptismi actualis, quia nullus potest seipsum baptizare, sed ratione baptismi in voto quia creditur habere contritionem cum proposito Baptismi, latè *Bonacina ubi supra*, & *Barb. in collect. ad tex. in d. cap. debitum de Baptismo* quod si talis non illicò moriatur erit baptizandus.

In §. Quod quidem.

Agit hic *Paulus* de divisione baptismi, & ait, quod triplex est, *Fluminis*, scilicet, *Flaminis*, & *Sanguinis*, ut hic, & *per glossam in summa de consecrat. dist. 4.* ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, quod licèt propriè loquendo unicus tantùm sit baptismus, juxtà illud Apostoli *Ad Ephes. 4. Unus Dominus, una Fides, & unum Baptisma*, & est Baptismus, Aquæ, seù Fluminis, prout communiter Theologi *in 4. dist. 4. S. Thomas 3. par. q 68. art. 19.* tamen secundùm quandam proportionem, & analogiam loquendo triplex est, scilicet Fluminis, Flaminis, & Sanguinis, Baptismus fluminis est, quod administratur aqua, & quod propriè talis est: Baptismus flaminis, est pœnitentia, seu dolor perfectus de peccatis, qui dolor dicitur Baptismus, eo quod aliquando defectum Baptismi supplat: nam qui nequit realiter suscipere Baptismum, obtinet peccatorum remissionem, non solùm actualium, verùm etiam originalis si eliciat actum pœnitentiæ, & contritionis, cum proposito suscipiendi Baptismum, ut colligitur *Lucæ 3.* ibi, *Prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*; tùm ex *Cornelio Actor. 8. Qui ante Baptismum justificatus fuit.* Hic autem Baptismus sic solet describi, est voluntas charitate inflammata suscipiendi Baptismum aquæ, quem adultus non suscepit, quia non habet, à quo baptizaretur; quo casu si non habens Baptismum in re moriatur, verè effectum Baptismi recipit, scilicet gratiam; ut docent *Summistæ in verb. Baptismus*: Dicitur verò hic Baptismus flaminis, quia oritur ab igne charitatis, & effectu contritionis. Baptismus verò Sanguinis, quod martyrium appellatur, est quando quis propter nimium Christi amorem, antequam per aquam baptizetur in martyrio moritur, de quo habemus in *Apocal. 7.* ibi, *Et laverunt stolas in sanguine agni*: & *Marci 10.* ibi, *Potestis bibere Calicem, quem ego bibiturus sum, & baptismo, quo ego baptizor baptizari.* De Baptismo flaminis agemus cum de pœnitentia, fluminis verò in discursu totius tituli, de Baptismo verò sanguinis in hoc ℟. agemus.

Sciendum secundò est Martyrium, seu Baptismum sanguinis esse passionem, seu cruciatum lethalem, susceptum pro Christi fide, aut pro vera virtute.

Dicitur (passio, seu lethalis cruciatus) ad ostendendum illum non appellari martyrem, qui vulnus non lethale recipit, qui verò recipit vulnus, seu cruciatum de se illativum mortis, dicitur martyr, quare *S. Marcellus in numero Martyrum* describitur, eo quod in stabulum conjectus tabe confectus sit.

Dicitur (pro Christi fide, & vera virtute) quia motivum martyris debet esse honestum, & supernaturale, quia acceptatio martyrij est actus virtutis elicitus propter Christum implicitè, vel explicitè; undè si quis ex motivo ambitionis mortem pateretur non diceretur martyr, quia ipsius motivum non est honestum, nec Cruciatus dicitur susceptus pro Christi fide, aut pro vera virtute: ità *S. Thomas 2. 2. q. 124. art. 5. Suarez. disp. 29. tom. 3. sect. 1. Lessius lib. 5. cap. 1. dub. 3.* ideò qui occiditur ob opus bonum jam factum, verè martyr dicitur, quia mors infertur in contemptum boni operis, ut benè *Bonacina disp. 2. de Sacramentis q. 1. p. 1. prop. 1.* ut patet in S. Joanne Baptista, qui ob repræhensionem, quam fecerat de adulterio, fuit occisus, & martyr nuncupatur, est autem martyrium actus elicitus à motivo fortitudinis, & patientiæ DD. citati.

Sciendum est tertiò, plura requiri ad martyrium: ut in adultis adsit voluntas suscipiendi ipsum; in infantibus verò, & usu rationis carentibus

entibus non requiritur hujusmodi voluntaria, & libera acceptatio, ut patet in Innocentibus, qui tanquam martyres ab Ecclesia culti sunt DD. citati, & notabiliter differt baptismus à martyrio, quia baptismus infanti non ædito conferri non potest. Secùs martyrium, quia potest puer occidi in utero matris, & esse martyr DD. ubi supra.

Secundò requiritur in martyre suscipiente baptismum attritio supernaturalis si habeat peccatum mortale, non tamen esse necessaria contritio, vel Dei dilectio super omnia; quod verò requiratur attritio supernaturalis, est expressa sententia *S.Thoma in 4. dist. 4. q. 4. art. 3.* & aliorum, quos sequitur *Suarez disp. 29. sect. 3.* & patet, quia martyrium remittit peccata mortalia, & majorem vim habet martyrium, quam baptismus, ergò si attritio sufficit ad baptismum, erit etiam sufficiens ad martyrium. Quod verò non sit necessaria contritio, patet, quia qui cum attritione perdit animam suam propter Christum recipit gratiam, juxtà illud, *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam, ergò &c.* ità communiter DD. apud *Suarez disp. 24. sect. 3. conclus. 2. Bellarminum de Baptismo cap. 6. Lessium lib. 3. cap. 1. dub. 3 num. 48.* est contrà *Bannez 2. 2. q. 3 art. 1. concl. 1.* asserentem cum aliis, ad martyrium requiri attritionem.

Neque obstat illud Apostoli ad *Coloss. cap. 13. Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ità ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*, ergò sine charitate nihil prodest martyrium.

Respondetur enim cum DD. citatis dupliciter posse aliquem tradere corpus suum absque charitate; primò absque charitate antecedenti; secundò absque charitate consequente martyrium, verba ergò *D. Pauli* non intelliguntur de charitate antecedenti martyrium, sed de charitate subsequenti, nam cum per martyrium, obtineatur gratia habitualis, obtinetur etiam simul charitas, quæ est qualitas consequens gratiam, & simul conjuncta cum gratia, ut alibi dicitur, ergò posito quod quis habet martyrium, habebit etiam charitatem.

Addo Ego, quod licèt ad martyrium requiratur per se formalis attritio, & dolor de peccatis commissis; tamen est satis probabile per accidens sufficere attritionem virtualem, quæ clauditur in voluntate suscipiendi martyrium, ut cum quis per oblivionem, & inadvertentiam peccatorum non elicit actum attritionis, eo quod tunc temporis totus detinetur in expellendo metu mortis, quia tunc recipiet fructum martyrij, *Suarez disp. 29. conclus. 3. sect. 3. Bonacina disp. 2. q. 1. p. 1 Lessius lib. 3. cap. 1. dub. 4.* tutius tamen est, dicunt DD. citati, elicere actum formalem pœnitentiæ.

Neque obstat, quod attritio virtualis non sufficit ad baptismum. Respondetur enim, quod cum baptismus non sit opus adeò insigne, ut est martyrium, consequenter ad martyrium minor attritio sufficere videtur, quàm ad baptismum; tùm quia cum martyrium sit opus à charitate imperatum, consequenter continet dolorem virtualem.

Tertiò requiritur, ut qui patitur martyrium illud patiatur ob honestam causam, qualis est conservatio Fidei Catholicæ, & religionis christianæ, castitatis, vel immunitatis ecclesiasticæ, vel alterius veræ virtutis. Hæreticus veró cum non habeat veram fidem, licèt credere videatur, si mortem subiret pro aliquo articulo fidei, non diceretur martyr, quia sine fide impossibile est placere Deo, DD. ubi sup.

Quartò requiritur, ut inferatur per Tyrannum mors in odium Christi, vel in contemptum fidei, aut alterius virtutis, undè, non sufficit si cruciatus inferantur ad alium finem, etiam si ab ipso acceptetur, & referantur in Christum libenter, & patienter, alioquin pugnantes in bello ad tuenda bona temporalia, vel damnati ad supplicium, si patienter ob Christi amorem subirent mortem, martyres dicerentur, quod est falsum.

Neque dicas, quod bonus latro appellatur martyr, & tamen mora non fuit illata in odium Christi ergò non requiritur ad martyrium, ut mors inferatur in odium Christi.

Respondeo cum *S. Thoma*, & aliis apud *Bonacinam loco cit.* quod bonus latro appellatur martyr, quia mors fuit illi accelerata in odium, & contemptum Christi, cui Judæi per consortium latronis intendebant ignominiam, & injuriam inferre.

Sciendum quartò, martyrium duplicem præstare effectum, scilicet conferre gratiam, & remissionem omnis culpæ, & pœnæ, ut latè DD. apud *Bellarminum de Baptismo cap. 6. Suarez 3. par. disp. 29. sect. 3.* quod patet, quia Ecclesia raptum ad martyrium colit, ut Sanctum.

Secundus effectus est, quia martyrium confert laureolam, idest præmium quoddam accidentale, quod martyribus tribuitur, consistens in quibusdam insignibus, & decore cicatricum, & in quodam gaudio accidentali, *Sotus in 4. dist. 49. q. 5. art. 2.* & alij ubi supra. Canonizantur verò martyres etiam post multum temporis spatium ab eorum morte, ut majori negotio agatur, & mundo manifestentur eorum vitæ, quod regulare est in omnibus Sanctis, licèt non ignorem, S. Hugonem Gratianopolitanum canonizatum fuisse ab Innocentio II. post annum suæ mortis ratione cujusdam Concilij, Pisis clebrati, ut latè *Baronius anno Christi 1134. tom. 12. annalium, & Castellanus de canonizatione martyrum, fol. 83.*

Sciendum est quintò martyrium conferre gratiam ex opere operato, *S Thomas 3. par. q. 68. art. 8. & q. 87. artic. 1. Coninch. q. 66. art. 12. n. 143. Suarez disp. 29. 3. par. tom. 3. sect. 3 Henriquez lib. 2. cap. 34.* quia eam confert ultrà meritum, & dispositionem suscipientis, ut patet in infantibus ab Herode occisis in odium Christi, quos Ecclesia honorat, ut Martyres, & Sanctos.

Neque dicas, Ecclesiam eos collere, ut Sanctos, & Martyres, quia prius erant justificati per circumcisionem. Respondeo enim, quod Ecclesia eos colit, ut Martyres, ut patet ex toto eorum officio, sed per circumcisionem non erant martyres, ergo; secundò, quia probabile est multos eorum fuisse circumcisos, vel quia nondum erant octo dierum, vel quia erant filij Gentilium, quorum multi tunc cum Judæis permixti habitabant; omnes enim infantes indistinctè sine ullo discrimine occisi sunt in Bethleem, & Ecclesia omnes, ut martyres colit.

Neque dicas secundò, talibus infantibus acceleratum fuisse usum rationis, & sic fuisse justificatos per eorum meritum. Respondeo, quod hoc gratis omninò fingitur, tùm quia hoc videtur contra usum Ecclesiæ, quæ per antonomasiam vocat eos *innocentes, & simplices*, quia scilicet ex defectu usus rationis erant doli incapaces, & peccare non poterant.

Quantum verò attinet ad adultos, probatur, eis conferri gratiam ex opere operato per martyrium, quia certum est, quod si isti elicerent actum attritionis absque martyrio non reciperent gratiam & salutem post mortale; cum martyrio autem

accipiunt gratiam ; ergò martyrium causat gratiam ex opere operato ; confert verò martyrium gratiam ex opere operato ob speciale privilegium, seù promissionem factam à Christo *Matth.* 10. illis verbis *Qui perdiderit animam suam propter me inveniet eam.*

Sciendum est sextò tunc martyrium conferre gratiam ex opere operato quando martyr accepit vulnera de se lethalia naturaliter mortifera, ità ut mors nequeat amplius naturaliter evitari, *Bonacina*, & alij ubi sup. Ratio est, quia martyr postquam talia accepit vulnera est mortuus in causa ; ergò tunc recipit effectum martyrij, non enim potest in instanti mortis conferri, quia tale instans secundùm Philosophos probabilius est instans extrinsecum, in quo dicitur non est homo, sed immediatè antea fuit, ergò non potest martyrium in hoc instanti conferre gratiam ; alioquin gratiam homo acquireret quando non est, & ille posset fieri Beatus, qui toto suæ vitæ tempore non habuit gratiam sed fuit inimicus Dei.

Ex quo sequitur eum non privari fructu martyrij, qui recipit vulnera naturaliter illativa mortis, si posteà miraculosè non moriatur, immò piè credit *Suarez*, quod si casu, & miraculo quis evadat à morte post accepta vulnera de se lethalia, maneat confirmatus in gratia, ità ut nequeat amplius peccare, quia consentaneum est divinæ providentiæ, ut Deus confirmet illum, quem miraculosè detinet, nè gloriam consequatur, hoc tamen non est nobis certum, sed piè credendum.

In §. non tamen.

RECtò ordine procedendo *Paulus* noster agit in hoc textu de subjecto baptismi, & dicit tàm parvulos, quàm adultos baptizandos esse : parvulos verò ait in fide parentum baptizari, concordat cum hoc textu alius textus *in cap. Majores de baptismo, & in cap. Illud, & cap. sequenti, vers. Parvuli de consecrat. dist.* 4. Ad cujus textus inte ligentiam.

Sciendum est primò, subjectum baptismi esse quemlibet hominem natum, existentem in hoc mortali corpore, sive sit infans, sive adultus, sive vir, sive fæmina : ità *Bellarminus de baptismo. lib.* 1. *cap.* 8. cujus ratio ea est, quia baptismus est omnibus necessarius, juxtà illud *Ioannis* 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritus sancto, &c.* ergò quilibet homo natus est subjectum baptismi, cum verba illa Christi ; *Nisi quis renatus fuerit, &c.* sint universalia, & neminem excludant.

Ex quo primò sequitur, Satyrum, vel genitum ex fœmina, & bruto non esse capacem baptismi, quia non est homo, nec habet peccatum originale, cum hoc non contrahatur, nisi ex Adamo DD. citati sic monstrum genitum ex fœmina, & viro baptizandum est, quia est homo constans corpore, & anima rationali, quod si constaret habere duplicem animam, ut si habeat duo corpora divisa, bis baptizari debet, semel in utroque capite, vel sal em in unico actu baptizandum est dicendo, *Ego vos baptizo, &c.* Si periculum sit in mora, & urgeat necessitas, si verò dubitetur an constet duplici anima rationali, ut sit habeat duo capita cum uno pectore, vel duo pectora sub uno capite, duplex Baptismus est conferendus, unus absolutè in ea parte, in qua perfectius caput, vel pectus apparet, alter sub conditione in alia parte DD. citati. Quod si dubitetur an monstrum sit genitum, ex viro, & ex fœmina, an ex fæmina, & bruto, baptizandum erit sub conditione, nisi constet clarè esse animal rationale, *Filiuccius tract.* 2. *cap.* 6. *q.* 10. *num.* 150. *Bonacina disp.* 2. *q.* 2. *p.* 6. *prop.* 2. *num.* 50. Si ergò dubites an sit bellua, an verò homo tale monstrum, erit baptizandum sub conditione ; alioquin si purè baptizares, exponeres te periculo conferendi bap ismum illi, qui non est subjectum capax bap ismi, *Comitolus lib.* 5. *responsorum q.* 8.

Sequitur secundò, mortuum non posse baptizari ; quia subjectum baptismi est homo natus sub mortali corpore existens ; casu verò, quo quis in ultimo instanti prolationis verborum moriatur, non remanet baptizatus, quia tunc non est homo, cum in eo instanti verum sit dicere, nunc non est homo, sed immediatè anteà fuit, ut communiter docent Philosophi, teste *Bonacina ubi sup. num.* 7. sicut in simili non recipit effectum absolutionis ille, qui moritur in instanti, in quo perficitur absolutio, ut tenet *Suarez tom.* 3. *disp.* 8 *sect.* 2. *Henriquez lib.* 1. *cap.* 19. & alij contra *Sotum in* 4. *dist.* 9. *q.* 2. *art.* 7. *& Majorem in* 4. *dist.* 16.

Sequitur tertiò, puerum natum ex christianis, & baptizatum, jam cogendum esse ad perseverandum in fide recepta, ex *Trident. sess. cap.* 14. quia per baptismum est acquisitum hoc jus Ecclesiæ ex Christi largitate, qui est omnium dominus : neque per hoc fit injuria infanti, quia nascendo ex fidelibus parentibus dicitur nasci quis subditus potestati Ecclesiæ jure nativitatis, sicut de jure humano, qui nascitur ex ancilla servus dicitur jure nativitatis §. *Servitus instit. de jur. personarum*, & sicut, qui nascitur, in aliqua Civitate fit subditus Principi illius Civitatis, sicut etiam de jure divino, qui nascitur in gremio Ecclesiæ fit subditus Ecclesiæ, nam Ecclesia habet hoc jus ex largitione Christi DD. citati.

Si verò petas an licitum sit baptizare aliquem invitis parentibus, præsertim filios infidelium.

Respondeo plures distinguendo casus.

Primus est si tales filij habeant usum rationis, & baptismum petunt, & debent baptizari etiam invitis parentibus, quia habent jus petendi, quod sibi ad salutem est necessarium : ità *S. Thomas* 3. *par. q.* 68. *art.* 15. *Suarez disp.* 25. *sect.* 3. immo etiam si unus testis deponat, quod vocaverit baptismum, & sit in periculo sensibus destitutus, validè potest dari, *Joannes Sancius in selectis disp.* 44. *nu.* 39 *Diana par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 21. qui etiam ait, esse baptizandum licet dicat se dubitare an petierit talis adultus baptismum, *Diana par.* 5. *tract.* 3 *resol.* 22.

Secundus casus est si usu rationis careant tales infantes : & hoc casu non erunt baptizandi invitis parentibus, quia vel isti subtrahuntur parentibus, vel eis relinquuntur : si subtrahuntur fit injuria parentibus, qui quodammodo privantur jure, quod habent in filios, sed non sunt facienda mala, ut indè veniant bona, ergò parentibus relinquuntur, adest periculum subversionis, quia filij non poterunt educari in christiana religione, sed potius ad falsos errores inducuntur à parentibus, undè injuria fieret christianæ religioni, & Sacramento baptismi, ob periculum perversionis, ità DD. citati apud *Bonacinam* ubi supra.

Tertius casus est, si sumus in dubio an usu rationis careant, & tunc baptizandi erunt, quia in dubio est inclinandum in favorem fidei, quidquid dicant alij ubi supra apud *Bonacinam num.* 12. quod in dubio melior est conditio possidentis, scilicet parentum possidentium, si verò sint septennij, præsumuntur rationis usum habere.

Quar-

Quartus casus est, quando sumus in filiis infidelium jam baptizatorum, ut hæreticorum, vel aliorum Apostatarum à fide, & hoc casu poterit Ecclesia hos tales filios invitis parentibus baptizare; nam sicut Ecclesia potest ipsos parentes compellere censuris, & pœnis corporalibus ad servandam fidem, ità etiam poterit ab ipsis subtrahere filios, eosque Sacramento baptismi initiare DD. citati, est autem quæstio an licitè baptizentur filij hæreticorum si sub cura parentum probabiliter timetur periculum perversionis eorum, puta quia habitant in locis; in quibus liberè exercent suam religionem extrà periculum; negant multi esse baptizandos, apud *Coninch. de Sacramentis q. 68. art. 10. dub. unico. num. 81. Suarez in 3. p. disp. 25. sect. 5.* Affirmant alij, & melius, ut *Layman lib. 5. tract. 5. cap. 6. nu. 12.* quia periculum perversionis non est adeò propinquum, & certum, cum fieri possit, ut infantes ante usum rationis moriantur & per baptismum salventur, *Diana par 3. tractat. 4. resol. 7.*

Quintus casus est, in filiis infidelium nondùm baptizatorum, aut baptizatorum, existentium tamen in evidenti periculo mortis, & tunc poterit Ecclesia eos invitis parentibus baptizare, *Sotus in 4. dist. 5. q. unica art. 7. Valentia tom. 4. disp. 4. q. 3. p. 3.* quia parentes sunt irrationabiliter inviti, tùm quia cessat periculum subversionis, tùm quia subveniendum est proximo extremæ indigenti, sequitur *Diana par. 5. tract. 3. resol. 10.*

Sextus est casus, quando sumus in filio nato saltem ex uno parente christiano, quia tunc poterit baptizari invitis parentibus, quia talis filius ex vi suæ originis est subditus Ecclesiæ, & imitari, & sequi debet parentem christianum, ut *in cap. Judæ 28. q. 1.* Quapropter baptizandus erit primò infans ortus ex matre christiana consentiente, quamvis Pater dissentiat, quia in hoc casu infans sequitur ventrem, cum sit melior conditio parentis christiani, & innocentis. Secundò infans ortus ex patre christiano consentiente, quamvis mater dissentiat baptizandus erit, nam pater est potior, & præcipua causa filij, & est melior conditio christiani. Tertiò baptizandus erit filius ortus ex utroque parente infideli, quorum unus postea conversus est, nam filius sequitur patrem innocentem, idest conversum DD. communiter apud *Bonacinam de sacramentis disp. 2. q. 2. p. 6. prop. 1. num. 12.*

Septimus casus est, quando filius est natus ex utroque parente infideli, quorum unus consentit, altero reclamante, nam tunc poterit baptizari, quia cum hic actus cedat in favorem religionis, & salutem infantia, est maximè favorabilis, & consequenter præferendus est dissensui alterius DD. supra citati, qui etiam addunt quod parentes in fideles aliquando petunt pro filiis baptismum, ea solùm intentione, ut sanitatem recipiant, quod à Turcis aliquando dicunt fuisse factum, eo quod sæpius viderint, vel audierint baptismum ægrotis collatum liberasse ab ægritudine, quo casu non esset conferendus baptismus, si non subsit spes, ut hujusmodi infans baptizatus alatur in christiana religione, quia periculum imminet perversionis, & Apostasiæ, *Fillinccius tract. 2. cap. 6. q. 8. nu. 145.*

Octavus casus est in filiis infidelium, qui non sunt servi, sed tantummodò tributarij, & vassalli Principum christianorum, quales sunt Judæi commorantes ex concessione Principum in aliquibus Civitatibus, quia isti non possunt invitis parentibus baptizari quia parentes tributarij, & non servi non amittunt jus in filios, sicut non amittunt jus, & dominium aliarum rerum. ergò ipsorum filij non possunt baptizari ipsis invitis est legendus *Afflictus dec. 151.*

Nonus casus est in filiis infidelium servorum, & mancipiorum, sub dominio existentium christianorum, & hoc casu possumus ipsos baptizare de consensu dominorum contradicentibus parentibus, ità contra *Thomam 3. par. q. 68. art. 10. & 2. 2. q. 16. ar. 10.* & alios Thomistas tenent *Suarez 3. par. tom. 3. disp. 25. sect. 4.* & alij, quos sequitur *Diana par. 3. tract. 1. miscell. resol. 45.* est tamen in hoc controversia, an possimus eos baptizare, antequam scilicet Domini eos separent à parentibus per venditionem, donationem, &c. *Suarez* cum aliis putant; quod tales infantes possunt donari, vel vendi invitis etiam parentibus, & postquam fuerint donati, vel venditi possunt licitè baptizari, *Vasquez* vero *in 3. par. tom. 3. disp. 155. cap. 4. num. 5. Turrianus*, & alij apud *Dianam loco cit.* docent posse baptizari tales infantes etiam antequam vendantur ab ipsis Dominis, ratio est, quia possunt filios tales infantes à parentibus separare, & vendere, cum habeant dominium in ipsis, & parentibus, ità ut iis uti possint in quem voluerint actum rationabilem; ergò: nomine verò servorum illi intelliguntur, qui à veris dominia emuntur, vel justo bello capiuntur, & jure belli fiunt servi, sunt Turcæ, & Sarraceni DD. cum *Suarez.*

Quæstio tamen est utrum Domini teneantur curare servos suos baptizari?

Respondeo affirmativè cum *Vasquez ubi sup. cap. 7.* Ratio est, quia Domini succedunt in locum patrum, sed patres tenentur consulere bono spirituali filorum: quia ergò tales parvuli sunt de familia dominorum tenentur pro eis curam spiritualem suscipere. Non ignoro tamen aliquos viros doctos tenere, nos non obligari ad hos filios servorum nostrorum baptizandum: quos refert *Diana par. 3. tract. 4. resol. 1.* quæ opinio potest intelligi per accidens, scilicet ratione circumstantiarum, puta magnæ difficultatis, & incommodi, quia poterit ratione horum impedimentorum optimè excusari Dominus, si servis non curet baptismum conferri.

In §. Is quoque.

Explicat in præsenti Auctor noster requisitum necessarium in baptismo, ut scilicet baptizandus lavari possit. Quare conclusio hujus textus est, quod qui omninò clausus est in utero, baptizari non potest, tùm quia qui non potest lavari, neque poterit baptizari quia requiritur contactus aquæ, tum quia qui non est natus, non potest dici renasci. Idem dicitur *in cap. in maternis de consecrat. dist. 4.* undè fuit error Juliani Apostatæ dicentis, posse baptizari infantem non natum in utero, quem impugnat *S. Augustinus in cap. si ad matris de consecrat. 4. dist.* facit textus *in d. can. qui in maternis, & can. si qua mulier ead. dist. 4.*

Quod si petas, anqui non est totaliter natus, possit baptizari?

Respondetur distinguendo duos casus. Primus est quando apparet caput, vel pes, vel manus, vel alia pars corporis, & sufficit ut quæcumque para abluatur, immò, & in capilla, si alij non appareant, poterit ministrari Baptismus, quia parte qualibet, vel capillis aspersis dicitur homo ablutus, ergò ea sufficit ablutio, ità *Pontius lib. 4. de matrimonio cap. 25. n. 7. Bonacina disp. 2. q. 2. p. 3. num. 24. Diana par. 5. tract. 3. resol. 4.* Barbosa

Barbosa de potestate Parochi cap. 18. Immò est notandum, quod si obstetrix non potest aliam partem habere, quam umbilicum, per quem infans recipit alimentum a matre, posset in ea parte baptizare, quia est pars, qua abluta dicitur homo ablutus, licet enim capilli, & umbilicus sint excrementa, tamen utrisque ablutis dicitur homo ablutus, ut ex *Marchantio* refert *Diana par.* 5. *tract.* 2. *resol.* 15. & erit in Ecclesia sepeliendus ratione talis baptismi, verùm si non moriatur erit iterum sub conditione baptizandus.

Secundus casus est, quando obstetrix nihil infantis tangere, vel habere potest, licet sciat eum esse vivum, non potest eum baptizare, si verò aliquid habere potest intra uterum, & partem aspergere, valebit baptismus, *Suarez* 3. *par. tom.* 3. *q.* 68 *art.* 11. *Valentia tom.* 4. *disp.* 4. *q.* 1. *p.* 2. *Cumuch. q.* 68. *de Sacramentis art.* 11. & alij supra citat. Ratio est, quia tali casu reperiuntur omnia essentialia baptismi, *Diana par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 12.

Si petas an mater sit aperienda, ut puer nascatur, & baptizetur, quando ipsa reperitur in articulo mortis?

Respondeo distinguendo tres casus.

Primus est quando mater ob causam partus est in articulo mortis, & tunc non est secanda, nec debet mater ad hoc consentire, quando illa sectio esset directa matris occisio, statim verò quod fuerit mortua secanda est, ut puer baptizari possit si adhùc vivat, *Coninchus de Sacramentis quæst.* 66. *art.* 7. *dub.* 1. *num.* 75.

Secundus est casus quando mater prægnans ob delictum fuit condemnata ad mortem, & hoc casu certum est differendam esse sententiam, donec mater pariat, *l. prægnantis, ff. de pœnis, Covarr. lib.* 4. *variar. cap.* 4. nisi tamen ex mortis dilatione damnum Reipublicæ immineret, nam hoc casu potest uterus matris aperiri, ipsa vivente, ut infans extrahatur, & baptizetur, id enim fit ex justa causa, auctoritate scilicet publica, *Filiuccius tract.* 2. *cap.* 6. *q.* 7. *Diana par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 13. *Barb. in cap. Qui in maternis de consecrat. dist.* 4.

Tertius casus est quando mulier est condemnata ad mortem, & est morbo lethali correpta, adeò ut periculum adsit ut moriatur simul cum infante, & spes adest ut infans secta matre possit baptizari; & hoc casu est controversia an sit secanda, & aperienda? & putant *Comitolus lib.* 1. *responsorum q.* 14. *num.* 2. & alij apud eum, non posse secari. Secunda opinio affirmat posse, ità *Coninch. q.* 68. *art.* 11. *num.* 92. & alii apud *Dianam par.* 1. *tract.* 1. *miscell. resol.* 44. *& par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 13. quia non fit hoc casu aliquod contra jus aliquos matris.

In §. Muti.

CONclusio hujus textus est, quod muti possunt baptizari. Idem dic de surdis, vel aliis ægrotantibus, qui pro se respondere non possunt, dummodò tamen alij pro ipsis respondeant, & profiteantur, posito tamen in eis perfecto animi judicio. Idem dicit *textus in cap. parvuli, & sequenti de consecrat. dist.* 4. *cap. secus de consecrat. dist.* 4.

Ampliatur conclusio, ut si quis sit natus mutus, & surdus in terris infidelium, puta Indiarum, & modò adultus factus petat baptismum, eo quod videat alios baptizari, est etiam baptizandus, ità post alios *Diana par.* 5. *tract.* 6. *resol.* 1. quis licèt ad Baptismum suscipiendum requiratur fides, & attritio, quarum nullam videtur prædictum posse habere, ut potè natum surdum, & mutum, tamen si cum signis petat baptismum, est præsumendum fuisse à Deo illuminatum, de quo *Joannes* ait. *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, verùm adhiberi debet aliquod examen ab Episcopo cum aliis viris doctis, vel saltem à Parocho si Episcopus non haberetur, vel ab alio baptizante, hic casus evenit in Indiis, & multi Thomistæ noluerunt eum baptizare.

In §. De Dormientibus.

AUctor noster in hoc §. prosequitur declarare eos, qui possunt baptizari, & non baptizari, & ponit generalem doctrinam; quod amens, & dormiens, si ante amentiam, & somnum habuerint propositum baptizandi, baptizari possunt, ut habetur hic, *& in cap. Majores de Baptismo*, quia voluntas, & propositum antecedens sufficit, ut illa susceptio baptismi censeatur voluntaria, & ut censeatur non ponere obicem, ut latè *Barbosa in collect. tom.* 2. *lib.* 3. *tit.* 42. *cap* 3. *n.* 13. *Sylvius in* 4. *par. S Thomæ q.* 68. *art.* 7. Idem dicas de amente, & furioso, qui dùm haberent lucida intervalla petierunt baptismum, etiam si dùm postea recipiunt baptismum, videantur resistere, nam illa resistentia non repugnat illi intentioni antea elicitæ cum ipsa resistentia, quæ tunc temporis contingit, non sit actus humanus, voluntas enim semper præsumitur durare in amente, nisi probetur mutata, *Card. Tuschus pract. lit. V. conclus.* 286.

Si verò amens ante amentiam non petierit Baptismum, tunc non poterit baptizari; quia adhùc voluntas contradicens præsumitur durare: notant omnes in *d. cap. Majores, & in cap. Quicquid de consecrat. dist.* 4. quod si sumus in dubio an baptismum petierit ante amentiam, vel post, baptizandus erit sub conditione si petiit baptismum, quia melius est ipsum decedere cum dubio baptismo, quàm sine ullo baptismo. Verùm si constet in statu peccati mortalis permansisse, ut in concubinatu, non est baptizandus, quia baptizatur cum obice, & Sacramentum administraretur indigno, *Bonacina de baptismo q.* 2. *p.* 6. *num.* 21.

Dices si minister ante somnum habuit intentionem baptizandi, & posteà dormiens baptizaret, non valet baptismus, ergò neque si suscipiens ante somnum habuerit intentionem suscipiendi eum.

Respondent aliqui negando antecedens; dicunt enim probabiliter, quod in tali casu conficeretur Sacramentum, ità cum aliis *Gabrera de Sacramentis q.* 68. *art.* 7. & sufficere dicunt virtualem ministri intentionem, & voluntatem, & sic putat *Gabrera* baptismum esse iterandum cum conditione. Quod si hæc responsio non placet dicas tu cum communi DD. schola negando consequentiam, & disparitas est, quia major voluntas requiritur in ministro ad baptismum, quàm in suscipiente, juxtà illud philosophicum principium, plura requiruntur ad agendum, quàm ad patiendum, ità *Valentia de baptismo disp.* 3. *sect.* 4. *p.* 1. *in fine*, *Suarez disp.* 24. *sect.* 1.

Ex quibus infertur primò, moribundum, qui petiit baptismum, si in amentiam, vel lethargum posteà incidit, esse adhùc baptizandum, *Sancius in selectis disp.* 44. *num.* 42. *Suarez in* 3. *par. disp.* 24. *sect.* 1 *concl.* 2. & ait *Sancius* posse hunc talem ligari, ut

ut sic baptizari valeat, si in furia resistat, sequitur *Diana par.* 5. *tract.* 3. *resol* 23.

Infertur secundò, furiosos posse baptizari, ut ait *S. Thomas* 3. *par. q.* 68. *art.* 12. Pro majori tamen intelligentia sunt quinque casus distinguendi. Primus est quando sumus in furioso à nativitate, & qui nunquam fuit sanæ mentis, & hic ad exemplum infantium baptizari poterit. Secundus casus est in eo, qui aliquo tempore fuit sanæ mentis, & nunquam habuit propositum se baptizandi, & iste nequit validè baptizari. Tertius casus est, quando habet lucida intervalla, & tunc eo tempore, quo ea habet baptizabitur DD *in d. cap. Majores.* Quartus est casus, quando durante in sania est periculum mortis, & tunc debent baptizari DD. ubi supra, sic si quis fuerit cathecumenus, incidit in phrenesim, vel amentiam est baptizandus, quia præsumitur habuisse præcedentem consensum, & in eo perdurare *Suarez in* 3. *par. disp.* 24. *sect.* 1. si tamen sit in necessitate, nam extra tempus necessitatis est expectanda bona dispositio.

Sunt etiam baptizandi surdi, & ignorantes, quia licèt supradictæ personæ, non possint per se respondere, possunt tamen aliæ pro ipsis, ut in simili videmus, quod quis pro ignorante potest fidejubere, *l. fidejubere*, *ff. de fidejussoribus*, & ignoranti per alium actio acquiritur, *l. si à furioso*, *ff. si certum petatur*, *Glossa nostra in præsenti.*

In §. Sed & si quis,

Conclusio hujus textus est, quod invitus baptizatus characterem suscipit, & cogendus est ad observantiam fidei, secùs si pænitus coactus sit, scilicet per viam absolutam, quia tunc neque characterem recipit, nec rem, idest gratiam Sacramenti, ut habetur etiam in *cap. Majores*, §. *item quæritur de Baptismo.*

Est enim coactio duplex absoluta, & conditionalis; absoluta dicitur quando quis contrà voluntatem suam cogitur aliquid facere, puta cum quis est ligatus manibus, & pedibus, *cap. præsbyteros* 50. *dist.* conditionalis verò coactio dicitur, quando quia ex duobus malis cogitur unum eligere, de qua coactione est *textus in cap. lectores* 32. *dist.*

Coactus ergò coactione absoluta, puta, quia ligatus manibus, & pedibus, expressè dicendo, quod non vult baptizari, si fuerit baptizatus, non recipit characterem, neque gratiam Sacramenti, coactus verò coactione conditionali, per vim scilicet, & metum, est cogendus ad fidem, quia baptismum recipit, *Ricciullus lib.* 2, *de jure personarum cap.* 38. *Basilius lib.* 4. *de matrim. cap.* 14. *num.* 3. *Avendanus lib.* 2. *de metu cap.* 17. latè *Barb. in d. cap. Majores de Baptismo.*

Et ideò valet Baptismus collatus alicui ob metum gravem, scilicet, servitutis, dummodò recipiens intendat illud verè suscipere, quia metus non tollit intentionem, & voluntarium simpliciter, teste *Aristot.* 3. *Ethicor.* & voluntas coacta voluntas est, *cap. meritò* 17. *q.* 1. *l. mulier*, *& l. fin. ff. de eo, quod metus causa.*

Sciendum est etiam, Judæos invitos ad Sacramentum Baptismi non posse cogi, *cap. sicut Judæis cap. majores*, §. *item quæritur de Baptismo*, *cap. qui sincera*, *cap. de Judæis* 45. *dist. cap. ad fidem* 23. *q.* 5. *l. christiani*, *C. de christianis*, *& Sacramentis*; eorum ratio est, tùm quia qui cogitur invitus ad Baptismum non præsumitur habere fidem, *d. cap. sicut Judæi*, sed Baptismus non debet conferri, nisi ei, qui fidem habere præsumitur, ut suprà diximus; ergò tùm quia fidei doctrina nibil aliud docemur, quàm charitatem, humilitatem, tolerantiam, patientiam, & mansuetudinem, quibus omnibus ipsa coactio adversatur, *cap. qui sincere* 45. *distin.* ergò latè *S. Thomas* 2. 2. *q.* 10. *art.* 8. *Riccinllus lib.* 2. *cap.* 31. *Barb. in d. cap. sicut. Judæi de Judæis.*

Dices obstat id, quod habetur *Lucæ* 14. ubi loquens Dominus discipulis ait, *Exi in vias*, *& plateas*, *& compelle intrare*, *ut impleatur domus mea*, sed domus Christi est Ecclesia, in qua homines non intrant, nisi per Baptismum, *d. cap. majores*, *cap. de summa Trinit. & de fide catholica*, ergò Judæi inviti baptizari possunt.

Respondeo cum *Cardinali Turrecremata in d. cap. sicut Judæi*, quod loquitur Christus Dominus de compulsione per instantiam prædicationa, non autem de compulsione per pænas aliquas corporales.

Dices secundò *Paulus Apostolus* coactus venit ad fidem, ut habetur in actis Apostolorum *cap.* 9. ergò infideles possunt cogi ad Baptismum suscipiendum, quia omnis Christi actio nostra debet esse instructio, *cap. sollemnitates* 2. *hujus nominis de consecrat. dist.* 1.

Respondeo ex eodem *Turrecremata ubi sup.* quod licet *D. Paulus* ab initio esset renitens, tamen ante conversionem fecit actum proprium, & voluntarium, cum dixit *Domine quid me vis facere*, quare non potest dici, invitum suscepisse Baptismum, ut benè *Alexander de Alex. in* 4. *sent. dist.* 4. *q.* 9.

Alij respondent, quod licet *Paulus* coactus susceperit fidem, tamen illud non est trahendum in consequentiam, dùm fuit factum à Domino, cui nemo potest dicere cur ità facis? celebris enim est doctrina *glossa in d. cap Majores*, *in verb contrarium de Baptismo*, quod quæ divino judicio fiunt, in consequentiam trahi non debent, neque nostrum, est arcana Dei scrutari, & de illis rationem reddere, *cap. si quando de rescriptis*; verùm tu teneas primam responsionem

Dices tertiò; homines non sunt in sua mala voluntate relinquendi, sed ad bonum cogendi, *cap. displicet* 23. *q.* 4. ergò infideles inviti baptizari possunt.

Respondeo, quod *Augustinus in d. cap. displicet* loquitur de infidelibus baptizatis, non autem de infidelibus non baptizatis: & ratio diversitatis est, quia cum infidelis baptizatus verè fidem susceperit, non est in suo posse eam reddere vilem, & contemptibilem, *cap. quidam de Apostatis*, *cap. contra christianos de hæreticis in* 6. *cap. plerique de consecrat. dist.* 3. *S. Thom.* 2. 2. *q.* 10. *art.* 8. ubi *DD.*

Nota tamen primò, Judæos neque posse indirectè ad fidem compelli ex *Abbate in d. cap. sicut Judæi*, v. g. si spolientur bonis, ad hoc, ut coacti veniant ad Baptismum; sicut neque possunt extraordinariis oneribus gravari, ad Baptismum, *d. cap. sicut*, si verò sua spontè petant Baptismum, & deindè se pœniteat ante receptionem puiat *Marquardus de susannis de Judæis par.* 3. *cap.* 3. quod possint baptizari invitis, quod falsum est; si verò quis petat Baptismum fictè, & jam suscepit, tunc compellitur ad observantiam fidei, *d. cap. sicut fidei* 1. *q.* 1. *cap. quamvis de consecr. dist.* 4. possunt verò Judæi allici blanditiis, & muneribus ad Baptismum, quia ex tali inductione nullus oritur contemptus, vel sacrilegij periculum, eùm fides voluntariè suscipiatur, *Filiuccius tract.* 22. *c.* 4. *q.* 6. *num.* 115. Possunt etiam subditi infideles cogi, ut abstineant

se ab idolatrando, quia compelli possunt ad observandam legem naturalem, quæ lex naturalis prohibet idolatriam. Imò possunt infideles subditi cogi ad observandum evangelium, tùm quia hoc vergit in ipsorum salutem, tùm quia sic receptum est Romæ cum Judæis, tùm quia hoc non est cogere ad fidem, sed ad externam illam evangelij eruditionem, *Filiuccius*, & alij citati, & sic poterunt cogi per Principes ad hoc indirectè qui eis denegabit habitare ibi, nisi Evangelium audiant.

Infideles verò non subditi, non possunt cogi ad audiendum evangelium, vel ad desistendum ab idolatria, quia talis coactio supponit jurisdictionem in cogente, quam non habet Princeps in non subditos, *Beccanus 2. 2. cap. 13. q. 5.*

Ex quibus nota secundò, quod non possunt Principes expellere Judæos ab eorum territoriis, pacificè viventes, *Oldrad. conf. 87. & 264. Ricciullus lib. 2. cap. 51.* quod si adesset justa causa eos ejiciendi, ut si periculum, & scandalum immineret in terris Christianorum, vel si ipsi Judæi enormia contra fidem perpetrarent, tunc sunt expellendi, quia cum abutantur gratia, privilegium merentur amittere, *Ricciullus ubi supr. n. 9.* qui plures numerat causas, ex quibus possunt expelli, & olim Roma, Sabaudia, à Gallia, & multis aliis locis fuerunt expulsi, latè *Barb. in d. cap. sicut de Judæis n. 5*

Nota tertiò, quod nullus christianorum potest Judæo servire, quia nefas est, blasphemum retinere redemptum à Christo, *cap. 1. de Judæis* & unicuique permittitur christianum servum, Judæo servientem, redimere duodecim solidis, *d. cap. 1. Filiuccius d. lib. 2. cap. 28. n. 7. cum seq.* & intelligitur sivè servus sit de novo christianus, sivè antiquus, ex *cap. si qualibet 54. dist.* neque potest in hoc dispensare Episcopus, vel Princeps laicus, *Barb. in d. cap. 1.* Colonos verò agrorum suorum potest Judæus habere christianos, *cap. 2. de Judæis, Ricciull. ubi sup. n. 21. Barb. in d. cap. 2.* qui ait quomodo sint judicandæ causæ inter Christianos, & Judæos incidentes secundùm rigorem nè, an secundùm æquitatem. Neque permittitur Judæis in terris Christianorum novas facere synagogas, licèt permittantur antiquas habere, *cap. 3. de Judæis.* Neque licitum est christianis fabricare, vel alio modo laborare in synagogis Judæorum, ut probat *Ricciullus ubi sup. cap. 39. n. 7.* sicut neque licitum est eis vendere res, ut utantur ad cultum Judaicum; licèt alii putent licere causa officij ibi fabricare, vel tales res vendere indifferentes, ut putant aliqui apud *Barbosam in d. cap. 3. de Judæis in fine, & in cap. 7. eod. tit.*

Nota quartò, non licere Judæis in tota die Parasceues, & hebdomada sancta habere ostia aperta, sed clausa, *cap. quia super 4. de Judæis Ricciullus lib. 2. cap. 18. num. 1.* Neque est licitum christianis habitare cum Judæis, *Ricciullus lib. 2. cap. 41.* & non solùm in eadem domo non possunt habitare, sed nec in eodem loco, ex Bullis Pauli IV. quæ est tertia in ordine, & Pij V. quæ incipit *Romanus Pontifex*: debent enim omnes habitare in eodem loco. Neque possunt Judæi habere bona stabilia in statu ecclesiastico, ex Bulla Pij III. in ordine, *&* latè *Barb. in cap. 5. de Judæis.* Neque est licitum christiano simul cum Judæo in balneum ire, *cap. nullus 28. q. 1.* nec eos invitare ad convivium, vel ad eorum convivia accedere, *cap. omnes 28. q. 1. Ricciullus lib. 2. cap. 41. num. 25. Sanchez tom. 1. lib. 2. cap. 31.* ex quo transcripsi *Ricciullus*, qui latè *d. lib. 2. cap. 27.* agit an possit Judæus esse inter Christianos Notarius, & negat, *& cap. 26.* negat, posse esse Procuratorem inter christianos, *& cap. 25.* an possit consequi gradum doctoratus, & distinguit in lege negans, in medicina concedens, *& cap. 24.* an possit exercere officium advocati inter christianos, & possit esse arbiter, & an defensor Civitatis, *cap. 22.* Neque possunt hæredes institui Judæi à Christianis *Glossa in cap. Judæi de Judæis in fine*, ubi *Barbosa.*

Nota quintò, non licere Christianis Saracenis deferre arma, *cap. ità quorundam de Judæis, cap. olim eod. tit. extravag. ultima Joannis 22. eod. tit.* Et hodie *ex Bulla Cœnæ can. 7. & 8.* non solùm Saracenis ea non est licitum portare, sed neque aliis, puta Turcis, &c. & quidem nomine armorum veniunt tàm offensiva, quam defensiva, ut Scuta, Galeæ, Gladij, &c. non tamen comprehenduntur asportantes vaginas ad arma recondenda, *Barb. in d cap ità quorundam n. 5.* Veniunt tamen arma, sivè facta, sivè non facta, ut ferrum, &c. eadem prohibitio est de jure civili sub pœna mortis; *l. 1. & 2. C. quæ res asportari non debent, l. cæteri, ff. de publicanis, & vectigalibus, l. fin. C. pœnis, & in prag. 2. de extractione rerum*, idem in Regno disponitur, & in easdem pœnas incidit ferens arma non ad infideles, sed ad christianos existentes apud infideles, quia viget ratio prohibitionis, nè christiani impugnentur, ergò militat eadem prohibitio, ut notat *Novarius in prag. 2. de extractione rerum coll. 3.* Immò si christiani emant ab infidelibus arma, & posteà meliora effecta eis vendant, in easdem pœnas incidunt, secùs si in eodem statu permanentia vendantur, quia non per hoc efficiuntur potentiores, *Novarius ubi sup. nu. 10.* Pro redemptione verò captivorum si redimentes pecuniam non habeant, & traducant arma apud infideles, non incurrunt pœnas prædictas, *ex tex. in cap. significavit de Judæis*, ubi excepto redemptionis casu, de quo jurabunt, non est licitum arma ferre, & decisum per Rot. Roman. refert *Novarius in d. coll. 3.* dummodò non adsit aliud remedium redimendi à captivis.

Nota sextò, christianos esse censuris compellendos, nè Judæorum servitio assiduè pro mercede se obligent, nec nutrices, & obstetrices nutrire, & lactare debent Judæorum filios, nè ob assiduam familiaritatem simplices pervertantur, *cap. ad hæc de Judæis, cap. & si Judæus eod. tit.* & peccant mortaliter fideles si moniti non desistant à tali familiaritate, quando periculum est perversionis, quod si absit, & possit sperari conversio infidelium, non est prohibitio *Ricciullus lib. 2. cap. 38.* Neque potest Episcopus dispensare, ut Judæus habeat nutricem christianam, *Ricciullus ubi sup. & ex Bulla Greg. XIII. 70.* incipiente *Antiqua Judæorum*, Judæus retinens nutrices contrà sacrorum canonum statuta potest puniri etiam ab inquisitoribus hæreticæ pravitatis, quia est unus ex casibus comprehensis in d. Bulla, & quia *tex. in d. cap. ad hæc de Judæis*, dicit, nutrices christianas non posse habere in eorum domibus Judæos, benè colligo ego extrà domum posse nutrices christianas lactare filios Judæorum, ut benè *glossa* ibi, *Abbas, & Zabarella*, quidquid cum aliis putat *Ricciull. ubi sup. num. 18.* quem sequitur *Barb. in d. c. ad hæc. de Judæis.*

Nota septimò, quod prædicantes fidem infidelibus, & paganis possunt edere cibos ministratos eis à paganis, *cap. quam sit de Judæis* servata tamen

men temporum qualitate, dummodo tamen cibi allati comedantur, ut res a Deo creatæ, secus si edantur tanquam res Idolo consecratæ, quia tunc magis fame debemus mori, quàm illis vesci, *cap. sic latius* 23. *dixt.* quem sic intelligunt communiter DD. teste *Sanchez lib.* 2. *summæ cap.* 41. *n.* 7. *Ricciullus lib.* 2 *cap.* 41. *n.* 30. *Barb. in d. cap. quam sit.*

Nota octavò; quod si Judæus clericum christianum percusserit,& reperiatur sub ditione Episcopi, debet Episcopus eum punire in temporali, vel pecunia, & tenetur jurare, ut læso congruè satisfaciat, si verò est sub dominio alterius, debet dominum monere, ut idem faciat, quod si dominus negligat adimplere, Episcopus censuris interdicat christianis, ne quis præsumat exercere commercia cum Hæbreis donec satisfaciat, *c postulati de Judæis*, qui *tex.* apertè probat licere christianis cum Judæis contrahere, quia privatio supponit habitum, *l. de cem, ff. de verb. oblig.* ergò si prohibetur commercium in tali casu, sequitur, quod aderat *Sanchez d. cap.* 31. *Ricciullus lib.* 2. *cap.* 42. qui extendit, ut possit Judæus contrahere etiam cum Principe, vel Ecclesia.

Nota nonò, quod Judæi debent habitu à christianis distingui, & in hebdomada sancta non exire in publicum, quod si secùs faciant Principes sæculares eos puniri faciant, nè Christum blasphemare præsumant *cap. in nonnullis* 15. *de Judæis*, & habitum Judæorum quomodo definierint pragmaticæ nostri Regni, & Bullæ Pauli IV. & Pij V. legas *Ricciullum. lib.* 2. *cap.* 43. Romæ ex Bulla Pauli IV. quæ incipit, *cum nimis absurdum.* §. 2. Judæi obligantur ab observantiam festorum, quæ servat Ecclesia, non quod statuentes velint per festorum observantiam eorum saluti consulere, sed nè per exercitium videantur nobis illudere, *Riccius lib.* 2. *cap.* 8. *à princ.* Neque debent Judæi in officio publico poni, *cap. cum sit de Judæis*, *Ricciullus lib.* 2. *cap.* 22. est enim Judæus incapax cujuscumque jurisdictionis inter christianos, *Bart. in rubrica, ff. de just. & jure n.* 1. ubi *Jason n.* 2. sivè sit jurisdictio ordinaria, *l. fin. C. de Judæis*, sivè delegata, latè *Ricciullus lib.* 2. *cap.* 22. Hinc repelluntur à muneribus & honoribus publicis, *Comitolus lib.* 1 *q* 126. Neophiti verò possunt habere publica officia, *Ricciullus de Neophitis cap.* 5. sed christianus antiquus est Neophito præferendus, latè *Barb. in cap. ex speciali de Judæis*, obi affert quid sit licitum Judæis, & Neophitis in Regno Portugalliæ, &Castellæ, quem videas.

In ℟. Illud.

PAulus discurrit in præsenti quid sit faciendum, quando adest dubium an aliquis sit baptizatus, vel non, de qua materia est *textus in cap. parvulis de consecratione*, *dist.* 4. & *in cap. ultimo de clerico non baptizato ministrante* Verùm ad intelligentiam.

Suppono primò, Sacramentum baptismi reiterari non posse, ut infra, & in *cap. qui bis de consecratione dist.* 4. & *in Trident. sess.* 7. *cap.* 13. & ità intelligitur *Paulus ad. Ephes. cap.* 4. *una fides*, *unus Deus*, & *unum baptisma*; ubi ly unum baptisma non solùm intelligitur unum in specie, sed unum in individuo, idest in unoquoque subiecto unum esse debet; nam sicut una est generatio cujuslibet hominis per semen Adæ, ità unica esse debet regeneratio per semen Christi. Adde quod cum Baptismus imprimit characterem reiterari non poterit.

Suppono secundò, quod dubium an aliquis sit baptizatus potest esse duplex unum facti, aliud verò juris. Dubium facti est quando dubitatur an de facto quis baptizatus fuerit, puta quia reperitur infans expositus sine cartula in aliquo loco, vel in nemore. Dubium verò juris est quando dubitatur an quis juridicè sit baptizatus, scilicet adhibita materia, vel forma à jure requisita. His positis.

Dico primò, quotes dubitatur de facto, vel de jure an quis baptizatus sit, erit baptizandus sub conditione, ità habetur in *cap.* 2. *de Baptismo*, *Coninch. de Sacramentis tom.* 1. *q.* 66. *art.* 9. *dub.* 1. *num.* 91. *Riccius par.* 1. *decis.* 127. *nu.* 10. *Mascardus de probation. concl.* 163. *num.* 6. & 7. si enim adhibita est forma dubia, vel si sint opiniones utrinque probabiles de Sacramenti validitate, vel quando adhibita sufficienti diligentia, remanet dubium an aliquis sit baptizatus, vel quando mens manet dubia, & neutra pars potest determinari an Sacramentum valeat, iterum est sub conditione administrandum, ultrà DD. citatos, ità resolvunt *Sanctus Thomas* 3. *par quæst.* 66. *art.* 9. *ad* 4 ubi *Nugnus concl.* 1. & 2. *Valentia tom.* 4 *q.* 1. *par.* 4. qui dicunt secus esse quando adest leve dubium, seu levis scrupulus, nam iteratio Sacramenti, facta sine causa, videtur quædam irrisio Sacramenti, & grave peccatum ex suo genere.

Ex quibus infertur eum non esse baptizandum, quem constat domi fuisse baptizatum à parentibus, vel ab obstetricibus, vel ab aliis, sed solùm in Ecclesia esse supplendas solemnitates *Sotus in* 4. *dist.* 3. *quæst. unica ar.* 2. *Suarius tom.* 3. *disput.* 32. *sect.* 6 *Reginaldus in prax. lib.* 27. *num.* 54. suntque supplen dæ ceremoniæ tempore transactæ necessitatis, quo ad Ecclesiam ducuntur pueri prædicti, *Laymann. lib.* 4 *tract.* 2. *cap.* 8. *num.* 9. Verùm si eas Parochus omitteret secluso contemptu, non peccaret nisi venialiter: post alios *Diana par.* 5. 3. *resol.* 6. *in fin.* In Germania verò baptizati domi ab obstetricibus solent iterum baptizari, quia ibi obstetrices sunt, ut plurimum sortilegæ, *Diana par.* 5. *tract* 13. *resol.* 86.

Dico secundò, signa quibus constare potest aliquem esse baptizatum, sunt plura. Primum enim si unus testis tantum id dicat, ut ait *glossa* hic: quare licet unus testis non faciat fidem regulariter, sed in unoquoque actu ad minus duo testes requirantur, hoc tamen intelligitur quando actus esset alteri præjudicialis, *l. ubi numerus*, *ff. de testibus*, sed in materia baptismi maximo vere favorabili, & non præjudiciali unus testis sufficiens est, ut diximus cum de Sacramentis in genere, *in §. constat.*, *Barb. in cap.* 2. *de baptismo num.* 8. qui plures refert.

Dices, si fuerit alicui relictum legatum sub conditione si baptizatus fuerit, tunc unus testis non sufficit, sed duo saltem sunt necessarij, qui dicant se vidisse illum baptizatum esse, communiter *DD. in cap. placuit de consecrat. dist.* 4. ergo unus non est sufficiens ad probandum baptismum.

Respondeo, negando consequentiam, quia in eo casu agitur de præjudicio hæredis solventis legatum, ideò sunt necessarij duo testes: at verò conclusio nostra procedit secluso præjudicio alterius, sicut etiam unus tantum testis probat, Ecclesiam esse consecratum, ut dicemus infrà de Ecclesiis ædificandis.

Secundum signum, quo probatur aliquem esse baptizatum, est quando est natus ex Christianis parentibus, & inter Christianos, quia tunc præsumitur baptizatus, & non est rebaptizandus post alias *Bonacina*, & alij apud *Barb. d. cap.* 2. *num.* 8. *de Baptismo*, *Diana par.* 5. *num.* 13. *resol.* 85. qui affert aliquos dicentes, quod etiamsi reperiatur in-

ſans cum ſigno Baptiſmi, adhuc eſt ſub conditione baptizandus, quia licet ſcedula illa dicat eſſe baptizatum, tamen non eſt certum, & indubitatum ſignum.

Dico ultimo, ſi dubitatio, qua dubitamus aliquem eſſe baptizatum eſt publica, tunc conditio applicari debet palam, dicendo ſi non es baptizatus: ſi verò non eſt publica dubitatio, ſed privata, & in ipſo baptizante, tunc tacita lingua, & intentione tantum debet conditio illa apponi, ut ait *Leo Papa Epiſt. 35. ad Leonſium Epiſcopum cap. 1. & Epiſt. 39. ad Nicetum. cap. 7.*

In ʓ. De eo.

IN hoc textu fit mentio de inditio, ex quo haberi poteſt veritas baptiſmi. Eſt autem inditium ſignum quodam per quod devenitur ad notitiam alicujus rei, & dicitur inditium ab indicando, ſeu demonſtrando, & eſt triplex, leve, violentum, & probabile. Leve dicitur inditium illud cui contingit abeſſe à veritate, quod quidem tollendum eſt; violentum dicitur illud, quod ſufficit ad condemnandum: probabile dicitur illud, quod tenet medium inter duo, ſcilicet inter leve & violentum, *Canoniſtæ in cap. ſi nulla extant inditia de conſecrat. diſt.* 4. univerſaliter autem inditium probatur ad minus per duos teſtes, ut ait *Sylveſter in verb. inditium*, inditij ſufficientis ad condemnationem exemplum ponitur *in cap. afferte mihi gladium de præſumption.*

Differt etiam inditium à præſumptione, nam inditium eſt ſemper per aliqua ſigna extinſeca, præſumptio vero eſt per diſcurſum intellectus naturalem, interius factum *cap. is qui fidem de ſponſalibus.* Ruæ præſumptio habet locum in caſu dubio, & multiplex eſt, ut per *gloſſam in d. cap. is qui fidem de ſponſalibus, & Barboſa ibi.* Datur etiam ſuſpicio, quæ naſcitur ex conjecturis, veluti ſi dubitetur an fuerit ſequuta copula carnalis inter Titium, & Catharinam, ſi teſtes dicant ſe vidiſſe nudum cum nuda in lecto jacentes, ex his conjecturis ſuſpicatur fuiſſe ſequutam copulam carnalem, *§. ad notorium infra de probat.* & talia ſuſpicio triplex eſt, probabilis, violenta, & temeraria, qua de re *gloſſa in can. ſemper 2. q. 1.* Datur etiam argumentum, & eſt illud, quod procedit ex aliqua inveſtigatione, & dicitur argumentum, quaſi argutum in mente, *cap. forus verſ. argumentum de verb. ſignificat.*

In §. Quod ſi quis cum ſequenti.

AGitur in bis juribus de pæna, qua punitur rebaptizans, & rebaptizatus, ſcilicet, qui ſcienter rebaptizat, vel permittit rebaptizari, de qua pæna eſt *textus in can. quibus de conſecrat. diſt* 4. Ad cujus intelligentiam.

Suppono primò, quod de jure civili per legem imperatoriam pæna mortis impoſita erat tàm rebaptizandi, quàm rebaptizato, ut in *tit. C. ne Sanctum baptiſma reiteretur l. 1. & 2. Petrus de Gregorio lib. 33. Synthagmatum cap. 8.* De jure verò Canonico variæ pænæ ſunt impoſitæ, etenim in *cap. quamvis de conſecrat. diſt. 4.* eſt impoſita pæna acriſſimæ pænitentiæ hodie eſt impoſita pæna irregularitatis *d. can qui bis.* Hoc poſito.

Dico primò, ſcienter rebaptizans, & rebaptizatus peccant mortaliter, & fiunt irregulares, quia videntur iterum Chriſtum crucifigere *d. can. qui bis de conſecrat. 4. diſt. cap. qualibet 7. q. 1. cap. Afros 98. diſt. cap. litterarum, de apoſtatis, cap. confirmandum 5. diſt.* & toties irregularitatem incurrit, quoties reiterat *Coninch. diſp. 18. de Sacram. dub. 1. num. 34. Toletus lib. 1. cap. 65. Suarez diſp. 42. ſect. 1.*

Dico ſecundò, rebaptizatus etiam ignoranter fit irregularis, itaut non poſſit ordinari, cum hac tamen differentia à rebaptizato ſcienter, nam in rebaptizato ſcienter ſolus Papa diſpenſat, niſi delictum fuerit occultum, quia tunc Epiſcopus poteſt diſpenſare, ex *Trid. ſeſſ. 24. cap. 6. de reform.* cum rebaptizato verò ignoranter poteſt Epiſcopus diſpenſare *DD.* citati.

Dices, ergò erit in poteſtate cujuslibet mihi auferre ordines, quia poteſt me dormiente rebaptizare,

Reſpondeo cum *gloſſa in d. cap qui bis* intelligi hoc noſtrum dictum de ignorantia Juris, quæ reſponſio confirmatur multis canonibus, ut notavit *Archidiaconus in d. can. qui bis* unde non eſt audiendus *Bonacina de cenſuris diſp. 7. q. 3. par. 3. num. 3.* qui ait baptizatum ex ignorantia juris non eſſe irregularem: quam etiam ſententiam ſequuntur plures, quos refert, & ſequitur *Barb. in coll. 5. tomo in d. cap. qui bis* loquuntur enim iſti DD. contra caſum *textus in d. cap. bis*, niſi velimus dicere *textum in d. cap. qui bis* fuiſſe cujuſdam Theodori Archiepiſcopi Cantuarienſis, qui non erat Pontifex, nec habebat auctoritatem inferendi irregularitatem, ut tenent *Bonacina, Sotus, Covarr. Sayrus, & alij* apud *Barboſam ubi ſupra.*

Dico tertiò, puer, qui ante uſum rationis rebaptizatur ab aliquo, non eſt irregularis, etiamſi poſtea ratam habeat rebaptizationem, nam qui caret culpa, carere debet pæna irregularitatis, impoſita ob rebaptizationem: ità *Suarez tom. 5. diſp. 42. ſect. 1. Avila de cenſuris par. 7. diſp. 6. dub. 2. Covarr. & alij* apud *Bonacinam ubi ſupra.* Nec obſtat ratihabitio, nam ipſa eſt poſterior facto rebaptizationis, irregularitas verò eſt impoſita ob rebaptizationem. Quod idem dic de eo, qui rebaptizatur dum dormit. *DD.* citati.

Dico quarto, non eſt irregularis ille, qui ſciens aliquem eſſe baptizatum rebaptizat eundem ſub conditione, ſive illa conditio apponatur ſolum in mente, ſive etiam addatur exterius, ità contra *Sayrum de cenſuris lib. 7. cap, 81. num. 23. Barb. in cap. 2. de Baptiſmo n. 3. in fine*, & alios docent *Toletus lib. 1. cap. 65. Suar. in 3. par. tom. 3. diſp. 31. ſect. 6. dub. 5. Coninch. diſp. 18. dub. 5. n. 38. Bonacina diſp. 7. de cenſuris q. 3. par. 3. n. 4. Diana par. 3. de Sacramentis reſol. 4.* Probatur quia irregularitas non incurritur niſi in caſibus in jure expreſſis *cap. is qui de ſent. excommunic.* Sed iſta irregularitas non habetur expreſſa, ergo. Probatur minor, qui in jure ſolùm eſt irregularitas expreſſa propter rebaptizationem, ſed hæc non eſt rebaptizatio ſimpliciter, nam qui dicit, ego te baptizo ſi non es baptizatus, non intendit baptizatus, quia ille modus loquendi, ego te baptizo ſi non es baptizatus, regulariter hunc includit ſi es baptizatus non te baptizo, ergò in tali caſu non incurrit quis irregularitatem.

Dico quinto, non eſt irregularis ille, qui poſt quam inquiſivit, an alter eſſet baptizatus, illum rebaptizavit abſolutè, & ſine conditione. Sed adbùc poſteà dubitat, an eſſet baptizatus, quia hic talis non dicitur abſolutè rebaptizare, cum ei non conſtet alterum eſſe baptizatum, quia non dicitur iteratum, quod dubitatur an ſit factum *cap. fin. de Praesbytero non baptizato.*

Se

Sed adverte primò, peccare mortaliter hunc talem baptizando absolutè, cum deberet rebaptizare sub conditione, & exposuerit se periculo incurrendi irregularitatem DD. citati. Secundò non est irregularis, qui baptizat aliquem non baptizatum cum conscientia erronea credens, eum baptizatum esse, quia irregularitas ista incurritur ob iterationem baptismi, non ob solam conscientiam erroneam, sequitur *Bonacina disp.* 7. *q.* 3. *par.* 3. *num.* 50.

Dico sexto, eum esse irregularem, qui rebaptizatur per metum cadentem in constantem virum, vel rebaptizat ob eundem metum, cum intentione iterum baptizandi, vel recipiendi, baptismum; itè DD. ubi supra, quia facit contra præceptum continens irregularitatem, metus enim in hoc casu non excusat *cap. eos quos de consecrat. dist.* 4. nàm posito metu adùc liberum est illi baptizare, & non baptizare, & baptizari, & non baptizari, cum metus adhùc non cadat in voluntatem, & intentionem, & baptizans adhuc possit habere intentionem non baptizandi. Qui verò rebaptizat cum intentione non rebaptizandi, non incurrit irregularitatem, quia verè non rebaptizat. Ille verò, qui per vim absolutam rebaptizatur, vel rebaptizat, non fit irregularis, puta si manibus & pedibus ligatis conducitur. *Majolus lib.* 3. *de irregularit. c.* 14. *n.* 30. ubi refert de quodam Episcopo, quem Arriani manibus, & pedibus ligaverunt, & illum invitum rebaptizarunt; & Romæ fuit dictum; prædictum Episcopum non fuisse irregularem: plures etiam id docent apud *Barb. in d. cap. eos quos.*

Dico septimo, prædicta irregularitas lata contra rebaptizantem, non est totalis, sed impedit solùm promotionem ad superiores ordines. Ratio est, quia *in cap. ex litterarum de apostatis* dicitur ad superiores ordines ascendere non valebit, ergò cum versemur in materia pœnali, & odiosa, non est facienda extensio, ultra quod in jure expressum est, *Bonacina*, & alii citati.

Dico octavo, irregularitas non contrahitur ex iteratione confirmationis, & ordinis, est communis opinio, ut testatur *Valentia tom.* 3. *disp.* 4. *quæst.* 4. *par.* 4. & *disp.* 7. *q.* 19. *p.* 3. *Filiuccius tract.* 19. *cap.* 7. *quæst.* 1. *Bonacina ubi supra par.* 3. *nu.* 8 contra *Navarram*, *Ugolinum*, & alios apud DD. citatos. Ratio nostri dicti est, quia irregularitas non inducitur nisi in casibus in jure expressis *d. cap.* 15. *qui de sent. excommunic.* quem *textum* ibi singularem appellat *Francus*, & *Berdarchinus in tract. de Episcopo lib.* 8. *cap. ultimo*, sed nullibi cautum reperitur, ut in hoc casu quis irregularitatem incurrat, ergò: Major, & consequentia patent, minor probatur, quia licet in *cap. sicut* 68. *dist.* & *in cap. dictum de consecrat. dist.* 5. habeatur, Sacramentum Baptismi non posse iterari, tamen non per hoc sequitur, quod pœna, quæ imponitur reiteranti baptismum, imponatur etiam iterantie confirmatione, quia de confirmatione, & ordin verbum nullum quoad irregularitatem, ut advertit *Bonacina loc. cit.* & *Barb. in d. cap. dictum.* at regulariter argumentum in pœnis à simili non valet, præsertim in irregularitate, quæ non contrahitur nisi in casibus à jure expressis, *d. cap. is qui.*

Dico nono, si Græci baptizati à nostris latinis, iterum ab eisdem Græcis postea rebaptizarentur, id facientes non solum fiunt irregulares, sed sunt excommunicati, *cap. fin. de Baptismo*, *ubi Barbosa in collect.*

Dico decimo, eandem irregularitatem ob rebaptizationem incurrunt Acolythi, & alij administrantes Sacerdoti rebaptizanti, si tamen publicè adjutorium præstitit, secus si privatim *cap.* 2. *de Apostatis.* Intellige hoc, quando Acolythus est in minori ætate, nam si in majori semper incurrit, sivè publicè, sive occultè. Patrini verò, parentes, & alij ad rebaptizationem cooperantes, præter Acolythos, talem irregularitatem non incurrunt, ut contra multos docent *Bonacina d. disp.* 7. *quæst.* 3. *par.* 3. *n.* 1. *Barbos. in d. cap.* 2. *de Apostatis nu.* 9. Ratio est, quia *textus* solum loquitur de Acolythis, ergò ad eos solum extenditur, odia enim sunt restringenda, *cap. odia de reg. jur. in* 6.

Dico undecimo, Summus Pontifex dispensare potest in irregularitate proveniente ex reiteratione baptismi publica, vel privata, quia potest dispensare in jure canonico, ex quo provenit talis irregularitas. Episcopus verò potest dispensare in irregularitate proveniente ex rebaptizatione occulta, non publica, ex notatis per *Trid sess.* 24 *cap.* 6. Sic etiam potest Episcopus dispensare in irregularitate, quæ incurritur quando quis alium publicè baptizat, sed ignorans an fuerit antea baptizatus, quia censetur delictum occultum *Bonacina d. par.* 3. *num.* 1. *Barbosa in d cap* 2. *de Apostatis nu.* 9.

Dico duodecimo, eum esse irregularem, qui differt Baptismum usquè ad ægritudinem, vel senectutem: ità *Suarez disp.* 42. *sect.* 1. *n.* 5. *Filiuccius*, & alij apud *Bonacinam ubi suprà*, ex *textu in cap. si quis* 57. *distinct.* Verùm si postea fuerit approbata ejus fides, tunc poterit ordinari. *Romanus singul.* 421. *Ricciullus de jure personarum in tit. de Neophitis cap.* 3. *num.* 2. 6. & 7. quæ irregularitas non est propter culpam, ut malè *Suarez disp.* 42. *de censuris sect.* 1. *num.* 5. Sed propter minorem Ecclesiæ satisfactionem ex tali conversione. Quando verò hic talis purgat suspicionem per fidei, & religionis manifestationem, tunc si necessitas urgeat, poterit Episcopus dispensare. *Suarez ubi supra sect.* 1. *num.* 6. *Barbosa in d. cap. si quis* 57. *dist.*

Nequè hæc irregularitas ultima tollitur per Baptismum, quia ut benè advertunt DD. citati ipsa irregularitas incurritur ob ipsam dilationem Baptismi, ergò non potest per Baptismum tolli, quia idem non est causa effectus contrarij.

Dico ultimò. Adultus baptizatus ab hæretico est irregularis, *cap. qui in qualibet* 10. 1. *q.* 7. qui *textus*, ut benè ibi *glossa lit. A.* intelligitur de adultis, undè infans ab Hæretico baptizatus, non est irregularis: tùm quia irregularitas non incurritur, nisi sit expressa in jure, tùm quia sic intelligitur ex *cap. placuit* 1. *q.* 4. & *cap. qui apud* 1. *q.* 4. *glossa ubi supra Suarez sect.* 1. *num* 11. *Toletus lib.* 1. *cap.* 65. *nu.* 6. Quod verùm est, etiamsi talis infans ab hæretico baptizatus factus major approbaverit baptismum, collatum ab hæretico, quia nullo jure probatur, hunc talem subjacere huic irregularitati; si verò adultus ignorabat probabiliter, hunc talem esse hæreticum, scilicet baptizantem, vel justam habet necessitatem suscipiendi baptismum ab ipso, tunc putat *Suarez d. disp.* 42. *sect.* 1. *n.* 14. non fieri irregularem, quia hæc irregularitas videtur facta in pœnam, quæ de sui ratione supponit culpam, ergò ità *Suarez* cum aliis citatis.

In 5.

In §. Postremò.

AUctor noster agit supra de definitione Baptismi, de speciebus ejusdem, de his, qui possunt baptizari, & de pœnis eorum, qui baptismum reiterant: nunc agit in *§. præsenti*, quod licèt verbo tantùm, & elemento baptismus fiat, multa tamen à Sanctis Patribus ad ejus decorem fuerunt solemniter constituta, ut numerus immersionis, & exorcismi, insufflatio, salis benedicti exhibitio, salivæ contactus, & unctio, quæ si omissa fuerint, eorum omissio reos culpæ arguit, ità habetur hic, & in *cap. 1. & penult. eod. tit.* Ad cujus intelligentiam suppono, hic agi de materia, & forma baptismi. Undè sit.

De materia remota Baptismi.

DUplex est materia baptismi, proxima, & remota (de proxima agam infra) remota est aqua naturalis, *Trident. sess. 7. can. 2. de baptismo, & Joannis 3.* dicitur, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Undè allucinantur multi hæretici apud *Bellarminum de baptismo lib. 2. cap. 1.* dicentes, materiam baptismi esse ignem, moti ex illo loco Evangelii *Matth. cap. 3.* ubi *Joannes* dixit, *Ego baptizo in aqua, ille baptizabit vos in Spiritu Sancto, & igne.* Decipiuntur enim miseri, quia cum in scriptura fit mentio de igne, intelligitur de charitate; undè Spiritus Sanctus volens in die Pentecostes ostendere unionem charitatis, descendit in forma ignis, ut habetur in hymno ejusdem diei, & benè Sancti Patres communiter apud *Bellarminum loc. cit.*

Quæ materia fuit figurata in multis locis sacræ Scripturæ, etenim *Ezechielis cap. 36.* dicitur, Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris: ratio autem, quare aqua sit instituta pro materia baptismi, est, tùm quia hæc optimè significat effectum baptismi, qui est ablutio; tùm quia cum baptismus sit Sacramentum maximæ necessitatis, æquum fuit ut assignaretur materia omnibus patens, Cathechismus Romanus de baptismo, cum aliis, ex quibus.

Infertur primò, aquam esse sufficientem, sivè sit pute, sive maris, pluviæ, balnei, etiamsi ex sulphure, aut cinere defluat sive sit calida, sive frigida, sive tincta colore: non verò est materia cervisia, sputum, seu saliva, sudor, lac, urina, lachrymæ, &c. quia non habent rationem aquæ: undè si quis jejunaret in pane, & aqua, si prædictis liquoribus utatur, frangit jejunium, *Henriquez lib. 2. cap. 6. n. 2.* In aqua ex sale resoluta, validè fieret baptismus, quia sal efficitur ex aqua salsa, ut docet experientia, & id docet *Arist. 2. metheor. cap. 3,* idem dic de aqua ex nive, vel glacie resoluta, ut contra *Coninch. q. 66. de Sacramentis art. 4. dub. 1. nu. 22.* docent communiter DD. apud *Dianam par. 3. tract. 4. resol. 5.* est etiam materia aqua, quæ distillat ex vite, vel aliqua arbore, *Joannes de la Crux de Sacramento baptismi par. 2. q. 1. dub. 1. concl. 2.* sequuntur alij, quos tacito nomine citat *Coninch. d. q. 66. art. 4. dub. 10. n. 23.* alij putant non esse sufficientem, quia non est aqua sed humor, legas *Dianam par. 3. tract. 4. resol. 5.*

Infertur secundò validè confici Sacramentum baptismi in illa aqua, quæ colligitur ex vaporibus densatis, cum ex ollæ ore evaporatur, & in testaceo tegmento reperiuntur, sicut validè rebaptizaretur quis in illis aquis, quæ hyemali tempore ex parietibus, lapidibusque fluunt; nam vapores essentialiter aquæ sunt, aqua verò à parietibus manans, aqua est aere humido in aquam verso, *Antonius Fernandez in examine Theol. moral. par. 3. cap. 11. §. 2. num. 3. Diana d. resol. 5.*

Infertur tertiò, eum validè baptizasse; qui usus esset aqua, quæ exivit de latere Christi, quia dicebatur vera aqua secundum DD. citatos per *Bonacin. disp. 2. q. 2. p. 3. Barb. in cap. fin. de baptismo.*

Infertur quartò, eum validè baptizare, qui uteretur aliquo lixivio, brodio carnium, vel piscium, dummodò tale brodium non sit tàm mistum, seu pingue, ut amiserit speciem aquæ, *Sotus in 4. dist. 3. q. unica art. 4.* quod si sit dubium an tale brodium, vel lixivium sit sufficiens, adhiberi poterit sub conditione *Bonacina disp. 2. q. 2. p. 3. Diana par. 5. tract. 3. resol. 1.*

Infertur quintò, Glaciem non esse sufficientem materiam baptismi. Ratio est, quia ad baptismum requiritur aqua apta, & idonea ad abluendum, sed glacies non est apta ad abluendum, nisi prius liquefiat, & in aquam redeat, ergò, *S. Thomas 3. par. q. 66. art. 4.* Verùm in casu extremæ necessitatis licitum est uti nive adhùc non resoluta, sub conditione si materia prædicta est idonea. *Hurtad. de baptismo disp. 1. diffic. 2. Diana par. 5. tract. 3. resol. 3.* Quod si nix resolvatur, sive in manibus baptizantis, sive in corpore baptizati, semper valet baptismus: *Diana par. 5. tract. 3. resol. 3. in fine.*

Infertur sextò, aquas artificiales, expressas ex floribus, vel ex aliis mixtia non esse aptam materiam baptismi, quia non sunt vera, & naturalis aqua, sed humor alterius rationis. In necessitate verò possunt adhiberi, quia est opinio probabilis, quod elementa sint formaliter in mixto, & sic probabile est tales humores, expressos, esse veram, & naturalem aquam: quod certè non est damnandum, cum præsertim hoc Sacramentum sit maximè necessarium ad salutem, & sic in his casibus non solùm ego baptizarem in aqua rosacea, capillorum Veneris, florum, &c. sed etiam in socco aliquo, expresso ex frondibus, & herbis: immò si non inventa aqua naturali, essemus in necessitate, & inveniatur aliquis liquor, de quo dubium est an sit aqua, nec posset id examinari, quia forsan est locus obscurus, nec odore, aut gustu posset id percipi, hoc casu posset in periculo mortis baptizari, *Lugo de Sacramentis disp. 8. sect. 9. num. 140.* & alij relati per *Dianam par. 5. tract. 3. resol 2.*

Neque sunt habendi pro christianis illi, qui cum sputo sunt baptizati, ut ait *Summus Pontifex in cap. penult. de baptismo.*

Infertur septimò, graviter peccare peccato sacrilegij eum, qui absque necessitate utitur aqua naturali alterata, & fœtida, quamvis simpliciter sit aqua, & talis denominetur, *Coninchius 3. par. q. 66. art. 4. dub. 1. n. 14. Bonacina loc. cit.* quia facit contra reverentiam, Sacramentis debitam. Idem dic de eo, qui præcisa necessitate baptizat in aliquo brodio parum decocto; immò neque est licitum uti aqua naturali, quæ non sit de sacro fonte suscepta, *Clem. unica de Baptismo DD. citati.*

De materia proxima Baptismi.

MAteria proxima baptismi est ablutio, ut colligitur ex illo loco *Matth. ult. & ad Ephes. 5.* &

5. & probatur, quia aqua de per se non significat regenerationem, & gratiam, sed juncta ablutione id significat, ergò ablutio est materia proxima; hæc autem ablutio intelligitur contactus successivus, quo aqua contangit corpus, non enim ad baptismum sufficit quilibet contactus, sed requiritur successivus, aqua enim abluere non dicitur, nisi per contactum successivum, ut benè *Suarez 3. par. tom. 3. disp. 20. sect. 2.* in aliquibus locis talis ablutio solebat fieri per immersionem, scilicet immergendo corpus in aquam, & ità Mediolani fieri consuevit, *Bonacina disp. 2. de Sacramentis q. 2. t. 3. n. 17.* Aliis vero locis fieri solet infundendo, seu applicando aquam corpori, & ità fit apud nos. Minister ergò, qui Neapoli ministraret baptismum aliter, ac servat ritus suæ Ecclesiæ, peccat mortaliter, nisi faceret ex aliqua causa: Hæc autem immersio, vel effusio non est necesse, ut trina sit; nam cum essent quidam hæretici, vocati Sabelliani, qui Sanctissimam Trinitatem negabant, ideò contra istos fuit solitum baptizari per trinam immersionem, vel effusionem, quandoque tamen fuit observata una immersio, vel effusio contra Arrium, qui negabat unam Deitatem, & asserebat tres Deitates, quia ergò hodie cessant prædictæ hæreses, unaquæque Civitas servare debet ritum suæ Ecclesiæ, ut per DD. citatos.

Ex quibus infertur primò, non esse validum baptismum, quando quis per aliquas guttas aquæ aspergitur, quæ tamen non defluunt per corpus, quia ad baptismum requiritur contactus successivus, & tanta quantitas aquæ, qua possit homo denominari ablutus: quod si una gutta aquæ defluat per corpus infantis, est validus baptismus, *Comitolus lib. 1. responsorum q. 12. Filiuccius t. tom. tract. 2. cap. 2. n. 34. contra Bonacinam disp. 2. de Sacramentis q. 2. p. 3. n. 18.* & alios docentes, unam guttam aquæ, vel duas non sufficeret, undè *Comitolus* asserit verum fuisse baptismum, quem contulit quædam mulier moribundo infanti, baptizando illum signo crucis impresso in fronte digito aqua madefacto, sequitur *Diana par. 3. tract. 4. resol. 5. & par. 5. tract. 3. resol. 5.* quod si tempore mortis infantis non pateret ad illum accessus, posset infans baptizari per aspersionem, post alios *Diana par. 5. tract. 3. resol. 5.*

Infertur secundò, non valere baptismum si aqua bluantur solùm vestes, pileum, vel aliquid aliud extra carnes, ut si aliquis corio, vel utre contectus immergatur, quia tunc non dicitur ablutus, sed solùm metaphoricè, quod si baptizandus sit coopertus aliquo panno lineo, ità ut aqua attingat carnes, valet baptismus, quia dici potest ablutus, idem dic, si baptizetur infans cum pelle porosa, ità ut aqua penetrando, perveniat ad carnes infantis, *Filiuccius & Bonacina ubi supra.*

Infertur tertiò, quod si tempore mortis in naufragio, vel aliquo alio periculo non possit quis plures sigillatim baptizare, posset tunc unica aspersione omnes simul baptizare, *S. Thomas 3. par. q. 66. art. 5. ad 4.* quia nihil deficit tali casu ad valorem Sacramenti, ut benè *Coninch. 3. par. q. 67. art. 6. dub. 2. n. 51.* dicendo vos baptizo, quæ forma æquivalet illi ordinariæ, ego te baptizo; undè sunt plures ablutiones æquivalentes, licèt una forma, quia illa una forma æquivalet pluribus ablutionibus, Undè si esset vera illa sententia, quæ docet, quod Sacerdos baptizat in peccato mortali, etiam in necessitate peccat mortaliter, hoc casu unum peccatum committeret, quia illa plura Sacramenta conferuntur per modum unius, ut benè *Diana par. 5. tract. 6. resol. 27.*

Infertur quartò, eum censeri baptizatum, qui cum inciperet mori, quia non adest aqua, qua possit baptizari, projicitur in flumen, aut in puteum à ministro proferendo formam baptismi, ità *Suarez disp. 20. de Sacramentis, sect. 3. Valentia tom. 4. disp. 4. q. 1. p. 2. Vasquez disp. 145. cap. 3. nu. 19. Filiuccius tract. 2. cap. 2. q. 8. Coninck. 3. par. q. 6t. art. 7. dub. 1.* est tamen contra *Tabienam in verbo baptismus il. 5. nu. 7. Sylvestrum in verb. baptismus, il 4. nu. 8. Sotum*, & alios apud eos. Ratio est, quia ut benè *Diana par. 5. tract. 3. resol. 14.* in hoc casu non adest materia nec intentio, nec forma, ut supponimus ergò, est tamen difficultas an peccet mortaliter projiciens talem infantem in puteum; putant communiter esse peccatum mortale, ità plures, & ferè omnes, quos sequitur *Diana par. 5. tract 3. resol. 14.* Ego puto, quod si puer jam jam anim in agens, & non est alia via illum baptizandi, tunc potest licitè projici, quia ut benè *Vasq. tom. 2. in 3. par. disp. 145. cap. 3.* in moralibus parum pro nihilo reputatur, ergò illa parva mortis acceleratio nihil facit in hoc casu. Idem dico de catechumeno, si ei diffi. ilis est per contritionem justificatio, prout esse solet, & medio baptismo facilis, hic enim si in periculo mortis reperiatur, nec alia via posset baptizari, adhuc posset projici in puteum: verum in utroque casu si puer per funem, vel canistrum posset in puteum demitti, ità est demittendus, *Diana d par. 5. tract. 3. resol. 14. in fine.*

Infertur quintò, non esse omittendum baptismum propter periculum infantis morituri, ut si puer sit ità tener, & delicatus, ut credatur baptismum fore causam mortis illius, quando tamen est periculum in mora: ità contrà *Scotum, Sotum, & Ledesmam*, docent alij plures apud *Dianam par. 5. tract 3. resol. 8.* quia si infans foret sui compos deberet ità velle, ergò nulla ei irrogatur injuria, legas eundem *Dianam par. 5. tract. 3. resol. 9. & 10.*

Infertur sextò; validum esse baptismum, quando quis aquæ defluenti de tecto, vel ex alio loco submittit infantem, dicendo, Ego te baptizo, quia infans denominatur ablutus à submittente, sicut quando projicitur in flumen: quod si tempore mortis quis non haberet accessum ad puteum; posset de longinquo proferre formam, & jubere ut alius illum aqua abluat; idem dicas si unus abluat, sed non proferat verba, alius verò verba proferat, sed non abluat: hoc in. modò baptismus tempore necessitatis est sub conditione conferendus, scilicet si valet, ut post alios docet *Diana p. 3. tract. 4. resol. 11. & par 5. tract. 3. resol. 26.*

Infertur septimò, Baptismum perfici per quamlibet ablutionem, dummodo sufficienter verba prolata sint, & possit corpus dici ablutum, undè casu, quo Baptismus fieret per triplicem mersionem in aquam, Baptismus statim post primam ablutionem sortitur effectum suum, antequam triplex mersio fiat, dummodò forma sufficienter prolata sit, quia ad sunt omnia requisita Baptismi: undè si puer, vel Sacerdos moriatur post primam mersionem, prolatis verbis, valet baptismus; immò quod plus est si minister intenderet perficere Baptismum in tertia mersione, validum esse Sacramentum posita prima mersione, & prolatis verbis, quia non potest minister sua intentione suspendere effectum, & perfectionem Sacramenti, modò habeat veram intentionem conferendi Sacramentum, DD. citati; secùs dicas, si minister haberet directam, & expressam intentionem non conficiendi Sacramentum, nisi perfecta trina mersione, tunc enim Sacramentum non

non valet ante tertiam mersionem, non quidem ex defectu formæ, aut materiæ sed intentionis ministri, qui expressè intendit non conficere, nisi tunc scilicet post trinam mersionem DD. supra citati, præsertim *Bonacina*.

De forma Baptismi.

Dico primò, forma Baptismi sunt hæc verba. *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, ità colligitur ex illo loco *Matth. cap.* 28. ibi, *Euntes docete omnes gentes, &c. & ex Alexandro* 3. *in cap.* 1. *de baptismo, Trident. sess.* 7. *de baptismo can.* 4. *S. Thomas* 3. *par. q.* 66. *art.* 5. *Bonacina de Sacramentis disp.* 2. *q.* 2. *p.* 4.

In qua forma requiritur, ut exprimatur persona, quæ baptizatur, sive dicatur, baptizo te, sive baptizo hunc, sive baptizo Cajum; ità communiter DD. apud *Barbosam in collect. ad tex. in d. cap.* 1. est etiam exprimenda actio, quæ exercetur circa eum, qui baptizatur, sive exprimatur per verbum, baptizo, sive per verbum, abluo, sive per verbum mergo, &c. tertiò exprimi debet unitas divinæ essentiæ, nam ideò in forma Baptismi dicitur in nomine, ut ostendatur unitas essentiæ, quare invalidè baptizaret quis dicendo, Ego te baptizo in nominibus Patris, &c. valeret tamen Baptismus, si quis ità diceret, Ego te baptizo virtute Patris, virtute Filij, & virtute Spiritus sancti, quia idem importat illud nomen virtus, ac nomen. Persona verò, quæ baptizatur, non est necesse, ut exprimatur, quare valet Baptismus, quando quis dicit baptizetur servus Christi, prout faciunt Græci, ne putet quis, se Baptismo recipere virtute baptizantis, *Bonacina d. par.* 4. *n.* 3. debet forma simul cum materia proferri, licèt validè baptizaret Parochus si post ablutionem statim proferet formam, ut contra *Scotum Navarrum*, & alios docent *Laymam lib.* 5. *tract.* 2. *cap.* 7. *n.* 50. *Henriquez lib.* 1. *de Sacramentis cap.* 9. *n.* 10. Verùm in hoc non est audiendus *Fernandez de Herrera de Sacramentis genere par.* 6. *dub.* 2. *n.* 8. putans, quod post ablutionem dicere poterit orationem dominicalem, & postea sequi formam, vel è contra, quia est opinio nimis laxa.

Ex quibus infertur primò invalidè baptizare, qui utitur hac forma. Ego te baptizo in nomine Christi, aut si dicat, ego te baptizo in nomine Trinitatis, quia non explicantur tres Personæ Sanctissimæ Trinitatis, quarum explicita expressio est in Baptismo necessaria, *Coninch. q.* 66. *de Sacramentis n.* 52. *Bonacina ubi supra d. p.* 4. *n.* 8. *Barb. d. cap.* 1. *de baptismo.* Sic invalidè baptizat, qui diceret, Ego te baptizo in nomine Dei, aut sanctæ Crucis, quia substantialiter mutat formam, cum non exprimat personas sanctissimæ Trinitatis: voluit autem Christus Dominus Sanctissimam Trinitatem in collatione Baptismi distinctè exprimi, ad indicandam causam principalem Baptismi, quæ est sanctissima Trinitas, teste *S. Thomas* 3. *par. q.* 66. *art.* 5.

Neque dicas primò, obstare *text. in cap. à quodam Judæo de consecrat. dist.* 4. ubi *Nicolaus Papa ex S. Ambrosio de Spiritu Sancto cap.* 3. & aliis Patribus ait validum esse Baptismum collatum tantum in nomine Christi, vel Trinitatis.

Respondeo, talem baptizatum à Pagano non esse rebaptizandum, si fuit baptizatus in nomine Trinitatis, scilicet expresso nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vel nomine Christi, scilicet loco Filij, v. g. ego te baptizo in nomine Patris, & Christi, & Spiritus sancti. Alij dicunt, Nicolaum Papam ut privatum Doctorem atrassa ibi, solum enim ab eo petebatur, utrum valeret baptismus collatus ab infideli, & benè definivit valere, at non rogabatur de forma, & in hoc erravit ut privatus Doctor dicendo valere baptismum collatum in nomine Christi, & Trinitatis: alias responsiones legas per *Barbosam in cap.* 1. *de Baptismo, & in d. cap. à quodam Judæo de consecrat dist.* 4.

Neque dicas secundò, quod Act. x. & 8. habetur, Apostolos administrasse Baptismum in nomine Christi tantum, ergo valet Baptismus administratus in nomine Christi

Respondeo, id fuisse Apostolis concessum ante ascensionem ex dispensatione Christi ad tempus concessa, sed nobis unquam permissa, & causa taliter baptizandi fuit, ut nomen Christi Judæis odiosum, fieret amabile fidelibus, ut ait *Sanctus Thomas loc. citat. artic.* 6.

Alij respondent probabilius nunquam fuisse Baptismum administratum nomine Christi tantum, & ad locum prædictum, respondent, quod in nomine Christi dicitur fuisse Baptismum administratum scilicet in merito Christi, vel in forma loco Filij, fuit dictum Christi, puta, ego te baptizo in nomine Patris, Christi, & Spiritus sancti, idque ut nomen Christi esset fidelibus amibile, *Suarez disp.* 21. *sect.* 2. *Barb. in d. cap.* 1. *de Baptismo, Bonacina d. par.* 4. *num.* 8.

Infertur secundò, eum invalidè baptizare, qui dicit ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati, *S. Thomas* 3. *par. q.* 66. *art.* 5. *Toletus lib.* 2. *cap.* 19 *n.* 7. & alij apud *Suarez ubi supra*, quia Christus instituit formam sub talibus nominibus relativis, scilicet Patris, & Filij, & Spiritus sancti, licet alij putent valere talem Baptismum, quæ sententia licet speculativè loquendo valida sit, tamen in praxi est tenenda opinio *S. Thomæ* ut tutior, ne baptizandus periculo damnationis exponatur per mutationem formæ. Invalidè etiam baptizaret quis, si diceret, intendo te baptizare, quia aliud est intendere actum, aliud exercere actum *Sayrus lib.* 1. *de Sacramentis cap.* 4. *art.* 4. sic invalidè baptizatur, & non est sepelieudus in loco sacro quis, quando dum finitur forma moritur, quia ut supra diximus tunc non est homo, secus verò si finita forma, antequam finiatur ablutio, interim moriatur infans, quia tunc tenat baptismus, *Dian. par.* 5. *tract.* 3. *res.* 17.

Infertur tertiò, posse in forma baptismi salva ejus essentia fieri mutationem accidentalem, undè validè baptismus fit si dicatur, baptizatur iste, vel hic baptizatur, secus si dicatur, baptiza Petrum, *Suarez disp.* 21. *sect.* 2. & validè baptizat, qui omittit particulam (ego) vel qui loco particulæ, ego, dicit Nos, quando particula illa, Nos, idem significat, quod ego, vel si quis baptizando Principem dicit, ego vos baptizo, *Bonac. ubi sup. n.* 13. sic si quis dicat, ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, Filii unigeniti, & Spiritus Sancti Paracliti, sic valet Baptismus, si quis diceret, ego te baptizo in nomine Patris, ego te baptizo in nomine Filij, ego te baptizo in nomine Spiritus Sancti, dummodò verba hæc morali quadam continuatione proferantur, quia sensus formæ substantialiter non mutatur, sed clarius exprimitur *Filiucius tract.* 2. *cap.* 3. *quæst.* 4. *num.* 50.

Infertur quartò, eum validè baptizare, qui omittit particula (In) communiter DD apud *Bonacinam ubi supra nu.* 16. *contra Reginaldum tom.* 2. *lib.* 24. *cap.* 1. *n.* 30. *Comitulum in response. moralibus lib.* 2. *cap.* 19. *& alios*: ratio nostra est, quia omissa

omissa particula (In) non destruitur sensus formæ: ergò validum erit Sacramentum. Idem enim est dicere, in nomine Patris, ac nomine Patris, sicut quando dico ego Credo in Deum, idem est, ac Credo Deum. Idem dico de particula, &, si enim quis baptizat dicendo, ego te baptizo nomine Patris, Filij, Spiritus Sancti, validè baptizaret: *Coninchus* 3. *par. q.* 66. *de Sacram. art.* 6. *n.* 61. *Comitolus ubi supra*, & neque peccat mortaliter quis, omittendo particulam illam In, & illam, &, *Bonacina ubi sup.* quia non est materia gravis, valeret etiam Baptismus collatus sub hac forma *Jo ti battezzo col nome del Padre, col nome del Figlio, e col nome dello Spirito Santo*: ità contrà *Bonacinam ubi supra*, & alios apud eum consuluit *Diana p.* 2. *tract.* 3. *Miscell. resol.* 15. ratio est, quia valet Baptismus collatus hoc modo, ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filij, & in nomine Spiritus Sancti, non alia ratione, nisi quia non sunt plura nomina, sed idem essentiale, nec nomen commune tribus ter repetit, quod rectè fieri potest absque pluralitate, sicut verè dicitur Pater Deus, Filius Deus, Spiritus Sanctus Deus, &c.

Infertur quintò, validum esse Baptismum collatum alicui, quem minister credebat esse masculum cum sit fæmina, aut esse filium Titij, cum sit filius Caij, ità communiter DD. apud *Bonacinam ubi supra n.* 26. quia minister practicè non errat, cum dirigat, & dirigere debeat intentionem in præsentem personam, ne irritum faciat Sacramentum, sicut valet absolutio, quam quis viro impendit, quam credit esse fæminam; quod si minister diceret, ego volo hunc baptizare, qui est filius Titij, & si forte alius sit nolo baptizare, tunc minister invalidè baptizat, cum deficiat intentio necessaria ad Baptismum: Quod secus est in matrimonio, ubi cum quis vult contrahere cum Titia, quam putat esse præsentem, invalidè contrahit, si illa non est Titia, quia ille intendit contrahere cum tali persona particulari sibi proposita, quod non est in Baptismo, ubi baptizans, vel alia ratione administrans, non respicit, neque respicere debet persona particulares.

Infertur ultimo, infantem, cui in infantia fuit impositum nomen fæminæ, putantes fæminam parentes, si postea in virili ætate erumpat in masculum, non esse rebaptizandum, sed solùm nomen commutandum in nomen viri, undè errarunt aliqui in Lusitania, qui teste *Bonacina ubi supra n.* 8. Baptismum iterum contulerunt cuidam jam provecta ætate, qui semper fuerat fæmina existimata, quod quidem fuit consilium eorum, qui Theologiam non ex propriis rationibus, sed mera extraneorum auctoritate tractant, & fuit facrilegus rebaptizationis error, debebat enim tantummodo per Episcopum nomen commutari, ut ait *Sotus in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 5. *art.* 8. licet enim possit unusquisque propria auctoritate sibi nomen mutare l. 1. *C. de mutatione nominis*, tamen ratione circumstantiarum, puta fraudis vitandæ, &c. non potest id fieri *l. falsi ff. ad l. Cornel. de falsis*, & ideò credo consultius esse, nomen mutare auctoritate Episcopi, vel Principis, quia sic facile cavetur suspicio fraudis, & damni, DD. citati.

De Accidentalibus Baptismi

MUltæ solemnitates accidentales requiruntur in Baptismo, quibus non existentibus, adhùc Baptismus valeret, quæ his verbis continentur,

J. Caponi Instit. Can. Tom. I.

Sal, Oleum, Chrisma, Cereus, Chathechismus Salutis.
Flatus virtutem Baptismi ista figurant.
Hæc cum Patrinis ornant, & dant vigorem.

Ad quorum solemnitatum intelligentiam sciendum est, eas fuisse ab Ecclesia institutas multiplici de causa. Primò quidem propter reverentiam Sacramenti, ne ita aridus, & nudus ad tàm magnum Sacramentum accedat quis. Secundò ad excitandas fidelium devotiones, ex quibus solemnitatibus quædam antecedunt Baptismum, ut Chathechismus, & exorcismus, & unctio olei sancti: Chatechismus est instructio baptizandi circa fidem, quam profiteri debet *Sylvester in verb. Cathechismus*, qui eum definit, ut sit instructio credendorum *cap. ante de consecrat.* 4. *dist.* Chatechismus enim Grecè idem est, ac latinè instructio, undè catechizare nihil aliud est, quam instruere, cum verò catechizandus est parvulus, tunc sufficit, quod per susceptores suos recipiat instructionem & per eos fiat Fidei professio *cap.* 1. *de consecrat.* 4. *dist.* undè Patrinus respondet pro parvulo *cap. cum pro parvulis* 4. *dist.* & cum ei dici Parochus, credis, respondet, Credo, *cap. quæris de consecrat.* 4. *dist.* & cum dicit Patrinus Credo, sensus est: Sacramentum fidei sum promptus accipere in personam pueri, vel Credo, idest dabo operam ad hoc, ut credat DD. *in d. cap. ante Baptismum*, Quando verò adulti baptizantur necessitatis tempore, puta obsidionis, naufragij, &c. non requiritur instructio. *Diana par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 20.

Exorcismus est verbum græcum, & latinè idem est ac abjuratio, undè fit exorcismus, ex immunde Spiritus ab hac creatura *Dei*, & dà locum Spiritui sancto advenienti.

Alia cæremonia est Salis immissio ad denotandam sapientiam, qua opera Christiana debent esse condita *cap. Saul de consecrat* 4. *dist* significat etiam conservationem à putredine peccatorum futurorum *cap. ex hinc de consecrat.* 4. *dist.*

Alia cæremonia est Saliva digitis in auribus, & scapulis apposita ad denotandum sensuum spiritualium aversionem, & adverte quod licet exorcizare sit exorcistæ, & cathechizare lectoris, tamen hodie fit totum à Sacerdote, qui baptizat.

Alia cæremonia est unctio Olei sancti, quo Oleo fit unctio in pectore, in spatulis ad significandam subjectionem Divinæ legis, quæ subjectio debet esse ex amore *cap. deinde capi præsentia de consecrat.* 4. *dist.*

Candela accensa in manu significat lucentem fidem per opera, juxtà illud, *Sic luceat lux vestra coram hominibus Matth. cap.* 5.

In §. finali.

COnclusio hujus textus, est non posse Baptismum administrari in eis Ecclesiis, ubi fontes non adsunt ad hoc specialiter deputati; nec in privatis domibus, nisi essent filij Regum, vel Principum, vel nisi necessitas urgeat, quod si quis contrarium fecerit, puniri poterit arbitrio Episcopi, concordat *text. in Clement. unica de Baptismo* Filij Principum, vel Regum in Aula, & Cappella regali baptizantur *Barb. in d Clement unica de Baptismo*, & Parochus, qui baptizavit infantem in camera privata, fuit decisum, quod deberet abstinere ab exercitio officij curæ per sex menses *Riccius decis.* 234. *par.* 3.

Ampliatur ut sub dicta conclusione, & Principum appellatione veniant titulati Regni nostri, *Riccius in praxi par. 2. resol.* 427. immò in terminis dictæ Clementinæ etiam filij divitum continentur, quia appellatione Principum divites veniunt *Tiraquellus de nobilitate cap. 3. num. 5. Molina de primogenitura lib. 1. cap. 2. n. 24. Barbos. in d. Clem. unica* excepta Civitate Neapolitana, ubi neque filij Principum possunt baptizari in privatis domibus sine licentia Ordinarij.

Ampliatur secundò, ut nomine filiorum, de quibus ibi, non solum filij comprehendantur, sed etiam nepotes, filij verò naturales non veniunt *glossa in d. Clem.* & contrarium faciens, ac in *d. Clem.* dicitur, punitur pœna arbitraria. *Menochius casu* 431.

Probatur etiam ex *Trid. sess. 24. de reformat. matrim. cap.* 5. ubi disponitur, in secundo gradu non dispensari in matrimonio nisi inter magnos Principes, & tamen nomine Principum dicunt intelligi personas principales, & viros opulentos *Coninch.* & alij apud *Barb. in remiss. ad Trid.* ubi supra, quicquid dicant alij intelligi solum titulatos *Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 19. num. 2. Ricciuspar. 3. dec. 19. Novarrius lib. 2. quæst. for. quæst.* 55.

Sic videmus, quod venditor non tenetur de evictione si emptor non juridicè, sed de facto expellatur à re empta l. *fin. C. de act. empt. Vivius dec. 12. Grammatic. cons. 22. Mangilius q. 17. & 19.* tamen si persona, quæ vendidit sit titulata, & potens, tunc tenetur de evictione etiam in casu, quo de facto turbetur emptor in sua possessione, *Misinger cent. 2. quæst.* 55.

TITULUS IV.

De Sacramento Chrismatis.

Titulus hic ad præcedentes tali ordine continuatur Visum est supra de Baptismo, & ejus effectu. Verùm quia fideles post Baptismum recipiunt Sacramentum Chrismatis, per quod confirmantur in fide, *& roborantur ad pugnam cap. 2. de consecrat. dist.* 5. meritò ponitur hic titulus de Sacramento Chrismatis. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, quod Chrisma significat unctionem, seu oleum, quod per excellentiam huic Sacramento applicatur, ubi pro materia adest oleum. Solet etiam hoc Sacramentum appellari confirmatio, ut in *Trid. sess. de confirm.* quia per id Spiritus sanctus, & augmentum datur gratiæ fidelibus *cap. unico de sacra unctione, & cap. 1. de consecrat. dist.* 5. solet etiam appellari manus impositio, quia per manus impositionem datur, vel secundum alios originem habet hoc Sacramentum à manus impositione, ut infra dicemus.

Sciendum secundò est, Confirmationem sic definiri: Est Sacramentum, quo homo viator baptizatus ungitur in fronte ab Episcopo cum Chrismate, & præscripta verborum forma ad fidei robur consequendum, ità *Henriquez lib. 1. cap. 6. num. 4. Bonacina de Sacram. disp. 3. Suarius tom. 4. disp. 36. Coninch. de Sacrament. quæst. 7. Barb. in cap. 1. de Sacra Unctione num.* 11.

Dicitur Sacramentum quo homo viator baptizatus, ad ostendendum subjectum hujus Sacramenti, & in hoc convenit cum aliis. Differt verò à baptimo. Dicitur, ungitur in fronte ad differentiam unctionis, quæ in Baptismo, vel in extrema unctione intervenit, & designatur per hæc verba materia remota & proxima baptismi, remota tanquam per Chrisma, proxima verò per unctionem. Dicitur ab Episcopo, quia ab Episcopo fieri debet, & sic demonstratur causa efficiens Chrismatis, per hæc verba, inquam instrumentalis, nam principalis est Deus, ut in omnibus Sacramentis. Dicitur sub præscripta verborum forma, ut intelligatur causa formalis, quæ in verbis ab Episcopo prolatis continetur. Dicitur ad fidei robur consequendum, ut ostendatur effectus, & causa finalis hujus Sacramenti.

Sciendum est tertio, hoc Sacramentum fuisse à Christo Domino institutum, *Trid. loc. cit.* & patet in actibus Apostolorum cap. 8. & 9. ubi Apostoli confirmabant, undè errarunt aliqui dicentes hoc Sacramentum fuisse institutum à quodam Concilio. Est tamen difficultas quando nam fuerit institutum? prima opinio ait *Matth.* 19. quando Christus parvulis imponebat manus, & Apostolis prohibentibus ait Dominus *Sinite parvulos venire ad me*, & sic *Cardinalis Turrecremata* ait, tunc fuisse institutum prædictum Sacramentum, Cardinalis inquam *Turrecremata in cap. quando de consecrat. dist.* 4. Sed hæc sententia benè improbatur ab *Henriquez lib. 3. cap. 1. num.* 5. quia multi ex illis parvulis non adhùc erant baptizati, ergo non est verisimile tunc fuisse institutum Sacramentum Confirmationis, quod supponit Baptismum, fuit ergo tunc figuratum hoc Sacramentum, & vera est opinio, quod fuit inchoata institutio in die ultimæ Cænæ, quando Christus instituit, & sanctificavit materiam, & formam hujus Sacramenti, *Cardin. Bellarminus de Confirmatione cap.* 8. Undè in die Cænæ ad exemplum Christi conficitur Chrisma ab Episcopis, completa verò fuit talis institutio, eo tempore, quo *Joannis* 20. data fuit Apostolis plena potestas ordinationis Sacerdotalis, & Episcopalis, dicens *Sicut misit me vivens Pater, ita ego mitto vos. Coninch. de Sacram. quæst. 1. art. 1. num.* 23. & alij communiter, quos sequitur *Bonacina ubi supra disp. 3. quæst. unica punt.* 1. fuit verò figuratum pluribus in locis, primò *in Genesi cap.* 25. ubi Isaac benedicens filium suum ait *Det tibi Deus de rore Cæli, & de pinguedine terræ abundantiam vini, frumenti & olei:* Ex quibus verbis figurantur tria Sacramenta, scilicet Baptismus, cum dixit de rore Cæli, Eucharistia cum dixit abundantiam frumenti, & vini; Chrisma cum dixit, & olei; & in *Psal.* 24. *ibi confirmavi columnas ejus:* nam quilibet Christianus debet esse fortis sicut columna ad confitendum nomen Domini; *& Ezechielis cap.* 9. 9. ibi *signa Thau in frontibus; & Psal.* 108. ibi, *ut exhileret faciem in oleo, &c.*

Sciendum est quarto, essentiam hujus Sacramenti consistere in materia, & forma, quæ materia duplex est, Remota, & proxima. Undè,

Dico primò. Materia remota confirmationis est Chrisma, quod conficitur ex oleo olivarum admixto balsamo cujuscumque loci sit, benedictio ab Episcopo consecrato, ità colligitur ex *Trid. sess. 7. can. 2. & cap unico de sacra unctione S. Thom.* & aliis Theologis *in 4. dist. 7. quæst. 1. art. 2. Suarez disp. 33. de Sacram. sect. 1. & 2.* Balsamum non est de essentia, ut post alios *Bonacina d. disp. 3. q. unica par. 3. Barb. in cap. de Sacram. non iterand.* Ratio est, quia *Innoc. tert. in cap. de Sacram. non iterand.* interrogatus si Sacramentum Confirmationis in eo deberet iterari, qui per errorem non fuerat Chrismate linitus, sed eo. Respondit non esse aliquid iterandum, sed

sed cautè supplendum, quod fuerat incautè prætermissum, ergo supponitur ibi, quod id, quod omissum fuerat, non erat de essentia, alioquin Sacramentum fuisset nullum, ideò de novo conferendum; sequitur *Filiuccius* 1. *tom. tract.* 3. *cap.* 1. *num.* 11.

Dico secundò, Chrisma est benedicendum ab Episcopo, non à simplici Sacerdote, *cap. unico de sacra unctione* DD. citati, & licent putent *Coninch. disp.* 72. *art.* 3. *dub.* 1. *concl.* 4. *Barb. par.* 2. *de potest. Episc. alleg.* 30. *num.* 6. & alij, quod Papa non possit simplici Sacerdoti committere talem Chrismatis consecrationem, tamen verior est opposita opinio, de qua *Suarez disp* 23. *sect.* 3. *Bonacina ubi supra par.* 2.

Si verò petas, quare Episcopus non consecrat aquam baptismalem, panem, & vinum Eucharistiæ, sicut consecrat Chrisma.

Respondent communiter Theologi cum *S. Thom.* & alij ubi supra quod nullibi legitur Christum tetigisse oleum, ant illud benedixisse, & ideò nnnc consecratur, sed legitur Christum benedixisse, vel tetigisse aquam cum à Joanne baptizatus est, sic legitur panem, & vinum benedixisse in ult'ma cæna, ideò non sunt amplius benedicenda. Sed oleum est consecrandum cum nunquam a Christo Domino sit consecratum.

Dico tertiò esse de necessitate præcepti, ut Chrisma sit confectum eodem anno, in quo exercetur, puta in die Cænæ, *cap. si quis de consecr. dist.* 4. & si Episcopus confirmaret cum Chrismate alterius anni, validè confirmaret *Suarez disp.* 33. *sect.* 1. sed peccaret, sic si confirmaret oleo infirmorum, validè confirmaret, sed peccaret, quia balsamum non est de necessitate Sacramenti.

Dico quartò, materia proxima hujus Sacramenti est unctio facta in forma Crucis in fronte, *S. Thomas* 3. *par* q. 72. *art.* 9. DD. citati supra, quia debet habere hoc Sacramentum pro materia actionem, & nulla melior, quàm unctio fieri debet in forma Crucis, ut patet ex illis verbis formæ: *Signo te signo Crucis, &c.* & hæc unctio appellata fuit antiquitus manus impositio, eo quod manu, & digito Episcopi fiat: Undè hoc Sacramentum fuit dictum per manus impositionem apud DD. ubi supra. Ex quo patet, non posse hoc Sacramentum fieri mediante aliquo penicillo, sed essentialiter fieri debet immediatè digito Episcopi, alias non tenet Sacramentum, ità *Layman Reginaldus*, *Filiuccius*, *Augustinus*, & alij apud *Dianam par.* 3. *tract. de Sacram. resol.* 28. quicquid dicat *Fernandez de Heredia* apud eum, quem ipse non sequitur, quod secus dic in Sacramento extremæ unctionis, quod potest tempore pestis dari medio aliquo instrumento.

Dico quintò, Episcopus non est necesse ut ungat pollice dextero, vel sinistro, est contra *Melchiorem Zambranum* de casibus occurrentibus tempore mortis *cap.* 2. *dub.* 1. & contra *Layman lib.* 5. *tract.* 3. *cap.* 2. *nu.* 5. qui putant peccare mortaliter aliter confirmantem, quam pollice dextero, nostra vero opinio est *Nugni*, quem sequitur *Diana par.* 3. *tract.* 4. *de Sacrament. resol.* 22. quia videtur levis variatio, quod unctio fiat indice, vel pollice, vel quod fiat manu dextera, vel sinistra, ergo non damnabis Episcopum de peccato, eo quod confirmavit indice, non pollice, vel manu sinistra, non dextera.

Dico sextò; unctio est facienda in fronte, undè ob hoc appellatur signaculum in fronte, ideò autem fit in fronte ad ostendendum hujus Sacramenti effectum, qui est gratia collata ad audacter confitendum Christi nomen, nam cum frons sit sedes verecundiæ, conveniens est, ut confirmandus ungatur in fronte, ut sine rubore Christi nomen confiteatur, *S. Thom.* 3. *par. quæst.* 72. *art.* 9. & alij apud *Bonacinam ubi supra.*

De forma hujus Sacramenti.

Respondeo, quod forma hujus Sacramenti sunt hæc verba. *Signo te signo Crucis; & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, ita communiter DD. illia verbis, *signo te*, significatur subjectum in quo fit actio, & ipsa actio, & hæc forma licet non reperiatur in aliquo loco sacræ Scripturæ tradita, habetur tamen traditione ab Apostolis hucusque, & simul cum prolatione formæ debet concurrere materia proxima, scilicet unctio, in qua etiam forma requiritur expressa sanctissimæ Trinitatis invocatio, quia confirmatio ordinatur ad perficiendam fidem in baptismo acceptam, eamque fortiter profitendam; quia verò cætera Sacramenta non ordinantur ad fidem profitendam; inde est, quod non necessario requiratur ista trium personarum invocatio, sicut in hoc Sacramento Confirmationis, & Baptismi, *Coninch. de Sacrament. quæst.* 72. *art.* 4. *num.* 65. *Filiuccius tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 1. *num* 20.

Est etiam explicanda actio ministri ità, & taliter, ut utrumque verbum putant DD. esse essentiale (signo, & confirmo) quia non sunt æquipollentia, non enim omnes, qui signant, continuo confirmant, neque qui confirmant hoc facere intelliguntur per signationem, nisi addatur verbum, signo, & quamvis apud Christianos signatio intelligatur de signatione Crucis, quia tamen illius verbi generalis est significatio, ideò probabilius est, necessariam esse illam particulam, signo Crucis. Item cum in verbo illo, *confirmo*, non satis exprimatur materia, & effectus; sicuti in Baptismo significatur, per verbum *baptizo*, ideò probabilier dicitur necessarium esse *Chrismate salutis*, & quia debet exprimi subjectum, ideò non potest omitti illud verbum, te, & formatio signi Crucis est essentialis, quia alioquin falsificantur verba formæ *Signo te signo Crucis, &c.*

Adverte tamen, quod licet non sit necesse formaliter exprimere personam ministri, est tamen exprimenda virtualiter: Undè peccat mortaliter, qui confirmaret sub hac forma, *consignetur servus Christi*, nam ità servat universalis Ecclesia, tàm Latina, quàm Græca, nam licet Græcis sit concessa facultas baptizandi sub hac forma, *Baptizetur servus Christi*, non tamen est concessa illis similis facultas in Sacramento confirmationis, undè ità confirmantes peccant mortaliter, *Bonacina loco citato*, *Nugnus* 3. *par. tom.* 1. q. 72. *art.* 4. *diff.* 1.

In §. Quamvis cum sequenti.

Conclusio hujus textus est, quod quamvis continuò transiturus ab hac vita ad aliam beneficium Baptismi sufficiat, victuris tamen confirmationis auxilium est necessarium. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, hoc Sacramentum confirmationis habere tres effectus, quorum unus est primarius, alij verò secundarij. Primarius est gratia habitualis cum jure aliquo ad divina auxilia, quibus

quibus confirmatus intrepidè, & constanter fidem profitetur. Secundarius verò effectus hujus Sacramenti est character, qui supponit characterem baptismi, ut patet ex supradictis de Sacramentis in genere, ità *S. Thomas* 3. *par. q.* 72. *art* 7. Tertius effectus est cognatio spiritualis de qua infra.

Sciendum est secundò, Sacramentum hoc non esse necessarium necessitate medij, quod patet tùm quia multi sine confirmatione salvantur, tum quia ex nullis Christi verbis colligitur talis necessitas, immò neque est necessarium necessitate præcepti, quia nullibi tale præceptum reperitur DD. citati. Undè non peccat mortaliter ille, qui toto suæ vitæ tempore non vult suscipere Sacramentum confirmationis, seclusо contemptu, vel alia circumstantia, etiam si eo tempore omittat quis, quando fidem est protestatus coram tyranno, quia licet confirmatio tribuat vires, & robur ad profitendam, & confirmandam fidem, nihilominus tales vires possunt per alia media obtineri, ut medijs orationibus, confessionibus, & Eucharistia, *Bonacina ubi sup par* 2. *post S Thomam*, quem refert, quod si Episcopus esset notabiliter negligens in conferendo sacramento confirmationis, graviter peccaret, quia faceret contra proprium officium in re gravi, sicut etiam peccat Parochus, qui notabiliter negligens est in administrandis Sacramentis. Ille verò, qui non suscipit Sacramentum confirmationis, cum non faciat contra obligationem, non graviter peccat *Bonacina ubi supra*, immò notabiliter ad id suscipiendum negligens, neque peccat mortaliter, quia multa salubria facere omittimus, quia cogitamus nobis non necessaria, & non peccamus mortaliter, ut benè *Layman. lib.* 1. *tract.* 3. *cap.* 5. *n.* 4. *Diana par.* 3 *tract.* 4. *resol.* 25.

Neque peccat mortaliter quis, si non confirmatus accedat ad primam tonsuram suscipiendam, ut contra *Bonacinam ubi sup. p. ult. Nugnum, & Marsilium, Fornarium, Toletum*, & alios docet *Diana par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 25. *in fin.* & ratio est, quia nullibi reperitur tale præceptum, & *Trid. sess* 23 *cap.* 4. *de confirmat.* non utitur verbis, quæ importent tale præceptum, ut benè *Avila de censuris par.* 7. *disput.* 9. *sect.* 1. *dub.* 3. *Navarrus in manuali cap.* 22. *Suarez tom.* 3. *in* 3. *par disput.* 38. *sect.* 1. *Azorius par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 48. *quæst.* 1. *Coninch. disp.* 20. *de Sacram. dub.* 10. *n.* 103. *& quæst.* 72. *art.* 8. *num.* 90. ex quo caveas *à Toleto lib.* 1. *cap.* 71. *num.* 6. *& à Majolo lib.* 4. *de irregularitate cap.* 12. dicentibus, recipientem primam tonsuram, vel ordinem, si confirmationem, non solum peccare mortaliter, sed etiam fieri irregularem, quos meritò impugnat *Suarez tom.* 5. *in* 3. *par. disp.* 42 *sect.* 3. *nu.* 14. *& alij ubi supra*, dicunt enim, non fit irregularis, sed neque peccat, non solum ordinatus, sed neque ordinans Episcopus.

In ∂. Undè.

Viderat supra Auctor noster de effectu Chrismatis, materia, forma, & necessitate ejusdem, nunc agit in hoc ∂. de Ministro. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, Ministrum hujus Sacramenti confirmationis, regulariter loquendo esse Episcopum ordinatum, *Trident. sess.* 7. *can.* 3. *de confir. cap. presbyteris de consecrat.* 4. *dist.* & colligitur ex actis Apostolicis, *cap.* 8. *&* 19. ubi legitur, solos Apostolos confirmasse baptizatos ab alijs, sed solùm Episcopi sunt simpliciter Apostolorum successores, ergo soli Episcopi sunt ministri hujus Sacramenti. Potest tamen Summus Pontifex committere simplici Sacerdoti, ut conferat confirmationem, & de facto id fecit *D. Gregorius*, qui in Anglia commisit hanc potestatem præsbyteris, ut *cap. pervenit* 95. *dist.* quod sanè non fecisset vir tantæ sanctitatis, & auctoritatis, si id facere non potuisset. Accedit *text. in cap. quanto de consuetudine*, ibi *sua temeritate*, ergò nostra auctoritate, scilicet Papæ potest simplex Sacerdos conferre Sacramentum Chrismatis, accedit etiam auctoritas *Trid. sess.* 7. *de confirm. cap.* 3. ubi ait ministrum ordinarium hujus Sacramenti esse Episcopum, ergò potest dari minister extraordinarius, & delegatus, qui auctoritate Papæ tale Sacramentum conferre possit, & ità docent *Bellarminus de confirm. cap.* 12. *S. Thomas* 3. *par. q* 72. *art.* 11. ubi *Coninch. n.* 104. *Toletus lib.* 2. *cap.* 24. *n.* 5. *Suarez disp.* 36. *sect.* 4. & alij apud ipsos, licèt enim Episcopus sit minister ordinarius, tamen poterit Papa taquam ministris delegatis hanc facultatem concedere simplici Sacerdoti, *Bonacina*, & alij ubi supra, *Barb. in d. cap. pervenit.* 9. *dist.* ubi latè, *& in cap. manus de consecrat. dist.* 5.

Ex quibus collige primò, Episcopum, quamvis excommunicatum, hæreticum, vel interdictum, vel etiam degradatum posse confirmationis Sacramentum validè administrare, *Suarez disp.* 36. *sect.* 3. quia adhùc est Episcopus, nam per hæresim, excommunicationem, vel de gradationem characterem non amittit, in quo fundatur potestas confirmandi, & sicut potest validè ordines conferre, ità etiam poterit Sacramentum confirmationis validè administrare. Undè Abbas non Episcopus, vel simplex Sacerdos confirmare non poterunt, etiam de licentia Episcopi tantùm, & Episcopus non confirmatus potest validè confirmare, quia habet characterem ordinis episcopalis, in quo fundatur potestas confirmandi. Si verò fuerit Episcopus non consecratus, non poterit confirmare, licèt sit electos ad Episcopatum, quia quousque consecretur, caret charactere episcopali, DD. communiter ubi sup. Non tamen debet Episcopus confirmare subditum alterius Episcopi, sicut nec Parochus puerum alterius Parochiæ baptizare, quia esset mittere falcem in messem alienam. Verùm hoc casu peccare mortaliter putant Episcopum, *Bonacina de confirm. p.* 2. *nu.* 90. cum multis, quos allegat, quibus addo *Riccium par.* 2. *var. resol.* 24. *Toletum lib.* 2. *cap.* 24. *n.* 6. Tu tamen teneas non peccare mortaliter, ità *Henriquez lib.* 3. *cap.* 6. *Emanuel Sà in verb. confirmatio*, & alij apud ipsos, quia licet suscipiens Sacramentum confirmationis sit subditus alterius Episcopi, tamen præsumitur hoc ratum, & gratum fore proprio Episcopo: sed seclusa ratihabitione erit mortale, ut tenet prima opinio.

Quod si quis veniat ad Episcopum cum litteris dimissorialibus, ut ordinetur poterit eum Episcopus, ad quem mittitur confirmare, quia qui concedit finem, concedit etiam necessaria ad talem finem, sed confirmatio præmittitur ordini, ergò, ità *Layman lib.* 5. *Theologiæ moralis tract.* 3. *cap.* 6. *nu.* 2. *Fagundez lib.* 5. *de præceptis cap.* 3. *nu.* 8. *Melchior Zambranus de casibus occurrentibus in articulo mortis cap.* 22. *dub.* 2. *num.* 3.

Neque potest Episcopus in alterius Diœcesi confirmare suos subditos, ut patet ex declaratione Cardinalium in *Concil. Trid. d. sess.* 6. *cap.* 5. ubi expressè cavetur sub pœna suspensionis ipso facto, ut nullus Episcopus pontificalia exerceat absque expressa licentia ordinarii loci, & in personas alieni ordina.

ordinario subjectas, ità *Bonacina ubi supra.*

Neque peccat Episcopus hoc Sacramentum conferendi extrà Ecclesiam, quia consuetudo confirmandi in Ecclesia non videtur recepta cum tanto onere, ut reum lethalis culpæ constituat, *Bonacina de Sacram. disp.* 3. *q. unica*, *p.* 2. contra alios, quos refert.

In §. *Accedent igitur.*

IN superibus visum est de materia forma, & ministro hujus Sacramenti. Nunc rectò ordine procedendo agit *Paulus* de suscipiente, ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, susceptorem, seù subjectum hujus Sacramenti esse omnem hominem baptizatum, sivè infans ille sit, sivè adultus, *cap. omnes fideles de consecrat. dist.* 5. undè non solùm potest conferri adultis, sed etiam pueris non adhùc ratione utentibus; est tamen meliùs conferre eum pueris, postquam ad rationis usum pervenerunt, ut recordentur se hoc Sacramentum recepisse, nè iterum recipiant, ut benè *Emanuel Sà, in verb. Confirmatio.* Advertit tamen *Paulus Layman lib.* 5, *Theolog. moralis tract.* 3. *cap.* 5. *num.* 20. posse interdum antè septennium pueros confirmari, præsertim si manifestum sit præditum esse puerum usu rationis ante septennium, vel si non confirmatus, diù non sit habiturus occasionem Sacramenti accipiendi. Tertiò si puer in periculo mortis existens, opportunè hoc Sacramentum consequi posset. Quartò, si Diœcesis consuetudo vigeat, ut pueri ante dictam ætatem confirmentur: immò ex justa causa potest interdum infans confirmari ante septennium, ut si propter distantiam raró in illo loco confirmet Episcopus. Legas *Dianam par.* 2. *tract.* 4. *de Sacramento confirmationis sect.* 1. immò neque peccatum est mortale confirmare infantem ante usum rationis, ut latè DD. apud *Dianam*, quia est facere contra consuetudinem Ecclesiæ in re non multi momenti.

Collige etiam posse hoc Sacramentum conferri omnibus amentibus, qui antè amentiam petierunt, etiam si in mortis articulo existant: immò etiam perpetuò amentes sunt confirmandi, *Coninck. de Sacram. q.* 72. *art.* 8 *n.* 38. *Filiuccius* 1. *tom. tract.* 3. *cap.* 2. *n.* 38. *Suarez, in* 3. *par. tom.* 3. *disp.* 33. *sect.* 2. *Diana par.* 3. *tractat.* 4. *resol.* 20. quia non debent privari gratia talis Sacramenti, & per accidens est, non esse spiritualiter pugnaturos: immò cum hoc Sacramentum detur etiam ut augeatur gratia, consequenter amentibus dari debet qui sunt capaces talis augmenti. Quod à fortiori procedit, ut benè *Layman ubi sup.* si quis usum rationis habuerit, & postea in amentiam inciderit, quia tali casu adest interpretativa hominis voluntas suscipiendi tempore opportuno Sacramenta, nisi constet alioquin cum peccato mortali in amentiam incidisse: sed quia regulariter quis præsumitur bonus, quousque malus non probatur, ideò confirmari debet. Verùm nota, quòd non est Episcopus condemnandus de peccato, qui prætermittit confirmare tales infantes, cum nonnulli Theologi contrarium teneant, quos potest Episcopus sequi.

Collige tertiò, posset ægrotis adultis in articulo mortis ministrari Sacramentum confirmationis, *cap. ut Episcopi de consecrat. dist.* 5. *Sancius in selectis disp.* 40. *n.* 4. quia eis prodest ad augmentum gratiæ, non tamen ad hoc tenentur ex præcepto, etiam præcepto, etiam data opportunitate sumendi, *Diana par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 30. & etiam infantibus ante usum rationis morituris prodest ministrari hoc Sacramentum confirmationis: ità *S. Thomas in* 2. 2. *q.* 72. *art.* 8. *Sancius d. disp.* 40. *Diana ubi sup. resol.* 31. *& resol.* 32.

Sciendum est secundò, quod in hoc Sacramento, ut quis id suscipiat. Primò requiritur intentio. Secundò Fides. Tertiò, ut sit in gratia, vel saltem putet se esse in gratia, quia hoc Sacramentum est ordinatum ad dandum non primam, sed augmentum gratiæ, quamvis aliquando possit conferre primam, ut diximus cum de Sacramentis in genere: requiritur etiam ut tàm recipiens, quàm conferens hoc Sacramentum sint jejuni, *cap. ut jejuni de consecr dist.* 5. quod tamen non imponitur ibi de præcepto, sed de consilio, legas *Barbosam in d. cap. ut jejuni de consecr. dist.* 5. requiritur etiam, ut confirmatus alapa percutiatur, cujus rationem reddit *Sylvester in verb. confirmatio q.* 4. tùm quia sic confirmatus recordetur se hoc Sacramento semel initiatum esse, nè iterum ad illud sudeat accedere, cum hoc Sacramentum non sit iterabile, tùm ut intelligat se debere pati injurias pro fide christiana profitenda: immò & mortem si opus erit DD. ubi sup.

In §. *Illud commune est cum sequenti.*

COncludit *Paulus* noster in hoc §. quod in Baptismo, & confirmatione Patrini intervenire debent ob rationem, de qua in textu nostro, scilicet, ut eos in fide dominica, & christiana religione instituant. Idem dicit *tex. in cap. nos ante omnia de consecr. dist.* 4. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, quod patrinus tàm in Baptismo, quàm in confirmatione intervenire solet, ut ait *tex. in cap. in cathechismo cum pluribus sequent. de consecr.* 4. *dist.* & habetur *per DD. in tit. decretalium de cognatione spirituali.* Qui patrinus solet variis nominibus nuncupari: primò enim appellatur compater, ut *in d. tit. de cognatione spirituali* notatur. Secundò solet appellari fidejussor, nam sicut in temporalibus fidejussor dicitur ille, qui alienam obligationem in suam recipit, ut *in tit. de fidejussoribus*, ita ille, qui tenet puerum in baptismo, vel in confirmatione, fidejussor appellari solet, quia pro eo dat fidem instructionis spiritualis, cujus curam habere debet, *d. cap. cathechismo, & sequenti*, *Trid sess.* 24. *de confirm. cap.* 2. Appellaritetiam solet susceptor, quia suscipit puerum in suam tutelam spiritualem. Quartó appellari solet sponsor, quia tacitè spondet eum spiritualiter admonere, ut docent omnes in juribus suprà allegatis.

Sciendum secundò est, quod officium hujus patrini est levare da sacro fonte, & solemniter spondere pro infante in Baptismo, & contrahit obligationem instruendi baptizatum in rebus fidei, tempore necessitatis, quoties infans non habet parentes, vel Parochum, qui ipsum instruant de rebus ad fidem pertinentibus, à quo onere excusantur patrini communiter cum id soleant facere parentes, & Parochi, *S. Thomas* 3. *par. q.* 67, *art.* 8. *Coninck.* & alij ibidem *Suarez q.* 67. *art.* 8. & possunt patrini adhiberi tàm masculi, quàm fæminæ, est tamen convenientius, ut masculus teneat masculum, & fæmina fæminam, communiter *Summistæ in verb. confirmatio.* Neque possunt plures patrini adhiberi, *cap. non plures de consecrat.* 4. *dist. Trid. sess.* 24. *cap.* 2. *de reformat. matrim. Barb. de potestate Episcopi alleg.* 30. cujus præcepti transgressionem, adhibendo plures patrinos

esse peccatum mortale, tenent *Rodriquez in summa tom.* 1. *cap.* 226. *Bonacina de matrim. q.* 3. *p.* 5. §. 2. *n.* 32. *Barb. d. alleg* 30. *n.* 44. quidquid dicat *Sanchez lib.* 7. *disp.* 57. n. 6. *de matrim.* cui tamen poteris in praxi libenter adhærere, nam tex. loquitur de consilio, non de præcepto, quod si de facto plures duobur suscipiunt baptizatum de Baptismo, cum omnibus contrahitur cognatio spiritualis, *Sayrus in floribus decisionum, sub tit. de cognatione spirituali dec.* 4. *Barb. d. alleg.* 30. *n.* 45. *&* *in d. cap. non plures de consecr.* 4. *dist.* Et quia Episcopus super Tridentini decretis non habet facultatem dispensandi, ideò non poterit dispensare, ut duo viri, vel duæ fæminæ simul suscipiant, *Sanchez d. lib.* 7. *disp.* 57. *Zerola in praxi episcopali par.* 1. *in verb. Baptismus* §. 4. *Bonacina*, & alij apud *Barb. loc. cit.* qui etiam addit decisum, quod unus pro curator, qui sit viri, & alius qui sit fæminæ possunt suscipere baptizatum de sacro fonte. Sed non duo viri, nec duæ mulieres, unusquisque tamen proprio nomine, vir loco mulieris, vel mulier loco viri; & hoc casu cognatio contrahitur à mittente, non verò à procuratore. Sacra Congregatio, teste *Barb. de potestate Parochi cap.* 18. *num.* 25. *& in d. cap. non plures.*

Sciendum est tertiò, plures conditiones requiri ad hoc, ut tales patrini contrahant cognationem spiritualem inter se. Primò enim requiritur, ut teneatur infans, dùm solemniter administratur Baptismus, ut tangatur etiam physicè, ità ut dicatur verè tenere. Secundo intentio tacita, vel expressa præstandi munus patrini. Tertiò, ut baptizans, aut suscipiens sit baptizatus, quare.

Collige primò, tenentem infantem in Baptismo nomine alterius cognationem spiritualem non contrahere, quia hic in hoc casu alieno nomine tenet, ergo non est patrinus, sed loco patrini fungens, ut contra *Toletum lib.* 7. *cap.* 8. *nu.* 5. *Sotum in* 4. *dist.* 42. *q.* 1. *art.* 2. tenentes contrahi cognationem per Procuratorem, insurgunt multi, quos citat, & sequitur *Sanchez de matrim. tom.* 2. *lib.* 7. *disp.* 59. *n.* 2. & ità fuisse declaratum per sacram Congregationem refert *Navarr. lib.* 5. *consiliorum in fine.* Alij tamen dicunt, neque contrahi à procuratore, neque à principali talem cognationem, ut sunt multi relati per *Sanchez*, quos refert, & sequitur *Villalobos* in *summa tom.* 1. *tract.* 14. *diff.* 9. n. 18. dicunt enim ipsi, quod ad contrahendam talem cognationem, requiritur contactus, sed principalis non tangit, ergò. Neque eam contrahit procurator secundùm ipsos, quia licet procurator tangat infantem, tamen non habet animum contrahendi talem cògnationem. Alij verò, & melius putant contrahi ab ipso principali: Ità *Pontius de matrim. lib.* 7. *cap.* 39. *num.* 10. Neque dicas requiri contactum, quia sufficit vel proprius, vel alienus, & sicut sufficit per alium suscipere, ità per alium tangere.

Collige secundò, hanc cognationem spiritualem, tunc contrahi à patrino, quando adhibetur in Baptismo solemniter administrato, ut ait communis teste *Bonacina ubi supra n.* 11. *Diana par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 7. quamvis aliqui contrarium teneant. Undè nota in praxi, quod si quis adhibeatur in patrinum, eo tempore, quo adhibentur in Ecclesia solemnitates, non contraheret talem cognationem; undè non est audiendus *Melchior Zambranus de casibus occurrentibus tempore mortis cap.* 1. *de Sacramento Baptismi dub.* 18. *n.* 17. qui tenet, etiam in baptismo tempore necessitatis celebrato adhibendum esse patrinum, & illum contrahere cognationem spiritualem, sed veriùs dixit *Sotus in* 4. *dist.* 42. *q.* 1. *art.* 1. *Henriquez lib.* 2. *cap.* 18. & alij non esse præceptum de hoc, ne contrahere cognationem spiritualem adhibitus patrinus, ità *Sanchez tom.* 2. *de matrim. lib.* 7. *disp.* 62. *à num.* 15.

Collige tertiò, quod si quis per errorem levat filium Petri existimans filium Pauli levare, cognationem non contrahit; ità desumitur ex *textu in cap.* 2. *de cognatione spirituali*, ubi deciditur, conjugem, quæ per ignorantiam levavit filium mariti, non impediri à petitione debiti, ex quo *textu* ibi *Abbas n.* 4. & alij colligunt requiri scientiam, & animum ad contrahendam cognationem, ità *Sanchez lib.* 7. *de matrim. disp* 58. *Villalobos ubi supra diff.* 19. *n.* 17. & si non ignorem *Pontium de matrim. lib.* 8. *cap.* 39. *n.* 9. contrarium sentientem, scilicet contrahere cognationem spiritualem, dicentem esse errorem personæ circa accidentalia, sed nè recedas à prima nostra sententia, & puto standum esse juramento patrini dicentis se non habuisse animum tenendi instar veri patrini ad hoc ut judicetur eum non contraxisse cognationem; ità aliqui apud *Sanchez ubi supra n.* 8. quicquid ipse putet oppositum.

Collige quartò non confirmatum suscipientem puerum in confirmatione non contrahere cum illo ullam cognationem spiritualem, DD. multi relati per *Sanchez lib.* 7. *de matrim. disp.* 60. *nu.* 19. *Reginald. in praxi tom.* 2. *lib.* 31. *cap.* 20. *num.* 157. *Rebellius de oblig. Just. par* 2 *lib.* 2. *q.* 6. *n.* 6. *&* 7. *Pontius de impedimentis matrimonij cap.* 24. §. 1. colligitur *ex cap. in baptismate de consecrat.* 4. *dist. Bonacina q.* 3. *de matrim p.* 5. § 2. n. 19. *Barb. in d. cap. in baptismate, & de potestate Parochi cap.* 18. *n* 27. quidquid dicat *Molfes. in summa tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 1. *num.* 43. cum aliis, quos refert scilicet contrahere cognationem.

In §. *Parentes.*

Conclusio hujus textus est, parentes non posse proprios filios de sacro fonte suscipere, aut in confirmatione tenere & addas tu, quod neque consanguineus, vel affinis suum consanguineum, vel affinem usque ad quartum gradum tenere debet in his Sacramentis, quia inter has personas contrahitur cognatio spiritualis, quæ impedit matrimonium, & dirimit, si ipsa cognatio præcesserit, quod si sequatur post matrimonium contractum impedit petitionem debiti matrimonialis, *Sotus in* 4. *dist.* 7. *q.* 1. & alij ubi supra. Quod si in casu necessitatis pater filium baptizaret, non contraheret cognationem spiritualem, & ideò posset petere, & reddere debitum, *c.* 2. *de cognatione spirituali*, ubi DD, cum *Barb.* Intellige hoc de filio nato ex legitimo matrimonio: nam si pater baptizaret filium suum natum ex fornicatione, tunc contrahit cognationem, quia impeditur contrahere matrimonium cum sua concubina, *Navarrus in summa cap.* 92. *n.* 40. *in fine.* ratio, quia oritur cognatio, de qua in *cap.* 1. *de cognatione spirituali in* 6. à qua regula solùm exceptuatur pater baptizans filium suum, cum qua contraxit matrimonium, *cap. ad limina omnino videndus* 30. *q.* 1. ea ratione, quod per actum bonum non debet præjudicari matrimonio sancto antea contracto, quæ cessat in casu filij fornicarij, ergò & ità interrogatus *Navarr.* respondit in hoc casu.

Controvertitur tamen an si pater ob periculum mortis infantis, baptizaverit filium suum, abstantibus tamen aliis, qui hoc facere poterant, maneat privatus jure petendi debitum? Affirmant multi,

multi, quos refert, & fequitur *Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 36. n. 7. Villalobos tom. 1. summæ tract. 13. diff. 51. n. 1.* negant alii, ità *Suarez 3. par. q. 67. art. 8. Comincæ. disp. 24. de Sacram. dub. 8. nu. 69. Layman lib. 5. tract. 10. p. 4. cap. 8. n. 8. Diana par. 5. tract. 3. resol. 25.* quia fufficit neceffitas ex parte infantis: Quod fi velis fequi primam opinionem, tunc, ait *Villalobos*, quod Epifcopus poteft difpenfare, ut poffit debitum petere.

Monachus etiam non poteft habere commatres, vel compatres, nec de baptifmo, vel confirmatione, ut filios fufcipere, *cap. non licet de consecrat. 4. dist. cap pervenit 22. q. 1. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 60. n. 21. Ludovicus Miranda in manuali prælatorum tom. 1. q. 43. Bonacina q. 3. de matrim. p. 5. §. 2. n 23 Pontius de impedim. matrim. cap. 24. §. 1. Tamburrinus de jure Abbatum tom. 2. disp. 4. q. 2. Barb. de potestate Parochi cap. 18. n. 31.* Id quod limita in Abbate, vel religiofo facto Epifcopo, *Rodriquez 2. tom. regul. quæst. 58 art. 3. Sanchez lib. 6. summæ cap. 6. num. 24.* qui omnes afferunt exemplum. Gregorij, qui ex religione promotus in Cardinalem, factus eft Mauritij Imperatoris compater.

Tandem adverte, non effe damnandam eam confuetudinem, quæ in pluribus locis exiftit, ubi catholici funt patrini filiis hæreticorum, baptizante illos miniftro hæretico in forma debita, ut advertit *Paulus Layman lib. 5. tract. 2. cap. 89. n. 26. contra Azorium par. 1. lib 8. cap. 11. q 9.* quo cafu non contraheretur inter fidelem, & infidelem patrem, & matrem baptizati, vel confirmati cognatio fpiritualis. Ratio eft, quia non contraheretur ex parte infidelis cognatio, ergò neque illam contrahi fidelis, ut enim benè advertit *Bonacina loco cit.* cognatio eft quædam veluti relatio, quæ non ponitur in uno fubjecto, nifi adfit terminus illius, fed infidelis non eft terminus hujus relationis, ergò, &c.

TITULUS V.

DE POENITENTIIS, ET REMISSIONIBUS.

EGimus fupra de duabus fpeciebus Sacramenti, videndum erat de tertia, fcilicet de Pœnitentia, qua mediante, lapfi in peccatum poft Baptifmum Deo reconciliantur, *cap. 1. & una de summa Trin. & fid. Cathol.* meritò poft fuperiores titulos, hunc collocat Auctor nofter: concordat *titulus in cap. decretalib. de pœnit. & remiss. lib. 5. cap. 38. & in 6. lib. 5. tit. 10. & in Clement. ac extravagant.* Ad cujus intelligentiam.

Sciendum eft primò, quod hic titulus diverfimodè ponitur in decreto, & in decretalibus, ibi dicitur de pœnitentibus, hic de pœnitentiis, & remiffionibus, quia licet tres fint partes pænitentia, fcilicet contritio, confeffio, & fatisfactio, tamen unum eft facramentum. Undè in decretalibus fuerunt confideratæ partes, in decreto unitas Sacramenti. Si pœnitentiæ fumatur nomen, importat pænæ fententiam, fivè punientiam à nomine pænæ, & à verbo teneo, quafi pænitere fit pœnam tenere, *DD. in rubr. extra de pænit. & remiss. cap. pænitentia, de pænit. 3. dist.* homo enim per pænitentiam in fe pænam patitur, & peccatum punit dolendo, & plangendo, undè *S. Greg. hom. 34. in Evang. & S. Ambrosius*, alijque communiter relati per *Suarez de pænit. disp. 1. tom 4. in 3. par.* dicunt quod pænitentia eft præter ta mala plangere, & plangenda iterum non admittere. Sumitur verò interdum metaphoricè hoc nomen *Genesi cap. 6.* ubi videns Deus peccata hominum, dixit, *Pænitet me fecisse hominem.* Secundò fumitur pro difplicentia peccati, fine tamen dolore, ut accidit in Beatis, quos fine dolore pænitet fuorum peccatorum. Tertiò, fumitur pro Sacramento Ecclefiæ inftituto à Chrifto, ad fanctificandos homines, qui poft Baptifmum ceciderunt: & fic fumitur in titulo noftro, & in titulis citatis, tandem pro fatisfactione per Sacerdotem injuncta pænitenti pro peccatis commiffis, ut pro jejunio, & oratione, &c.

Sciendum fecundò eft, quod noftra Rubrica dividitur in duas partes, prima eft ibi de pænitentiis, fecunda ibi: & remiffionibus, Vidi, quid fignificat pænitentia, nunc dico, quod remiffio fignificat iterum mittere, à re, & mitto, *l. eum qui, in fine ff. mandat.* fecundò fignificat pro accepto ferre, *l. Imperatores, ff. depositi* tertiò, fignificat remittere penfionem, quæ fit propter fterilitatem, *cap propter sterilitatem de locat. & conduct l. licet C. locati*, fed in materia noftra fignificat liberationem à culpa, & pæna æterna, quia per remiffionem, feu abfolutionem remittit Sacerdos culpam, & pænam æternam, *Trid. sess. 14. cap. 1.*

Super principium Textus.

DEfinitur hic per *Paulum* pænitentia, ut fit Sacramentum, quod contritione, confeffione, & fatisfactione concurrentibus peccatorum operatur remiffionem. Ad cujus intelligentiam

Sciendum eft primò, quod pænitentia poteft confiderari dupliciter, vel pro virtute pænitentiæ, vel pro Sacramento pænitentiæ, & utroque modo fuam habet peculiarem definitionem. Undè.

Dico primò, pænitentia, ut virtus ita definiri poteft: eft virtus fupernaturalis inclinans hominem ad fatisfaciendum Deo, pro injuria, & offenfa illi facta, ad confervandum jus divinum illefum, ità *S. Thom. 3 par. quæst. 85. art. 2. Suarez de pæniten. disp. 2 sect. 3.*

Dico fecundo, pænitentia, ut Sacramentum eft, ità definitur. Eft Sacramentum confiftens in actibus pænitentis, & abfolventis inftitutum à Deo per modum judicij emendativi ad remiffionem peccatorum.

Eft autem hoc Sacramentum diftinctum ab aliis Sacramentis, *Trid. sess. 14. cap. 1. 2. & 3. & can 1. 2. & 3. & in cap. ad absolvend. de hæreticis*, & colligitur ex verbis Chrifti, *Joan. 20. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, fuit tamen inchoata inftitutio hujus Sacramenti in nocte Cænæ, quando Chriftus Apoftolis ordinavit, eifque per ordinationem contulit characterem, qui eft fundamentalis poteftas abfolvendi, qua de re *Suarez disp. 16. in 3. par. pænit sect. 1. & disp. 17. sect. 1 Vasquez 3. par. de pænit. quæst. 84. art. 1. dub. 1. & q 90. art. 1. dub. 1. Lugo de pænit. disp. 12. sect 1. Barb. in collect. 5. tom. in cap. 1. de pænit. 3 dist.* Undè non fuit a Chrifto inftitutum *Matth. 16.* quando dixit Petro, *tibi dabo claves Regni cælorum &c.* hoc enim loco fuit folum promiffa poteftas abfolvendi à cenfuris, non verò à peccatis. Neque fuit inftitutum hoc Sacramentum, quando Chriftus, *Matth. 14.* ait, *pænitentiam agite, &c.* ibi enim eft fermo de pænitentia, ut virtus eft, *Suarez loc. cit.*

Hodie verò Sacerdotes recipiunt poteftatem abfolvendi radicalem, & remotam quando ordinantur

nantur Sacerdotes, eisque datur facultas offerendi, & consecrandi Corpus Christi, quæ potestas completur deinde, quando Episcopus eis dicit, *quorum remiseritis peccata, &c.* unde si prima accepta potestate moriatur Episcopus, non potest à peccatis absolvere, *Henriquez lib. 1. cap. 6.* usus verò talis potestatis datur deinde mediante approbatione Ordinarij.

Sciendum secundò est, Sacramentum pænitentiæ fuisse à Christo Domino institutum ad salutem consequendam supposito peccato mortali non simpliciter, sed securius, & facilius *S. Thom. 3. par. quæst 84. art. 1.* est autem necessarium necessitate medij in re, vel in voto, ut supra diximus, cum de Sacramentis in genere *Coninch. de pænit. disp. 5. dub. 1. Lugo disp. 15. de pænit. sect. 1.* est etiam necessarium necessitate præcepti, quia quod est necessarium necessitate medij, est necessarium necessitate præcepti, sed ita est hoc Sacramentum, ergo.

Sciendum est tertiò, quod Sacramentum pænitentiæ aliud est in re, scilicet cum actu suscipitur, aliud in voto, cum scilicet quis facit actum contritionis, cum proposito confitendi suo tempore, quod saltem implicitum requiritur, *Suarez ubi sup. Filiuc tract. 6. cap. 2. q. 9. n. 49.* dicitur verò votum implicitum quando quis nullam habens memoriam confessionis, doleret de peccatis quatenus sunt offensa Dei summæ dilecti, hic enim licet non habeat expressum propositum confitendi peccata, habebit verissimum actum contritionis, ergò non requiritur votum, seu propositum explicitum de confessione, sed satis est implicitum.

Sciendum est quartò, Sacramentum pænitentiæ conferre gratiam habitualem, qua Sacerdos, ut Vicarius Christi verè absolvit à peccatis, *Trid, sess. 14. cap. 3.* quicquid dicat *Gratian. in cap. convertimi 34. de pænit. 1. dist. & in cap. omnis, vers. non ergò d. dist. 1.* quia ait solùm per pænitentiam declarari culpam remissam, sed eam non remitti, quem benè impugnat ibi *Barb. in collect. 5. tom.* & sufficit ad delenda omnia peccata, toties quoties homo peccaverit, & legitimè eam susceperit, ut est de fide, & desumitur ex generalitate verborum, qua utitur Christus Dominus, *Joan. 20. Quorum remiseritis peccata, &c.* tùm quia, gratia, quæ confertur per Sacramentum hoc, est cum omnibus peccatis impossibilis, ergò omnia delet, tùm quia *Ezech. 18.* habetur, *Quoties peccator ingemuerit, omnium inquitatum ejus, non recordabor amplius, & Psal. 50. Cor contritum, & humiliatum Deus non despicier, & Matth. 18.* ait Christus Petro. *Non dico tibi septies, sed septuagies septies, & Hieremiæ, 3. Frons meretricis facta est tibi noluisti erubescere, ergò saltem modo voca me*: & infra eodem capite dicitur. *Revertere aversatrix Israel dicit Dominus, & non avertam faciem meam à vobis, quia sanctus sum ego, & non irascar in perpetuum: Et Ezech. 13. & 33. Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat*: & item eodem loco. *Numquid voluntatis meæ est mors impij: & Isaiæ 49. Numquid oblivisci potest. mulier infantem suum: & ad Rom. 12. Ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit: & S. Petrus 2. Epist. canonica cap. 3.* ait *Deus patienter agit propter vos, nolens, aliquos perire, sed omnes ad pænitentiam reverti*, latè probat *Lugo disp. 8. sect. 1.*

Neque obstat quod *Paulus ad Hæbr. cap. 6.* ait: *Impossibile est eos, qui semel lapsi sunt per pænitentiam iterum revocari.* Respondeo enim quod *Paulus* loquitur ibi de Baptismo, qui baptismus pænitentia sæpius vocatur à sanctis patribus, quia ergò baptismus iterari non potest, ideò de eo loquitur *Paul.*

Neque etiam dicas, quod blasphemia in Spiritum Sanctum est irremissibilis, *Matth. 12. Luc. 12. Gratian. in cap. si Sacerdos 59. de pænit. 1. dist.* ergo pænitentiam non sufficit ad delenda omnia peccata, alioquin posse delere blasphemiam in Spiritum Sanctum.

Respondeo enim, quod dicitur blasphemia in Spiritum Sanctum irremissibilis, non quod simpliciter sit irremissibilis, sed quia difficile remittitur, dicitur verò peccatum, & blasphemia in Spiritum Sanctum, quando quis post agnitam fidei doctrinam, & malitiosè oppugnat, & miracula, quibus comprobatur veritas fidei, ad artem magicam refert, *Bellarm. de pænit. lib. 2. cap. 16. Coninch. disp. 2. de pænit. dub. 1. nu. 9. Barb. in collect. ad textum in d. cap. si Sacerdos, & in cap. talis de pæniten. 3. dist.*

Neque dicas tertiò, obstare locum illum *Joan. 1. cap. 5.* ubi dicitur adesse aliquod peccatum ad mortem, pro quod non est orandum, ergò datur aliquod peccatum, quod per pænitentiam non deletur.

Respondeo, quod nomine peccati ad mortem intelligitur peccatum, cum quo quis ex hac vità decedit, & in Inferno damnatur; & quia in Inferno nulla est redemptio, sequitur esse aliquod peccatum, pro quo non est orandum, verum in hac vita non datur aliquod peccatum, quod non possit per pænitentiam remitti.

Ex quibus sequitur hominem semper posse à peccatis resurgere, etiam si sæpè, & sæpissimè peccaverit, *S. Thom. 3. par. quæst. 86. art. 1.* quia Deus non denegat ex parte sua auxilia sufficientia, quandiù homo vivit; nec datur certus cumulus peccatorum, quo posito nequeat homo à peccatis resurgere, nam licet multi re ipsa à peccatis non resurgant, & aliqui postquam certum aliquod peccatum commiserunt, gravissimè puniantur, ut *Lugo de pænit. disp. 8. sect. 1.* tamen non sequitur, hoc fieri cum omnibus, & respectu omnium esse assignatum prædictum peccatorum cumulum.

Sciendum est secundò, Sacramentum pænitentiæ non posse remittere unum peccatum sine alio, non solùm de potentia ordinaria, sed neque etiam de potentia Dei absoluta, si loquamur de potentia ordinaria, est de fide, *Trid. sess. 6. cap. 7. & sess. 5. can. 5.* de potentia absoluta patet, quia per gratiam fit homo Dei filius, per peccatum filius diaboli; ergò sicut implicat fieri aliquem simul, & semel filium Dei, & diaboli, ità etiam esse in gratia, & in peccato, undè non poterit Deus unum peccatum remittere sine alio, quia esset esse in gratia, & in peccato simul. *Bonacina tom. 1. disp. 5. sect. 6. sect. 1. par. 3.*

Sciendum est sextò, quod Sacramentum pœnitentiæ remittit peccata, non solum quoad culpam, sed etiam quoad reatum pænæ æternæ, scilicet quo peccator est dignus æterna pæna propter peccatum, non adhuc remissum *Trid. sess 6. c. 14.* quia per gratiam sanctificantem fit Dei filius, & hæres *Paulus ad Rom. 8.* & sic fit dignus vita æterna, sed impossibile est esse dignum æterna gloria, & pæna æterna, ergo. De potentia verò Dei absoluta posset remitti culpa remanente reatu pænæ æternæ, quia posset Deus peccatum remittere per aliam qualitatem, quam per gratiam, quæ non efficeret hæredem vitæ, & gloriæ, sicut facit gratia: Theologi communiter apud *Bonacinam ubi sup. §. 4. n. 1.* licet verò per sacramentum pænitentiæ remittatur totus reatus pænæ æternæ, tamen

tamen reatus pœnæ temporalis non totus remittitur, quia hic reatus pœnæ temporalis fundatur in culpa, quæ præcessit, pro qua non est adhuc satisfactum, qui reatus pœnæ temporalis non est in omnibus æqualis, nam si plus eliciat, quis contritionis eo magis remittitur, & in hoc differt baptismus à pœnitentia, nam per pœnitentiam non omnis reatus tollitur, secus per Baptismum.

Rogabis an possit dari Sacramentum pœnitentiæ informe?

Pro responsione suppono, Sacramentum informe dici illud, quod est sine gratia, & charitate, nam sicut virtutes omnes sine charitate informes dicuntur, ità Sacramentum informe dicitur, quod caret gratia. Hoc posito est prima sententia, quæ universaliter negat, posse dari Sacramentum informe, alia aliter distinguit, de quibus *Lugo de pænit. disp.* 4. *sect.* 6. ego tamen eam sequor sententiam, quæ affirmat posse dari validum Sacramentum, sed informe scilicet sine gratia, est *S. Thoma in* 4. *dist.* 17. *q.* 3. *ar.* 4. *r.* & omnium Thomistarum, de quibus *Suarez disp.* 20. *sect.* 5. *Diana tom.* 1. *trac.* 3. *Miscell. resol.* 3. & 3. *par. tract.* 4. *resol.* 65. *Lugo ubi supra*, *Bonacina disp.* 5. *q* 6. *sect.* 1. *p.* 5. & omissis variis probationibus, & modis explicandi nostram sententiam

Explico ego cum *P. Suarez ubi supra sect.* 5. & *cum P. Lugo ubi sup. nu.* 74. si quis v. g. commisit duplex peccatum mortale, unum furti, alterum odij, dolet de peccato furti propter ejus specialem malitiam, de peccato odij non dolet, nec illud confitetur, quia illius invincibiliter est oblitus: hoc casu adest materia, scilicet confessio formaliter integra: adest dolor efficax cum proposito absoluto, & nihil deest, advenit absolutio, & fit validum Sacramentum, non tamen confertur gratia, quia adest peccatum odij, non remissum per dolorem aliquem formalem, vel virtualem, quia ille dolor, qui adest, non se extendit virtualiter ad aliud peccatum odij, quia est alterius speciei, ergò hoc casu erit validum Sacramentum, sed informe.

Explico alio exemplo, v. g. si homo ex ignorantia invincibili crederet non esse peccatum mortale accedere ad Sacramentum sine dolore de omnibus, dùm tamen dolet de aliquo, facit Sacramentum validum, sed informe, quia memoria illius peccati per accidens se haberet ad obligationem doloris de illo, supposita ignorantia invincibili de obligatione talis doloris, ut benè *Lugo ubi sup. n.* 89.

Et in utroque casu oportebit repetere posteà illa peccata, quæ sine dolore confessus est, perindè, ac si non fuissent in confessione explicata, *Lugo ubi supra*, non verò tenetur confessionem iterare.

Ex quibus sequitur me solum administrare Sacramentum confessionis informe, quando pœnitens bona fide, & inculpabiliter recipit Sacramentum sine dolore requisito, nam si mala fide, tunc nullo pacto recipit Sacramentum, quia non potest esse validum cum actuali peccato mortali, esset enim confessio non integra in isto casu.

Sequitur secundò, eum, qui in confessione oblitus est aliqua peccata ignorantia invincibili, recipere Sacramentum, regula verò traditur confessariis ad cognoscendum quando præparatio fuerit sufficiens ad validitatem confessionis, nam si post confessionem plura peccata occurrunt memoriæ, quam in confessione explicata sint, tunc signum est non fuisse diligentiam sufficientem adhibitam, si verò occurrant peccata multo pauciora, quam confessa, credendum est, quod fuit sufficiens diligentia, & valida confessio fuit: in quibus casibus non est homo obligatus ad iterandam confessionem, sed debet se accusare de illis peccatis non confessis, & de negligentia saltem ad cautelam: ità *Didacus Nugnus* cum omnibus Thomistis 3. *par. tom.* 2 *q.* 9. *art.* 1. *Diana par.* 2. *tract.* 3. *miscell. resol.* 31.

Sciendum est etiam, quod tale sacramentum informe revivíscit sublato obice, idest posita illa attritione de peccatis, quæ sufficit, quia posita illa attritione sufficienter tollitur obex antecedens; si autem post susceptum sacramentum informe, aliud commisisset mortale, tunc requiritur contritio, vel novum pœnitentiæ sacramentum, *Bonacina ubi sup.*

Rogabis secundò, utrum per sacramentum pœnitentiæ remittantur peccata venialia?

Respondeo affirmativè, quia ut infra dicemus sunt materia Sacramenti pœnitentiæ, sufficiens quidem, non necessaria, ad quorum tamen remissionem in confessione requiritur dolor, *Suarez disp.* 20. *sect.* 2. *Lugo ubi supra*, *disp.* 14. *sect.* 8. undè est peccatum mortale non fieri venialia sine ullo dolore, ut benè *Lugo disp.* 14. *sect.* 8. remittuntur etiam peccata venialia, per actus contritionis, vel dilectionis Dei, &c. non tamen possunt remitti per actum, & dolorem naturalem, sed per actum quemlibet meritorium remittuntur, ut contra multos docet *Filiuccius tract.* 6. *cap* 5. *q.* 7. undè recedas à *Bonacina de Sacram. disp.* 5. *q* 6. *sect.* 2. *p.* 3. *n.* 8. qui putat, non deleri peccata venialia per actum attritionis in homine justo: est etiam sufficiens dispositio ad remissionem peccatorum venialium sola attritio extrà sacramentum pœnitentiæ, *Coninch. de Sacram. disp.* 1. *dub.* 14. *n.* 124. *Suarez* 3. *par. tom.* 4. *disp* 1. *sect.* 3. *n.* 11. *Villalobos tom.* 1. *tract.* 9. *diffic.* 16. *n.* 5.

Neque dicas, quod si remitteretur peccatum veniale per actum attritionis sequeretur, non esse sufficientem materiam peccati venialis contra *Trid. Sess.* 14. *cap.* 5. ergò non potest aliquando deleri virtute clavium, probatur sequela, quia ad sacramentum requiritur attritio, ergò qui cum peccato veniali accedit ad sacramentum cum attritione, jam haber remissionem peccati venialis, ergò non remittitur tale peccatum virtute clavium.

Respondeo cum *Suarez disp.* 11. *sect.* 3. *n.* 18. nullum esse inconveniens, quod peccatum veniale hominis justi nonquam tollatur per sacramentalem absolutionem, sed semper supponatur remissum per pœnitentiam præviam, quia satis est, quod veniale tollatur per absolutionem, & virtute clavium, quando homini attrito remittitur simul cum peccato mortali. Sicut pariter non tollitur sufficiens materia confessionis, quando peccata mortalia jam confessa, ac remissa, iterum confitemur.

Urgebis confessio talium peccatorum venialium est merè superflua jam quod supponuntur plenè remissa per præviam contritionem, ergo &c.

Respondeo negando consequentiam, quia pari ratione esset superfluum confiteri peccata mortalia jam alias confessa, ac remissa: neutra autem confessio est superflua, tùm quia confert ad gloriorem remissionem quoad pœnam; tum quia confert ad specialem gratiam de se remissivam, ac præservativam obtinendam.

Est

Est etiam notandum quod ad remissionem peccatorum venialium tàm intrà quàm extrà sacramentum requiritur etiam propositum in posterum vitandi illa; casu verò, quo quis absolutum, & sufficiens habet propositum, & nihilominus timet, vel etiam existimat, se non vitaturum omnia peccata venialia, vel certum aliqood peccati genus, quia ante etiam inconstantiam suæ voluntatis expertus fuerat, omninò erit absolvendus, sicut etiam erit absolvendus ille, qui licet habeat sufficiens propositum, nihilominus timet se non vitaturum omnia peccata mortalia, vel certum aliquod peccati genus, sed sufficit si habeat propositum non amplius peccandi, *Suarius tom.* 4. *disp.* 4. *sect.* 3. *Zerola de pænit. c.* 7. *q.* 9. *Reginald. in praxi lib.* 5. *n.* 34. *Bonacina de sacram. lib.* 5. *q.* 5. 1. *p.* 8. *Barb. in cap. quod. quidem. de pænit. & remission.* qui verò prædictum deponendi animum non habet, absolvendus non est, *d. cap. quod quidam de pænit. & remiss. Laverius de indulgentiis, par.* 2. *c.* 14. *n.* 76. *& tex. in d. cap. quod quidem* est notandus ad hoc, quod meretrices debent audiri in sacramentali confessione, *Zerola in praxi episcopali, in verbo Lupinaria*, §. 2. ubi etiam resolvit, quòd non sunt absolvendæ, nisi certò promittant abstinere in futurum, quod probabiliter tunc credi potest, quando relinquunt re ipsa tùm peccata tùm peccatorum occasiones.

Differt verò propositum vitandi mortalia à proposito vitandi venialia in multis, præsertim in casu nostro, nam sicut potest unum peccatum veniale remitti sine alio, ità etiam potest remitti existente actuali affectu ergà alia: quare si quis confiteatur multa peccata venialia, sufficit ad validitatem Sacramenti, si doleat tantùm de ono cum proposito illud de cætero vitandi, quæ doctrina erit valdè utilis pro scrupulosis, *Lugo de pænit. disp.* 14 *sect.* 9.

Est etiam notandum, quod justo decedenti cum peccato veniali, illud statim remittitur per actum contritionis, quem anima elicit in eodem instanti mortis, *S. Th. q.* 7. *de malo ar.* 11. *Suarez disp.* 11. *sect.* 4. *n.* 13. *Henriq. & alij apud Molfesium tract.* 7. *c.* 6. *n.* 137. Patet, quia talis anima habet gratiam, ergò de condigno debetur ei gloria, & Deus injustè ageret, si in æternum eam privaret gloria Item cum ex alio capite sit coinqoinata veniali, omninò debet tolli ante ingressum in gloriam, in quam ex Apocal. 21. *Nihil coinquinatum intrabit*: præthereà cum talis anima habeat veram fidem, qua cognoscit, veniale Deo displicere, & perfectissimam charitatem nihil retardatam à terrenis affectibus, consequenter ab ipsa fide, & charitate statim impellitur ad perfectissimam detestationem, & contritionem venialium, qua posita cum perfectissimè per eam disponatur ad remissionem venialium, nulla est ratio cur à Deo perfectissimè eam amante, non statim talem remissionem consequatur, & in tali casu nihil meretur, nec satisfacit, quia status merendi, & satisfaciendi finitur simul cum vita, & incipit status satispatiendi, aut fruendi, *Eccl.* 24. *Ante obitum tuum operabis justitiam, quia non est apud inferos reperire cibos*, quia scilicet nihil possumus mereri, vel satisfacere, sic *Joa.* 19. dicitur, *Veniet nox*, scil. mors, *quando nemo potest operari*, scil. meritoriè, & satisfacere, & *Apoc.* 10. dicitur, *Post mortem non fore amplius tempus*, scil. merendi, & satisfaciendi.

Et talis remissio venialium in anima prædicta separata fit per solam condonationem extrinsecam sine ulla infusione gratiæ, quia cum actus talis animæ non sit meritorius, consequenter non trahit augmentum gratiæ, quod non trahitur, nisi per actus meritorius, aut per Sacramenta suscepta in bac vita.

In Inferno peccator ob peccatum veniale punitur pæna æterna, nam licèt peccato veniali correspondeat per se pœna temporalis, tamen per accidens ob connexionem cum peccato mortali punitor pœna æterna, *S. Th.* 1. 2. *q.* 87. *art.* 4. *& art.* 5. *ad* 2. post *Vasq. & Suarez, Lugo. disp.* 20. *de pænit. sect.* 11. quidquid dicant *Scotus* cum suis apud *Lugo ubi sup.* quod puniatur etiam pœna temporali, nam alias puniretur ultra condignum, quia si hæc opinio Scotistarum esset vera sequeretur dannato in Inferno diminui ad tempus pœnas, quod dici non potest, obstat enim Sanctis Patribus, de quibus *Lugo loco cit.*

Rogabis an peccata remissa jam per pœnitentiam, redeant quoad culpam, cum aliud committitur?

Rèspondeo contra antiquiores quosdam Theologos nunquam redire qooad culpam peccata jam remissa: ità *S. Thomas* 3. *par. q.* 89. *Lugo disp.* 10. *sect.* 1. *de pænt. Coninch. disp.* 2. *de pænitent. dub.* 18. *n.* 149. *&* 146. quod patet ex *cap. ult. de pænit.* 4. *dist.* ubi habetur, non pati divinam clementiam, ut peccata semel dimissa, redeant iterum: tùm quia si peccata semel dimissa rederent iterum, tunc miraculosè reviviscerent, ergò Deus esset causa hujus peccati, quod reviviseeret, sed hoc est absurdum, ergò: Antecedens patet, quia idem effectus numero non potest naturaliter reproduci, consequentia probatur, quia opera miraculosè facta principaliter Deo tribuuntur, ergò talis reviviscentia peccatorum à Deo fieret, sed hoc est impossibile, ergò.

Neque dicas, quod Deus concurrens cum homine ad peccandum non dicitur peccare, ergò neque dicetur peccare si concurrat ad reviviscentiam peccatorum, ergò saltem de potentia Dei absoluta poterunt peccata reviviscere.

Respondeo, quod ideò Deus non dicitur peccare concurrens ad peccatum, quia concurrit ad materiale peccati, ut causa universalis, secundùm qnod exigit causa secunda, quæ sine concursu causæ primæ nihil operari potest: at verò in nostro casu peccatum tribueretur Deo, quia Deus non concurreret juxtà exigentiam causæ secundæ cum caosa secunda non exigat, ut idem numero effectus redeat, & reviviscat.

E contra verò opera facta in gratia, & deinper peccatum mortificata, recedente peccato per pœnitentiam, reviviscunt, ità *S. Thomas* 3. *par. q.* 89. *ar.* 5. post *Vasquez, & Suarez, Lugo disp.* 11. *sect.* 1. & patet ex *Joele cap.* 2. ubi loquens Deus cum peccatoribus ait, *Reddam vobis annos, quos comedit locusta*, & ex illo *Ezech.* 33. ibi, *Impietas impij non nocebit ei, in quocumque die conversus fuerit ab impietate sua*, sed si per pœnitentiam non reviviscerent merita, utique ei noceret impietas, ergò: & sic patet differentia, quare non reviviscant peccata per aliud peccatum, & reviviscant opera per aliud opus, quia si peccata reviviscerent, Deus esset auctor, quod fieri non potest, sed si reviviscunt merita, Deus est auctor, ergò.

Illa verò opera, quæ sunt facta in peccato, dicuntur opera mortua non mortificata, ideò non reviviscunt, quia ex *Trid. sess.* 6. *cap.* 16. ad hoc, ut aliquod opus sit meritorium, debet operans esse in gratia; sed talia opera mortua non fiunt ab

ab homine existente in grat'a, ergò non sunt meritoria, ergò non reviviscunt, quia non revivis. cit, quod nunquam habuit vitam.

Verùm licèt talia opera non sint meritoria vitæ æternæ, prosunt tamen ad alios fines. Primò ad obtinenda bona temporalia. Secundò ad humiliationem. Tertiò ad vitanda majora tormenta in Inferno, quæ omnia ponit *Glossa in cap. quod quidam de pænit. & remiss. Bonacina disp. 5. de Sacramentis q. 6. sect. 4. pun. 1. Zerola de pænit. cap. 25. q. 28. Barb. in cap. quod quidam de pænit. & remission.* non tamen opera facta in peccato mortali, prosunt ad quærendam, aut augendam gratiam, gratum facientem, *cap. nihil de consecrat. dist: 5 cap. si qualibet 22. quæst. 2. Lavorius de indulgentiis par. 1. cap. 5. n 14. & cap. 14. n. 60. & 61.*

Est etiam observandum talia opera reviviscere per pœnitentiam, vel contritionem in ordine ad primum meritum, quod habuerunt antecedenter, ut latè post *Suarez, & Vasquez, Lugo disp. 11. sect. 2. per tot. & Bonacina loc. cit.*

In ₰. sunt autem cum sequenti.

AGimus hic de divisione pœnitentiæ, quod scilicet alia sit solemnis, alia publica, alia privata, seù sacramentalis, de quibus *S. Thomas in 4. dist. 14 est tex. in cap. in capite 50. dist. & Summistæ communiter in verb. pænitentia.*

Pænitentia solemnis dicitur illa, quæ imponitur a Judice Ecclesiastico pro crimine scandaloso populo christiano, quæ solebat antiquitus in Ecclesia dari in prima die Quadragesimæ cum hac solemnitate. Sacerdos enim, & alij clerici ponebant peccatorem in foribus Ecclesiæ in prima die Quadragesimæ, super cujus caput imponebant mitram in signum dedecoris, & legebatur processus, ipse verò pænitens cum candela accensa in manu audiebat processum, & sententiam quæ pænitentia hodie cessavit ab usu, & successit in ejus locum degradatio, quæ in criminibus enormibus Clericis imponitur, *cap. ult. 16. quæst. 16.* & alia cæremonia, quæ in prima die Quadragesimæ omnibus cinis benedictus super caput imponitur ad significandum, omnes nos esse peccatores, filiosque illius primi publici peccatoris. Pænitentia publica dicitur illa, quæ à Judice Ecclesiastico in foro Ecclesiæ imponitur, quæ etiam hodie cessavit ab usu, neque debent Confessarij pro peccato occulto imponere publicam pænitentiam, *Abbas in cap. 1. de pænitent. & remiss.* Sed si imponenda esset propter peccatum publicum, tunc *Navarrus cap. 23.* quod Sacerdos requirat consensum pænitentis, nè frangatur sigillum confessionis. Pænitentia secreta est Sacramentum absolutionis, quo Sacerdos sibi subditum, & confitentem legitimè sua peccata cum justo dolore, & proposito satisfaciendi absolvit ab eis.

In ₰. Privata.

AGitur hic de pænitentia privata, de qua *in cap. omnis utriusque sexus de pænit. & remiss.* ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, omnes fideles, qui post Baptismum peccaverunt, teneri ad confitendum, sic colligitur ex *d. cap omnis utriusque sexus, & Trid. sess. 14. cap. 5.* quia peccata mortalia commissa post Baptismum non possunt aliter deleri, nisi per confessionem, vel contritionem in ordine ad confessionem, undè pueri in septemnio, ut pote usum rationis habentes, tenentur confiteri, si peccata mortalia habeant, sicut tenentur audire Missam, & alia servare præcepta, statim quod pervenerint ad usum rationis, *Sanchez lib. 1. Summæ cap. 12. Salas disp. 14. de legib. sect. 13. Suarez in 3. par. tom. 4. disp. 36. sect. 2. Azorius tom. 1. lib. 7. cap. 2. quæst. 1. & cap. 4. quæst. 6.* quod tamen limitant communiter DD. in præcepto communionis, nam eo ipso, quod sunt capaces Sacramenti confessionis, non sunt capaces communionis, ut dicunt *Toletus, Comitolus, Filiuccius* apud *Villalobos in summa 1. tom. tract. 7. diff. 42. num. 6.* qui communiter asserunt advenire pueris præceptum confessionis, quam communionis, & minor usus rationis dicunt, quod requiratur ad confitendum, quam ad communicandum, & *Conrad. par. 5. quæst. 54.* docet, quod pueri non obligantur ad communicandum, nisi usque ad duodecimum annum, licet contrarium doceat *Saug in selection. disputat. 26.* contra quem insurgit *Merlinus de frequentia Eucharistiæ d. 1. cap. 1. & seq.*

Verùm si prædicti pueri ante duodecimum annum non confiteantur, non erunt puniendi ea pœna, qua cæteri puniuntur, scilicet excommunicationis, quia in *cap. 1. & 2. de delict. puer.* dicitur in pueris relinqui solet impunitum, quod in alij provectioris ætatis humanæ leges dicunt severius puniendum, ex quibus juribus dicunt communiter DD. mitius puniri minores *Riccius collect. 1845.* idem dicunt proximo pubertati, licet sit doli capax, & latè agit *Barb. in collect. 50. d. cap. 1. & 2.* ex quo etiam dixerunt communiter DD. relati per *Filiucc. tract. 7. num. 72.* non esse minores excommunicandos, si transgrediantur legem continentem excommunicationem ferendam, quia benignè sunt explicandæ leges circa pœnas graves: sequitur *Sanchez d. cap. 12. & Sancius d. disp. 26. n. 18.* qui id tamen limitant in censuris latis a jure, ut in *cap. super eo, cap. pueris, c. quiumvis de sentent. excommunic* neque ego ignoro *Castrum Palaum tom. 1. tract 3. disp. 1. par. 24. §. 2. n. 19* absolutè docentem, solùm sententiam excommunicationis latam ipso jure ob Clerici percussionem propter ejus gravitatem contrahi à pueris doli capacibus ante pubertatem, quia in supradictis juribus ita habetur, aliæ autem censuræ, & excommunicationes ab homine latæ, vel à lege etiam generaliter non comprehendunt uneros ante pubertatem, & sequenda est decisio communis *textus in d. cap. 1. de delictis puer.* quia odia sunt restringenda. Ex quo principio infertur cum *Avila de censuris par. 7. disp. 6 sect. 1. dub. 13.* & contra *Layman lib. 1. tract. 4. cap. 10 nu. 6.* & contra *Sanchez lib. 1. cap. 12. nu. 8.* Puerum impuberem occidentem aliquem non contrahere irregularitatem, vide *Herriquez lib. 13. de irregularitate cap. 3. num. 4. in glossa.*

Verùm nota, quod licet pueri ante usum rationis non sint subjecti legibus, & censuris Ecclesiæ, ut probavimus, tamen si in ea ætate decedant sepeliri non possunt in loco interdicto, quia hæc prohibitio non tam ipsos, quam sepelientes respicit *Salas de legibus disput. 14. sect. 13. n. 216. Suarez de censuris disp. 33. sect. 1. n. 2. Henriquez, & alij ubi supra.*

Infertur etiam, Summum Pontificem teneri ex vi directiva confiteri singulis annis. Infideles, vel cathecumeni non tenentur, quia Ecclesia non habet in eis jurisdictionem, *Sanchez d. c. 12. Filiuccius tract. 7. cap. 2. num. 29.* Ille verò,

qui post Baptismum peccata commisit, sive interna, sive externa tenetur ad confessionem semel in anno, *d. cap. omnis utriusque sexus*, & licet Ecclesia non possit præcipere actum internum, ut dolorem peccatorum, &c. tamen intelligitur directè, nam indirectè potest; præcipiendo enim confessionem, quæ jure divino subsistere, non potest sine dolore, & sine expressione omnium peccatorum mortalium etiam internorum, præcipit indirectè actus inter nos DD. ubi supra.

Infertur secundò, eum, qui probabiliter dubitat se mortale commisisse teneri ad annuam confessionem, quia tale peccatum dubium est necessaria materia hujus Sacramenti, tenetur enim illud confiteri quomodo dubitat quis id commisisse, sicut etiam qui novit se mortaliter peccasse, sed dubitat de specie peccati, tenetur peccatum in genere confiteri eo modo, quo novit, quamvis facere debet quantum potest, ut materiam dubiam certificet. Intellige hoc totum, quando quis verè de illis dubitat à se commissa, quod si probabiliter dubitet, se non commisisse, vel si commisit, confessum esse non tenetur confiteri, etiamsi æquè probabiliter, immò fortè oppositum probabilius judicet, quia est operari secundum probabilem, relicta probabiliori, & ità post alios tenet *Diana par. 5. tract. ult. resol. ult & par. 3. tract. 12. resol. 3. & par. 4. tract. 4 resol.* 4. Quod si dubitet de tali peccato commisso, & deinde de certo sciat à se commissum fuisse, tenetur ut certum illud confiteri *Sanchez lib. 1. summa cap.* 10 *num.* 69.

Infertur tertio, eum, qui solùm habet peccata venialia, non teneri ad illorum confessionem tempore, quo currit præceptum, *Suarez disp. 36. sect. 2. Azorius par. 2. cap. 2. quæst.* 3. quidquid dixerint alij apud *Bonacinam ubi supra* quia in *Trid. d. sess. 14. cap. 5. & in d. cap. omnis utriusque sexus* dicitur teneri aliquem confiteri omnia peccata mortalia Sacerdoti, ergò: potest tamen Ecclesia præcipere confessionem venialium, *S. Thom. in 4. dist. 5. art. 2. quæstiunc. 5. Navarr. & alij apud Suarez 3. par. tom. 4. disp 22. sect.* 8. quia Ecclesia potest plura præcipere ad utilitatem fidelium, ergò etiam potest præcipere confessionem venialium, quæ est opus religiosum, nec est impossibile. Non tamen potest præcipere confessionem omnium venialium, quia esset veluti id impossibile, sicuti nec potest quis se obligare per votum ad confessionem omnium venialium. Neque tenetur quis confiteri venialia in Paschate, etiamsi habeat mortalia quæ justa causa non debeat aperire Confessario, ut benè *Suarez 3. par. tom. 4. disp. 36. sect. 6. Fagundez præcepto 2. lib. 2. Layman lib. 5. tract. 6. cap. 5. num.* 18. ergò si quis non potest confiteri ex justa causa peccata mortalia, non tenetur confiteri venialia. Monachi verò Nigri S. Benedicti tenentur singulis mensibus confiteri, *Clement. unica de stat. Monachor.* non tamen sub mortali, *Cajetan. tom. 1. opusc. tit. 5. quæst. 1. Villalobos in summa tom. 1. tract. 9. diffic. 28. nu.* 5. sicuti confessio Sacramentalis injuncta singulis mensibus alicui à confessario, si differatur, non est peccatum mortale. Idem dic si votum sit factum de confitendo, quod si per paucos dies differatur, non est peccatum mortale. Quod si Monachi prædicti nigri solùm habent peccata venialia, non obligantur sub mortali, neque sub veniali confiteri singulis mensibus DD. communiter apud *Dianam par. 5. tract. 13. resol.* 35. Neque tenetur aliquis confiteri peccata venialia, quæ sola habet, quando requiritur confessio ad jubileum consequendum, quia cum sit in statu gratiæ, nec materiam habeat necessariam, sequitur non teneri ad præceptum, *Suarez 3. par. tom. 4. disp. 52. sect. 3. Conimb. disp. 12 de Sacramentis dub. 7. n. 3. Filiuccius tom. 1. tract. 8. cap. 6. Graffius in dec. p. 1, lib. 4. c. 15. n. 19. contra Fagundez ubi supra cap. 2. Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 15. num.* 19.

Infertur quartò, teneri aliquem de jure divino, & Ecclesiastico sua peccata confiteri, *Trident. sess. 14. c. 4. & ex S. Jacobo. 5. Confitemini alterutrum peccata vestra, & Joan. 20. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*, & notat *Suarez ubi supra disp. 36. sect. 1. Azorius par. 1. lib. 2. cap. 4. q. 9.* præceptum annuæ confessionis esse ecclesiasticum, non simpliciter, sed quoad determinationem temporis, quia Ecclesia solùm determinavit confessionem semel in anno fieri, non verò absolutè præcipit confessionem, undè adhùc fideles tenerentur confiteri, quamvis tempus ab Ecclesia præfixum non esset, quod tamen tempus, sicut Ecclesia præfixit, ità potest auferre, licèt non possit cum aliquo dispensare, ut non confiteatur in articulo mortis, vel ut nunquam confiteatur, nam confessio est de jure divino, in quo Ecclesia non potest dispensare, si verò Ecclesia tale præceptum non determinasset, tunc esset facienda confessio juxtà prudentis viri arbitrium, nec ultrà differri deberet, scilicet ultra quatuor, vel quinque annos, *Henriquez. Sotus*, & alij apud *Conincbum disp. 5. num. 20. dub.* 38. est autem determinatum hodie tale præceptum tempore quadragesimæ, & incipit à Dominica palmarum usque ad 15. diem post Pascha, & potest extendi ad longius tempus ex Episcopi, vel Confessarij dispensatione rationabili, latè *Barb. in collect. tom. 53. lib. 5. tit. 38. in d. cap. omnis utriusque sexus* n. 10. satisfacit verò quis præcepto annuæ confessionis confitendo quolibet anni tempore, undè qui in qualibet parte anni confitetur, non tenetur postea tempore Quadragesimæ confiteri, ut post *Sotum, Valentiam, Suarez, Molfesium*; & alios docet *Diana par. 2. tract. 3. miscell. resol.* 54. *Barb. in d. cap. omnis utriusque sexus*; qui tamen alio titulo tenetur confiteri, ut si post confessionem peccavit mortaliter, & suscepturus est Eucharistiam in Paschate, vel si mortis articulus superveniat, in his enim casibus tenetur denuò confiteri.

Tenentur ergò fideles confiteri non solùm semel in anno, ut *in d. cap. omnis utriusque sexus*; dummodò habeat peccatum mortale, sed etiam cum vult quis communicari, & est peccati mortalis conscius, tertiò quoties existit in articulo mortis, etiam si eodem anno confessus fuerit, quartò si suscepturus sit periculosam navigationem, vel bellum, vel si damnatus sit à Judice ad mortem, *Filiuccius tract. 7. cap. 2. quæst.* 4.

Infertur quintò, non teneri fideles confiteri ante annum, etiamsi adsit periculum obliviscendi multa peccata, ità *Turrianus, Sotus, Conincb. Filiuccius*, & alij apud *Villalobos tom. 1. tract. 9. diffic.* 27. n. 7. nam si hoc esset sequeretur, sæpè homines infra annum obligari confiteri, cum regulariter nullus homo recordari possit peccatorum unius anni, & econtrà si quis peccata scriberet, & non traderet oblivioni posset, differre usque ad mortem, quod est absurdum; ergò dicendum est, quod stante determinatione Ecclesiæ obligatiunia juris divini, si hoc sæpius requireretor malè Ecclesia fecisset, quod absurdum est dicere.

Infer,

Infertur sextò, quod si quis prævideret, se non habiturum copiam Confessarij in articulo mortis, aut sequenti tempore præsentis anni, tenetur prævenire confitendo antequam adveniat mortis articulus, vel antequam labatur annus, in quo tenetur confiteri, ità *Sylvester*, *Suarez*, *Azorius*, & alij apud *Filiuccium tract.* 7. *cap.* 2. *quæst.* 4. & apud *Fagundez præcepto* 3. *lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 5. & apud *Layman lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 5. *n.* 9. quicquid dicat *Joannes de la Cruxpar.* 2. *de Sacram. pænit. q.* 3. *dub.* 3. *concl.* 2. patet nostra doctrina, quia si quis prævideret tempore paschatis, se ultimis diebus paschatis impediendum esse à sumptione Eucharistiæ, tenetur primis diebus commuicare, cum adhùc extet præceptum communionis; quod potest adimpleri præveniendo, tùm quia si quis prævidet in die festo, se non reperturum missam, si eam differat usque ad meridiem, tenetur manè prævenire, quamvis non teneatur ante diem festum anire, cum ante diem festum non adhùc extet præceptum audiendi missam. Sicut extat in die festo: tùm quia si quis debet aliquid creditori solvere, hic si advertat non posse præfixo tempore solvere, tenetur prævenire solutionem juxtà DD. suprà citatos, sicut putant multi cum *Bonacina de Sacramentis disp.* 5. *sect.* 2. *p. penult. nu.* 21. eum qui prævidet, fore, ut vesperi nequeat recitare officium ob febrim, aut gravem infirmitatem; teneri mane recitare, quicquid alii contrarium dicant, *Lugo de pænitent. disp.* 14. *sect.* 7. *in fine.*

Quod si quis prævenerit non secuto deindè impedimento, & adveniente tempore ab Ecclesia constito non tenetur iterum communicare, vel confiteri, ità *Suarez* 3. *par. tom.* 3. *disp.* 70. *sect.* 2. *Fernandez de Heredia de Eucharistia p.* 8. *dub.* 1. *n.* 10. ratio est, quia ex *d. cap. omnis utriusque sexus*, licitum est differre communionem, & extrà Ecclesiam eam facere cum licentia proprij Sacerdotis; ergò erit licita anticipatio propter prævisum futurum impedimentum; immò tenet *Layman lib* 5. *tract.* 4. *cap.* 5. *n.* 9. quod qui prævidet, se in Paschate à sacra communione impediri, non tenetur tempus præscriptum prævenire, dummodò intrà eum annum semel communicaverit, quod est valdè notandum, legas *Coninch. de Sacram. q* 80. *art.* 11. *concl.* 2.

Infertur septimò, qood si quis faciat confessionem informem, satisfacit præcepto, quia Ecclesia præcipit sumptionem pænitentiæ, sed quod facit Sacramentum informe, recipit Sacramentum validum quoad substantiam, sicut etiam satisfacit præcepto ille, qui communicat indignè, nam præceptum Ecclesiæ obligat ad substantiam actus, non verò ad modum, ut contra *Sylvium in* 3. *par. q.* 80. *art.* 11. & alios docet *Suarez*, & alij apud *Fagundez præcepto* 3. *lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 4. ergò qui indignè communicavit in Paschate, satisfecit præcepto, nec tenetur statim se pænitere, sed anno sequenti; non tamen satisfecit præcepto confessionis, qui sine dolore confitetur in Paschate, ità *Nugnus*, *Faber*, *Suarez*, *Layman*, *Navarr.* & communis apud *Filiuccium tom.* 1. *tract.* 67. *cap.* 13. *n.* 64. & apud *Fagundez ubi supra cap.* 4. *num* 4. *Lugo disp.* 15. *sect.* 6. contra alios, quos sequitur *Fagundez*, qui dicunt, quod confessio etiam sine dolore sufficit ad satisfaciendum præcepto, nam licet Ecclesia non præcipiat actum internum directè tamen verè, & realiter præcipit eum indirectè, ut scilicet ordinatur ad Sacramentum, dolor enim requiritur essentialiter ad Sacramentum, ut ejus pars, & materia, ergò, & ideò hic talis, qui in paschate sine dolore confitetur incurrit pænam excommunicationis, impositam in Synodo contra tales, qui prædictum præceptum confessionis non adimplerunt, ut benè multi apud *Bonacinam de pænit. q.* 5. *sect.* 2. *puncto ult.* quia talis est contumax contra Ecclesiam, cum non adimpleat præceptum, ob cujus transgressionem imposita est censura: neque dicas delictum esse occultum, quia si hoc esset sequeretur, eum, qui solus in angulo domus sub nissa voce proferret hæresim, non affici excommunicatione contra hæreticos lata, quod est contra communem DD. sententiam, de qua supradict DD.

Est etiam sciendum, quod si sumat Eucharistiam in peccato mortali sine confessione antecedenti non committit duplex peccatum, sed unum, quia licet sunt duo præcepta unum scilicet præmittendi confessionem, aliud communicandi dignè, tamen unum ad aliud ordinatur, *Turrianus de pænit. q* 6. *art.* 5. *disp.* 21. *dub.* 1. sic si quis percutit Clericum, facit contra jus divinum, de quo in primo præcepto decalogi, & contra jus canonicum, & jus civile, & tamen unum solum peccatum est homicidij, & sacrilegij, quia jus civile, & canonicum subordinatur juri naturali, & divino, *Henriquez. lib.* 2. *de pænit. cap.* 5. *n.* 6.

Infertur octavo, quod si quis in paschate non est confessus, tenetur quamprimum confiteri ex præcepto annuæ confessionis, ità *Bonacina disp.* 5 *de Sacramentis q.* 5. *sect.* 2. *p.* 4 *n.* 26. *Fagundez præcepto* 1. *lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 16. *Villalobos in summa tom.* 1. *tract.* 9. *diffic.* 28. *n.* 28. quia annus non præfigitur ad finiendam obligationem, sed ad sollicitandam adimpletionem præcepti confessionis, quicquid malè dixerint *Sylvester*, *Tabiena*, *Megala*, *Valentia*, & alii apud *Filiuccium*, *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 3. *num.* 55. qui dicunt non teneri postea quamprimum confiteri.

Ut autem hoc perfectè intelligas advertendum est, quod aliquid potest dupliciter præfigi faciendum tali tempore. Primò ob circumstantiam, & conditionem talis temporis, seu in honorem ipsius. Secundò absolutè & simpliciter, non spectata conditione temporis, sed nè diutius differatur obligatio: cum aliquid præcipitur primò modo, elapso tali tempore, cessat obligatio, ut patet in obligatione divini officij singulis diebus recitandi, & de missa in diebus festivis audienda, quæ tali die præcipiuntur ob circumstantiam determinati temporis, in honorem videlicet talis sanctis, vel talis diei, tunc enim elapso tali die cessat obligatio: quando verò aliquid præcipitur secondo modo, idest obsolutè, & simpliciter, non inspecta propriè circumstantia temporis, sed potiùs nè diutiùs obligatio differatur, & tunc elapso tempore determinato, non cessat obligatio, sicuti si debitor non solvit termino constituto ad solvendum, non excusabitur à solutione elapso termino, nam terminus non fuit appositus ad finiendam obligationem solutionis, sed nè diutius solutio differatur, ergo com præceptum confessionis absolutè, & simpliciter latum sit, sequitur quod non adimpletum intrà annum, est quamprimum adimplendum.

Recedendum tamen est ab *Henriquez lib.* 4. *cap.* 4. *n.* 50. dicente eum, qui non est confessus in articulo mortis cum haberet conscientiam peccati mortalis, teneri posteà quamprimum confiteri, sed melius dixit *Bonacina loco citato*, non teneri, nisi periculum mortis adhùc perseveret, quia præceptum confessionis in articulo mortis obligat, ut occurratur periculo damnationis, sed sublato periculo mortis, non adest pericu-

periculum damnationis, ergo. Confirmatur, quia si quis pauperi in extrema necessitate non subveniat præstando eleemosynam, non tenetur transacta necessitate tradere. Non idem dicimus in materia nostra de præcepto communionis: si enim quis in Paschate non communicavit, transacto paschali tempore tenetur quamprimum iterum communicari, ut post alios *Fagundez lib. 1. præcepto 3. cap. 6. Azorius par. 1. lib. 7. cap. 40. quæst. 1. Coninch. de Sacramentis quæst. 80. art. 11. Laymann lib. 5. tract. 4. cap. 5.* quia terminus anni solùm conceditur nè diutius obligatio differatur, legas *Dianam par. 5. tract. 4. resol. 130. & par. 5. tract. 13. resol. 3.* ubi licet ipse teneat oppositum, plures tamen refert pro nostra opinione, quia ergo hic talis tenetur quamprimum confiteri, & communicari, ideò toties peccat, quoties oblata opportunitate non confitetur, neque communicatur, ut tenet *Bonacina ubi sup.* Verùm ego puto contrà *Bonacinam*, quod quanto diutius differt confiteri, tantò magis peccatum auget, non tamen peccat toties, quoties, ità *Laymann lib. 5. tract. 6. cap. 5. n. 8. Coroll. 1. Villalobos in summa tom. 1. tract. 9. diffic. 38. num. 8. Nugnus in addit. ad 3. par. tom. 2. q. 6. art. 5. diffic. 5. Lugo de pænitent. disp. 15. sect. 7.*

Neque etiam est audiendus *Bonacina* ubi supra, qui dicit, quod si quis non confessus sit per plures annos, non satisfacit unica confessione, falsa enim est doctrina: sicuti si ego debeo plures annuas unica solutione satisfacio, ità etiam si per plures annos non sim confessus, unica confessione satisfacio, & ità est communis usus Ecclesiæ, si verò quis confiteatur in paschate, & oblitus sit alicujus peccati, cujus recordatur post sumptam Eucharistiam, vel post pascha non tenetur id confiteri statim, sed usque ad confessionem sequentis anni potest illud non confiteri, *Toletus lib. 3. cap. 8.* DD. communiter apud *Bonacinam*, & alios citatos, quia Ecclesia solùm obligat ad confitenda peccata, quæ veniunt in memoriam tempore obligationis, & confessionis, sed talia peccata jam non erant in memoria tempore confessionis, ergo non erat obligatus, ergo quando recordatur de illis, tunc tenetur confiteri, quando est præceptum confessionis. Quod si recordetur peccati ante communionem, tunc tenetur per se loquendo illud confiteri antequam ad communionem accedat, quia nullus potest ad Eucharistiam accedere, nisi confessionem peccatorum, quorum habet conscientiam præmittat: quod si recordetur Sacerdos peccati obliti statim post *Introitum*, etiamsi sine nota scandali id facere possit, non est opus accedere ad confessarium, sed elicere debet contritionem, & elicere propositum confitendi in imposterum, *Henriquez lib. 8. cap. 49. n. 3.* qui in *glossa lit. A.* tenet, quod laicus, qui ad linteum altaris stat paratus communicari, & confessionem præmiserat, excusatur ob reverentiam Sacramenti, nè statim redeat ad confessarium, ut directè absolvatur à peccatis, quorum fuerat oblitus, & hoc etiam seclusa nota scandali. Idem sequitur *Reginal. in praxi tom. 2. lib. 29. cap. 4. resol. 5. & 6.*

Et singulariter adverte, quod si Sacerdos ante missam confessus sit, & posteà celebrando recordetur peccati mortalis obliti in confessione, non tenetur de illo peccato elicere actum contritionis, quia tale peccatum fuit virtualiter in prima confessione remissum. Neque dicas fuisse remissum cum obligatione, quod si in mentem veniat, qui confessus fuit, teneatur iterum de illo elicere actum pænitentiæ. Respondeo enim id falsum esse, quia tunc tenetur quis ad pœnitentiam, quando opus est justificatione, sed hic jam est justificatus, ergo & *Lucæ 15.* dicitur; *Justum non egere pænitentia*, & ideò poterit tali casu Sacerdos sequi missam cæptam, etiam non eliciendo actum contritionis, sed sat est si confiteatur posteà suo tempore peccatum illud oblitum, & tunc de illo tenetur atteri, vel conteri. Neque dicas, quod hoc casu tenetur Sacerdos confiteri, ergo etiam conteri; nam hoc falsum est, tùm quia diximus, non teneri confiteri etiam non existente scandalo; tùm quia non valet dicere: tenetur quis confiteri, ergò tenetur conteri, si confiteri non possit; nam ex communi DD. sententia, qui in paschate tenetur confiteri, si non habeat copiam confessarij non tenetur conteri, ergò à pari in nostro casu, ità *P. Diana de celebrat. missarum resol. 48.* licet teneant multi contrarium, de quibus *Reginald. tom. 2. lib. 5. cap. 3. sect. 3. cap. 9.*

Undè qui post confessionem & communionem in Paschate commisit aliquod peccatum mortale, nondùm elapso anno, in quo prius confessus est, non tenetur illud peccatum confiteri, quia cum semel integrè confessus sit peccata, quorum tunc conscius erat, juxtà *tex. in cap. omnis utriusque sexus*, consequenter satisfecit præcepto Ecclesiæ, quo præscribitur confessio semel in anno, ità communiter DD. apud *Reginald. lib. 3. nu. 38.* quidquid dicant alij apud eundem.

Infertur nono, excusari interdum fideles à confessione, quia Ecclesia non obligat ad impossibile, puta, si quis sine gravi detrimento peccata sua non potest confiteri, non tenetur ad confessionem, idem dic de eo, qui non habet copiam Confessarij, idem dic de eo qui sibi, vel alteri timet probabiliter revelationem peccati, vel aliud grave detrimentum, quia excusabitur à confessione eorum peccatorum, quorum timet revelationem, licet non excusetur à confessione aliorum peccatorum mortalium, quæ probabiliter non timet manifestanda, *Suarez disp. 36. sect. 6. Henriquez*, & alii apud *Bonacinam ubi supra*. Undè si Confessarius sit surdus, non tenetur pœnitens ei confiteri, sic existat quis in navi cum aliis, & peccata sua nequeat explicare, nisi ab aliis audiatur præceptum confessionis non obligat cum tanto incommodo, quod verum est non solum si quis sit suscepturus Eucharistiam, sed etiam si sit in periculo mortis; jugum enim Christi suave est, & onus ipsius leve: & licèt pœnitens possit confiteri per interpretem *Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 39.* tamen non tenetur ad hoc, si alia via non possit confiteri, quia confessionem non tenetur quis publicè facere, ait enim *tex. in d. c. omnis utriusque sexus* (omnia sua solus confiteatur proprio Sacerdoti,) & ità communiter docent DD. apud *Fagundez præcepto 2. lib. 2. cap. 6. n. 6. Diana par. 3. tract. 4. resol. 129. Lugo disp. 15. de pænit. sect. 5. n. 62.* imò hoc eodem casu, neque in articulo mortis tenetur confiteri per interpretem; cum confessio non sit necessaria ad salutem, cum possit quis eam habere per contritionem, quod si dubitet probabiliter de sua contritione, tunc ex charitate, tenetur confiteri per interpretem, ne se exponat periculo damnationis, non tamen obligatur ad omnia peccata confitenda, sed satis est si unum, vel alterum peccatum mortale confiteatur, & accuset se in genere de aliis mortalibus, *Suarez, Nugnus, Fagundez*, & alij apud *Dianam loc. cit. Lugo disp. 15. sect. 5*, immò putat

putat *Coninchus disp. 5. de Sacramentis dub.* 10 *n.* 77. quod in tali casu poterit quis confiteri aliqua peccata venialia, & generatim omnia peccata mortalia, dicendo se confiteri omnia peccata, quibus Deum offendit, quam opinionem sequitur *Molsesius in summa tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 11. *n.* 12. licèt consulendum sit, ut tali casu moribundus omnia peccata confiteatur, quia interpres tenetur ad sigillum, ut omnes communiter tenent. Sed si aliquis vellet confiteri aliqua venialia, & mortalia in genere, confessio erit valida, quia opinio *Coninch. & Molsesij* est probabilis, legas *Dianam par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 72.

Infertur ultimò, quod si quis in Paschate, vel in articulo mortis non possit confiteri alio modo, nisi per scripturam, puta si careat lingua, vel confessarius sit surdus, aut pænitens non possit alio modo, ni per nutus explicare sua peccata, non tenetur per scripturam confiteri, quia esset modo publico confiteri, & exponeret se periculo publicationis peccatorum, ut contra aliquos, quos refert, & sequitur *Lugo d. disp.* 15. *sect.* 5. probabiliter docent *Barbos. in collect. ad decretum de pænit dist.* 2. *cap.* 89. *n.* 3. *Diana post alios par.* 5. *tract.* 6. *resol.* 4. qui etiam *resol.* 5. ait, quod surdus tenetur confiteri, & curare debet Confessarius nè ab aliis audiatur, *& resol.* 6. *&* 7. ait, quod mutus, & surdus à nativitate est communicandus, non solùm in articulo mortis, sed etiam in vita, *Bonacina* verò putat ubi supra, quod mutus, vel alius hoc casu tenetur scribere peccata.

In §. Constat.

Egimus in superioribus de Sacramento pænitentiæ ejusque necessitate, & obligatione, qua adstringuntur fideles ad illud suscipiendum, nunc agitur in hoc §. de partibus ipsius. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, Sacramentum pænitentiæ constare ex materia, & forma, materia verò alia remota, alia proxima, remota sunt peccata, circa quæ delenda versatur pœnitentiæ Sacramentum, non tamen omnia peccata, sed mortalia, commissa post Baptismum. Undè peccatum originale, vel actuale commissum ante Baptismum non est materia hujus Sacramenti, *Trid. sess.* 14. *cap.* 5. juxtà illud 1. *Corint.* 11. *Quid mihi de his, qui foris sunt*: peccata verò venialia possunt esse materia hujus Sacramenti, non tamen tenetur quis ea confiteri ut supra, undè dicuntur peccata venialia materia sufficiens. Undè non teneretur pœnitens omnia venialia manifestare, sed potest aliqua confiteri & alia reticere, quia sunt materia sufficiens DD. communiter apud *Suarez disp.* 18. *sect.* 4. *de pænit Coninch. disp.* 4. *dub.* 3. *n.* 27. *Reginal. lib.* 8. *cap.* 4. *n.* 92.

Peccatum dubium, quando scilicet pœnitens dubitat se peccatum commisisse. Confessarius non debet simpliciter absolvere, sed procuret certam materiam à pœnitente habere, quodsi aliam non habeat pœnitens absolvat sub conditione DD. communiter apud *Filiucc. tract.* 6. *cap.* 3. *quæst* 50. *num* 6. Quando verò pœnitens scit, se peccatum commisisse, & dubitat de ejus gravitate, an scilicet sit mortale, an veniale, tunc non tenetur aliam materiam exhibere, quia exhibuit materiam certam, sive illa sit peccatum mortale, sivè veniale, DD. ubi supra, *Diana par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 107. *Lugo disp.* 16. *sect.* 2. §. 3. *idem Diana ubi supra resol.* 91.

Peccata semel remissa per pœnitentiam potest quis iterum confiteri, quia potest pœnitens circa eadem peccata suos exercere actus, & licet absolutio non possit iterari super eadem materia proxima, potest tamen iterari super materia remota, DD. ubi supra, & tenetur pœnitens dùm talia peccata confitetur, dicere, se aliàs de illis confessum esse, nè Confessarius judicet de illis, ac si essent materia necessaria, cum non sint, sed solùm sufficiens, qui enim facit generalem confessionem, & confitetur simul aliqua peccata commissa post ultimam confessionem, non tenetur explicare illa peccata esse commissa post ultimam confessionem, ità contra *Aloysium Turrianum in opusculis Theologicis, opusc.* 4. *dub.* 7. *Lugo disp.* 16. *de pænit. sect.* 2. §. 1. *Bonacina disp.* 5. *de Sacram. q.* 1. *sect.* 2. *par.* 2. §. 3. *diff.* 4. *nu.* 5. *Diana* 2. *tom. tract.* 4. *resol.* 62. *& par.* 4. *tract.* 3. *de conscientia dub. res.* 65. & ante omnes id dixerat *Sanchez lib.* 1. *summæ cap.* 10. *n.* 71. *& Suarez de pænit. disp.* 22. *sect.* 9. quia idem est peccatum, sivè antea ille confessus fuerat, sive non, & illa circumstantia non se habet ex parte peccati, sed ex parte pœnitentis, & ea non explicata, idem est peccatum, ergo. Qui verò confessionem facit generalem, non tenetur omnia peccata mortalia antea confessa explicare, sed potest aliqua reticere, à quibus jam fuit absolutus, *Henriquez lib.* 2 *de pænit. cap.* 12. §. 2. *in glossa lit. D. Diana tom.* 3. *tract* 4. *resol* 86. *Lugo ubi supra sect* 2. §. 2. quia hoc non est Confessarium decipere circa materiam, sed eum decipit in aliquo extrinseco, quatenus ei promisit confessionem facere generalem: undè etiam obiter dico contra *Silvestrum in verb. confessio il* 1. *q* 6. & alios, non esse contra valorem Sacramenti, si aliquis habeat duos Confessarios, quorum alteri prius confitetur mortalia, alteri posteà solum venialia, quod etiam docent recentiores communiter apud *Dianam par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 132. quia licet secundus. Confessarius decipiatur putans pœnitentem illa solum peccata fecisse ab ultima confessione, pœnitens tamen non mentitur, sed solum proponit illa, in quo nullum est mendacium, & utraque confessio est integra, neque est vera hypocrisis, nam velle conservare bonam famam apud Confessarium ordinarium, nullam continet malitiam, erit tamen per accidens peccatum mortale aliquando, ut si ob hanc causam pœnitens remaneat in aliqua occasione peccati mortalis, undè observat *Layman. lib.* 5. *tract.* 6 *cap.* 8 *n.* 4. quod imprudenter agunt confessarij, si reprehendant pœnitentes suos, qui aliquando eorum confessionalia declinant, cum potius id dissimulare deberent.

Sciendum secundò est, materiam proximam Sacramenti pœnitentiæ, esse actus pœnitentis, scilicet contritionem, confessionem, & satisfactionem, *S. Th.* 3. *par. quæst.* 84. *art.* 1. & alij ibi contra *Durand. in* 4. *dist* 17. *q.* 2. dicentem solam confessionem esse materiam, patet ex *Trid. sess.* 14. *cap.* 3. & patet ratione, quia ad judicium emendativum requiritur primo accusatio rei, & manifestatio delicti, secundò, ut ea manifestet cum dolore; alioquin talis manifestatio esset simplex narratio, vel gloriatio in delictis, tertiò sicut in delictis datur pœna, ità in confessione est satisfactio, ut retrahatur delinquens in futurum a peccatis, & licet *Trid. d. cap.* 3. vocet hos actus quasi materiam hujus Sacramenti, tamen intelligitur ad differentiam aliorum Sacramentorum, quæ habent pro materia rem extrinsecam,

& apparentem, qualis est aqua in Baptismo, panis in Eucharistia, &c. ergò qui actus pœnitentis non sunt extrinsecæ res, ideò dicuntur quasi materia DD. communiter apud *Coninch. disp.* 4. *dub.* 4. *n.* 35.

Sunt autem partes essentiales Sacramenti pœnitentiæ contritio, & confessio, satisfactio verò est pars integralis, quia sine dolore, & confessione non datur; sed sine satisfactione dari potest, ut in articulo mortis, vel alio casu, quo non datur satisfactio in Sacramento pœnitentiæ, & tamen datur Sacramentum. Dolor verò, qui requiritur debet esse formalis, scilicet positivus actus doloris, undè dilectio Dei super omnia non sufficit ad Sacramentum, quia non est formalis dolor de peccatis, sed ei æquivalet, debet etiam esse supernaturalis, ut ad effectum, scilicet ad gratiam disponat, ad substantiam verò Sacramenti sufficit dolor naturalis, sicut in aliis sacramentis materia est naturalis, & talis dolor in confessione requisitus non opus est, ut præcedat confessionem, sed satis est ut eliciatur in ipso actu confessionis, scilicet dum confitetur quis, ante tamen absolutionem, ut contra *Coninch. disp.* 4. *de pænit. dub.* 6. docent communiter Theologi, ut *Suarez*, *Bonacina*, *Fagundez*, *Vasquez*, *Sotus*, & alij, quos sequitur *Lugo disp.* 14. *de pænit. sect.* 2. & ad hunc finem, post factam confessionem, solent Confessarij pænitentes ad dolorem movere, ut se disponant ad absolutionem validam suscipiendam, nec obligant eos post dolorem, tunc habitum, ad repetendam confessionem, quæ absque dolore prævio facta est.

Dices forma Baptismi potest proferri antequam infans abluatur, licet ablutio sit materia proxima, ergo etiam poterit forma absolutionis proferri, antequam eliciatur actus doloris.

Respondeo, negando consequentiam, & disparitas est, quia hoc Sacramentum administratur per modum judicij emendativi, sed in judicio supponitur cognitio causæ antequam absolutionis sententia obtineatur, baptismus verò non administratur per modum judicij reconciliativi, ergo.

Quod si quis sero in examine elicuit actum contritionis, proponens sequenti die confiteri, si postea in confessione nullum actum doloris fecit, valet confessio, *Diana par.* 5. *tract* 14. *resol.* 67.

Est etiam valdè notanda doctrina Petri Ledesme, quam refert *Diana par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 116. qui ait, quod si pænitens confitetur peccata alias confessa, non requiritur ut novum eliciat actum doloris, quia durare præsumitur ille antecedens: undè Confessarij cum hac doctrina sedabunt scrupulosos, præsertim illos, qui confitentur peccata venialia, & cum eis aliquod mortale alias confessum, sufficit enim si se accusent cum eodem dolore antecedenti, qui perseverat, & reperitur de novo in confessione.

Sciendum est tertiò, formam sacramenti pænitentiæ consistere in his verbis, *Ego te absolvo à peccatis tuis*, ad essentiam tamen illa verba sufficiunt *Absolvo te*: ità communiter DD. quos sequitur *Lugo disp.* 13. *sect.* 1. *n.* 17. est probabilis opinio *Soti in* 4. *dist.* 23. *q.* 1. *ar.* 2. *§. postremum tandem dubium*, qui ait sufficere ad valorem sacramenti in rigore illud solum verbum *Absolvo*, quando ergo periculum esset nè homo moreretur absque absolutione sacramentali, posset Sacerdos cum intentione absolvendi simul à censuris & à peccatis, proferre verbum *Absolvo*, quod sufficeret: undè omissio sanctissimæ Trinitatis non vitiat substantialiter formam, & potest omitti sine peccato, secluso tamen scandalo *Valentia disput.* 7. *de pænit. quæst.* 1. *par.* 3. *cum Soto*, & aliis, sed *Bonacina disp.* 5. *q* 4. *p.* 1. *nu.* 2. tenet peccare venialiter, quia non licet fuare contra universalem Ecclesiæ consuetudinem, possunt verò alia verba formæ proferri, sivè activè, putà: ego te absolvo, sivè passivè, puta absolvatur servus Christi, quod si quis dicat, absolvat te Deus; non validè absolvet, quia solùm ostendit, quod Deus facit, sed non ostendit, se hoc facere tanquam judicem, sed potius tanquam præconem, *Bonacina*, & alij ubi supra. Valet tamen absolutio si dicatur volo absolvaris, liber te absolvi, absolvatur Petrus, &c. quia salvatur sensus sacramentalis absolutionis, est tamen peccatum veniale, ità *Diana par.* 5. *tract.* 13. *res.* 14.

Et nota quod eodem verbo *te absolvo*, potest Sacerdos absolvere à peccatis, & à censuris, dummodò id intendat eisdem, scilicet verbis absolvere à censuris, & à peccatis, quo casu absolutio à censuris prior natura est absolutione à peccatis.

Ex quibus infertur, valere absolutionem si loco illius verbi *Absolvo*, in forma, dicat Sacerdos, Condono, remitto, vel Sacramentum absolutionis impendo, &c. sic si absolvendo Regem dicat Sacerdos. Absolvo Majestatem tuam, vel si loco ego, dicat Nos, vel si plures absolvendo dicat, vos absolvo, ut si plures in periculo naufragij existentes unica forma absolvat, sic si diceret, ego peccator, & indignus Sacerdos absolvo te non mea potestate, sed auctoritate Christi, DD. omnes apud *Suarez disp.* 19. *sect.* 1. *nu* 29. *Filiucc. tract.* 6. *c.* 3. *quæst.* 7. *Molfes. tract.* 7 *cap.* 5. *n.* 23. potest etiam eadem absolutione dari sub conditione de præsenti, vel præterito, ut si dicatur, Si non es absolutus, ego te absolvo, vel si Deus vult, vel si potes absolvi, vel si ego possum te absolvere, te absolvo, DD. ubi supra.

Sciendum est quarto, quod interdum adest obligatio confitendi peccata, quorum quis semel obtinuit absolutionem, primò scilicet quando pænitens solùm indirectè fuit absolutus à peccatis, ut quando quis inferiori Sacerdoti sua confitetur peccata, à quo absolvitur, & pro absolutione reservatorum mittitur ad Superiorem, quia tunc licet indirectè absolvatur à reservatis per absolutionem obtentam ab inferiori, nihilominus tenetur eadem peccata reservata confiteri Superiori, ut directè obtineat absolutionem, qua de re infrà.

Secundò, si quis in confessione inculpabiliter alicujus peccati obliviscatur, tenetur illud confiteri, si venerit in mentem in alia confessione, quamvis in prima confessione illius peccati absolutionem indirectè obtinuerit.

Adest etiam interdum obligatio specialis confitendi peccata alias confessa, ut in eo, qui vovit confessionem generalem, quia potest hæc obligatio esse materia voti, & præcepti, & potest per Ecclesiam fieri lex, quæ obligat fideles iterum ad confitenda peccata in confessione semel ritè confessa, *Cajetanus tom.* 5. *opusc. tract.* 5. *quæst.* 1. *Bonacina disp.* 5. *de Sacrament. q.* 4. *p.* 4. contra *Suarez*, & alios, tùm quia Judex potest delictum semel cognitum iterum cognoscere ob notabilem rei utilitatem, tùm quia potest Ecclesia præcipere confessionem peccatorum venialium, ergo & mortalium aliàs Confessorum.

Sciendum est quintò, quod absolutio pænitenti absenti data, valida non est, etiam si pænitens sit in articulo mortis, ut declaratum fuit anno 1602. tempore Clementis Octavi contra *glossam in cap. qualis* 30. *q.* 5. & alios Theologos, ut scil. nulli

nulli liceat amplius defendere, aut docere confessionem sacramentalem posse fieri per Epistolam, & hoc docentes sunt ipso facto excommunicati, & est excommunicatio Pontifici reservata, quod decretum refert *Prosper de Augustino in addit. ad Quarantam in summa Bullarij in verb. confessio Sacramentalis pag.* 302. *Barb. in cap. Omnis utriusque sexus de pænit. & remiss.* & sic invalidè absolvit quis absentem, etiamsi prius præsentis confessionem audierit, *Barb. ubi sup.*

Limitatur tamen primò, si pænitens per litteras mittat peccata sua Confessario, & deindè præsentia ejusdem Confessarij dicat, se de omnibus illis accusare, & ab eodem Confessario absolutionem obtineat in præsentia, quia hoc casu tàm absolutio, quàm confessio censetur in præsentia pænitentis, & Confessarij fieri, & nihil desiderari videtur ad validitatem confessionis, cum pænitens integrè cum dolore se accuset de omnibus peccatis.

Limitatur secundò, quando Confessarius non absolvit inadvertenter pænitentem debet enim, si potest sine gravi incommodo illum revocare, & admonere, quod si non possit sine scandalo revocare, & pænitens, vel expectat communionem, vel ex qualitate personæ cognoscit, quod non incidit in novum peccatum debet absolvi si est præsens, licet aliquantulum remotus, alias commoditas expectanda, & admonendus, ità post alios *Diana par.* 5. *tractat.* 13. *resol.* 56. *& tractat* 14. *resol.* 6. *& par.* 3. *tract.* 3. *resol.* 7. *& par.* 4. *tractat.* 4. *resol.* 92.

Sciendum est sextò, absolutionem debere dari necessario voce, non verò in scriptis, vel aliis signis, *S. Thom.* 3. *par. quæst.* 84 *art.* 3. *ad* 3. *Cajetanus in verb. Confessio, concl.* 11. immò *Sotus in* 4. *dist.* 3. *art.* 5. contrariam sententiam putat erroneam, licet eam admittat *Navarus cap.* 21. *num.* 33. *Paludanus, Filiuccius*, & alij apud *Bonacinam disput.* 5. *de Sacramentis, quæst.* 5. *puncto* 6. Probatur quia *Trident. Florentinum*, & alia concilia dicunt, Sacramenta constare rebus, & verbis, & formam Sacramenti pænitentiæ ajunt esse hæc verba, *Ego te absolvo, &c. & cap.* 3. ait formam absolutionis consistere in verbis ministri, *Ego te absolvo*, unde patet differentia inter confessionem, & absolutionem, absolutio enim ore debet proferri, secus confessio, quæ potest nutibus, & signis fieri, patet etiam differentia inter matrimonium & absolutionem, quod matrimonium per nutus, per signa, & inter absentes, contrahi potest, secus absolutio, quia cum Christus elevaverit contractum in Sacramentum matrimonij, sequitur, quod sicut contractus per nutus celebrari potest, ità & matrimonium inter absentes per nutus & per signa celebrari poterit, patet ultimo differentia inter absolutionem à censuris, & à peccatis, nam absolutio à censuris dari potest absenti, secùs à peccatis.

De Contritione, & Attritione.

Diximus de materia, & forma hujus Sacramenti pænitentiæ. Verùm quia propositimus in hoc §. *Constat* agere de partibus ipsius, ideò hunc titulum posuimus de contritione, attritione, quæ est prima pars hujus Sacramenti, ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, quod contritio est displicentia, & detestatio peccati, prout offensa Dei est, cum proposito non peccandi in futurum; quæ contritio non est necessaria necessitate medij simpliciter; & absolutè in lege gratiæ ad justificationem consequendam, cum possit justificatio haberi per Sacramentum pænitentiæ, sed ad necessaria ad justificationem extrà Sacramentum, ad quam justificationem extrà Sacramentum, contritio formalis, aut virtualis, quæ in Dei dilectione consistit requiritur, & sic intelligitur locus *Ezechielis* 18. *Si impius egerit pænitentiam ab omnibus iniquitatibus suis, vita vivet, & non morietur*: & quod justificetur per dilectionem Dei, colligunt ex illo Proverb. cap. 2. *Ego diligentes me diligo*; & alibi, *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, & Ioannis* 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, Coninch. disp.* 2. *dub.* 2. *&* 6. Docent verò communiter DD. apud *Filiuccium tract.* 6. *cap.* 8. *quæst.* 4. *num.* 196. eum, qui justificatus est per dilectionem Dei, quæ dicitur dolor virtualis, teneri dolere formaliter de peccatis mortalibus, quando veniunt in memoriam, licet contrarium putet *Bonacina loco cit.*

Sciendum secundò est, contritionem per se sub peccato mortali obligare in articulo mortis, vero, vel putato, quando non est copia Confessarij, cui fiat confessio cum attritione, nam alioquin exponeret quis periculo damnationis, undè non est præceptum contritionis, statim ac, est peccatum commissum, neque in die festo, ut dicunt aliqui, neque quando est in probabili periculo oblivionis peccatorum, sed solùm in articulo mortis naturalis, vel violentiæ, *Diana* post alios *par.* 5. *tract* 13. *resol.* 33. & in periculo etiam mortis tenemur Deum diligere, *Coninch. disp.* 24. *dub.* 3. *concl* 3. *num.* 51. quam obligationem diligendi Deum habemus etiam in vitæ decursu, & secundùm aliquos singulis annis, secundùm alios multo tempore non est differenda Undè *Castrus Palaus tom.* 1. *tractat.* 6. *disp.* 1. *punt.* 4. *num.* 10. putat hanc obligationem multo tempore non esse differendam, & dilationem trium annorum putat esse gravem, nam qui tanto tempore divinam bonitatem non amat eam videtur contemnere, & hoc temp[us] etiam assignat *Suarez de charitate disp* 5. *sect.* 3 *nu.* 4. *Coninch. de charitate disp.* 24. *dud* 3. *n.* 53. qui ait videtur omninò mortaliter peccaturus u[t] h[o]c præceptum quis ad tres, vel quatuor annos sponte differat, undè puto, non esse audiendum *Sanctium in selectis disp.* 1. *num* 21. dicentem: *Eum, qui semel in vita huic præcepto satisfecit, non t[e]netur amplius pro illo, & Vasquez apud Dianam par.* 5. *tract.* 14. *resol.* 105. Præcepto etiam spei, quo omnes tenemur in Deum sperare satisfacit quis. Primo, quando dolet de peccatis. Secundò cum habet propositum non peccandi de cætero, &c. *Castrus Palaus tom.* 1. *tract.* 5. *disp. unica p.* 4. *nu.* 4. *Diana par.* 5. *tract.* 34. *resol.* 106

Dicitur sub præcepto contritio, licet sit supernaturalis, quia eam possumus semper facere, cum sit Deus semper paratus ad auxilium dandum, d[i]m sit, *Sto ad Ostium, & pulso. Apocal. cap.* 3. *Suarez disp.* 8. *sect.* 2. *Reginald. lib.* 5. *num.* 25.

Est tamen difficultas, an in articulo mortis post confessionem factam cum attritione tamen cognita, teneatur quis elicere, & habere actum contritionis omnium mortalium, quæ in vi a commisit, & affirmat *Suarez* 3. *par. tom.* 4. *disp.* 15. *sect* 4. *num.* 17. cum aliis; contrarium tamen docent *Fagundez præcepto* 2. *lib.* 2. *cap.* 3. *nu.* 13. *Beccanus de Sacramentis cap.* 35. *nu.* 3. *Laymam lib.* 4. *tract.* 6. *cap.* 2. *nu.* 6. *Coninch. disp.* 3. *dub.* 1. *num.* 5. *Diana par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 98. *& par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 76. probatur, tum quia neque ex scripturis, neque ex Sanctis Patribus tale charitatis præceptum habemus cum quia nullus tenetur ad aliud faciendum, quam id, quod docet Ecclesia, & salutem esse necessarium, sed Ecclesia per *Concil. Trid.*

ad salutem docet, esse necessariam attritionem simul cum Sacramento, ergò non tenetur quis ad aliud, ergò infirmus in articulo mortis non tenetur ex rigore, & ex præcepto eligere actum contritionis, sed sufficit si confiteatur etiam cum attritione cognita, licet melius faceret si in se excitaret perfectum dolorem de peccatis ob amorem Dei.

Neque dicas præceptum contritionis obligat saltem in articulo mortis, ergò quilibet infirmus tenetur elicere actum contritionis.

Respondeo enim cum *Fagundez præcepto* 2. *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 5. quod si tempore mortis existat confessarius, non tenetur elicere actum contritionis, sed solùm tenetur attritionem præmittere, & confessionis sacramentum suscipere, quia per tales sacramentum fit ex attrito contritus, & sic suppletur obligatio præcepti, per attritionem videlicet, & per susceptionem sacramenti confessionis.

Sciendum est tertiò, quod contritio obligat sub mortali, non quatenus est contritio, sed quatenus conducit ad observantiam alterius præcepti in aliquibus casibus. Primò, quando quis est suscepturus aliquod Sacramentum, & est conscius peccati mortalis, quia cum debeat illud sacramentum dignè suscipere, vel administrare, consequenter debet se per actum contritionis præparare ad illud dignè suscipiendum. Secundò, quando quis est in probabili, & verisimili periculo incidendi in aliquod mortale, si contritionis actum non eliciat de peccatis præteritis, juxtà illud Gregorij, *peccatum, quod per. pænitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit.* Verùm nota, quod si quis existens in probabili periculo incidendi in aliquod peccatum, non facit actum contritionis, unum tantum peccatum committeret, oppositum illi virtuti, contra quam accidunt tentationes, DD. communiter apud *Bonacinam ubi supra.*

Sciendum est quarto, attritionem esse quendam dolorem imperfectum de peccatis, quatenus quis per attritionem non detestatur peccatum, ut offensa Dei est, quæ attritio, aut est naturalis, qua scilicet quis detestatur peccatum ob motivum naturale, puta, quia est contra rationem, vel quia est contra Deum, consideratum, non ut finem supernaturalem, sed natulem; alia est attritio supernaturalis, quæ elicitur impulsu Spiritus sancti excitantis, & moventis hominem ad talem actum eliciendum, puta si quis peccatum detestatur ob turpitudinem ipsius peccati, vel ut est injuria Dei, vel quatenus est malum, vel quatenus est causa mali, vel ut est causa gehennæ, vel aliarum pænarum, & ad hanc attritionem reducatur dolor, quo quis peccatum detestatur ex amore vitæ æternæ, *Coninch. disp.* 1. *de pænit. n.* 21. *& disp.* 4. *dub.* 5. *n.* 37. & hæc attritio supernaturalis sufficit ad recipiendum Sacramentum pænitentiæ cum fructu, *Trident sess.* 14. *cap.* 4. Quod verò dolor ob timorem gehennæ sufficiat ad obtinendam peccatorum remissionem. Patet ex *Trident sess.* 14. *cap.* 4. *& sess.* 6. *can.* 8. & patet ex illis verbis *Psal.* 33. *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos*, & alibi, *Timete Dominum omnes Sancti ejus.*

Sciendum est quinto, ad recipiendum sacramentum pænitentiæ cum fructu requiri propositum non peccandi de cætero. Ratio est, quia ad hoc sacramentum pænitentiæ recipiendum requiritur attritio efficax, & universalis sed non potest esse attritio efficax, & universalis, nisi excludatur voluntas peccandi in futurum, & includatur propositum non peccandi, ergo, Undè non est absolvendus ille, qui secum deliberavit potius peccare mortaliter, quàm mori, quia non habet propositum vitandi peccata, quod si habeat propositum non peccandi, potest absolvi, etiam si fortè dubitet quid faceret in tali casu, *Navarr. cap.* 1. *nu.* 9. *Bonacina*, & alij tibi supra. Quod propositum non requiritur formale, sed sufficit virtuale, quo quia hà detestatur peccata, ut si in mente occurrant peccata futura, firmum eliceret propositum illa præcavendi in futurum, quia potest quia efficaciter dolere de peccatis cum proposito virtuali, post alios *Lugo disp.* 14. *de Sacramento pænitent. sect.* 5. undè *Layman lib.* 5. *Theolog. moralis tract.* 6. *cap.* 4. *nu.* 6. concordando opiniones DD. dicit, quod illi, qui tenent, requiri formale propositum, intelliguntur quando recordatur quis peccatorum futurorum: illi verò, qui dicunt sufficere propositum virtuale intelliguntur, cum quis non recordatur peccatorum futurorum: & ad tollendos scrupulos est notanda doctrina *Francisci Sylvij* 3. *par in addit. ad supplementum Sancti Thomæ quæst* 1. qui dicit, quod si quis occupatus, vel in examinanda sua conscientia, vel detestanda vita præterita, vel in imploranda Dei misericordia, & petenda venia, vel in excitando se ad amorem Dei, & dolorem de peccatis, non cogitet actu, dicens intrà se ipsum, volo abstinere à peccatis, sed bona fide eat ad confessionem, ibique se accusans veniam petat, verè est contritus, talisque ejus confessio est bona, quia in dicto examine peccatorum & petitione veniæ à Deo, includitur sufficiens propositum non peccandi de cætero, ex qua doctrina confessarij sedabunt scrupulos aliquorum, dubitantium, si habuerint cum detestatione peccatorum formale propositum illa de cætero non vitandi, sequitur *Diana par.* 3. *tractat.* 4. *resolut.* 119. *& par.* 5. *tract.* 14. *resol.* 16.

Sciendum est sextò, multum differre contritionem ab attritione. Primo, quia contritio est perfectus dolor, cum sit peccatorum detestatio, ut offensa Dei sunt, atritio est dolor imperfectus, quia est detestatio peccatorum ob metum gehennæ, vel aliarum pænarum, ut pænæ damni, aut amissionis gloreæ, & gratiæ, vel ob turpitudinem ipsius peccati. Secundo, quia contritio ex se disponit ad gratiam, attritio verò minimè, sed cum sacramento facit ex attrito contritum, non quidem, quod attritio intrinsecè fiat contritio (quia hoc fieri non potest cum attritio versetur circa unum motivum, contritio verò circa aliud) sed quia attritus vi Sacramenti recipit gratiam, quam etiam recipit contritus per contritionem, & hoc est fieri attritio contritum, non intrinsecè, sed extrinsecè, & virtualiter, ità *S. Thomas* 3. *par. de partib. pænitentia*, q. 1. *art.* 3. *Suarez de pænitentia disp* 5. *sect.* 3.

Tandem differt attritio, quæ est para essentialis sacramenti ab ea attritione, quæ requiritur ad recipiendum sacramentum pænitentiæ cum fructu; nam attritio, quæ est para essentialis sacramenti potest esse dolor naturalis, dolor verò requisitus ad fructum, & effectum sacramenti debet esse supernaturalis, ut diximus supra, ità tenent *Henriquez cap.* 26. *de pænit. nu.* 20. & alij apud *Bonacinam loco cit. de pænit.* cum de contritione agit, est tamen contra *Vasquez*, & alios apud *Coninch. disp.* 43. *dub.* 50. asserentes eundem dolorem requiri ad essentiam, & effectum Sacramenti pænitentiæ.

Sciendum est ultimo, ad justificationem obtinendam por contritionem requiri saltam confusam pecca-

peccatorum commissorum consideratione, ut *Isaiæ* 38. dicitur. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, & Ezechielis* 18. *Considerans peccata mea, &c.* Ratio est, quia contritio est actus voluntatis, voluntas verò fertur in cognitum, ergo, ità communiter DD. apud *Filiuccium tract. 6. cap. 9. quæst. 1. num.* 217. Posset verò quis justificari, etiamsi nullum revocet peccatum in mente, ut si quis e. liceret Dei super omnia, nullo modo cogitans de peccatis; ut tradit *Coninch. de pænit. disp. 2. dub. 6. num.* 51. *& dub. 8. num.* 76. Verùm si post factam cogitationem peccatorum esset facienda confessio, tunc requiritur examen conscientiæ, & sic distincta peccatorum recogitatio DD. ubi supra.

De Confessione.

Vidimus de una parte pænitentiæ, scilicet de contritione, nunc de secunda parte, scilicet de Confessione aliqua dicenda sunt. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, quod Confessio est legitima, & sacramentalis accusatio de propriis peccatis, facta Sacerdoti ad obtinendam remissionem peccatorum per absolutionem, *S. Thomas in 4. dist. 17. q. 3. art.* 12. *Sotus in 4. dist. 18. q. 2 art. 1. Nugnus in addit. ad 3. par. quæst. 7. art. 1. Suarez de pænit. disp.* 21.

Dicitur (legitima) quia ad Confessionem non sufficit quælibet accusatio, sed cum quibusdam solemnitatibus, de quibus infra.

Dicitur (sacramentalis) quia non quælibet Confessio facta Sacerdoti est sacramentalis, cum possit aliquis sua peccata confiteri ad alium finem, quam ad obtinendam illorum remissionem.

Dicitur (accusatio) quia non omnis manifestatio peccatorum sufficit, sed dolorosa.

Dicitur (de propriis peccatis) ut indicetur materia Confessionis, quæ versatur circa peccata propria, non aliena.

Dicitur (facta Sacerdoti) ad indicandam causam, seu ministrum Sacramenti Confessionis, quia Confessio facta laico, vel Clerico non Sacerdoti, non est Sacramentalis, *Trident. sess.* 14. *cap.* 6.

Dicitur (ad obtinendam remissionem peccatorum) ut appareat finis sacramenti Confessionis, qui est peccatorum remissio.

Dicitur (per absolutionem) ut explicetur necessitas formæ, qua Sacerdos uti debet in administrando Sacramento pœnitentiæ.

Sciendum secundò est, ante Confessionem debere præcedere examen conscientiæ de jure divino, *Trident. sess* 14. *cap.* 5. *& can.* 7. tùm quia nullus potest fateri omnia, & singula peccata mortalia, juxtà Christi præceptum, nisi præmittat examen conscientiæ, & sic quia opus confessionis est magnum negotium, tenetur quis circa peccata mortalia tantam inquisitionem præmittere, quantam adhiberet in negotio arduo, seu quanta in judicio prudentis viri sufficiens judicatur ad omnia peccata in memoriam revocanda.

Advertant tamen Confessarij, quod licet ipsi non teneantur pænitentes examinare, & interrogare, si probabiliter, & prudenter judicet eos integrè confessos fuisse sua peccata; tamen si credant eos defectu examinis non integrè confessos fuisse, aut peccatum aliquod omisisse, tunc debent illos dimittere ad discutiendam perfectius conscientiam, vel debent per interrogationem defectum examinis supplere, si advertunt pœnitentem silere aliquod peccatum ob inadvertentiam, vel per oblivionem inculpabilem, quia ex *cap. omnis utriusque sexus* habetur expressè, debere Confessarium diligenter inquirere, & peccatoris, & peccati circumstantias, *Coninch. de pænit. disp.* 18. *dub.* 17. *num.* 30.

Sciendum est tertiò, Confessionem plures requirere solemnitates, quæ his versibus continentur.

Sit simplex, humilis Confessio, pura fidelis;
Atque frequens, nuda, & discreta, libens verecunda,
Integra, secreta, & lacrimabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Simplex. Debent in Confessione omitti superflua, & inutilia, & circumstantiæ impertinentes, ut infrà, licet debeat pœnitens procurare, ut clarè, & distinctè sua peccata confiteatur, ità ut illa Confessarius non solum quoad numerum, sed etiam quoad species cognoscat, & intelligat.

Humilis. Debet pœnitens cum humilitate confiteri peccata sua, v. g. genibus flexis, & aperto capite, nisi adsit necessitas, quod si fiat oppositum, erit tantum peccatum veniale: casu verò quo quis confitetur peccata sua, se jactando, & gloriando in peccatis, erit invalida confessio, tùm defectu doloris, tùm defectu integritatis, quia novum videtur peccatum committere, quod non censetur in confessione expressum DD. ubi supr.

Pura. Debet etiam confessio esse pura, ità ut non fiat ob pravum finem, sed ad finem consequendi remissionem peccatorum, seu placandi Deum, quod si fiat ob malum finem mortaliter peccamino um, tunc erit invalida. Secus si ob vanam gloriam, &c. nam hoc casu est valida.

Fidelis. Debet confessio sacramentalis esse fidelis, sine ulla fallacia, & deceptione, undè mendacium circa materiam necessariam confessionis est peccatum mortale, & irrita est confessio, quia decipitur Sacerdos in materia gravi, & non esset integra, quia silet pœnitens mendacium in confessione, *Coninch. disp. 6. de pænit. dub* 2. *Filiuccius tract. 7. c.* 4 *q.* 4. undè si mentiatur circa peccatum mortale, alias confessum, non peccat mortaliter, quia non est materia necessaria, quidquid dicat *Lugo disp. 16. de pænit. sect.* 2. *n.* 101. si verò mendacium dicat in veniali peccato, non est peccatum mortale, si tamen dentur alia peccata vera pro materia Sacramenti, communiter DD. quos sequitur *Lugo ubi sup.* sed si mendacium dicatur de peccato veniali, quod est totalis materia confessionis, tunc est peccatum mortale, ut communiter docent DD. quos sequitur *Diana par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 96. licet *Philippus Faber* apud eundem *Dianam* putet, non esse peccatum mortale, neque in tali casu.

Casu verò, quo Confessarius de peccatis alias ritè confessis inquirat ex justa causa ad cognoscendum statum pœnitentis, & ad debita remedia exhibenda, tunc pœnitens tenetur Confessario interroganti respondere, licet per se non peccet, quando interrogatus à Confessario, utrum tale peccatum aliquando commiserit, falsò negat se commisisse, nolens idem peccatum, quod antea confessus est, iterum confessioni subjicere,

cum

cum peccatum aliàs ritè confessum, non sit materia necessaria, neque pœnitens gravem inferat injuriam Sacramento, *Diana p. 5. tract. 5. resol.* 27.

Et est observanda doctrina *lib. 3. cap. 2. num.* 6. qui ait, quod potest pœnitens in confessione, se accusare de imperfectionibus, ut est non correspondere inspirationibus divinis, non operari aliquod bonum cum posset, licèt non obligetur, quidquid malè dicat *Sancius disp. 9. in select. & disp. 1. & 6.* ubi ait, non esse permittendum pœnitentibus in confessione se accusare de talibus imperfectionibus, puta quod transgressi fuerint inspirationem, oblatam, quando urgebat occasio violandi præceptum, quod non doleat intentè, prout possit de peccatis, quod Deum non dilexerit, quem potuisset intentè, quod in copula conjugali, vel alias verba impudica cum ea fuerat allocutus, & quod in copula illa nimiam delectationem fuerint experti, &c. hæc enim, & similia, cum peccata non sint, non debent de necessitate in confessione afferri, & sic intelligitur *Sancius loc. cit. & Diana* 2. *tom. tract. 4. resol.* 52. sed non per hoc reprehendi debent Confessarii, quod pænitentes in his dicendis non impediant, quia plura ex his, quæ videntur merè imperfectiones non sunt sine culpa veniali, legas *Lugo disp. 16. sect. 2. in fin.*

Ex quibus infertur, etiam peccare mortaliter eum, qui peccata dubia confitetur ut dubia, vel è contra, sic qui majorem numerum peccatorum confitetur, quam re vera commiserit, peccat mortaliter, nam decipit judicem circa materiam gravem, & necessariam, quod si bona fide major exprimitur numerus, non erit peccatum mortale, *Sanchez in summ. lib. 1. cap. 10. num.* 68. cum verò certus numerus explicari in confessione non potest, solent pœnitentes se accusare hoc modo, v. g. fornicatus sum decies, plus, vel minus, quæ verba secundum *Sancium in select. disp. 2. num.* 13. extenduntur usque ad duo, vel tria, sequitur *Filiucc. tom. 1. tract. 7. cap. 4. n.* 84. undè si dixerit peccavi decies plus, minusvè, & posteà advertat peccasse 12. non esset necesse amplius confiteri, secus si recordetur fuisse quindecim, vel viginti, nam tunc tenetur confiteri illum excessum, *Pater Fagundez lib. 8. de præceptis, cap. 5. n.* 9. putat illa verba extendenda esse ultra numerum binarium, vel ternarium, secundùm majorem, vel minorem numerum peccatorum, de quibus pœnitens se accusavit, undè si pœnitens se accusaret centies peccasse plus, minusvè, tunc importarent illa verba etiam decem, adeò ut non tenetur posteà decem occurentia peccata confiteri secus si plura occurrissent, sequitur *Diana de Sacram. tract. 4. resol.* 94. omnium melius *Lugo disp. 16. de pænit. sect. 2. §. 5.* qui ex *l. hæc adjectio* 192. *ff. de verbor. signific.* ait, verba plus, minusvè minimam importare summam, & ex *Menoch. de arbitr. casu* 46. ait, quinque pro centenario importare.

Est advertendum primo ex *Vivaldo, in candelabro aureo de confess. tit. 7. §. Sed dixi n.* 3. quod si confessus essem, peccasse decies in tali peccato, & de omnibus aliis, quæ Deus scit me commisisse, in hoc casu, quorum non recordor, dico meam culpam, non teneor amplius confiteri, si postea aliqua venerint in memoriam, dummodò sufficiens examen, ac debitum prius fecerim refert *Diana d. resol.* 94.

Secundò est advertendum, quod si pænitens erraverit in numero, dicendo plures actus, quam re vera erant, ità tamen ut in ipso errore non peccavit graviter non tenetur postea in alia confessione corrigere illum errorem, est contra quemdam auctorem, quem refert, & impugnat *Lugo disp. 16. sect. 14. n.* 572. qui dixit, quod si quis confitetur decies peccasse, puta fornicasse, & postea peracta confessione advertat se ter fornicatum, debere posteà iterum confiteri illum, contra quem insurgit *Lugo*, quia scil. non tenetur confiteri illa tria, quia sunt remissa, non negationem illorum septem, quia negatio peccati non est materia absolutionis, neque debet confiteri errorem commissum in prima confessione, quia talis error supponitur, quod fuerit sine peccato, ergo nulla est obligatio corrigendi iterum in confessione illum errorem, ità *Bonacina disp. 5. de Sacram. q. 5. sect. 2 par. 3. n. 3. Diana par. 1. summ. tract. 3. miscell. resol.* 25.

Atque frequens. Confessio sacramentalis debet esse frequens, non quidem quod necessaria sit necessitate medij talis conditio, vel præcepti, sed quia utilius est ob magnas utilitates, & fructus uberrimos, qui percipiuntur ex frequentatione hujus Sacramenti.

Nuda. Debet confessio esse nuda, idest non obscura, nec palliata, nam peccata cum sint nuda ante oculos Dei, sic nuda debent esse ante oculos Sacerdotis absolventis loco Dei.

Discreta. Debet etiam confessio esse discreta; quæ discretior consistit primo ut eligat pænitens confessarium probum, & eruditum, qui sciat discernere inter leprem, & lepram, & debita remedia conferre. Secundò consistit, ut pænitens cautè confiteatur peccata sua, præsertim impudica, & carnalia, adhibendo quantum fieri potest verba pudica, & honesta, nec est necesse ultra species, & circumstantias explicare alios actus, qui ad peccata solent adhiberi, & sic sufficit explicare copulam, tacitis osculis, & actibus, qui copulam præcesserunt, qua de re infra.

Ex quo collige primò, Pænitentem dubium de contractu fæneratio, si eligat Confessarium, quem novit indoctum, putans, propter illius inscitiam non obligandum ad restitutionem, teneri ad faciendam restitutionem, & iterum confiteri, quia hic non videtur habuisse debitum dolorem, cum firmo proposito vitandi peccata in futurum, *Bonacina de Sacramentis disp. 5. q. 5. sect. 2. §. 2. num.* 17.

Collige secundò eum, qui bona fide confitetur. Confessario valdè ignoranti, quem posteà ipse novit nescisse distinguere inter mortalia, & venialia, non teneri iterare confessionem, quia ille potuit, & voluit benè dispositum absolvere, quamvis defecerit in prudentia circa medicinam, & satisfactionem imponendam, ità *Henriquez lib. 2. de pænit. cap. 14. n. 5. Sanchez in summa tom. 1. lib. 1. cap. 10. n.* 69.

Collige tertiò, non esse reiterandas confessiones factaa Confessario, quem posteà cognoscunt pænitentes, quod inter audiendas confessiones aliquando dormiebat, ex quo aliqua peccata non intelligebat, ità *Henriq. d. lib. 5. cap. 14. n. 3. Layman lib. 4. tract. 6. cap. 9. n.* 50. quia sine ulla culpa pænitentis id sit, quod si posteà pænitens cognoscat, unum, vel plura peccata mortalis confessarium nullo modo intellexisse, debet ea sola, cum aliis posteà commissis in sequenti confessione explicare, quia semper manent explicanda peccata omnia mortalia secundùm speciem, & numerum

numerum Sacerdoti judicanti, ut omnibus absolutio directè, & in specie conferatur, *Diana de Sacram. resol.* 109. Quod intellige quando dubitari potest de singulis peccatis, an hoc peccatum adierit: tunc enim debet tota confessio iterari, sed si non posset de singulis dubitari, sed ad summum communi de aliquo peccato non est obligatio reiterandi confessionem, sed confitendi illud peccatum in communi, latè *Lugo disp.* 16. *sect.* 606. *cum seq.*

Libens. Confessio debet etiam esse voluntaria, verum hæc conditio non est simpliciter necessaria; quare si quis trahatur ad confitendum sua peccata timore excommunicationis, infamiæ, aut etiam verberum à parentibus inferendorum, &c. validè confiteretur, modò confiteatur omnia sua peccata cum debito, & sufficienti dolore, quia habet voluntatem, & sufficientem intentionem ad suscipiendum sacramentum pœnitentiæ, quamvis cum aliquo involuntario peccata sua confiteatur DD. ubi supra.

Verecunda. Debet confessio esse verecunda; non quia necesse sit ut pænitens erubescat, sed quia est conveniens & fructuosum interius apud seipsum erubescere de turpitudine, & fæditate animæ propriæ. Notent tamen Confessarij, nè pænitentes deterreant verbis duris, & asperis, nè fortè illos retrahant à confessione sed potius debent illos allicere ad explicanda confidenter peccata sua, & ad finem confessionis reprehendere, & redarguere, ut faciunt canti Confessarij, *Henriquez lib.* 2. *de pænit. cap.* 2. n. 6. *Reginald. in praxi lib.* 6. n. 75.

Secreta. Debet etiam Confessio fieri secreto, ut ait *Trid. sess.* 14. *cap.* 5. nam publicatio peccatorum sine justa causa, videtur juri naturali repugnare, adeò ut peccet venialiter ille, qui sine justa causa confiteretur peccata sua alio audiente, nam esset propriam famam vituperare sine causa. Undè faciunt malè illi Sacerdotes, qui multos pueros doli capaces in unum congregatos simul audiunt, *Navarr. in manuali cap.* 8. *nu.* 23. *Sylvester in verb. confessio il* 1. n. 23. *Reginald. lib.* 8. *num.* 85. Neque potest Confessarius pænitenti præcipere, ut confiteatur coram testibus, quia Confessio fit Sacerdoti in persona Christi intimè cognoscentis omnia, & non indigentis teste.

Non nego tamen, quin aliquis non possit confiteri per scripturam, v. g. si ægrotus propter angorem confiteri quidem possit, sed vix, aut ægrè, tunc enim compellendus non erit, si peccata sua facilè scribere posset, voce enim confessionem faciet *Layman. lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 6. *num.* 3. Item si quis magnum pudorem sentiret, si proprio ore peccata confiteretur, non peccaret mortaliter si per scripturam confiteretur præsente Sacerdote, quia consuetudo proprio ore confitendi non obligat tàm graviter hoc casu, ut contra *Sylvium*, & alios apud *Filiucc. tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 1. *Coninch. disp.* 6. *de Sacram. dub.* 1. *concl.* 3. *Suarez in* 3. *par. tract.* 4. *disp.* 21. *sect.* 3. docent *Villalobos in summa tom.* 1. *tract.* 9. *diffic.* 32. n. 1. *Vasquez* 3. *par. tom.* 4. q. 91. *art.* 4. *dub.* 4. *Molfes. in summa tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 21. n. 9. *Layman. & alij ubi sup.*

Neque dicas, quod Concilium Florentinum, & Tridentinum, dicunt materiam hujus Sacramenti esse Confessionem oris, ergo. Respondeo enim primò, quod per confessionem oris intelligitur præsentia pænitentis confitentis coram Sacerdote, vel secundo dico, quod Concilium respexit ad id, quod fit ordinariè, nam regulariter, & ordinariè fit confessio ore propriò.

Lacrimabilis. Debet confessio esse lacrimabilis quantum ad internum animi dolorem, non quod requirantur lacrymæ exteriores.

Accelerata. Debet Confessio esse accelerata, non quod teneatur peccator sua crimina statim confiteri: sed quia congruum est, ut peccator statim post peccatum confiteatur, nè maneat in peccato, & ultima ipsius opera sint meritoria.

Fortis. Debet etiam Confessio esse fortis, nè scil. patiatur quis tentationibus se superari ad negligendam, & omittendam Confessionem, vel ad aliquid in Confessione prætermittendum pudoris causa.

Accusans. Debet Confessio esse accusans, & non debet pænitens laudare, vel excusare peccata.

Parere parata. Debet pænitens in Confessione in omnibus obedire Confessario, in his, in quibus tenetur obedire, ut in accipiendà pænitentia, vitandis occasionibus, &c.

Integra. Ultimo loco hanc integritatem Confessionis, ejusque conditionem necessariam ponimus, ut eam latiùs explicemus: Quapropter.

Dico primò, peccata in Confessione necessario sunt explicanda quoad species morales ità communiter DD. ratio est, quia in confessione sunt explicanda omnia peccata singillatim quoad speciem *Trid. sess.* 14. *cap.* 5. & *can.* 7. Sed non possunt omnia quoad speciem explicari, nisi explicentur quoad species morales, ergo, non verò requiritur ut peccata explicentur quoad species physicas: unde si aliquis confecit venenum, illudque miscuit vino, & propinavit inimico, non tenetur omnes actiones explicare in confessione, nisi tanta inter unam, & aliam actionem intercesserit mora, ut efficiat peccata numero distincta. Idem dic de eo, qui occidendum inimicum emit gladium, ascendit equum, iter accepit &c DD. communiter apud *Coninch. de pænit. disp.* 7. & *apud Filiuc. tract.* 7. *cap.* 4. q. 2. *num.* 76. unde in his omnibus casibus satisfacit quis confessioni dicendo se hominem occidisse, ex quo.

Infertur primo, eum, qui commisit peccatum bestialitatis cum diversis specie animalibus, satisfacere in confessione dicendo in genere, toties se peccatum bestialitatis commisisse, non expressa specie animalium, cum quibus nefarium illud scelus commisit, sic qui contra naturam peccavit cum fæmina, vel cum mare, non tenetur hanc circumstantiam exprimere, sic qui divinatus esset per terram, per astra, per aquam, &c. sic peccatum æquale in potu, vel æsu carnium, vel aliarum rerum, item furtum auri, panni, argenti, &c. unde sufficit dicere peccavi in sodomia toties, in bestialitate quater, &c. ità *Cajetanus in verb. Confessio* q. 3. verum non ignoro *Tannerum in* 2. 2. *tom.* 3. *disp.* 3. q. 3. *par.* 6. *num.* 149. contrarium docentem, quoad sodomiam, quæ opinio probabilis est.

Infertur secundo, eum, qui concupiscit fæminam in communi, aut aliam, cujus statum ignorat, teneri in confessione dicere fæminam in communi concopivi cujuscumque status sit, sive sit soluta, sive conjugata, quia exponit se periculo concupiscendi fæminam cujuscumque conditionis existat, sive sit soluta, sive conjugata, nisi forte excusetur ratione inadvertentiæ non advertens ad talem malitiam, vel ad ejus periculum.

Dico secundo, peccata mortalia sunt in confessio-

fessione explicanda quoad numerum quantum fieri moraliter potest, *Trid. sess. 17. cap. 5. & can. 17.* & est de fide contra aliquos hæreticos apud *Bellarm. lib. 3. de pænit. cap. 1.* non tamen est necesse exprimere singula singillatim, sed sufficit omnia in genere recensere, puta dicendo toties non jejunavi, toties furtum feci, &c. Ex quo infertur quod si quis decies furatus est decem nummos aureos unum singulis vicibus, non satisfaceret dicendo se decem nummos aureos surripuisse, sed tenetur dicere se decies surripuisse nummum aureum *Suarius Coninch. Bonacina*, & alij ubi supra, debet etiam pænitens confiteri ea peccata, quæ Confessario nota sunt, verum sufficeret si dicat, Pater accuso me de illis peccatis quæ nosti me commisisse, hoc in pacto sufficienter aperit statum suum Confessario. Quod si Confessarius habeat evidentiam quod pænitens fecerit tale peccatum, & non sit confessus, tunc dicunt aliqui, quod Confessarius non debet eum absolvere, ità *Suarez in 3. par. tom. 4. disp. 32. sect. 3. Fagundez præcepto 2. lib. 6. cap. 4. num. 38.* affirmant verò alij apud *Dianam par. 3. tract. 4. resol. 105.* quia cum possit in multis casibus pænitens confiteri, & confessionem non integram facere consequenter poterit aliquando Confessarius credere, pænitentem illud negare, non quia non commiserit, sed quia credit non teneri tunc illud confiteri, ergo tenetur tunc pænitentem absolvere hoc sibi persuadendo, si in aliis est pænitens rite dispositus, alioquin gravem illi injuriam faceret.

Est tamen advertendum, quod si confessio fuit invalida, vel ex parte pænitentis, vel Confessarij, & pænitens cum eodem Confessario confiteatur, non tenetur denuo peccata explicare si saltem in confuso recordetur Confessarius statum illius, ut convenientem illi possit pænitentiam imponere, Doctores communiter, quos sequitur *Vasquez 3. par. tom. 4. q. 92. art. 3. dub. 3.* Ratio est, quia pænitens jam satisfecit præcepto divino, enarrando omnia peccata, ergo solum tenetur defectum recognitionis supplere de omisso peccato se accusando. Quod si Confessarius statum pænitentis neque in confuso recordetur, & tamen illum absolvit, erit dicta absolutio valida, sed Confessarius peccabit mortaliter, cum non rectè procedat in pænitentia imponenda, unde peccabit quidem, sed non tenebitur monere pænitentem de aliqua re, quia confessio fuit valida, ergo ad nihil aliud tenetur Confessarius, nisi de peccato pænitere *Layman. lib. 5. tract. 6. cap. 9. num. 6. Diana par. 3. tract. 4. resol. 123.*

Adverte secundo, quod pænitens tenetur explicare in confessione actum non solum internum, sed externum, quia etiam hic actus est peccaminosus, at vero si explicaverit actum externum, non requiritur, ut explicet actum internum, quia peccatum exterius non subsistit sine peccato interiori, & sic explicato peccato exteriori censetur explicatum peccatum interius, dummodo fuerit sufficiens advertentia, & deliberatio. *Bonacina de Sacrament. disput. 5. q. 3. sect. 3. par. 2. §. 3. disp. 2.* unde, qui fornicatus, non tenetur dicere se fornicatum fuisse cum animo fornicandi, &c.

Adverte tertio, quod si quis externa die intentionem habuerit fornicandi, vel furandi, & hodie furatus est, non satisfacit dicendo se semel furatum esse, sed tenetur exprimere intentionem furandi, quam habuit externa die, ratio est, quia numerus peccatorum distinctus explicandus est, sed illa intentio antecedens est peccatum distinctum à peccato consequenti, ergo.

Ex quibus infertur unum esse peccatum, quando quis ob hominem occidendum exit de domo, quærit inimicum, sed ad hoc aliquot dies itineris expendit, quia licet dormiat, prandeat, salutet ob vias, & ad alia divertat, non per hoc interrumpitur talis actio, & prior intentio, ex qua cætera omnia procedunt, sicut Missa non interrumpitur, licet in medio dicatur concio. E contra volens non recitare officium per totum annum, & de facto non recitat, tenetur id explicare, quia licet voluntas sit una opus tamen nolitum non est unum, nec una omissio recitationis ordinatur ad aliam, nec connexionem habet cum illa, quia singulæ omissiones sunt peccata diversa, qui vero vult omittere, & de facto omittit totum officium unius diei unum peccatum committit, quia unicum est præceptum terminatum ad totum officium, *Suarez de religione tom. 2. lib. 4. cap. 25. Azorius par. 1. lib. 10. cap. 2. q. 4.* plures alij communiter, quos refert *Diana de horis canonic. resol. 5.* unde sufficit dicere se omisisse officium divinum, seu peccasse graviter non recitando, ut cum aliis observat idem *Diana* ibi, *res. 23.*

Infertur secundo, quod si quis mense amavit Antoniam, & voluntatem non interrupit alia contraria voluntate, puta dicendo se nolle amare eam, si deinde continuet per totum mensem eam amare, nunc ille actus interruptus est unum peccatum mortale Secundus actus est aliud peccatum, sed si primam voluntatem interrumpit non actu contrario, sed naturali oblivione, aut inconsideratione, non oportebit numerum exprimere, sed sat est dicere, toto mense v. g. amavi Antoniam, etiamsi possit numerus exprimi, sic si quis permansit in aliqua turpi imaginatione per aliquam diem, vel per integram hebdomadam, debet hoc pænitens confiteri. Idem si quis per annum, vel mensem continuavit odio prosequi aliquem, neque toto illo tempore interrumpit actu contrario, qua de re *Filiucc. tom. 2. tract. 21. c. 8. n. 317. Coninch. de Sacramentis disput. 7. dub. 6. num. 51. Lugo. disp. 16. de pænitentia sect. 13.* Si vero quis unica voluntate voluisset plures homines occidere, aut pluries ad mulierem accedere, non tenetur hanc circumstantiam exprimere in confessione, quia omnia ista objecta diversa numero materialiter, & phisicè faciunt actum peccati graviorem, verum moraliter unum est objectum, quia omnia hic, & nunc conjunguntur cum uno actu. *Megala par. 1. lib. 5. cap. 12. n. 4.* nisi tamen quis unico actu, vellet plures occidere, quorum unus est pater proprius, alius Sacerdos, alius sæcularis, quia tunc talis actus haberet tres malitias, scilicet homicidij, parricidij, & sacrilegij, sic si delectaret se de tribus fœminis, quarum una est monialis, altera conjugata, & altera soluta, secus si omnes tres essent solutæ, vel conjugatæ, vel moniales *Diana par. 5. tract. de circumstantiis resol. 29. & resol. 17.*

Dico tertio, circumstantias communiter comitantes, non tenetur quis confiteri, v. g. si quis rem habuit cum fœmina, non tenetur explicare, tactus, & oscula, quæ præcesserunt, quia censentur facere unum cum actuali peccato, & sic explicato actu principali, censentur etiam explicatæ actiones accessoriæ quod si actus principalis secutus non fit, tunc tales actiones accessoriæ ut pote malæ explicandæ sunt. Si vero quis ha-

habuit rem cum fæmina, ad quod usus est media alia fæmina; tunc tenetur hoc pænitens exprimere, quia hæc actio non habet connexionem cum effectu; unde communiter DD. dicunt, tactus, & oscula turpia præcedentia copulam illicitam, facere cum illa unum peccatum, neque oportet illa explicare, sed sufficit confiteri copulam, neque tactus, & oscula copulam sequentia explicanda sunt, quia faciunt unum, & idem cum copula antecedenti *Fagundez de præcept. præcep.* 2. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 14. *Lugo disp.* 16 *sect.* 14. Qui post fornicationem tangit, & osculatur iterum meretricem, etiam propter delectationem, dummodo hæc non faciat ad iterandam fornicationem, non tenetur illa oscula, & tactus declarare, sed sufficit dicere toties fornicatus sum, quia talia oscula, & tactus cum effectu principali conjunguntur, & cum eo constituunt unum numero peccatum, unde explicato actu principali, etiam tales actiones explicatæ censentur.

Idem putat *Sancius in select. disp.* 6 *num.* 3. de gaudio, aut collocutione consequente ad præhabitam fornicationem licet intercesserit magna temporis interruptio inter copulam, & consequentia ad illa, hoc tamen intelligit, quando ille qui fornicationem commisit ad alia negotia agenda non se divertit, sed in eodem situ, & statu, quo peccavit, perseverat; retinens fæminam ad deosculandam illam, & colloquendum, vel si forte fæmina discessit, ex utriusque conventione, & ille expectat reditum ad iterum deosculandum eam, vel ad colloquendum cum periculo deosculationis.

An vero sint explicandi tactus, & oscula quando præcesserunt, non tamen ex in tentione copulæ, & postea immediatè habetur copula, an verò sufficiat solum confiteri copulam, quæstio est? Putavit quidam, quem tacito nomine refert *Diana* 3. *tom. tract.* 4. *Miscell. resol.* 205. non esse necessario explicandos illos actus præcedentes, ipse tamen *Diana* affirmat, explicandos esse, ut peccatum distinctum, quia habent malitiam distinctam à malitia copulæ, sequuntur communiter DD. quos refert, & sequitur *Lugo disp.* 16. *sect.* 14. *de pænit num.* 56.

Infertur quid dicendum sit de illo, qui ter copulam habuit cum eadem, unico tempore putant aliqui, quod sufficit si pænitens dicat; fui cum meretrice una nocte, & feci quod potui, ità *Zanardus Dominicanus in directorio Confessarior. par.* 3. *de Sacram. pænit. cap.* 18. dummodo non habuerit interruptionem mentis, vel operis, sed communiter docent esse tria peccata, & sic dicimus de occidente tres homines, successivè occurrentes ob eandem rationem, quod aliud esset si uno impetu eos omnes occideret, quia tunc sunt unum mortaliter quatenus constant unam congressionem, & consilium *Lugo disp.* 16. *de pænit. sect.* 14. *nu.* 557. sufficit ergo in prædicto casu si pænitens dicat, ter habui rem cum fæmina, non tamen est necesse dicere quod tota nocte cum ea dormivit, ut communiter docent DD. apud *Dianam par.* 1. *tract.* 7. *resol.* 9. & *par.* 5. *tract.* 14. *resol.* 10. quia non est circumstantia aggravans in infinitum, & extra speciem, qui verò rem habuit cum tribus fæminis, non opus est ut explicat, se habuisse rem cum tribus fæminis sed satisfacit dicendo se tres commisisse fornicationes, si tamen fæminæ sint ejusdem conditionis, secus si diversæ conditionis, puta si una sit soluta; alia virgo, alia conjugata, quia tunc tenetur exprimere se toties habuisse rem cum virgine, toties cum soluta, & toties cum conjugata: quia istæ circumstantiæ mutant speciem. Idem dic de eo, qui io actu molliite concupivit virginem, aut conjugatam, vel monialem, hic enim non satisfacit, dicendo, se in actu mollitiei toties concupivisse fæminas, sed tenetur exprimere conditiones personarum, quæ diversam specie malitiam actui communicant DD. ubi supra *Diana de circumstantiis resol.* 13. *Lugo ubi supra num.* 559.

Unum tamen peccatum committit quis si plura juramenta circa eandem rem in eodem sermone successivè falsò dixerit, vel si plures blasphemias eodem iracundiæ calore dixerit, omnia enim prædicta unum peccatum faciunt, *Diana de resol.* 163. & de pluribus contumeliis successivè prolatis idem tenet *Diana de circumstantiis resol.* 18. *Lugo d. disp.* 16. *sect.* 4. *num.* 561.

Infertur secundò, ad integritatem confessionis generalis non requiri, ut exprimantur omnia peccata; undè si quis confessionem facit generalem, non opus est, ut omnia peccata jam alias confessa, iterum explicet in tali confessione generali, post alios *Filiuccius tract.* 7. *cap.* 4. *num.* 89. quia non sunt talia peccata materia necessaria. Ille verò, qui non habet peccatum mortale, non satisfacit in confessione, dicendo, Ego peccavi venialiter, sed tenetur exprimere speciem peccati venialis, *Suarez disp.* 23 *sect.* 1. *num.* 10. *Coninck. disp.* 7. *dub.* 1. n. 6. ratio est, quia licet non teneamur confiteri peccata venialia, tamen ex suppositione, quod velimus confiteri, tenemur materiam omninò certam exhibere, ergo tenemur aliquod peccatum certum quoad genus explicare, licet non teneamur illa quoad numerum explicare. Undè poterunt illi absolvi, qui cum sola peccata venialia commiserint, solùm fatentur se otiosa verba protulisse, quia hoc pacto exhibent materiam satis certam, qui verò in genere se meminit peccasse, & non recordatur speciei peccati, satis est si in genere dicat se peccasse mortaliter, v. g. consentiendi pravæ cogitationi.

Quando verò pænitens non potest certum exprimere numerum peccatorum ob consuetudinem peccandi, & sic ob difficultatem explicandi eum, tunc sufficit dicere tempus, quo in tali statu, & consuetudine peccandi perseveravit. Undè meretrix inveterata, sufficit quod manifestet tempus quo fuit in eo officio, *Cajetan* 1. *tom. opuscul. tract.* 5. *q.* 3. addit *Vasquez* cum aliis apud *Lugo de pænit. disp.* 16. *sect* 14. *n.* 574. debere aliquando explicare numerum certarum specierum, quæ non ità frequenter occurrunt, ut quoties cum religiosa, vel Sacerdotibus, aut personis sacris rem habuit, quoties cum consanguineis, vel aliis similibus. & ità communiter docent apud *Dianam* 2. *tom. tract.* 4. *resol.* 89. & idem dicas de quolibet inveterato peccatore, in quo æqualis militat ratio difficultatis explicandi peccata. Undè potest id applicari in eo, qui passim concupiscit turpiter fæminas sibi obvias, qui difficultatem habet numerum designandi, undè sufficit si explicet consuetudinem, & tempus illius, & species principales, ut frequenter conjugatas, & an aliquando cognatas, vel personas sacras, quod idem dicas de delectationibus morosis, legas *Bonacinam de Sacramentis, disput.* 5. *q.* 5. *sect.* 2. §. 2. *diff.* 2. *Fagundez præcepto* 2. *lib.* 3. *cap.* 4. *nu.* 11. Idem dicas, quando homines rustici, vel plebei confitentur colloquia de rebus turpibus cum sociis, quæ passim tota die dùm simul laborant miscere solent tàm circa conjugatas, quàm solutas, quod facile potest difficul-

difficultatem inducere circa numerum explicandum, sufficit enim explicare consuetudinem, & species principales; sicut dicebamus de meretrice. Idem dic de eo, qui diù concubinam domi habuit, eaque ut propria uxore usua est; sufficit enim, quod statum, & tempus explicet, *Fagundez d. cap.* 4. *Lugo ubi supra*; idem dic de jure, qui diù fuit in consuetudine furandi; sufficit enim si confuso modo explicet frequentiam furti gravis, seu mortalis.

De circumstantiis explicandis in Confessione.

PRo intelligentia, suppono primò, quod circumstantia peccati est quædam conditio non pertinens ad substantiam actus peccati, sed circumstans ipsum actum, ut docent *Summistæ in verbo circumstantia* quasi extrinsecus extra actus substantiam existens.

Suppono secundo, circumstantias alias esse impertinentes, quæ nec augent, nec minuunt peccatum, quales sunt furari dextera, vel sinistra manu, ante, vel post prandium, quæ circumstantiæ in confessione non sunt explicandæ. Secundo aliæ circumstantiæ dicuntur notabiliter augentes, ut est intentio actus; putà si quis cum magna intentione odii aliquem odio prosequu.us est. Tertio, aliæ circumstantiæ sunt notabiliter minuentes, ut est circumstantia metus alicujus mali in furto, &c. Quarto, aliæ circumstantiæ mutant speciem, ut sunt tàm illæ, quæ de mortali peccato faciunt veniale, ut si ex inadvertentia alicui alapam impingem, aut si quis furtum rei notabilis committat, nam inadvertentia excusat à mortali: mutantes etiam speciem dicuntur circumstantia voti castitatis in peccato luxuriæ, aut circumstantia loci sacri in homicidio, &c. quæ circumstantiæ mutantes speciem solent appellari à Doctoribus aggravantes in infinitum, seu infinitè, eò quod homo ratione malitiæ moralis ab infinito bono avertitur.

His positis dico primo, circumstantiæ, quæ notabiliter minuunt non sunt exprimendæ in confessione necessario, nisi speciem mutent, undè circumstantia metus alicujus mali impellentis ad furtum committendum, &c. non est explicanda. Neque circumstantiæ notabiliter aggravantes infra eandem speciem sunt necessariò explicandæ in confessione, ut tenet communiter DD. apud *Bonacinam disp.* 5. *de Sacramentis q.* 5. *sect.* 1. *punt.* 2. §. 3. *disp.* 3. *prop.* 2. *Diana tract.* 7. *de circumstantiis resol.* 1. *Lugo disp.* 16. *sess.* 3. & patet ex *Trident. sess.* 14. *cap.* 50. ubi ait, esse præceptum eas explicandi circumstantias, quæ mutant speciem, ergo cum nihil agat de aliis, censetur negare tale præceptum confitendi aliàs. Undè ille, qui furatus est, v. g. mille aureos, satisfacit in Confessione, si dixerit surripui rem notabilem, ut Confessarius possit recognoscere illum peccasse mortaliter, ut contra *Toletum lib.* 7 *num.* 4. docent alij apud *Megalam par.* 1. *lib.* 5. *cap.* 12. *num.* 20.

Dico secundò circumstantiæ peccatorum septem sunt, ad quas aliæ reduci possunt, quæ hoc versiculo continentur.

Quis, *Quid*, *Ubi*, *Quibus auxiliis*, *Cur*, *Quomodo*, *Quando.*

Prima est (*Quis*) scilicet qualis sit persona pœnitentis, quando peccatum commisit, undè si cum peccatum commisisti luxuriæ, votum habebas castitatis, debes id explicare, non verò requiritur, ut explices, quod erat solemne, vel simplex, sed sat est dicere, habebam votum castitatis, quia non differt specie votum simplex à solemni. Ideò Religiosus sufficit si dicat, habebam votum castitatis, absque eo quod dicat an esset simplex, vel solemne. Idem dico de Sacerdote, qui non tenetur dicere se habere sacros ordines, sed sufficit si dicat se habere votum castitatis; & contra illud toties peccasse: si fæmina, seu vir, si carnaliter se miscuit cum Sacerdote, vel cum religioso professo, satis est dicere in confessione se toties fornicatam esse, vel copulam habuit cum viro voto castitatis adstricto, *Sanchez lib.* 7. *de matrim. disp.* 27. *Lessius de justitia*, *& jure lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 5. sic monialis professa satisfacit confessioni, si dicat se fregisse votum castitatis, *Diana* 1. *tom. tract. de circumstantiis resol.* 3. *&* 4. *&* 2 *tom tract.* 4. *resol.* 7. *& Reverendus P., Gregorius Garrafa in* 1. 2. *S Thomæ q.* 7. *art.* 3. *n.* 27. ubi de circumstantiis doctè agit; quicquid dicat *P. Lugo d. disp.* 16. *sect.* 4. *à num.* 146. Novitius verò aut peccans cum novitio, vel novitia non tenetur explicare hanc circumstantiam, ut notarunt *Megala par.* 1. *lib.* 5. *cap.* 11. *Diana ubi supra resol.* 7. *Lugo* n. 150. quia non habent votum. Idem dicas de muliere rem habente cum clerico in minoribus, quia talis circumstantia non mutat speciem, Religiosus verò, qui intercedit apud Titiam, ut Caio consentiat ad peccandum, non tenetur in confessione explicare circumstantiam voti, latè *Lugo ubi supra n.* 151.

An verò si quis coram pluribus verba turpia loquutus sit, teneatur Confessario id explicare, & ab eodem sit interrogandus, coram quibus, & sic de qualitate personarum, quæstio est? Affirmat *Diana tom.* 2. *tract.* 4. *resol.* 114. quia affert *Bonacinam de Sacramentis*, *disp.* 5. *quæst.* 5. *sect.* 2. *punt.* 2. §. 3. *diffic.* 3. *num.* 21. & invehitur contra Confessarios, qui non interrogant tunc numerum personarum, quæ aderant, & rursus singulorum statum, & conditionem, ego tamen cum *Patre Lugo ubi supra* §. 3. puto contra *Dianam* dicendum esse, quia tunc malitia scandali est explicanda, quando nostro facto, aut verbo ponimus proximum in gravem difficultatem, & tentationem, cui difficile possit resistere, sed talia colloquia turpia non inducunt audientes in adeo gravem tentationem, cui non nisi difficillimè possent resistere, ergò non tenetur numerum, & qualitatem personarum explicare in confessione.

Infertur ergò ex his primo, quod si quis peccavit contra votum, quod juramento etiam confirmaverat, tenetur prædictam circumstantiam in confessione explicare, quia est duplex malitia, altera contra fidem Deo datam per votum, altera contra obligationem non adducendi Deum in testem falsum, ità *Sanchez lib.* 7. *de matrim. disp.* 27. *num.* 26. *Lugo disp.* 16. *sect.* 4. *num.* 169.

Infertur secundò, Religiosum, non obedientem suo prælato sub præcepto sanctæ obedientiæ, non peccare dupliciter, & consequenter non teneri hanc circumstantiam confiteri, quia non sunt duo peccata, unum contra religionem, & aliud contra obedientiam, ut contra multos tenent alij apud *Dianam de circumstantiis resol.* 16. quicquid dicant *Sanchez*, *Suarez*, & alij, quos sequitur *Lugo d. disp.* 16. *sect.* 4. *num.* 171.

Infertur tertiò, eum, qui copulam habuit cum fæmina, si erat frigidus, vel eunuchus, & accusat se de fornicatione, debet explicare circumstan-

tiam

tiam impotentiæ generandi, *Sanchez lib. 7. disput. 5. num. 14. Lessius, Henriquez*, & alij, quos refert *Lugo d. sect. 4. num. 175.* quidquid dubitare videatur *Filiuccius tom. 1. tract. 10. puncto 2. cap. 1. num. 23.* ratio est, quia illa circumstantia transfert peccatum ad aliam speciem, nempè contra naturam quatenus frustratur finis, ad quem natura destinavit copolam carnalem, cum nulla possit esse ibi spes, vel intentio generationis, & nota, quod tales personæ etiam si confiteantur peccata interna, debent in illis explicare talem cir. cumstantiam, nisi fortè fuerint desideria, quæ ab illa malitia præscinderent, ut si eunuchus, aut naturaliter impotens ex amore alicujus fæminæ desideraret potentiam, quæ illi deest, ut postet naturaliter cum illa peccare, nam hic actus internus non haberet pro objecto copulam contra naturam, sed naturalem, atque adeo careret malitia speciali, provenienti ex tali circumstantia, *Lugo disp. 16. sect. 6. num. 338.*

Infertur quarto, sponsum, vel sponsam de futuro copulam fornicariam cum alio committentes, non teneri explicare prædictam circumstantiam, quia non committunt adulterium, neque per consequens mutatur species, ergo talis circumstantia non est in confessione aperienda, *Covarr.* & alij apud *Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 2. Megala par. 1. lib. 5. cap. 11. q. 5. n 9. Pontius lib 11. de matrim. cap. 6. num. 8. Layman. lib. 5. tract. 10. par. 1. cap. 1. num. 6. Filiuccius tract. 3. cap. 2. n. 53. Lugo disp. 16. sect. 4. n. 177.* quidquid dicant alij apud *Dianam de circumstantiis resol. 5. & 2. tom. tract. 4. resol. 67.*

Infertur quinto Episcopum, vel Generalem alicujus Religionis, si peccat mortaliter non teneri explicare prædictam circumstantiam in confes. sione, ut contra *Fagundez præcepto 2. lib. 4. cap. 3. num. 7.* & alios docent communiter D D. apud *Lugo ubi supra num. 179.* & apud *Dianam resol. 6.* quia secluso scandalo non transit tale peccatum ad aliam speciem, licet illud aggravet ratione majoris obligationis, qua Prælatus debet procurare perfectionem. Idem dicas de Gubernatore, vel publicum magistratum gerente, qui si furetur, non tenetur prædictam circumstantiam sui, scilicet officij explicare, ratione cujus debebat furta in civitate impedire, *Diana ubi sup. resol. 36.* quia licet procurare debeat Gubernator ex justitia, ut furta non committantur in civitate, tamen si id non faciat, talis non est circumstantia mutans speciem, ut benè *Lugo disp. 16. sect. 4. n. 180.* Undè à fortiori colligitur, Sacerdotem aliquem percutientem non teneri explicare circumstantiam Sacerdotis, etiam si sit percussio cum effusione sanguinis *Lugo ubi sup n. 181.* sic etiam patet religiosum professum, qui votum emittit de non committenda mollitie, vel fornicatione, non teneri explicare hanc circumstantiam voti emissi post professionem: sic Sacerdos sacris initiatus ordinibus. Ratio est, quia votum solemne, & simplex, differunt tantum accidentaliter, & non tenetur quis utrumque exprimere, ergò non est circumstantia in confessione aperienda, *Filiuccius tract. 30. cap. 7. num. 26. Fagundez tract. 2. lib. 4. cap. 3. num. 11. Sanchez*, & alij apud eos. Ille verò, qui prima vice virginitatem amisit, non tenetur hanc sui floris circumstantiam in confessione explicare, quia licet per talem actum amiserit aureolam virginibus debitam, non tamen commisit peccatum, quod habet specialem malitiam, *Azorius par. 3. lib. 3. cap. 11. quæst. 1. Filiuccius tom. 1. tract. 29. cap. 3. n. 71.* contra *Nugnum in addit. ad 3. par. q. 9. art. 2. dub. 3. concl. 5.* Idem dic de eo, qui fornicatur prima vice cum virgine spontè, quia peccatum virginis si spontè consentiat, sive sit, sive non sit sub cura parentum, & tutorum, non est peccatum stupri, sed simplicis fornicationis, *Lessius de just. & jure. lib. 2. cap. 10. dub. 6. Coninck. de Sacram. disp. 7. dub. 4. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 4. n. 5.* & alij apud *Bonacinam de matrim. q. 4. punt. 17. num. 2. Lugo disp. 16. sect. 4. §. 7.*

Secundum est, quod ex hac circumstantia oritur dubium, an quis teneatur necessariò explicare circumstantiam copulæ consummatæ, an sufficiat dicere, commisi peccatum grave contra castitatem cum soluta? Putat *Turrianus de pœnitentia q. 9. art. 2. disp. 29. dub. 2 ad 5.* sufficere si dicatur commisi peccatum contra castitatem; sed communiter docent oppositum, scilicet esse necessariò explicandam copulam consummatam, ità post alios *Lugo disp. 16. sect. 5. num. 239.* Aliud oritur dubium an sit explicandum in confessione in peccato sodomiæ an quis fuerit agens, vel patiens, & dico non opus esse, ut id dicatur, sed sufficere si dicat peccavi sodomiæ, & sic facit pro illis pœnitentibus, qui haberent aliquam verecundiam confitendi se in actu sodomirico fuisse patientes, & sic probabilissimam esse opinionem, testatur *Diana par. 5 tract. 14 resol. 56 & par. 3. tract 4. resol. 159. Alphonsus de Leone de potestate Confess. par. 1. recoll. 9. num. 216. & 218.* quia utriusque peccatum pertinet ad eandem speciem peccati contra naturam; quicquid in contrarium dicat *Lugo disp. 16. de pænit sect. 5. §. 1. in fine:* sicut neque tenetur in confessione explicare pænitens circumstantiam, quando exercuit peccatum contra naturam, si fuerit cum mare, vel cum fæmina, nisi fæmina esset conjugata ratione injuriæ, quæ infertur marito, secus si non esset conjugata, monialis, vel voto castitatis adstricta, consanguinea, vel affinis, *Diana par. 5, tract. 14. resol. 56.*

Infertur etiam, quod si quis infamat aliquem dicendo falsum, vel verum, occultum tamen, non tenetur prædictam circumstantiam explicare, quia istæ duæ infamationes conveniunt in ratione formali, quæ est intentio auferendi alteri famam; undè satis est dicere toties infamavi proximum; sicut si quis pluribus infamiis proximum infamaverit, puta vocando eum sodomitam, adulterum, furem, &c. satisfacit, si dicat in confessione, toties contumelia affeci proximum meum, ità post alios *Diana de circumstantiis resol. 28. Faustus de pænit. lib. 4. quæst. 112.* idem *Diana par. 5. tract. 14. resol. 56.* qui etiam cum pluribus ait, quod si quis frangat jejunium comedendo carnes, satis est si dicat, fregi jejunium, quia ejusdem speciei sunt frangere jejunium comedendo carnes, ac frangere comedendo cibaria non prohibita: sic etiam asserit, quod si quis indignè administravit Sacramentum, non tenetur explicare an fuerit Sacramentum Baptismi, an Pænitentiæ, an Eucharistiæ, sed sufficit dicere, toties sacrilegium commisi in mala administratione Sacramentorum, quia illæ indignè administrationes Sacramentorum diversorum non differunt specie, sed opponuntur eidem virtuti religioni.

Infertur secundo, eum, qui commisit incestum cum matre, vel filia, aut sorore, non teneri explicare in confessione circumstantiam personæ, quia omnes gradus consanguinitatis, & affinitatis sunt ejusdem speciei in genere moris, ergò sufficit, ut ille, qui cum matre, filia, vel soro-

ſorore carnaliter peccavit; dicat, commiſi inceſtum ſemel, vel bis; non explicando perſonam, cum qua peccavit. & quamvis gravior ſit inceſtus cum matre, & filia, quàm cum ſorore, vel conſobrina; tamen quia iſta gravitas auget malitiam intra eandem ſpeciem, non eſt neceſſariò confitenda, *Diana de circumſtantiis reſol.* 31. *& par.* 5. *tract.* 14. *reſol.* 16. *Bartholomæus à S. Fauſto de pænit. lib.* 4. *q.*96. *Mancinus in appendice ad praxim viſitandi infirmos par.* 1. *dub.* 3. *℘. certè, juncto §. Si furtum erit reſervatum.*

Infertur tertiò, Dominum, qui famulum mancipium non corrigit, teneri hanc circumſtantiam explicare, quia eſt ſub dominio Domini, ſecus ſi non corrigit famulum ob ſalarium ſervientem, *Sancius in ſelectis diſp.* 6. *num.* 9.

Infertur quartò, quod ſi quis in actu venereo utatur mediis extraordinariis, & impudicis, non tenetur id in Confeſſione explicare, quia tales tactus ſolùm aggravant notabiliter, non tamen mutant ſpeciem, quod ſi in aliam ſpeciem tranſirent, tenetur id dicere, ut ſi v. g. quis ante fornicationem inciperet actum ſodomiticum, & poſteà in vaſe naturali ſeminaret, hoc enim caſu tenetur prædictam circumſtantiam explicare, *Diana par.* 5. *tract.* 14. *reſol.* 56. *in fine.*

Infertur quintò, quod ſi quis in uno actu violavit diverſa præcepta, puta ſi quis violavit jejunium debitum propter Quadrageſimam, & propter vigiliam alicujus Apoſtoli, vel omiſit Miſſam die Dominica, in qua erat feſtum de præcepto, ſufficit ſi dicat violavi jejunium, non audivi Miſſam, &c. quia ſunt duo præcepta ſub eadem ratione formali, & ſic unum peccatum eſt, nam diverſitas peccatorum, non deſumitur ex diverſitate præceptorum, & obligationum ejuſdem rationis, ut docent communiter DD. apud *Sanchez tom.* 3. *de matrim. lib.* 9. *diſp.* 15. *Lugo diſp.* 16 *ſect.* 5. *§.* 2. Ille verò, qui ex voto tenebatur jejunare, & ex præcepto, requiritur, ut id explicet, quia ſunt duo peccata, unum contra temperantiam, aliud contra religionem, ad quam votum obligabat; undè ait *Fagundez præcepto* 2. *lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 21. eum, qui furatur rem ſacram de loco ſacro, ſufficere ſi dicat in Confeſſione ſe furatum fuiſſe rem ſacram, nec opus eſt dicere de loco ſacro, quia utraque illa circumſtantia ſpectat ad eandem rationem formalem, & virtutem religionis.

Infertur ſextò, Religioſum peccantem cum Religioſa, & Conjugatum peccantem cum Conjugata, teneri explicare ſtatum utriuſque, quia fit duplex injuria in adulterio duabus perſonis, ſcilicet conjugibus utriuſque & duplex injuria fit Deo in copula utrinque ſacrilega, violando duas perſonas ſacras, & utraque ſpecie eſt diverſa, *Lugo* poſt alios *d. ſect.* 5. *§.* 2. *in fine.*

Infertur ſeptimò, eum, qui malum proximo deſideravit, non teneri explicare illud malum, quod deſideravit, *Valentia*, *Bonacina*, *Turrianus*, & alii apud *Dianam de circumſtan. aggrav. reſol.* 40. & apud *Lugo ubi ſup.* §. 3. quia omnia illa tendunt ad eundem finem, & in malum illius, quem odio proſequitur: ſicut neque qualitates contumeliarum teneor explicare, quando proximum infamavi diverſis contumeliis, puta vocando eum hæreticum, patriæ proditorem, &c. *Diana ubi ſupra reſol.* 28. quia omnes contumeliæ lædunt honorem, ſequitur *Lugo ubi ſupra num.* 265. qui etiam addit, quod ſi quis habeat complacentiam de peccato præterito, tenetur illud explicare, in qua ſcilicet ſpecie fuerit: ſi verò non ſit complacentia, ſed mera jactantia de peccato præterito, tunc ſecundùm probabiliorem opinionem non eſt explicanda in Confeſſione ſpecies peccati præteriti, ſed ſufficit ſi dicatur gloriatus ſum de peccato mortali, *Caſtrus Palaus* 1. *tom. tract.* 2. *diſp.* 2. *punt.* 11. *Diana* 2. *tom. tract.* 4. *reſol.* 161. *Lugo diſp.* 16. *ſect.* 5. *num.* 267. qui verò conſilium dat proximo ad peccandum, tenetur explicare circumſtantiam, & ſpeciem peccati, ad quam dedit conſilium, *Lugo ubi ſup. num.* 275. Qui verò diverſas committit blaſphemias, non opus eſt, ut explicet qualitatem blaſphemiæ, ſed ſatis eſt ſi ſe accuſet de blaſphemia in genere, quia ſunt omnes ejuſdem ſpeciei, niſi ſint blaſphemiæ hæreticales; quia iſtæ ſunt diverſæ ſpeciei, *Diana de circumſtantiis reſol.* 50. *Lugo diſp.* 16. *de pænit. ſect.* 5. *num.* 279. Blaſphemiæ contra B. Virginem ſpecie differunt ab eis, quæ dicuntur contra Sanctos, quia hiberdulia, qua colitur B. Virgo, ſpecie differt à Dulia, qua Sancti adorantur, latè *Lugo ubi ſup.* qui etiam peccatum hæreſim commiſit, ſufficit ſi confiteatur hæreſim, abſque eo quod explicet articulum negatum, quia omnes hæreſes conveniunt ſpecie poſt alios DD. apud *Lugo ubi ſupra n.* 289. *Diana ubi ſup. reſol.* 46.

Infertur octavò, odium contra parentes eſſe explicandum, quia tendit contra amorem parentibus debitum; immò etiam ſi filius deſideret malum patri, non quia pater, ſed ut ipſe filius majorem habeat facultatem, & libertatem peccandi, adhuc eſt explicanda circumſtantia prædicta, quia adhuc opponitur affectui amoris, quem patri debebat filius. Idem dicas de patre injuriante filios. Verùm eſt inter utroſque notabilis differentia, quia ſcil. percuſſio, quæ in filio erga patrem eſt gravis, in patre erga filium eſt levis, ob patris auctoritatem, *Lugo ubi ſup. de pænit. num.* 304. qui idem dicit de injuria erga avum, vel proavum à nepote, quia iſti conſiderantur, veluti patres, & filij. Idem dicas de injuriis à viris contra uxores, vel econtra. Inter fratres verò, vel ſorores requiritur malum, multò gravius, quàm inter patrem, & filium, quale malum eſſet fratricidium, aut vulneratio, vel vulneratio gravis, infamatio notabilis, depauperatio, &c. odium etiam, quo talia mala deſiderantur, non tamen videtur talis percuſſio, qua in rixa pugno percuteres fratrem, neque etiam detractio quælibet in re gravi, niſi maxima infamia ſequeretur, &c. undè neceſſitas illa patris, quæ obligat filium, nè ingrediatur religionem, non ſufficit reſpectu fratris, ſed requiritur major, ut docet *Sanchez in ſumm. lib.* 4. *cap.* 20. *num.* 29. *Bonacina diſp.* 6. *de præceptis Decalogi quæſt. uni cap, unt.* 5. *num.* 4. contra aliquos, qui dicunt etiam in gravi neceſſitate fratrum, vel ſororum non poſſe religionem ingredi. In peccatis verò contra alios cognatos, aut conſanguineos magis remotos, licet aggravet, & augeat malitiam talis circumſtantia, non tamen affert ſpeciem diverſam in confeſſione neceſſario explicandam, *Bonacina diſp.* 5. *de pænit. q.* 5. *ſect.* 2. *punt.* 2. *℘.* 3. *diffic.* 3, *num.* 15. *Lugo diſp.* 16. *ſect.* 6. n. 308. Neque eſt explicanda circumſtantia nobilitatis perſonæ, in quam peccatur, *Bonacina ubi ſup.* niſi eſſet perſona Principis, vel ſuperioris, contra quem committitur crimen læſæ Majeſtatis, *Lugo ubi ſupra*, *numer.* 309. qui addit, quod detractio famæ Sacerdotis, non habet ſpecialem malitiam, explicandam in confeſſione: eſt tamen rejiciendus, *Lugo ubi ſupra*, qui dicit injuriam fa-

ctam

factam contra insignem benefactorem, esse necessario in confessione explicandam tanquam mutantem speciem.

Infertur nono, affinitatem, & consanguinitatem non esse malitias specie diversas, & neque etiam differunt, sive affinitas oriatur ex matrimonio, sive ea copula illicita, *Sanchez lib. 7. disp. 67.* neque est dicendum necessario an peccatum sit commissum cum patre, vel cum avo, quia licet inter avum, & neptem sit prohibitum matrimonium, non tamen de jure naturæ, *Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 51. à nu. 15.* tamen ejusdem speciei peccatum est, sive sit commissum inter neptem, & avum, sive inter neptem, & patrem, & à fortiori non erit differentia specifica inter copulam cum avo, & cum proavo propter eamdem rationem, *Tugo loco cit. n. 315.* Neque differunt, specie peccatum cum matre, vel Noverca, item cum filia, vel filiastra, quia sunt ejusdem speciei; licet .n. gravius sit peccatum cum matre, quàm cum noverca, tamen ejusdem speciei sunt, sicut licet simonia alia sit prohibita de jure naturæ, alia vero de jure humano, & Ecclesiastico, tamen istæ sunt ejusdem speciei, *Suarez tom. 1. de religione lib. 4. de Simonia cap. 7 num. 13.* quia diversitas præceptorum quoad causas efficientes non variat speciem peccati; vivente vero patre tuo si peccas cum tua noverca ratione adulterij teneris id explicare, an scilicet pater tuus vivebat, sic peccare cum concubina patris viventis, & peccare cum ejus uxore, specie differunt, quia in secundo casu adest malitia adulterij ultrà incestum, in secundo casu solus incestus.

Si peccaveris cum tua sorore, non teneris dicere, an erat ex utroque latere, an ea tantum sibi conjuncta. Si peccasti cum tua filia, & cum tua nepte, satis est, si dicas bis peccavi cum descendenti in linea recta: si peccasti cum cognata cognatione legali in gradibus suis, tenetur dicere te commisisse incestum absque eo quod dicas an fuerit in cognatione legali, an carnali, *Lugo ubi sup. num. 328.* Si peccasti cum cognata cognatione spirituali debes talem cicumstantiam explicare in Confessione, *Lugo num. 333.* non teneris tamen dicere, an eras cum illa conjuncta cognatione spirituali, per Baptismum, an per confirmationem: si rem habuisti cum infideli per fornicationem; non teneris explicare, quod illa erit infidelis, DD. communiter apud *Dianam tract. 4. de Sacramentis, resol. 138.* quidquid dicat *Sanchez lib. 7. de matr. disp. 5. Lugo disp. 16. sect. 5. n. 336.* Si rem habuisti cum aliqua, cui mediante promissione ducendi eam in uxorem, vel occidendi maritum, aut tuam uxorem, promisisti eam ducere, & jam post talem promissionem factam per aliquod tempus cum eadem rem habuisti, non teneris in confessione explicare illam promissionem, tanquam augentem malitiam prædictæ copulæ, *Diana d. tract. 4. res. 140. Lugo ubi sup. n. 332.* Si peccasti cum hæretica, debes talem circunstantiam explicare secundùm aliquos, sed oppositum verius, ut à fortiori sup. diximus de peccante cum infideli.

Infertur decimò, Coitum sodomiticum inter masculos, consanguineos non continere malitiam incestus, quia nulla contrahitur affinitas, licet inter conjunctos prædictos gravior sit talis copula; & ideò in praxi poterit aliquis accusare de actu prædicto cum consanguineo, vel affine sine explicatione primi, vel secundi gradus, cum quibus habita fuit copula, *Diana* post alios, *par. 3. tract. 4. resol. 101.* quidquid dicat *Lugo d. disp. 16. sect. 6. à nu. 344.* Addit etiam *Diana ex Jacobo Grafsio*, impuberes commiscentes se cum consanguineis, vel affinibus non esse inclusos in casu reservato incestus, sic commiscentes se impuberes non comprehenduntur, sub casu reservato sodomiæ, *Bello chius de casibus reservatis par. 2. q. 1. num. 103. quæst. 17. num. 66. Diana par. 2. tract. 1. miscell. resol. 1.*

Infertur undecimò, Confessarium, qui carnaliter cognovit pœnitentem præcisa sacramentali confessione tanquam medio) non teneri deindè in Confessione dicere, quod illa, cum qua rem habuit, erat sua pænitens, ut contra *Fagundez, Sanchez*, & alios docent *Bonacina q. 4. de matrim. p. 16. n. 17. & disp. 5. Sacram. q. 5. sect. 2. pun. 2. & 3. num. 9. Pontius de impedimentis matrimonij causa 30. n. 24. §. 2. Sancius in selectis disp. 11. num. 50. Diana de circumstantiis resol. 12. & tract. 3. miscell. resol. 11. Lugo disp. 16. de pænit sect. 6. num. 35.* nam copula cum pœnitente non est incestus, neque est sacrilegium, modo Confessarius pænitentem non sollicitaverit in Confessione: Sacramentum enim pœnitentiæ non inducit propriè cognationem spiritualem, *cap. fin. in fine de cognatione spirituali in 6.* & licet *textus in cap. omnes. 30. q. 1.* vocet filios spirituales pœnitentes respectu Confessariorum, tamen est filiatio impropria, & metaphorica, & sic etiam procedit *textus in cap. non debet eadem causa 30. q. 1.* & idem dico de Confessario rem habente cum pœnitente masculo, ut post alios *Diana de circumstantiis resol. 56.* De eo verò peccato, quod commisit pœnitens cum Confessario, ait *S. Thom. in addit. ad 3 par. q. 20. ar. 2. ad 1.* quod ex pedit nè Confessario confiteatur; si verò absolveret, tenet absolutio: si tamen uterque ea toto corde est emendatus, nec periculum est reincidentiæ posset permitti, quod apud eundem confiteatur, qua de re *Lugo disp. 16. sect 6. num. 362.*

Infertur duodecimò, delectationem morosam de copula cum nupta, cum moniali, cum rapta, &c. non variari specie propter illas diversas personæ circumstantias, nisi circa illam circumstantiam formaliter delectatio versaretur, v. g. circa conjugatam, quia conjugata est, ità *Vasquez. 1. 2. disput. 111. & 112.* quia actus, qui interius consumatur, ut est delectatio, non habet malitiam ab objecto, sed ea oppositione, quam actus ipse habet cum virtute, v. g. delectatio de fornicatione cum virtute temperantiæ, & ità post *Vasquez* plures alij dicunt apud *Dianam de circumstantiis resol. 48. & tract. 3. miscell. resol. 34. & de Sacram. resol. 67.* sequitur *Castrus Palaus 1. tom. tract. 2. disp. 2. pun. 10. §. 4.* latè explicatur à *Lugo disp. 16. sect. 6. §. 4.*

Sic virgo, quæ morosè delectatur circa aliquem, non teneri in confessione aperire circumstantiam virginitatis, & dicere se cum esset virgo delectationem morosam de juvene, vel religioso habuisse, etiam si virgo se polluat cogitando circa illos: sic juvenis, qui morosè delectatur de virgine, sine tamen voluntate inferendi ei violentiam, sufficeret si dicat in confessione se delectationem habuisse circa fœminam solutam, idem dicas si cum virgine copulam habuit, quæ spontè consentit, quia sufficit dicere totias copulam habuisse cum fœmina soluta, quia cum virgo spontè consentit peccatum illud non est stuprum, nec differt a simplici fornicatione: sic à fortiori non est in confessione explicandum peccatum sodomiæ fuisse commissum cum virgine, sed sufficere si dicatur commissum fuisse cum

cum fæmina., nam per hnc peccatum non violaiut claustrum virginale ,*Bonacina de matr. q. 4. p. 11. n. 9.* sic quando virgo sula pulluitur, non tenetur exprimere circumstantiam virginitatis, quia licet pes illam pollutionam perdatus virginisas, prout est virtus, non tamen perditur, prout dicit integritatem singnaculi, *Filiucc. tom. 2: tract. 3. cap. 3. n. 74.*

Si verò petas an in Confessione sit explicanda circumstantia manifestativa complicis, si ex hoc nullum damnum sequatur complici praetes infamiam apud Confessarium.

Respondeo absque necessitate, vel causa non posse pœnirentem complicem manifestase, & tacenda est circumstantia, si persona complicis cognosceretur, communites DD. apnd *Dianam de circumstantiis resol. 49. & tract. 4. de Sacram. resol. 54.* quia esset integritas Confessionis formalis, neque est apud Cunfessarium persona complicis infamanda, quicquid dicant aliqui, sequitur *Lugo disp. 16. sect. 7.* qui tamen communiter asserunt, quod si pœnitens potest Confessionem facere, & absque saionabili causa manifestat complicem, peccat mortaliter contra justitiam, & tenetur complici famam rasti uere, quam restituet hoc mudo. Si post Confessionem dicat Confessario sub sigillo esravi, dùm tibi unum complicem pro alia dixi, quem errorem si potuerit Coufessario appaientibus rationibus persuadere, non mentitur, cum re vera arraverit, illud complicem, quem non debebat manifestando. Per accidens tamen excusabitur pænitens à tali restitntione, eo quod impossibilis, vel inutilis futura sit: verùm semper tenebitur pænitens resarcire omnia damna extrinseca, quæ ex tali manifestatione injusta complex patietnr, *Lugo ubi supr. sect, 7. num. 418.* Neque potest Confessarius obligare pænitentem ad manifestandum complicem, *Lugo* post alios *sect. 8.* qui plures distinguit casus.

Tertia est (*Ubi* (Ubi sen locus dat citcumstantism peccato, nt si quis sanguinis, vel seminis effusionem publicam, & notoriam committit in Ecclesia, quod si quis occultam pollutionem habeat in Ecclesia, non tenetut in confessione id explicare: ità *Vasquez 1. 2. tom. 1. q. 72. art. 7. disp. 98. n. 6. Basilius Pontius lib. 10, de matrim. cap. 10. num. 15.* quia solùm effusio seminis, vel sanguinis notoria, & publica locum infamat. Alij verò putant etiam in hoc casu esse explicandam talem circumstantiam, ità *Suarez de Religione tom. 1. lib. 3. cap. 7. n. 4. Sanchez de matrim. tom. 3. lib. 9. disp. 15. num. 11. Bonacina de matrim. q. 4. puncto ultimo num. 7. Lugo disp. 16. sect. 10. num. 463.* Sed ne tecedas à prima opinione, quia etiam DD. contrarij tenent, per solam pollutionem pnblicam, vel sanguinis effusionem pollui Ecclesiam, & indigere reconciliatione; & stante dicta secunda opinione conjngalis copula habita inter maritum, & uxorem in Ecclesia, est in confessione explicanda, si fiat ob humanam necessitatem, qnando coniux est per longum tempus in Ecclesia mansurus. Dicitus verò longum tempus secundum *Lessium lib. 4. de justit. cap. 3. dub. 12. num. 86.* tempus 15. vel 20. dierum. Secundum *Sanchez* verò *de matrim. tom. 3. lib. 9. disp. 15.* tempus unius mensis, secundum *Fagundez* verò *de praeceptis, precept. 2. lib. 4. cap. 4. n. 21.* tempns decem dierum, secundum *Suarez* verò *in 3. par. quæst. 83. art. 3. disp. 81. sect. 4. §. 3. & Petrum Ledesma de Sacram. Eucharist, cap. 2.* longum tempus est qnatuos, vel quinque dierum, quæ opinio est tutior, ut potè magis humanæ fragilitati consonans, undè consuluit *Megala in summa par. 1. lib. 50. cap. 13. num. 9.* non peccasse mortaliter mulierum, quæ in quadam Ecclesia Regularium reddidit conjugale debitum masito, dicenti se amplius non posse continere, qui ad Ecclesiam confugerat propter delictum, & nulla aderat spes, inde exeundi, nisi post longum tempus, quod si sequaris opinionem primam *Vasquez, & Basilij Pontij* copulam occultam non esse peculiare peccatum, ab omni scrupulo te liberabis, quia sequeris opinionem probabilem, licet contraria sit probabilios; cum quis verò habet copulam in oratorio alicujus domus, in quo de licentia Episcopi Missæ celebrantur non tenetur in confessione id explicare: idem copnla haberetur in porta Ecclesiæ à parte externa Ecclesiæ, vel in Monastesio in Cellis Religiosorum, etiamsi Superios Conventus singulis noctibus benedicat dosmitorium, & aspergat aqua lustrali, & ibi sit Altare ad celebrandum, quia reputatur tanquam oratorium privatum. Idem dic si copula habesetus in Sacristia Ecclesiæ, *Sanchez d. lib. 9. de matrim. disp. 15. nu. 29. Fagundez præcepto 2. lib. 4. cap. 4. n. 34. Megala par. 1. lib. 5. cap. 13. Diana de Sacram. resol. 166. Lugo disp. 16. sect. 10. in fine.*

Ex quibus à fostiori colligitus, tactus impudicos factos in Ecclesia, non habere specialem malitiam explicandam in confessione tanquam sacrilegia, sive tales tactus fiant inter pudenda; sive non, quia per eos non polluitur Ecclesia, DD. pluras apud *Lugo sect. 10. Diana de circumstantiis, resol. 25. Fagundez lib. 4. de secundo præcepto Ecclesiæ cap. 4. num. 31.*

Sanguinis effusio causata pes occisionem hominis, vel aliam percussionem, facit ut polluatur Ecclesia, & est circumstantia in confesione aperienda, DD. apnd *Lugo num, 468.* quando tamen est pnblica, nt dixi supra, Furans rem sacram de loco sacro, idem explicare tenetur, undè furans crumenam divitis in Ecclesia, non tenetur eam circumstantiam explicare in confessione. *Diana de circumstan. resol. 27. Lugo disp. 16. sect. 10. nu. 470.* sufficit vero si confiteatur furtum sacrilegum, non verò opus est, ut dicat, furasse rem sacram de loco sacro. Peccat mostalites peccato sacrilegij, qui confitetur, ut fusetur Cunfessario, & confessionem sumit ut medium furti, qnia injuriam gravem facit Sacramento; *Fagundez lib. 4. cap. 4. num. 11. Rebellius par. 1. lib. 3. cap. 1. num. 11.* secus verò si ex occasione data talem furtum committit in persona Confessarij, communiter DD. quos sequitur *Lugo nu. 472.*

Quarta est (*Quibus auxilijs*) alia circnmstantia est anxilium, & interventus aliorum hominum, quosum operam quæsivit ad finem malum; oportet enim explicare eam circnmstantiam, quia inductio alterius ad peccatum, vel cooperari peccato illius est peccatum specie diversum, à peccato, quod fieret in eadem materia à se ipsa: ergò debes explicare, se usum fuisse alterius opera ad tale peccatum, ad quod illum induxisti. Si verò multorum simul opera usus es, probabile fostasse erit explicare te plurium opera usum fuisse, quos induxisti ad hoc: nisi fortè peccata, quæ illi fecerunt differrent specie inter se, vel proptes diversam personarum conditionem, vel propter diversitatem actionum, quas exercuesnnt, vel nisi propres temporis distantism, aut interruptionem moralem inductiones illæ fuissent pluta numero peccata, ut latè *Lugo disp. 16. de pænit. sect. 11.*

Quinta

Quinta est (*Cur*) in hac circumstantia non est sermo de omnibus causis peccati, sed de causa finali, quæ causa finalis mover ex parte intellectus, & suggerit rationem, & motivum, quo respondere possimus interroganti, cur hoc fecerimus? qui ergò furatur propter fornicationem, debet utrumque explicare in confessione, ut contra *Sylvestrum*, *Megalam*, *Joannem de la Crux*, *Nugnum*, & alios docent *Bonacina de Sacram. disp.* 5. q. 5. *sect.* 2. *punt.* 2. *diffic.* 3. *num.* 25. Unum tamen adverte, quod hoc casu sufficerat si pænitens dicat furatus sum, & postea subjungat, habui intentionem mæchandi. Si verò quis in dia festo propter studium omittat sacrum, non est necessarium in tali casu confiteri circumstantiam studij; propter quod omissum fuit, sed tantum omissionem sacri quia talis circumstantia, nec in se mala est, nec mutat speciem peccati, nec illud notabiliter eggravat, ergo, &c. ità *Salas* 1. 2. *tract.* 13. *disp.* 2. *sect.* 7. & 8. *Vasquez* 2. 2. *disp.* 93. *cap.* 3. *Diana tom* 1. *de circumstant. aggrau. resol.* 23. & 62. quia tota malitia provenit à malitia omissionis sacri, ergo sufficit explicare omissionem sacri, *Lugo disp.* 16. *sect.* 11. *nu.* 477. si verò quis peccat ex motivo confidentiæ, quam habet de remissione à Deo obtiuenda, non tenetur prædictam circumstantiam confidentiæ axplicare in confessione, *Lugo ubi supra*.

Sexta est (*Quomodo*) ad hanc circumstantiam reducitur modus peccandi ex ignorantia; verùm si quis peccat ex ignorantia vincibili, non tenetur id explicare, sed sufficit dicere, peccavi, quia talis circumstantia non affert differentiam specificam, sive enim missam omittas scienter, sive ignorantes, iguorans, scilicet præceptum, cum tamen adverteres debitum inquirendi peccatum est ajusdem speciei, *Sanchez in summa lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 22. & 23.

Ad hanc eandem circumstantiam reducitur modus peccandi in copule conjugali, undè non peccat mortaliter vir habendo rem cum uxore, vel à latere, vel sedendo, vel præpostere, aut succumbente, nisi adsit periculum effundendi semen extra vas, quia talis abu sus est naturalis ordinis, tamen perversio in solis accidentalibus, dum vas legitimum servatur, *Sanchez de matrim. tom.* 3. *lib.* 9. *disp.* 16. *Diana de circumstantiis, resol* 35. Verùm interdum id fit etiam sine culpa veniali, quando scilicet non fieret gratia captandæ voluptatis, sed aliqua justa causa, scilicet propter pinguedinem viri, vel propter periculum, uè fætus suffocetur, tenetur tamen uxor reddere debitum; etiamsi vir cum culpe veniali id petat, scilicet cum variatione situs, *Sanchez*, & *Diana ubi supra*.

Ad hanc eandem circumstantiam reducitur modus peccandi ex conscientia erronea: si enim quia ex conscientia erronea fecit aliquod, nec tamen in sua cogitatione distinxit, an illa actio sit peccatum mortale, ac veniale, non tenetur talam circumstantiam conscientiæ erroneæ apetire in confessione, si postea invenit esse peccatum mortale id, quod fecit, ut contra *Vasquez Azorium*, & alios docent *Valentia tom.* 2. *disp.* 2. *q.* 14. *p.* 4. *Lugo disp.* 16. *sect.* 16. quia velle id, quod in genere solùm judicatur illicitum, non videtur esse gravis malitia, cum adhuc contineatur talis malitia intra limites ejus rationis, quæ est communis peccato mortali, & veniali, atque adeò est imperfecta in genere mali, ergo solùm erit peccatum veniale, & consequenter non est talis circumstantia necessario explicanda.

Ad hanc eandem circumstantiam reducitur si quis peccavit exponendo se periculo peccati, hoc autem casu, si inter periculum, & peccatum subsequens non intercedet talis, & tanta mora, quæ sufficiat ad distinguendum unum peccatum ab alio, non est necesse illam seorsim explicare, sed sufficit explicare peccatum principale, cujus se periculo exposuit *Diana* 1. *tom. de circumstantiis resol.* 44. *per totum*. Quod si quis peccavit cum famula, satisfacit de hoc se accusando, absque eo quod dicat se illam invitasse, *Diana par.* 5. *tract.* 13 *resol.* 5. si etiam peccavit peccato carnis gestando reliquias Sanctorum in collo, non teuetur hanc circumstantiam explicare in Confessione, *Sanchez in summa lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 28. *Fagundez lib.* 1. *cap.* 4. *nu.* 13. *Diana de Sacram. resol.* 67. licet non sit irreverentia specialis contra prædictas reliquias, non tamen est irreverentia, ità gravis, ut sit peccatum distinctum, posset tamen irreverentia adeò crescere, ut sit mortalis, putà si quis Sacerdos cerdos portans secum sacram Eucharistiam illud peccatum committeret, *Lugo ubi supra sect.* 12. *n.* 513. Si peccasti resistendo timul vehementissimæ inspirationi divinæ, non teneris prædictam circumstantiam explicare, *Lugo ubi supra*. Si peccasti habens consuetudinem peccandi, non teneris necessariò eam explicare in Confessione, ut contra *Fagundez lib.* 4. *de secundo præcepto cap.* 4. *n.* 7. *Henriquez*, & alios apud *Dianam resol.* 15. tenet *Diana*, *Bonacina*, & alij apud eum, quos sequitur *Lugo disp.* 16. *sect.* 4. §. 7. qui ergo ex inveterata consuetudine hodie fornicatur, satisfacit dicendo solum peccatum, quod hodie commisit absque eo quod dicit prædictam consuetudinem, quia peccata præterita non addunt peccato hodierno aliquam circumstantiam novam, specie diversam. Si verò pœnitens interrogatur à Confessario de consuetudine, tunc docent communiter DD. quod teneatur confiteri eam, ità plures apud *Dianam ubi sup resol.* 55. & apud *Lugo disp.* 14. *sect.* 10. immò potest Confessarius etiam per mensem plus, vel minus secundùm prudentiam differre absolutionem afferis peccato, *Suarez in* 3. *par. tom.* 4. *disp.* 32. *sect.* 2. & *de religione tom.* 20. *lib.* 3. *cap.* 8. Sed *Ioannes Sancius in selectis disp.* 9. *num.* 9. putat Confessarium non habere jus ad interrogandum de consuetudina paccandi, quia non habet jus, ut bis eadem peccata confiteatur quis, nec habeat jus afficiendi pænitentem pudore, & dedecore consuetudine peccati cognita, sed debet pænitens statim absolvi, si verè dolorem habeat de præteritis, & in posterum vitæ emendationem firmiter proponat.

Immò putat *Sanc.* quod si pœnitens probabiliter credat, Confessarium non impensurum illi absolutionem, si fateretur consuetudinem peccandi, posset æquivocatione utendo, negare consuetudinem peccandi, ut fiat sensus consuetudine careo peccandi non absolutè, sed ad confitendum mihi, de præsenti: sicut idem dicimus de occasione proxima inevitabili, tamen sine magno incommodo, & scandalo, uam in tali casu posset pœnitens uti æquivocatione, licet à Confessario de tali occasione interrogetur, nam posito verò proposito, ut supponimus emendationis habet pænitens jus ad absolutionem, & ut Confessarius rectè suo fungatur officio, nihil conducit scire, sit nè pœnitens in occasione, vel non, dato quod illam vitare non potest, eò quod sivè cognoscat Confessarius occasionem, sive non, tenetur Confessarius absolutionem

 dare,

dare, undè contrà *Azor. tom. 1. lib. 11. c. 3. q. 4.* colligitur, non esse denegandam absolutionem habenti consuetudinem jurandi & contra *Ledesm. in sum. tom. 2. tract. 1. c. 3.* post septimam conclusionem non est denegandam absolutionem ignoranti doctrinam Christianam, licèt sæpè admonitus non didicerit, dummodò pæniteat de præterito, & proponat de futuro, *Diana d. resol.* 55.

Ultima circumstantia est (*Quando*) circa quam est communis quæstio, an circumstantia temporis sit necessariò explicanda in peccato: affirmant plures, negant alij communiter *Abulens. in Exod. c. 209. q. 11. & 12.* & alij plures, quos sequitur *Lugo disp. 16. sect. 12. n. 515. & Diana de circumstan. resol.* 32. quia non addit talis dies malitiam mutantem speciem, limitant aliqui, quando fieret peccatum in die Veneris Sancti, vel si eodem die, quo accepit Eucharistiam, contra quos tamen dicas tu, nullum esse peccatum distinctum in quocumque die id fiat, ut benè *Lugo & Diana.*

Tandem adverte, quod si quis dixit peccatum in Confessione, oblitus alicujus circumstantiæ, si posteà circumstantiam recordetur, potest separatim confiteri in alia Confessione, absque eo quod confiteatur peccatum, v. g. si quis juravit se Clericum non percutere, aut jejunare in vigiliis, si posteà Clericum percutiat, aut jejunium in vigiliis perfregit, & in Confessione solùm expressit, se Clericum percussisse nullam habens juramenti memoriam, satisfaciet in alia Confessione dicendo, se licitum juramentum perfregisse, idem dic de voto *Suarez 3. par. tom. 4. disp. 22. sect. 2. n. 8. Coninck. disp. 7. dub. 7. n. 6. Reginal. tom. 1. lib. 6. c. 4. n. 141. Filiucc. tom. 1. tract. 7. c. 5. n. 8. Diana de circumstant. resol.* 45. similiter qui furatus est calicem, sed in confessione ex oblivione dixit se furtum commisisse, non expressa circumstantia calicis, dicens hic in secunda Confessione satisfaciet se mortale sacrilegium commisisse, *Lugo disp. 16. sect. 16.* Quod si aliquis Confessarius ex negligentia culpabili non interrogavit pœnitentem de circumstantia necessaria ad Confessionem, non tenetur monere pœnitentem de defectu commisso, sed tantùm ad dolorem de peccato facto, nisi tamen talis circumstantia esset conjuncta cum damno tertij, ut quia pænitens retinebat alienum, nam tunc tenetur Sacerdos eum revocare, & admonere, quando possitivè contrarium dixisset, nempè eum non teneri ad restitutionem, quando verò solum tacuisset, non tenetur *Filiucc. tom. 1. tract. 3. cap. 12. quæst. 7. n. 374. & in instructione pro confessionibus excipiendis cap. 4.* qui etiam ait, quod si invalidè, puta quia non habebat intentionem, vel jurisdictionem aliquam absolvit, tenetur eum monere, petendo ab eo prius licentiam, sequitur *Diana tract. 1. miscell. resol. 7.*

Rogabis quando nam confessio peccatorum reiteranda sit?

Respondetur ex necessitate reiterandam esse, primo quando deficit dolor, vel propositum requisitum in prima confessione, *Lugo disp. 14. sect. 6. & 7.* secundò quando Confessio fuit facta ex malo fine, *Lugo disp. 15. sect. 9.* tertiò, quando defuit absolutio sacramentalis, vel intentio in Confessario, vel in ipso pœnitente, vel si Confessarius non habebat jurisdictionem necessariam; quo casu si Confessarius habebat jurisdictionem solum quoad aliqua, quoad alia verò, quia reservata erant, non habebat jurisdictionem; tunc si Confessio bona fide facta est, non erit repetenda quoad pccata non reservata, quia ab illis jam absolutus est pænitens directè à legitimo judice, erit tamen repetenda quoad sola non reservata, à quibus non fuit absolutus directè, quia utile per inutile non vitiatur, *Navarr. in sum. cap. 6. Sylvester in verb. Confessor il 3. §. 1. Tabiena in verb. Confessionum 23. Armilla ibid. sess.* 12. Ad hunc casum reducitur quando Confessarius habebat jurisdictionem impeditam per excommunicationem, vel censuram, provenientem ex percussione publica Clerici, vel nominatim declarata, quartò quando pœnitens in præcedentibus tacuit aliquod peccatum mortale mala fide; si verò quis ante decem annos, v. g. tacuit aliquod peccatum mortale culpabiliter, & posteà in aliis Confessionibus intermediis non est recordatus, tunc quando Confessarius invenit vitium illius Confessionis præteritæ, non debet obligare ad repetendas præteritas Confessiones intermedias bona fide factas, sed solum illam, in qua fuit ille defectus, cum aliæ omnes potuerint validæ, & fructuosæ esse, dùm illius sacrilegij non recordabatur, *Lugo disp. 16. sect. 15. cum seq.*

In §. Quod autem.

AGitur in hoc §. de Ministro hujus Sacramenti Pænitentiæ. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò solum Sacerdotem esse ministrum hujus Sacramenti, *Trid. sess. 14. cap. 6.* ubi potestas remittendi peccata Sacerdotibus fuit data, & colligitur ex *Joan. 20. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,* communiter Theologi apud *Lugo disp. 18. sect. 1.* & in eod. *Trid. sess. 14. can. 7.* definitur non sufficere potestatem ordinis, sed requiri etiam potestatem jurisdictionis ad absolutionis valorem, de quibus duabus potestatibus latè ait *Lugo disp. 15. sect. 2.* Quod si apud antiquos auctores invenies, Confessionem fieri posse cum laico, intelligendi sunt non de Confessione sacramentali, sed ad humiliationem facta, & ità loquitur *Magister in 4. dist. 17. cap. 4. S. Thom. quæst. 3. art. 3. quæstiunc. 2. in solutione ad 1. & S. Cyprian. lib. 3. epist. epist. 17.* cum dicit absente Sacerdote reconciliandum esse infirmum per Diaconum: loquitur de reconciliatione externa, quæ præcedebat, ut publicus peccator posset admitti ad Eucharistiam, quam posset illi dare Diaconus, visa ejus contritione, admittendo ad reconciliationem. Et ad illud *B. Jacobi 5. Confitemini alterutrum peccata vestra,* etiam eodem modo respondeo, intelligi scilicet de confessione facta humiliationis gratia, non verò de confessione sacramentali, vel si velimus ea referre ad confessionem sacramentalem, sunt intelligenda, & referenda ad Sacerdotes approbatos *Coninch. disp. 8. de pænit. dub. 1. Sotus in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 1.*

In articulo mortis potest laicus absolvere à censuris, & sic ab excommunicatione *glos. in cap. à nobis il 2. in verb. non potuerit de sent. excommun. & in cap. pastoralis, §. præterea, verb. præter quam in morte de offic. Ordinarii, Sylvester in verb. Absolutio il 1. n. 8. Armill. Tabiena, Abbas, Avila, uterque Ledesma, Joannes Valerus, Joannes de la Cruz, Sancius,* & alij, quos sequitur *Diana de Sacram. resol. 133. contra Suarez, Sotum, Sanchez, Vasquez, Coninch. Layman.* & alios apud *Dianam*, quos refert.

fert, & sequitur *Lugo disp. 18. sect. 1. num. 7.* Ratio nostra est, quia in eo necessitatis articulo Ecclesia pia mater omnibus Sacerdotibus, quibus poterat, facultatem concedit absolvendi ab omnibus peccatis, etiam hæreticis, & scismaticis, ergo propter eandem rationem, & necessitatem credibile est, dedisse eandem potestatem laicis in ordine ad excommunicationem, cum id facere poterit, idem *Dian. par. 5. tract. 3. resol. 77. Philibertus Marchinus de bello divino, seu de peste, par. 3. c. 12. n. 3.* & talis absolutio à censuris operabitur hunc effectum, ut scil. non careat Ecclesiastica sepultura.

Sciendum secundò est, quod in Sacerdote adest duplex clavis, scil. ordinis, & jurisdictionis, clavis ordinis, consistit in charactere, quæ clavis non sufficit ad peccata remittenda, sed addi debet clavis jurisdictionis, quæ potestas clavium confertur quando dicit Episcopus Sacerdoti: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, &c.* & ideò Sacerdos, cui id non dixit Episcopus, non potest absolvere à peccatis, *S. Thom. in addit. ad 3. par. q. 8. art. 3. Coninch. & Lugo ubi supra.* Undè non omnis Sacerdos potest absolvere, sed ille, cui collata est jurisdictio in actu ab Episcopo *Trid. sess. 14. cap. 7.* Verùm in articulo mortis Sacerdos omnis, etiam excommunicatus, hæreticus, vel degradatus, potest absolvere: cum indistinctè eam facultatem concedat pro tali casu Summus Pontifex *in cap. ea nos. citur de sent. excomm. & in Trid. loc. cit.* nomine autem articuli mortis intelligunt communiter DD. omne probabile mortis periculum, canones etiam articulum mortis vocant omne mortis periculum, *cap. eos, qui de sent. excomm.* Undè existentes in periculo mortis possunt absolvi à quocumque Sacerdote ab omnibus casibus, *Merolla 2. tom. disp. 4. c. 6 Coroll. 3. n. 92. Diana par. 5. tract. 3. resol. 61.* tales sunt damnati ad mortem. Remiges quando sunt aggressuri longam navigationem sunt in articulo mortis post *Sanchez, & Suarez* ità tenet *Diana par. 5. tract. 3. resol. 62.* Mulieres prægnantes, quæ primo loco pariunt, vel quæ alias, sed cum magnis difficultatibus sunt, veluti positæ in articulo mortis possunt ab omni Sacerdote absolvi, etiam quoad reservata post alios *Diana par. 3. tract. 4. resol. 71. & sequenti, & par. 5. tract. 3. resol. 63 Bellochius in tract. de casibus reservatis par. 1. q 2. n. 129.* Bannitus, qui potest impunè occidi est in periculo mortis, itaut possit absolvi, ut moribundus & sic potest ab omnibus peccatis absolvi per quemcumque Confessarium, quia ubique, & semper versatur in periculo mortis, *Naldus in summa, in verb. absolutio à censur. n. 54. Bellochius ubi sup. q. 2. num. 133. Diana loc. cit. resol. 64. Lugo disp. 18. sect. 2. num. 20.* Colligitur ex *cap. Pastoralis de offic. Ordinarij, & ex Trid. sess. 14. c. 7.* etiamsi sit Sacerdos prædictus excommunicatus nominatim, vel publicus Clerici percussor, hæreticus, vel scismaticus, DD. communiter apud *Dianam par. 4. tract. 4. resol. 235. & par. 5. tract. 3. resol. 57.* imò à Sacerdote excommunicato, hæretico, &c. potest moribundus petere absolutionem etiamsi sciat supradictos cum peccato Sacramentum administraturos, post alios *Diana par. 5. tract. 3. resol. 58.* immò si simplex Sacerdos cæpit audire Confessionem moribundi, si accedat Confessarius approbatus, non tenetur desistere ab auditione: immò si incipiat audire in periculo extremo, & dùm confitetur cessat periculum, adhuc potest eum absolvere, licet veniat interim approbatus Confessarius, quia sufficit inceptam fuisse Confessionem tempore præsumpto, *Marchinus de peste par. 3. cap. 3. Sancius disp. 44. num. 6. Diana par. 5. tract. 3. resol. 66.*

Potest etiam simplex Sacerdos à peccatis venialibus, vel mortalibus alias confessis, etiam præciso periculo mortis aliquem absolvere ex consuetudine Ecclesiæ, quod si quis accedat ad simplicem Sacerdotem habens venialia, & mortalia, & confiteatur solùm de venialibus, oblitus de mortalibus, remanet absolutus etiam à mortalibus, etiamsi Confessarius sit simplex Sacerdos, sed debet posteà hoc peccatum cum legitimo Confessario confiteri, ità *Henriquez de pænit. lib. 2 cap. 14. in glossa lit. F.* ibi; at si quis, licet in *textu num. 20.* si benè ponderetur, oppositum dicat *Suarez de pænit. disp. 26. sect. 6. num. 8. & 7. & disp. 31. sect. 3. Diana par. 5. tract. 14. resol. 56. in fin.*

Sciendum est tertiò, quod præsentibus duobus Sacerdotibus, quorum unus sit approbatus, alius simplex, si sit quis in periculo probabili mortis, non potest simplex eum absolvere, quia non dicitur hoc casu in extrema necessitate, cum adsit alius, ut contra plures docet communis opinio, de qua *Lugo disp 18 sect. 2. num 23.* Verùm dicunt communiter DD. quod hoc casu potest licitè, & validè absolvi talis pænitens à prædicto Confessario simplici Sacerdote, licet adsit alius, quia est in periculo mortis. DD. communiter, quos refert, & sequitur *Diana in tract. de absol. ab hæresi resol. 5. & tom. 3. tract. 4. miscell. resol. 16. Lugo disp. 18. sect. 2. à num. 23.* Præsente verò Sacerdote excommunicato vitando, aut suspenso, & simplici Sacerdote poterit simplex Sacerdos absolvere, *Sanchez in summa lib. 2. cap. 13. num. 10.* quia Sacerdos vitandus arcetur ab Ecclesia, & hoc ministerio privatur, excepto casu necessitatis.

Tandem nota, quod absolutus in casu necessitatis à simplici Sacerdote, intelligitur absolutus directè, non indirectè, itaut pœnitens elapso tali casu non teneatur iterum talia peccata confiteri, licèt reservata, cum ab illis fuerit directè absolutus: intellige de his peccatis, quæ non habent annexam censuram, nam illa, quæ habent annexam censuram, pænitens absolutus à simplici Sacerdote, alias non habente potestatem absolvendi à censuris, tenetur elapso mortis periculo, præsentare se coram Superiore, non ut iterum ab eo absolvatur, sed ut ostendat se esse absolutum, obedientem, & paratum ad majorem pænitentiam suscipiendam: alioquin, si coram Superiore se præsentare neglexerit, incidit in easdem censuras, *cap. eos qui de sent. excommunic. in 6. Bonacina de censuris extra Bullam Cænæ disp. 3. quæst. 3. p. 23. Barb. de potestate Episcopi alleg. 25. num. 60. & in collect. tom 4. in d. cap. eos,* & ideò debet Confessarius admonere pænitentem, quem absolvit in periculo mortis, vel elapso tali periculo ad Superiorem redeat oblata opportunitate, *Diana par. 5. tract. 3. resol. 66. in fine.* Quandò verò simplex Sacerdos in articulo mortis absolvit moribundum ab excommunicatione majori, caveat nè absolvat, nisi præmissa satisfactione, si forsan ea fieri debeat, juxtà *Clem. 1. de hæreticis,* quod si commodè fieri non potest, absolvat cum debita cautione, *Glossa in d. Clem. §. verum,* quæ cautio fieri debet per fidejussores, vel cum pignore, si eam potest dare, sin minus dat eam quam potest dare, saltem videlicet juratoriam, si verò articulus necessitatis urget, nihilque horum fieri potest, absolvat, cum ad impossibile nemo teneatur, *l. impossibile de reg. jur.* quod si Confessarius oblivis-

oblivisicatur eam petere cautionem, valebit absolutio, debet tamen imponi onus se præsentandi superiori, ut diximus sub juramento; ait *Sanchez in summa lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 26. Intellige solum ab excommunicatione percussionis Clerici, de qua loquitur *tex. in cap. quamvis, & cap. ea noscitur de sent. excommunic.* in aliis verò non requiritur juramentum, quia illa iura de illa solum loquuntur excommunicatione, *Diana par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 67.

Quæ requirantur in Ministro Sacramenti Pænitentiæ.

REquiritur primò in Ministro ad validam Sacramenti administrationem potestas ordinis, & jurisdictionis, etiam si sit talis potestas in ministro improbo, quia non amittitur propter mortale *Trident. sess.* 14. *can.* 10. *Suarez disp.* 24. *sect.* 1. & ideo confessio facta cum Sacerdote non approbato est invalida. Probabiliter tamen credo cum *Ludovico Bea par.* 3. *casu* 20. cum qui est captus ab hostibus, dum est apud hostes posse confiteri simplici Sacerdoti, dum caret probabili, spe habendi proprium Confessarium.

Est autem jurisdictio in ministro duplex: alia ordinaria, qualis est illa, quam habet quis ex officio suo, ut Summus Pontifex respectu totius christianitatis, Episcopus in Diœcesi, & Parochus in Parochia, durante beneficio, quo deinde relicto indiget approbatione ad confessiones audiendas, *Lugo disp.* 21. *sect.* 1. *n.* 5. Minister Episcopi ordinarius, à quo possit Episcopi absolvi dicunt alij, quod sit Archiepiscopus: alij quod sit Patriarcha: verius est quod in hoc foro poli subsunt immediatè Episcopi Summo Pontifici, *Suarez disp.* 25. *sect.* 2. *num.* 10. *Vasq.* 3. *par. q.* 92. *dub* 4. *n.* 2. *Lugo disp.* 29 *sect.* 1. *n.* 2. & Archiepiscopus dum actu visitat Diœcesim, habet jurisdictionem ordinariam absolvendi non solum suos proprios subditos, sed etiam eos, qui subjiciuntur Episcopi suffraganeis, ut colligitur ex *cap. ult. de censib. in* 6. *Lugo disput* 19. *sect.* 1. Episcopi possunt sibi eligere Confessarium de jure communi, quia difficile eis esset semper ad Papam recurrere, *cap. ult. de pænit. & remiss.* qua facultate possunt etiam uti dum versantur in curia Pontificis, quia concessio est generalis, & nomine Prælatorom, de quibus ibi, veniunt alij superiores exempti, quales sunt Abbates exempti, & immediatè Pontifici, & alij similem habentes jurisdictionem quasi Episcopalem. Eodem privilegio gaudent Prælati Regulares, præsertim Provinciales, & Generales DD. communiter, quos refert, & sequitur *Diana tom.* 2. *tract.* 2. *de dub reg. resol.* 1. *& tom.* 3. *tract.* 4. *Miscell. resol* 1. Cardinales, qui Episcopi non sunt, possunt eligere sibi Confessarium ea consuetudine: immo, & dare facultatem suæ familiæ eligendi Confessarium, *Suarez de pænit. disp.* 27: *sect.* 2. *q.* 6. *& disp.* 25. *sect.* 2. *num.* 11. *&* 12. *Lugo disp.* 19. *sect.* 1.

Parochorum immediatus Pastor est Episcopus, vel qui habet munus quasi Episcopale, ex consuetudine tamen eligunt sibi Confessariom, approbatum ab Episcopo. Vagi, qui non habent certum domicilium confiteri debent coram parocho, sub quo actu reperiuntur. Qui habent domicilium in duplici Parochia, possunt in utraque Sacramenta recipere, vel certè in illa, in qua tunc inveniuntur, sicut scholastici, milites, mercatores, & similes possunt illi Parocho confiteri, apud quem habitant. Parochus, vel Episcopos extra diœcesim potest absolvere suum subditum quia hæc jurisdictio non est contentiosa, sed voluntaria. Idem dicas de habente jurisdictionem delegatam, quam potest delegatus exercere circa subditos delegantis ubicumque eos inveniat, dummodo delegationis formula non limitet jurisdictionem ad talem locum, vel diœcesim, prout alicubi fit *Suarez disp.* 25. *sect.* 1. *num.* 17. *Lugo disp.* 19. *sect.* 1. *n.* 8. ponitur enim in pagella, quæ datur Confessario clausula illa (in Diœcesi tantum)

Minister delegatus ad confessiones audiendas est, qui facultatem habet ab habente jurisdictionem ordinariam, qualem habent Sacerdotes deputati ad confessiones audiendas, quibus non competit jus ad confessiones audiendas, nisi ex deputatione, & delegatione, possunt verò prædictam jurisdictionem delegare omnes illi, qui illam habent ordinariam, undè Papa, Episcopus, & Parochus possunt eam delegare, Papa pro omnibus christianis, Episcopus, & Parochus pro suis ovibus. Possunt etiam Vicarii Episcoporum; quod si Episcopus det alicui prælato regulari facultatem absolvendi sæculares à casibus sibi reservatis, poterit ipse occurrente necessitate illam facultatem communicare suis subditis, *Diana* 1. *tom. tract.* 3. *miscell. resol.* 53. dummodo non concedatur nisi ad illum casum. Sufficienter censetur approbatus Confessarius, si facultatem obtineat ab Episcopo administrandi omnia Sacramenta, vel exercendi curam animarum, quia sub tali approbatione omnia comprehenduntur argumento, *cap si Romanorum* 17. *dist.* Verùm vigore talis approbationis non posset absolvere à talibus reservatis, quia in generali concessione non veniunt ea, quæ non esset quis in specie concessurus, *cap. si Episcopus de pænit. & remiss. in* 6. *Suarez de pænit. disp.* 17. *sect.* 4.

Aliqui putant, quos merito impugnat *Fagundez de præcept. præcept.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *numer.* 43. posse Parochum dare licentiam simplici Sacerdoti ad audiendas confessiones suorum Parochianorum, seu subditorum, & sanè id multi affirmant de Sacerdote semel approbato à proprio Episcopo, vel ab alio, unde *Joannes de la Crux de pænit. par.* 2. *q.* 5. *dub.* 6. *concl.* 3. *Henriquez lib* 7. *de pænit cap.* 12. *num.* 4. *Coninch. de pænit disp.* 8. *dub.* 7. *num* 57. docent posse Sacerdotem approbatum in Diæcesi Capuana à Parocho assumi, ut eum adjuvet in audiendis confessionibus in Diæcesi nostra Neapolitana sine nova approbatione Archiepiscopi Neapolitani. Intellige hoc nisi esset aliqua Synodalis prohibitio, sequitur *Sanc. in selectis disp.* 98. *num.* 52. sequitur *Lugo disp.* 21. *sect.* 1. *n.* 8. *in fine*, *Diana par.* 5. *tract.* 12. *resol.* 47. qui etiam cum aliis docet, posse Parochum in nonnullis casibus, ut si nimirum sit fatigatus in hæbdomada sancta, vel tempore jubilei, in quo concurrunt plures coofessiones, approbare Sacerdotem doctum, si non sit facilis recursus ad Episcopum longè distantem.

Si quis habeat licentiam absolvendi, sed ignorat an habeat, puta si quis putat se non habere jurisdictionem, sed re vera habet, non absolvit, quia non videtur habere intentionem validè absolvendi, latè *Lugo disp.* 19. *sect.* 2. *à num.* 17. *Coninch. d. disp.* 8. *de pænit. dub.* 50. *num.* 33 *Sanchez lib.* 3. *de matrim disp.* 36. *num.* 33. si habuerit licentiam à superiore, sed non sit illa adhùc in scriptis redacta, poterit Confessarius pænitentem absolvere antequam ab Episcopo, vel

Vicario

Vicario reducatur in scriptis, *Diana par. 5. tract. 14. resolut. 41.*

Episcopus si videat Sacerdotem simplicem confessionem audire, & ratam habet absolutionem signo aliquo externo, censetur approbasse eum pro eo tempore, quo id permittit, *Sanchez lib. 3. disput. 35. Coninch. d. disput 8. dub. 5. concl. 2. Lugo disp. 19. sect. 2.* non tamen sufficit sola Episcopi taciturnitas, nam posset credere Episcopus, illum habere facultatem, sed requiritur aliquod signum externum, ex quo colligatur, superiorem ratam habere absolutionem, D D. citati.

Qui habet jurisdictionem delegatam, si cœpit confessionem audire, si interim expiret dùm audit confessionem, potest eam finire, *Sanchez in summa lib. 2. cap. 13. num. 15. Diana 1. tom. de Bulla cruciatæ resol. 94.* quia res non est integra, *cap. gratum, & cap. relatum de offic. delegati.* Revocatio licentiæ confitendi facta Sacerdoti sæculari sine causa est nulla, possunt enim etiam sine causa semel approbati iterum vocari ad examen, sed sine causa non possunt reprobari, post alios *Diana par. 5. tract. 14. resol. 21. & par. 4. tract. 4. resol. 200. & par. 3. tract. 2. resol. 22.* approbari debet Confessarius ab Episcopo ipsiusmet Confessarij non pœnitentis, *Coninch. disp. 8. dub. 7. n. 5.* quia approbatio est actus jurisdictionis, qui exercetur in subditum, ergò ab Episcopo est approbandus Confessarius, cui subditus est Confessarius, qui approbatur: fit verò sacerdos subditus Episcopi aut ratione domicilij, seu habitationis, aut ratione alicujus ministerij, ad quod ab Episcopo assumitur, sequitur *Lugo disput. 21. sect. 1.*

Si confiteatur Confessario, de quo dubitatur an habeat jurisdictionem, quia quidam affirmant; alij negant, puta quia est in aliena Diœcesi, approbatus, & expositus à Parocho hic ad audiendas confessiones, validè, & licitè confiteris, *Sanchez lib. 1. summæ cap. 9. num. 35. Diana de opinione probabili resol. 2. Castrus Palaus 1. tom. disp. 2. punto 5. num. 9. Sancius disp. 94. num. 24. Lugo disp. 19. sect. 2. num. 19.* idem *Diana par. 5. tract. ult. resol. 111. per totam.*

Jurisdictio delegata ad confessiones audiendas non expirat morte concedentis, *Suarez de pænit. disp. 28. sect. 3 Sanchez lib 8. de matrim. disp. 28. Lugo disp. 19. sect. 2.* quia ista pertinet ad gratiam, non ad justitiam, ergo non expirat morte concedentis: mortuo verò Episcopo, successor Episcopus potest revocare omnes licentias etiam Regularibus audiendi confessiones, & denuo illos examinare, *Riccius in praxi tom. 4. resol. 70. num. 50. Fagundez præcepto 2. lib. 7. cap. 2. Campanilis in diversorio juris canonici rubrica 12. cap. 13. num. 70.* qui dicunt, sic declarasse Pium V. & addunt idem non posse fieri à capitulo sede vacante, ut ex particulari privilegio Clementis IV. docet *Miranda in manuali Prælatorum tom. 1. quæst. 45. Fagundez præcepto 2. lib. 7. cap. 2. num. 30.* qui docet, quod si novus Episcopus revocet omnes licentias, & approbationes, audiendi confessiones, non comprehenduntur regulares, quando de illis specialiter non reperitur dictum, quia in odiosis non comprehenduntur regulares, & sequitur *Henriquez lib. 3. cap. 6. num. 6.* immò poterit Episcopus limitare, licentiam religiosis, ut scilicet absolvere possint tantùm homines, non fœminas, ut benè *Fagundez præcepto 2. lib. 7. cap. 2. num. 1.* contra *Villalobos in summa tom. 1. tract. 9. resol. 53.* qui contrarium probat, scilicet id non posse fieri cum regularibus: sicut enim id potest cum sæcularibus fieri, ità cum regularibus. Verùm nota, quod si habeam privilegium eligendi, quem volo Confessarium ex approbatis virtute jubilei, vel bullæ cruciatæ, potero eligere illum, qui est ad fœminas solùm approbatus, vel è contra si fœmina confiteatur poterit eligere illum, qui est solùm ad viros approbatus, *Henriquez, Fagundez, Nugnus, Bonacina, & alij,* quos refert *Lugo disp. 21. sect. 1. n. 15.* & nota quod si Regularis, qui semel fuit approbatus generaliter, seu per annum, recedat à Diœcesi, in qua fuit simpliciter approbatus, & postea iterum redeat, non tenetur novam quærere approbationem, & licentiam, etiamsi interim mutati fuerint Episcopi in illa Diœcesi, quia facultas fuit concessa absque temporis limitatione, ita *Zerola in praxi de pænit. cap. 15. Nugnus in addit. quæst. 8. art. 3. dub. 1. concl. 2.* & alij communiter. Secundò nota, quod si Episcopus admiserit Regulares ad confessiones cum licentia ad beneplacitum, non posset eos amplius revocare à confessionibus. *Diana par. 3. tract. 2. resol 26.* quia talis non est licentia, sed simplex approbatio personæ, qua approbata statim Papa dat eis facultatem, & licentiam; ex *Clem. dudum de sepulturis*, ergo facta prædicta approbatione, non potest sine magna causa revocari. Tertio nota, quod si Episcopus neget Religiosis dignis, & idoneis, approbationem ad audiendas confessiones, poterunt hoc non obstante audire confessiones; post alios *Dian. p. 5 tract. 13. resol. 45.* quam sententiam in praxi recipias cum *Lugo disp. 21. sect. 3.* qui etiam *resol. 46.* tenet posse Confessarios regulares dispensare cum pænitentibus sæcularibus ad petendum debitum, & retractat se ab eo, quod dixerat *par. 3. tract. 2. resol. 14.* Quartò nota, quod Prælatus regularis non potest audire confessiones sæcularium absque Episcopi approbatione, *Diana par. 2. tract. 2. Miscell. resol. 46.*

Ex quibus colige, in Confessario requiri approbationem per examen, aut alia ratione ab Episcopo confirmato, & habente subditos, vel à Vicario Generali, aut Capitulo sede vacante, quod succedit in jurisdictionem Episcopi, *cap. cum olim de major. & obed. Trid. sess. 23. cap. 15.*

Secundo requiritur in Confessario probitas vitæ, unde administrans Sacramentum pœnitentiæ in peccato mortali, peccat mortaliter. Verùm debet Confessarius cautè se gerere in interrogationibus aliquorum peccatorum cum mulieribus, ideo si mulier confiteatur, quod fuit cognita extrà vas debitum, non debet quærere Confessarius in quo loco, vel quomodo, sicuti faciunt quidam, qui potius contaminatores, quam Confessores dicendi sunt, *Fagundez præcept. 2. lib. 4. cap. 2. n. 8.* & ideo juvat interdum sacerdote minus perfectè peccatum pænitentis intelligere, vel illi, vel sibi aliquod scandalum creare, *Coninch. de Sacrament. disput. 7. dub. 7. num. 56. Diana par. 3. tract. 4. resol. 49.*

Tertiò, requiritur scientia, ut possit pænitentem imperitum docere ad cognoscenda peccata, eaque sufficienter discernat, sustinet enim Confessarius vicem medici, pastoris, & Doctoris, ideo graviter peccat sacerdos, qui extra necessitatem, sine decenti scientia Sacramentum administrat, quia exponit se periculo non rite administrandi, sicut peccat etiam superior, qui ipsum scienter tolleret in sufficientem, quod si sacerdoti dicenti se non esse idoneum, dicat superior, quod est idoneus, & per hoc admini-

strer

stret sacramentum, excusaretur à peccato mortali, nam habet sufficientem rationem deponendi scrupulos de propria imperitia, *Suarez de pænit. disp* 28. *sect.* 2. *dub.* 7. *Henriquez lib.* 6. *cap.* 26.

Consistit verò scientia Confessarij, ut sciat quæ necessaria sunt ad materiam, & formam Sacramenti pænitentiæ, quales circumstantiæ sunt in confessione explicandæ, quoties, & quando iteranda sit confessio, quod nam sit peccatum mortale, quæ causæ excusant à mortali, &c. major autem requiritur scientia in confessario audiente confessiones in Civitate, quàm in Confessario alicujus ruris, quia graviores accidunt difficultates in Urbe, quam in rure, sic major scientia circa canones, irregularitatem continentes requiritur in Confessario, qui confitetur Clericos, quam laicos, & ideò Confessarius qui Clericorum confessiones audit, debet cognoscere casus irregularitatis, vel saltem de illis dubitare, ut Clericos admonere possit DD. citati. Non tamen tenetur Confessarius quolibet peccato audito, judicare an sit mortale, an veniale, sed fat s est ut audiat omnia commissa, & postea ferat 'ud c um, quod si accidat in confessione aliquis ca us difficilis, quem ipse nequeat statim dissolvere, tunc poterit Confessarius absolvere pænitentem, dummodo promittat pænitens se facturum quod judicatum fuerit, quia tunc censetur sufficienter dispositus ad absolutionem, *Coninch. de pænit. disp.* 8. *dub.* 36. *Suarez disp.* 28. *de pænitentia*, *sect.* 2.

Parochus, cui decimæ solvendæ sunt, potest non absolvere pænitentem debitorem nisi solvat, si eum cognoscat non habere propositum solvendi, data oportunitate, quia non est sufficienter dispositus: quod tamen facere debet Parochus, protestando se coram aliis, 'pænitentem repelli à Sacramentis, eo quia non vult consulere suæ conscientiæ, & sic evitabitur scandalum ex parte Parochi. Non tamen poterit eum privare Ecclesiastica sepultura ob decimas non solutas, quia hoc jus solùm superiori in foro externo competit, *S. Thom.* 2. 2. *q.* 86. *Genuensis in praxi cap.* 61. *numer.* 14. In aliquibus tamen locis servatur de consuetudine, ut priventur etiam sepultura Ecclesiastica, præsertim ubi difficilis est ex actio decimarum, *Genuensis ubi supra*, est legendus *Riccius decis.* 195. *p.* 4. qui affert decisum, non potuisse Parochum denegare sepulturam Ecclesiasticam nolenti solvere decimas, quæ decisio, fundatur in æquitate.

An Parochus teneatur audire confessionem subditi, quoties noluerit confiteri, quæstio est? Affirmat *Bonacina disp.* 5. *de Sacram. q.* 7. *p.* 4. §. 2. *num.* 23. *Coninch. disp.* 8. *de Sacram. pænit. dub.* 17. *num.* 129. *Azorius par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 17. *q.* 10. *Barb. de potest. Paroch. cap.* 19. *n.* 8. & alij apud eos, qui communiter asserunt, teneri Parochum per se, vel per alios subditorum confessionem audire, quoties id rationabiliter petit pænitens. Alij, & melius putant, quod tunc Parochus tenetur sub mortali, quando pænitens vult confiteri in Paschate, vel in articulo mortis, vel si confiteatur ex devotione, & non adest alius, à quo posset recipere. Alij universaliter putant, solùm teneri Parochum audire subditorum confessiones, quando illi tenentur confiteri, vel jure divino, ut in articulo mortis, vel jure humano, ut in Paschate, ità *Sylvester*, *Medina*, & alij, quos sequitur *Reginald. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 81.

Tenetur Confessarius sequi opinionem probabilem pænitentis, licet ipse teneat contrarium, ità *Suarez*, & alij, quos sequitur *Coninch. de pænit. disp.* 8. *dub.* 17. *num.* 135. *Sanchez*, *Navar.* & alii, quos sequitur *Diana* 1. *tom tract. de opin. prob. resol.* 11. *Lugo disp.* 22. *de pænit. sect.* 2. §. 2. ratio est, quia non potest Confessarius pænitenti ritè disposito denegare absolutionem, sed hic est ritè dispositus, ergò & in hoc differt Confessarius à Judice, quia Judex habet obligationem judicandi à jure, & secundum jus, undè non potest judicare secundum opinionem delinquentis. at verò Confessarius habet obligationem absolvendi omnem ritè dispositum, sed hic est ità dispositus, ergò. Immò peccat mortaliter Confessarius non sequens opinionem probabilem pænitentis, ità *Sancius in selectis disp.* 33. *numer.* 54. *& Sanchez in summa tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 24. si de mortalibus fieret confessio, nam grave onus esset imponere pænitenti obligationem detegendi sua peccata alteri Confessario sine necessitate: alij verò putant solum peccare venialiter Confessarium, non absolventem pænitentem, habentem pro se opinionem probabilem, ità *Vasquez* 1. 2. *tom.* 1. *disp.* 62 *cap. numer.* 4. quod intelligentiam si Confessarius falsam putet opinionem, quæ tamen inter viros doctos probabilis existimetur DD. cit.

Tenetur etiam Confessarius quando est Pastor animarum, pro eis constitutis in extrema, vel gravi necessitate se exponere periculo vitæ, ut eis administret Sacramentum pænitentiæ; alij verò, qui non sunt Pastores proprij, tenentur in necessitate spirituali extrema eis subvenire, etiam cum periculo vitæ propriæ, v. g. baptizare puerum morientem jam sine Baptismo, & Confessionis Sacramentum dare cum periculo prædicto; quod si non sit necessitas extrema, sed gravis, quia aliquis in mortis articulo, propter difficultatem, quam timet, ad contritionem habendam, petit Confessionem, non tenetur alius Sacerdos, qui non est ejus Pastor, administrare Sacramentum, latè *Bonacina disp.* 3. *de primo præcepto Decalogi q.* 4. *p.* 4. *n.* 5. *Lugo disput.* 22. *de pænit. sect.* 1. *in fine*, ab hoc tamen regulare excipi solet indigentia, & gravis necssitas totius communitatis, quæ licet non sit extrema, quia tamen communis est, debet præferri damno privato, quia in gravi necessitate communitatis, vix fieri potest, quod non sit necessitas extrema, respectu aliquorum. Undè quando peste grassante ob penuriam Sacerdotum morerentur communiter absque confessione homines, Sacerdos privatus non excusatur à peccato mortali, si aliis non subveniret, quia necessitas communis gravissima est, & via fieri potest, ut respectu aliquorum non sit extrema, ut benè *Lugo ubi supra.*

Confessio facta cum Confessario, qui falsa licentia ordinarii excipit aliorum Confessiones, non est iteranda, *Molfesius in summa tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 13. *n.* 21. qui ait valere absolutionem, quando Parochus nullum habet legitimum titulum, puta quia cum bullis falsis gerebat se pro Parocho, quia hoc casu est error communis, qui tribuit jus, & jurisdictionem, & adest bona fides, *l. Barbarius*, *ff de offic. Prætor.* nam semper ex errore communi confertur jurisdictio, etiam sine titulo colorato, collato à legitimo possessore, *Basilius Pontius de matrim. lib.* 5. *c.* 20. *Sancius in selectis disput.* 46. *numer.* 30. Immò si pænitens sciat privatum esse Confessarium jurisdictione, quod ipse Confessarius ignorat, & communis populus, poterit

poterit pænitens petere ab illo absolutionem, quæ validè confertur.

Signanter nota, quod si quis fecit confessionem invalidam ex aliquo capite, etiam cum sacrilegio, & mala fide, sufficit si pænitens se accuset in generali de omnibus peccatis, quæ in priori illa confessione invalidè fuerat confessus, quandocumque Confessarius, nec illorum, nec pænitentiæ recordetur (supponimus, eidem Confessario fieri secundam istam Confessionem) in speciali verò declarare debet peccatum, v. g. quod tacuit tunc, & sacrilegium, quod commisit malè confitendo absque eo, quod repetat distinctè peccata invalidè confessa, ità post *Patrem Granadum* Societatis Jesu virum doctissimum, tenet *Diana par. 5. tract. 14. resol. 51.* si retractans se ab ea opinione, quam docuerat *par. 3. tractat. 4. resol. 123.* ubi dixerat, quod tali casu Confessarius validè absolvebat, sed non licitè.

In §. Sed & si.

Conclusio hujus textus est, quod si quis pænitendi necessitatem habet, sed copiam Confessarij non habet, si confiteatur laico, dicta Confessio non tenet, sed ex vi contritionis censebitur absolutus, concordat *tex. in cap. qua pœnitet de pænit. 1. dist. & in cap. qui vult de pænit. 6. dist.* ratio est, nam votum pro opera reputatur, ex qua conclusione.

Infertur primò, quod si in maris fluctibus reperiatur quis, vel in manibus inimicorum, aut latronum, & confiteatur laico, non debet carere ecclesiastica sepultura, licet talis confessio non sit sacramentalis, sed actus humilitatis; neque talis laicus potest ipsum absolvere, cum non habeat clavium potestatem, *Trid. sess. 14. cap. 17. Diana par. 5. tract. 3. resol. 73.* licet possit non existente Sacerdote laicus absolvere à censuris in extrema necessitate, ut infirmus non careat ecclesiastica sepultura, *Diana par. 5. tract. 3. resol. 77. & par. 3. tract. 4. resol. 131.*

Infertur secundò, absolutionem posse dari à Sacerdote pænitenti, si eam nutu tantum petierit in necessitate ut contra multos docet *Coninch. disp. 7. de pænit. dub. 10. numer. 97. Reginald. de prudentia Confessarij cap. 21. num. 16.* quia non aliam Deus à nobis requirit Confessionem, quàm quæ hic, & nunc possibilis est, sed hic, & nunc non est alia possibilis, ut suppono, ergo, immò talis moribundus, qui per nutus confiteretur, lucraretur Jubileum, quia hæc est vera confessio Sacramentalis, ut adversus *Graffium* docet *Bartholomæus à Sancto Fausto de Jubileo lib. 4. q. 4.* in quo etiam articulo mortis absente Parocho, si periculum est in mora, licitum est Religiosis ministrare viaticum, ut contra *Toletum lib. 1. summa cap. 36. num 2* docent *Lugo de Sacrament. Eucharist. disput. 18. sect. 2. num. 53. Fagundez, lib. 3. præcept. 3. cap. 2. num. 20. Diana par. 5. tract. 3. resol. 51.* in quo etiam articulo mortis eisdem regularibus licitum est ministrare viaticum suis familiaribus sine licentia Parochi, *Mancinus in praxi visitandi infirmos tract. 8. dub. 2. Diana par. 5. tract. 3. resol. 52.* in quo tempore mortis si pestis grassetur, non tenetur Parochus ministrare, nisi Sacramentum pœnitentiæ, & Baptismi, non Eucharistiæ, &c. ut docuit *Gregor. XIII.* in quadam litera scripta ad Sanctum Carolum Borromeum tunc viventem, qui ait, Parrochus teneri tunc residere, & hæc ministrare Sacramenta de communi *Marchin. de bello divino par. 3. cap. 2. num. 2. Diana par. 5. tract. 3. resol. 53.* quidquid dicat *Mancinus tract. 8. dub. 18.* quod scilicet teneantur etiam Eucharistiam ministrare. Potest et am in articulo mortis moribundo Sacerdos particulam non habens, dare partem suæ hostiæ, *Diana par. 1. tract. 14. de celebrat. Miss. resol. 32.* immò sine ulla causa potens dare particulam, si tradiderit partem suæ non est peccatum mortale, cum id nullo præcepto prohibeatur *Sanc. in select. disp. 21. num. 21. Diana par. 5. tract. 3. resol. 54.* dicit cum aliis, id posse fieri, non existente alia particula.

Infertur tertiò, moribundo esse dandam Eucharistiam cum periculo vomitus, hoc modo detur ei prius buccella non consecrata, quæ si ejiciatur, non detur consecrata: si vomitus cessat per sex horas, licet deinde veniat, illo modico tempore dari debet Sacramentum, quod si contingat statim post buccellam redire vomitum, erit per accidens, & tunc erit sumenda Eucharistia, & in aliquo loco conservari, & postquam constet species esse corruptas, in Sacrarium projiciantur, *Sanc. disp. 38. num. 2 Diana par. 5. tractat. 3. resol. 13. & par. 1. tractat. 4. resol. 78.*

Infertur quartò, quid si quidam in platea accepit vulnus lethale, & si Confessarius illum audiat, non posset mederi, si medetur non potest confiteri? putat *Mancin. in praxi visit infirm. tract. 4. dub 26.* (quod idem dic de muliere parturiente) esse solùm relinquendas personas necessarias ad hoc, & potius viros, quàm mulieres, quos moneat, ut aures claudant, oculosque avertant à facie confitentis, & Confessarij, & sic omni meliori via illum interroget, & audiat, quandoque per signa sufficientia peccata excipiat, & absolvat, monendo etiam adstantes teneri sub peccato mortali secretum servare, si aliquid audierint quæ *Mancini* praxis veteratum est neque viris doctis placet, tu ergo in casu prædicto unum tantum peccatum audias secretò, & deindè absolvas, ut medici eum medicent, & postquam medicamenta fuerint applicata integram audias confessionem, & eum interim absolvas: si non potest aliquod peccatum dicere propter adstantes, satis erat si dicat se peccatorem esse, ad hoc ut possit absolvi, *Sanc. in select. disp. 44. num. 35. Diana par. 5. tract. 3. resol. 56.* Et nota quod talis absolutio, dari potest etiam à reservatis à quolibet Sacerdote.

In periculo mortis potest etiam dari à primo die, in quo ponitur infirmus in periculo mortis, *Diana par. 5. tract. 3. resol. 69. & par. 4. tract 4. resol. 57.* Immò potest Sacerdos pro audienda Confessione infirmi moribundi, relinquere missam inchoatam, etiam post consecrationem, servante interim in aliquo loco Eucharistiam, & data absolutione, Eucharistia, & estreme unctione, redeat ad perficiendum sacrum; quod si Confessio fuerit ità longa, ut media hora perfici nequeat, trunsacta dicta media hora, Sacerdos absolvat dictum moribundum, eo monito, ut post dictum sacrum aliqua occasione ad eum accedet, & posteà illum denuò audiat, & absolvat, *Melchior. Zambranus de Sacramento pænitentiæ cap. 4. dub. 6. num. 5. Diana par. 5 tract. 3. resol. 70.*

Infertur quintò, quod si immineat periculum vitæ in naufragio, bello, vel peste, tunc potest pænitens

penitens simul dicere aliqua peccata, & simul ab omnibus absolvi, *Vasquez 3 par. tom. 4. quæst. 91. art. 4. dub.* 3. Immò in hoc casu possunt omnes simul signo aliquo, & genuflexione significare, se peccasse sic in communi, & de eo dolere, ut continget si Confessarius dicat, omnes qui volunt à peccatis absolvi genuflectant, immò hoc casu possunt omnes absolvi à Confessario dicente, ego vos absolvo à peccatis vestris, ita *Hurtadus de Sacram. pænit. disp. 9. diffic* 10. *Diana par. 5. tract. 3. resol.* 71. immò tempore pestis, potest quis audire Confessionem peccatorum, eaque non finita moribundum absolvere, *Zambran. de Sacram. pænit. cap. 4. dub. 6. n.* 12. *Diana par. 5. tract. 3. resol.* 74. quicquid dicat *Marchin de peste par. 3. cap. 4. num.* 5. quia tunc dimidiatur Confessio materialis, licèt formaliter fiat integra.

Et signanter nota, quod si Sacerdos ferat infirmo Eucharistiam, & ille dicat quod vult reconciliari, & in reconciliatione inveniat, multas fecisse Confessiones invalidas, tunc si Confessio sit ità periculosa, ut meritò timeri possit mors, si Confessio differatur in aliud tempus, debet Confessarius facere diligentiam, audiendo Confessionem per dimidiam horam, & crassa accusatione de aliis peccatis, conveniat cum pænitente de ejus reditu ad perficiendam dictam Confessionem, sumpta occasione alicujus negotij, *Zambr. de Sacram. pænit. cap. 4. dub. 6. num. 6. Granadus de Sacram. in 3. par. 5. Thomæ controv. 7. tract. 9. disput. 5. sect. 3. n. 20. Diana par. 5. tract. 3. resol.* 75. si accedis ad moribundum, qui fuit occisus, potes eum absolvere licet nolit facere remissionem injuriarum, vulgo *la remissione*, dummodò tamen remittat odium, & rancorem contra inimicum, & signa externa rancoris, ut tenet *Villalobus tom. 2. tract. 3. diffic. 6. nu. 12. Diana par. 5. tract 3. resolut.* 103. *Mancinus in praxi visitan. infirm. pract. 7. dub. 5. num.* 7. quidquid dicat *Carolus Maranta par. 2. consilior. consil.* 50. qui ait, quod tenetur facere remissionem, alias non absolvatur: debet verò infirmus statim antè mortem pecuniam restituere & famam ablatam, nec sufficit si mandat restitui per hæredes, *Alphonsus de Leone de offic. Confess. recoll. 26. n.* 103. quidquid dicant alij relati per *Dianam par. 5. tractat. 3. resol.* 104. ratio est, quia iste habet voluntatem conditionalem si moriatur restituendi, alias non vult restituere, ergo est indispositus, est tamen absolvendus quis, si relicto fratre paupere, hæredem faciat extraneum, *Layman. lib. 3. tract. 5. sect. 5. cap. 5. nu.* 15. sicut pater est absolvendus, qui vult filium hæredem relinquere in sola legitima, *Diana par. 1. tract. 8. resol.* 83. ergo collige, quod licet Confessarij debeant persuadere moribundis, ut filios, & fratres hæredes instituant, tamen si infirmi nolunt hoc facere, immeritò à sæcularibus afficiuntur injuriis, cum voluntas hominis, & maximè moribundi sit persuadanda, non autem cogenda *Diana par. 5. tract. 3. res.* 114. & nota quod si non expediat ut moribundus declaret in testamento aliquas restitutiones faciendas, vel alimenta filiis præstanda, tunc potest Confessarius in articulo mortis dicere pænitenti moribundo, ut aliquod relinquat in testamento sive ut hæredes dent pecuniarum aliquam quantitatem Confessario, vel alieni amico, quam supradicti expendant secundum voluntatem testatoris eis manifestatam ore proprio, *Dian. par. 5. tract. 3. resol.* 115.

Infertur sextò, quod moribundus, qui vult mutare testamentum, quod fecerat cum juramento non revocaturum, non est absolvendus, quia validè potest ipsum testator revocare, sed non licitè *Lessius lib. 2. cap. 19. dub. 8. Sanchez in opusculis tom. 2. lib. 4. c. 1. dub. 17. n. 5. tract. 3. res.* 122. & tempore pestis tenetur Confessarius facere, ut moribundus testetur, etiamsi non adsint testes sufficientes, quia tale testamentum valet *Layman d. lib. 25. tract. sect. 5. cap. 2. n. 16. Diana par. 5. tract. 3. resol.* 123. si qua moritur sit filius Clericus, poterit facere testamentum de bonis adventitiis, & sic de eis disponat poterit absolvi, *Diana par. 5. tract. 3. resol.* 124. si Papa concedat facultatem disponendi Episcopo ad omnes suos usus, poterit ille disponere etiam ad usus non pios, *Molin. de just. & jur. tom. 1. tract. 2. disp. 147. n. 33. Diana par. 5. tract. 3. resol.* 125. si disponat talis moribundus de bonis suis, alteri committendo; scilicet in alienum arbitrium, sed ad pias causas, puta instituo hæredes meos, quos Titius elegerit, vel lego centum puellæ, si Titius, vel hæres meus voluerit, valet dispositio, communiter DD. in *cap. cum tibi de testam. Julius Clarus in §. testamentum q. 6. Tiraquellus p.* 647. Immò nota, quod si testator dicat, committo omnia bona mea arbitrio, vel dispositioni Titij, tunc Titius censetur hæres nudus, & solo nomine, atque obligatus totam hæreditatem in pias causas distribuere *Covar. in d. cap. cum tibi Layman. lib. 3 sect. 5. tract. 5. cap. 2. n. 6. & 7. Diana par. 5. tract. 3. resol. 127. & 128. & 129.* qui etiam *resol.* 130. ait, esse faciendam difficultatem parentibus, si uni ex filiis voluerint plus relinquere, quàm aliis, & *resol.* 131. ait, quod Pater tenetur filio spurio exhibere alimenta secundùm dignitatem status, ex *Sanchez in opuscul. tom. 2. lib. 4. cap. 3. dub.* 44. & potest Pater filio spurio ultra alimenta aliam donare pecuniarum quantitatem propter benemerita ipsius filij, quia hæc non censetur donatio, sed remuneratio, *Sanchez ubi sup. dub.* 38. quæ merita debent esse talis naturæ, ut donans aliundè teneretur, sequitur *Diana disp. 5. tract. 3. resol.* 131. si reperiatur in articulo mortis Religiosus, & cum Superioris licentia velit donare causa mortis, est absolvendus, quia valet talis donatio, *Layman. lib. 3. sect. 5. cap. 3. n. 4. Diana par. 5. tract. 3. resol.* 128. sic etiam Commendatarij, D. Jacobi, Calatravæ, Alcantaræ, & similes dum moriuntur, possunt testari de fructibus Commendarum in usus non pios, *Sanchez in summa tom. 2. lib. 7. cap. 8. n. 30. Diana par. 5. tract. 3. resol.* 129. sit verò quis moriatur in loco, ubi non posset condere testamentum, & vellet relinquere aliquid Ecclesiæ, tale legatum valet, si relinquat scripturam manu propria, *Valerus in differ. utriusq. fori in verb. testamen. diff. 1. Diana par. 5. tract. 3. & res. 119. & 118.* est etiam notanda doctrina *Alphonsi de Leone de offic. Confessarij relect. 2. n.* 193. qui ait, quod medicus potest moribundo applicare medicamenta dubia, & sequi opinionem probabilem, relicta probabiliori, sequitur *Diana par. 5. tract. 3. resol.* 132. est videndus idem *Diana ubi sup. resol.* 116. qui ait, quod si bona hæreditaria non sufficiant ad solvenda debita, adhuc possunt deduci expensæ necessariæ ad funus debitoris jam mortui, loquendo de expensis moderatis, nam istæ faciunt ad gravem necessitatem debitoris, sed debitor in gravi necessitate excusatur à restitutione, ergo? expensas verò superfluas ad honorem, & pompam mundanam tuta conscientia hæres non potest facere, consistunt expensæ moderatæ in quantitate, & numero Clericorum, luminum, &c. Si moribundum volvas in lecto,

cibum

cibum ei exhibeas, &c. ex quibus sequatur mors, vel ejus acceleratio non erit irregularis, *Avila de censuris par. 7. disp. 6. sect. 1. dub. 8.* Undè Sacerdos, & alij servientes infirmis, & eos volventes in lecto cum prudentia, non incurrunt irregularitatem, *Bonacina disp 7. de censuris q. 4. par. 7. n. 12. Suarez de censur. disput. 47 sect. 7. num. 3. Diana par. 5. tract. 3. resol. 117.*

Moribundo non licet respuere medicamenta in illis morbis, in quibus est periculum vitæ: in aliis verò licitum est, quod infirmus comedat, vel bibat rem nocivam, putans, vel non advertens, quod ei nocebit, non peccat mortaliter, immò etiamsi credat, quod sibi noceat, sed non graviter, ut si credat sibi venire dolorem aliquem capitis, vel aliquam magnam febrim, non peccat mortaliter, immò licet id intenderet, ex intentione, neque est peccatum mortale, quia malum non est magnum, *Sanchez in opusc. tom. 2. lib. 5. cap. 1. dub. 33. n. 7. Navar. cap 11. n. 41. Cajetanus 2. 2. q. 97. art. 1.* addit *Sanchez dub. 34.* quod Carthusianus in articulo mortis non potest edere carnes, quia spectat ad magnum, & publicum spirituale bonum: alij dicunt quod isti possunt edere pro tali articulo mortis, sed quod non teneantur, legas *Baldellum lib 5. disp. 26. nu. 15. Salas de legib. disp 11. sect. 2. Diana par 5. tract. 3. resol. 136.* & notat *Sanchez tom. 1. opusc. lib. 1. cap. 4. dub. 13. & Sancius disp. 3.* quod fæmina licet ignobilis potest recusare membri pudendi curationem cum probabili vitæ periculo, quia cum pudicitia sit tantum bonum, potest illam præferre vitæ, licet possit sine peccato permittere curari, videas *Lessium lib. 4. cap. 3. dub. 8. nu. 60. Baldellum lib. 4. disp. 15. n. 2.* Sed si medicament adhiberentur à fæminis, non à viris, tunc tenentur fæminæ illa sufferre, & verenda supradictis fæminis ostendere nam cessant in hoc casu rationes pro affirmativa opinione; cum medicamenta non à viris, sed à mulieribus adhibeantur, ex quarum contactu, nec verecundia, nec motus sensualis oriri potest legas *Turianum in summa par. 1. cap. 163. dub. 5. concl, 2. Diana par. 5. tract. 3. resol. 138.*

Infertur septimo, moribundum, qui non audit, nec loqui potest, sed tantum pugno pectus suum pulsat, suspirans, oculos in cælum tolit, vel respicit aliquam imaginem, hoc vidente Sacerdote, vel aliis testificantibus, esse absolvendum, ut ex pluribus tenet *Layman lib 5. tract. 6. cap. 8. n. 4.* quia talia signa censentur facta per ordinem ad sacramentalem absolutionem cum in tali statu unusquisque optimum suæ animæ remedium censeatur accipere, & ideò licet infirmus lapsus in frenesim non possit absolvi, etiamsi cum sanus esset, pectus secundum morem pulsaret, tamen si talia signa dedit morti vicinus, cum plura verba proferre non possit, præsumptio est, quod sacramentalem absolutionem Sacerdote petierit, *Layman ubi supra, Diana de absolut. morib. 2. tom. resol 2. Sancius in select. disp. 44. n. 35. Diana resol. 3. Lugo disp. 17. sect. 2.* Sacerdos verò qui sano corpore nihil de mortis periculo suspicans, Missam inchoasset, & in fine introitus decessit mortuus, non potest à peccatis absolvi, licet fecisset generalem confessionem, quia illa confessio non fuit sacramentalis, nec directa ad accipiendam absolutionem in foro pænitentiæ, *Layman ubi supra Lugo disp. 17. sect. 1. in fine* contra *Philibertum Marchinum de peste par. 3. cap. 13. num. 15* Absolvendos verò esset ille, qui ostendens se velle confiteri, & accedens ad genua Sacerdotis, subito Apoplexia tangitur, antequam aliud verbum proferat, quia cum hic dederit signa generalia, quibus ostendit se peccasse, & de eis dolere consequenter absolvendus esset, DD. ubi supra.

Dices talia signa possunt procedere ex angustia mortis, & dolore naturali, ergò non potest impendi absolutio. Respondeo, quod etiamsi sit dubium an talia signa procedant ex dolore naturali, an supernaturali, adhuc ei erit danda absolutio sub conditio, cum prodesse possit infirmo, & non obesse sacramentum, nam vitatur periculum sacrilegij ratione conditionis appositæ, *Layman lib. 5. tract. 6 cap. 8. n. 4.*

Infertur octavo, posse Confessarium, quando non habet commoditatem audiendi omnia peccata, uno audito absolvere pænitentem, *Bonacina disp. 5. de Sacram. quæst. 5. sect. 2. par 2. §. 4 diff. 4. n. 17.* & idem dicunt quando infirmus nimis fatigatur in explicatione peccatorum; quod si Sacerdos postquam incepit audire confessionem, morbo corripiatur, & timeat se moriturum ante finem confessionis, potest statim absolutionem dare, sivè non sit alius minister, sequitur *Lugo disp. 17 sect. 1.* idem dic quando Confessarius cœpit audire confessionem pænitentis ægroti, & promisit perficere die sequenti, & ipse veniens invenit eum sensibus destitutum, poterit eum absolvere, dummodo non constet mutasse voluntatem pænitendi, quæ non ita facilè præsumitur in dubio, communiter DD. quos sequitur *Diana par. 3. de absol. morib. resol. 6.* nisi pænitens nullum confiteatur peccatum in particulari, sed si in genere dicat, se esse peccatorem, & postea sensibus destituatur, poterit virtute illius confessionis absolvi, *Coninch. disp. 7. de pænit. dub. 10. n. 97. Diana ubi supra resol. 1. Lugo disp. 17. sect. 1. n. 8.* & idem *Diana resol 9.* Idem dico, si quis solùm in communi dixisset peccatum veniale, potest enim, & debet eodem necessitatis articulo absolvi.

Infertur nono, posse Confessarium absolvere pænitentem moribundum, qui in ejus absentia petiit confessionem, vel signa pænitentiæ dedit, quod tamen testantur alij, sive isti sint testes de auditu, sivè à fortiori de visu, est communis opinio Theologorom, ut docent *Fagundez præcept. 2. lib. 3. cap. 1. num. 16. Lugo disp. 17. sect. 4. & 5.* patet ex *can. qui recedunt 29. q. 6. & can. ægrotantes de consecr. dist. 4.* & est dispositum in Rituali Romano. Ratio est, quia hic verè habent dolorem quia vult manifestare peccata, cum petat confessarjum, &c.

Neque hæc confessio dicitur facta absenti, quia ille cum primo incipit vocare confessarium, & se dolere de peccatis, demonstrat generatim, jam incæpjt confiteri, sicut, qui per interprætem confiteretur, dicit peccata sua interpræti, qui postea sacerdoti ea dicit: & ideò Clemens Octavus interrogatus de hoc casu, ait valere absolutionem, & se eum absoluturum; testis verò qui sufficit unus est, *Sancius disp. 44. nu. 35. Diana de absolutione morib. resol. 8.* quia quando non agitur de præjudicio alterius, sufficit unus testis, immò sufficit etiamsi sit hæreticus, vel infidelis talis testis, quia credibile est non mentiri, cum sua nihil referat an infirmus absolvatur, nec nè: immò ex infidelitate magis inclinaretur ad impediendum sacramentum, quare testificatio videtur magis procedere ex affectu ergà infirmum, quam ex alio, esset tamen administrandum sacramentum hoc sub conditione,

tione, ſcilicet ſi verum eſt te dediſſe ſigna pænitentiæ, ego te abſolvo, teſtis verò, qui id teſtificatur, non opus eſt, ut præſente infirmo ferat teſtimonium, ſed poteſt invento Sacerdote in itinere ei dicere, quod infirmus petiit abſolutionem, & quod erat ad eum abſolvendum, ità *Bonacina disp. 5. de Sacram. disp. 5. sect. 2. p. 3. §. 4. & n. 10. & tom. 3. de censuris disputatio 2. quæst. 3. punt. 33. Lugo disp. 17. sect. ult. §. 2. Layman lib. 5 tract. 7. cap. 3. num. 9.* licet alii contrarium dicant.

Infertur ultimo, poſſe dari abſolutionem ſub conditione moribundo, qui neque petiit confeſſionem, nec ullum ſignum dedit, ſed erat vir devotus, & timoratus, ita docuiſſe *Petrum Salmaronem Societatis Jesu*, & *P. Lupo Capuccinum* refert *Molfesius in summa tom. 1. tract. 7. c. 50. n. 48.* quos ipſe ſequitur, Idem docuit *Gregor. XV.* tempore quo erat Archiepiſcopus Bononiæ *in memoriali Confessariorum cap. 1. de forma Sacram. pænit. num. 16.* ſic practicaſſe hanc ſententiam *Clementem VIII.* teſtatur *Bartholomeus à S. Fausto in theol. mor. de pænit. quæst.* 204. qui cum vidiſſet caſu aliquem cadentem è ſabrica S. Petri, & ibi reperiretur prædictus Pontifex, ait, ſi tu es capax abſolutionis, ego te abſolvo. Ratio eſt, quia poteſt quis abſolvi ſub conditione, quando dubitatur an habet uſum rationis, vel an adſint peccata, ergo ſic in caſu noſtro: tum quia quando talis abſolutio ſic daretur nulla fieret injuria Sacramento, quia daretur ſub conditione abſolutio, tum quia poteſt eſſe pro ut in dubio præſumitur, quod fuerit memor ſalutis æternæ, & quod rectè ſit diſpoſitus ad Sacramentum.

Dices ex *Trid. sess.* 14. *cap.* 9: Confeſſio eſt actus judicialis, & requirit accuſationem, atque actum externum pro materia proxima, ſed hic nullum horum eſt, ergò dari non poteſt.

Reſpondetur, quod licet non detur hæc abſolutio per modum proprij judicij; ut in argumento, datur tamen per modum ſuffragij, incluſa conditione tacita, in quantum poſſum, & tu capax es, ut docent DD citati apud *Dianam tract. 4. Miscell. resol. 91. & par. 3. tract. 3. resol. 7.*

Tandem nota, quod Confeſſarius abſolvens pænitentem ex opinione probabili, non debet abſolvere ſub conditiona, ſed ſimpliciter; undè ſequens opinionem probabilem, quod per ſigna poteſt poteſt pænitens abſolvi, non tenebitur ſub conditione abſolvere, nam ille, qui operans indicat ſe non delinquere abſolutè poteſt operari, nec opus erit conditionem addere, undè benè dicit *Vasquez 3. par. tom. 4. q. 91. dub. 1. n. 39. & Sancius in select. disp. 44.* n. 32. quod quando docent Theologi miniſtrandum eſſe Sacramentum ſub conditione, quando dubitatur de valore Sacramenti, intelligitur de proprio dubio, non de opinionibus.

In §. Sive Proprius.

Agitur in hoc §. de ſigillo confeſſionis. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum eſt primo, ſigillum Confeſſionis eſſe obligationem, qua Confeſſarius tenetur reticere quæ ſibi fuerunt manifeſtata per confeſſionem, *cap. omnis utriusque sexus &. caveat de pænit. remiss.* dicitur verò ſigillum, quia ſicut ea, quæ in literis ſigillo munitis continentur, non poſſunt legi, vel aliis manifeſtari, ità neque poſſunt verbis, aut ſignis manifeſtari, quæ audita ſunt in confeſſione: idque optima ratione fuit introductum, tum quia non debemus proximum infamare, cum quia nullus confiteretur peccata. *S. Thomas in 4. dist.* 21.

Sciendum ſecundo eſt, Confeſſarium teneri ad ſigillum de jure naturæ, de jure divino, & de jure Eccleſiaſtico: unde nullus ex hæreticis id negavit. Neque fuit neceſſaria peculiaris definitio *Tridentini* in hoc articulo, & colligitur de jure naturæ, quia ille cui aliquid revelandum eſt, tenetur jure naturæ ſecretum ſervare, & revelando ſecretum tenetur reſtituere damnum indè reſultans, ergò Confeſſarius fortiori ad id tenetur de jure naturæ, quod verò teneatur de jure divino patet, quia Confeſſarius tenet vices Dei; ergò ſicut Deus ità peccata remittit ut eorum penitus obliviſcatur. *Ezech. 18. Omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius*, ità Confeſſarius: quod teneatur de jure Eccleſiaſtico, patet ex *cap. omnis utriusque sexus de pænit. & remiss.* ubi id Confeſſario præcipitur ſub pæna depoſitionis, & perpetuæ pænitentiæ in Monaſterio, *cap. Sacerdos de pænit. 6. dist. Suarez disp. 33. sect. 8. Fagundez lib. 6. de 2. præcept. Eccles. cap. 7. Barb. lib. 5. in collect. tit. 38. cap. 12. num. 15. Menoch. casu 414.* eſt autem pæna depoſitionis non ipſo jure *Diana par. 5. tract. 11. resol. 51.* & alia arbitraria, & punitur non ab inquiſitione, ſed à judice Eccleſiaſtico ſuo, puta Ordinario *Diana par. 4. tract. 8. resol.* 95. undè malè Rex Jacobus primus Aragoniæ Epiſcopo Getudenſi linguam à tergo extrahi imperavit, quod confeſſionem Regis detegiſſet, ut refert *Aldreta de disciplina tuenda lib. 2. cap. 19.* Non tamen confeſſarius revelans confeſſionem eſt irregularis, ut contra *Majolum de irregularit. lib. 5. cap. 19. n. 16.* qui totum mundum voluit irregularitatibus involvere, docent communiter DD. apud *Fagundez de præcept. lib. 6. cap. 7. Filliuc Suarez, Hurtadus*, cæteriſque communiter apud *Dianam par. 5. tract. 11. resol.* 53. Niſi revelatio ſit conjuncta cum aliquo errore, ut ſi dixiſſet licitam eſſe revelationem ſigilli, vel aliter oſtenderet, ſe malè ſentire de Eccleſiaſticis Sacramentis, quo caſu pertineret ad judicem inquiſitorem, *Lugo disp. 23. sect. 5. §. 5.* Committit vero talis Sacerdos revelans confeſſionem unum peccatum contra juſtitiam, ut potè violandum famam alterius, ſecundum contra religionem, quod eſt peccatum ſacrilegij, ut potè ſaciens injuriam Sacramento pænitentiæ, quod peccatum violationis ſigilli eſt peccatum mortale, undè in hac re non datur parvitas materiæ, excuſans à peccato mortali, *Suarez disp. 33. sect. 1. & sect. 3. Diana par. 5. tract. 5. resol.* 8. Probatur verò hoc crimen fractionis ſigilli per teſtes ſingulares; quod ſi dicat pænitens, Sacerdotem revelaſſe confeſſionem ſine ejus licentia, & Confeſſarius dicat revelaſſe cum licentia pænitentis, dico quod aut pænitens dicit, Confeſſarium tale peccatum dixiſſe, & tenetur ipſe probare; aut verò Confeſſarius dicit ſe dixiſſe peccatum, ſed illud non ſciviſſe ex confeſſione, & tunc tenetur Confeſſarius id probare, communiter DD. quos ſequitur *Lugo disp. 23. sect. 5. à n. 149. Diana par. 5. tract. 11. resol.* 52. excuſatur verò Confeſſarius à peccato ratione inadvertentiæ, *Honuphrius de sigillo sect. 5. quæst. 1. Diana par. 5. tract. 11. resol.* 2,

Sciendum eſt tertio, ſub ſigillo cadere, quæ manifeſtata ſunt Sacerdoti per ordinem ad confeſſionem Sacramentalem, animo ſe accuſandi, *Coninch. de pænit. disp. 9. nu. 9. Hieronymus Honuphrius de sigillo sect. 4. quæst.* 1. & ideò manifeſtans peccata ſua laico, vel Clerico, quem manifeſtans

novit

novit non esse sacerdotem, non obligat eum, cui manifestantur ad sigillum confessionis, quia non ei manifestantur peccata ad confessionem sacramentalem. Quod si putaret laico posse confiteri absente sacerdote, tunc talis laicus confessarius tenetur ad sigillum, post alios *Diana par. 5. tract. 11. resol.* 13. quidquid dicant alij: si vero quis se finxit Sacerdotem, Confessarium, & bona fide pænitens ei est confessus, tenetur ad sigillum, *Suarez, Raymundus, & alij* apud *Dianam par. 5. tract. 11. resol.* 16. quia fuit facta confessio in ordine ad absolutionem sacramentalem. Si verò manifastetur aliquod ab aliquo, qui non habet intentionem confitendi, non tanetur ad sigillum confessionis, quia effectus sigilli procedit à confessione facta animo se accusandi, tenebitur tamen Confessarius hoc casu ad sigillum naturale, ut per se patet *Sanchez de matrim. lib. 3. disp.* 13. *nu.* 16. immò dubitaverit confessarius, an ei sit aliquod dictum per ordinem ad confessionem sacramentalem tala præsumitur ità fuisse dictum, na confessio fiat odiosa DD. citati. Differt verò sigillum naturale à sacramentali, quia omne sacramentale est naturale, sed non è contra, & sigillum naturale est introductum à Deo ut auctore naturæ in proximorum bonum. Sigillum veró sacramentale est introductum à Christo ut Deo, & auctore grätiæ, ideò sigillum naturale non obligat quando resultaret damnum proximi, sed sacramentàle ità obligät ut in nullo vitæ periculo, nec atiam pro tuendo Rege, vel liberando toto orbe ab injusta machinatione infringi possit, immò nec violari potest, si tota fides Christiana paritat, DD. communiter. Quando verò pænitans accedit ad confessionem sine attritione, vel proposito, & sic potius animò illudendi confassionem, non obligat Confessarium ad sigillum, quia id non dicit in ordine ad sacramentalem absolutionem, *Henriquez lib. 6. cap. 21. nu. 3. in glossa lit. N. Reginald. tom. 1. lib. 3. cap. 5. nu. 69. Diana par. 5. tract. 11. resol.* 26. Quod si confessio fiat Sacerdoti invito, qui taman habuit voluntatem audiendi, sed non absolvandi, obligat ad sigillum; item si initio voluerit audire, sed in progressu fiat invitus, *Malderus de sigillo confessionis cap. 9. Diana par. 5. tract. 11. resol.* 34. Sub eadam obligatione sigilli naturalis cadit secretum tanquam res in confessiona, puta si tibi dixi aliquid in confessinna, tu teneris ad sigillum naturale, secundum *Naldum* sic intelligendum *in verbo revelare num.* 50. *Raynardum de monitoriis par. 1. cap. 3. quæst.* 4. *Diana par. 5. tract. 11. resol.* 54. ax quibus.

Infertur primo, Parochum, qui in confessione cognovit aliquod impedimentum, teneri sub sigillo illud non posse matrimonium pænitenti denegara, quam cognovit in confessione asse impeditum ad matrimonium, tenetur tamen eum admonere, ut desistat à tali matrimonio, vel extra confessionem potest etiam eum admonere, petita prius ab eo licentia *Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 16. Honuphrius de sigillo sect. 4. q. 7. dub.* 4.

Infertur secundo, peccata tam publica, quam privata, & tam mortalia, quam venialia (dummodò tamen publica ignota sint Confessario) cadere sub sigillo: quod si aliundè illud peccatum publicum andierat Confessarius, tunc de eo loqui potest eo modo, quo anteà novarat. Ideò si ago novi extra confessionem, quod Titius mihi rem surripuit, possum ipsum accusara postquam mihi confessus fuerit hoc furtum, dummodò non addam aliqund prætar cognitionem habitam extra confessionem, quod si invenias ex confessione famulum tuum esse furam, & multa tibi surripuisse, dicit *Vasquez in 3. par. tom. 4. quæst* 93. *art. 4. & Henriquez lib. 3. de pænit cap. 23. num.* 5. quod potes eum dimittere, *Diana* verò *par. 5. tractat. 11. resol. 37. & Malderus de sigillo cap.* 14. dicunt non posse fieri, quia talis dimisio est quædam correctio extra confessionem pudefaciens pænitentem, sed poteria prudenter invigilando in factis famuli, eamque de præhendere relapsum in furtum, quia tunc poteris alio prætextu, & occultè ipsum dimittere, idem *Diana par. 5. tract. 11. res.* 17. potest etiam Parochus repellere à communione publicum concubinarium, etiam si hoc idem in confassiona cognoverit dummodò caveat ne ostendat illum rapellere ax scientia confessionis. Sunt etiam sub sigillo confessionis retinendæ circumstantiæ peccati. Revelare virtutes pænitentis puta extasim, & alia dona non est contra sigillum confessionis, *Reginald. in praxi tom. 1 lib. 3. cap.* 5. Idem dic de voluntate ingrediendi religionem, vel ducendi uxorem, potest tamen pænitens obligara Confessarium sub secreto naturali has virtutes, & dona celare, ita *Granadus in 3. par. de Sacramentis contr. 7. tractat. 11. disp. 3. num. 4. Malderus de sigillo cap. 15. Diana par. 5. tract. 11. resol.* 30. est etiam contra sigillum confessionis revelare defectus naturales pænitentis quando ab ipso dicuntur in confessione, ut coducentes ad explicationem sui peccati, secus si narrentur à pænitenta incidenter, & non tanquam conducentes ad id, *Hurtadus de Sacramen. disp. 12. diffin. 3. Honuphrius de sigillo sect. 4. quæst. 7. dub. 2. Diana par. 5. tract. 11. resol.* 29. manifestare pænitentiam, quam imposuit pænitenti Confessarius, est contra sigillum, undè ait *Diana par. 5. tract. 13. resol.* 31. fregisse sigillum Confessarium, qui dixerat, pænitenti imposuisse pro pænitentia coronam Beatæ Virginis, nam talia pænitantia non solet imponi pro peccatis venialibus, secus autam si pænitentia esset unum miserera, quinque pater, &c. & *Malderus cap. 12. de sigillo* dixit, non benè fecisse quendam Confessarium, qui cum quidam ob gravia peccata, sed ignota injunxisset in confessione longo tempore publicè audira solemne sacrum flexis ganibus

Infertur tartio, cadere sub sigillo propositum committendi aliqund peccatum, dummodò illud manifestaverit pænitens confessarin animo se accusandi, quod si non manifestaret animo se accusandi, sed eum provocandi ad illud malum, non caderet sub sigillo; ideò punitus fuit quidam Cardinalis á Summo Pontifice, cui alius Cardinalis confessus erat conspirationem in Summum Pontificem, animo eum inducendi ad finem, malum & ille id non manifestaverat, *Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art. 5. in respons. ad secundum argumentum, Honuphrius ubi sup. sect. 4. quæst. 6. Diana par. 5. tract. 11. resol.* 25.

Sciendum est quartò, omnes eos, qui aliquod cognoverunt occasione Confessionis teneri ad sigillum: pœnitens pœnitentiam, quam habuit si alteri revelet non facit contra sigillum, sed solum contra naturale secretum, si ex tali revelationa radundaret aliquid malæ famæ, *Suarez in 3. par. tom. 3. disp. 33. sect. 4. Riccardus, Sotus,* & alij apud *Dianam par. 5. tract. 11. res.* 8. superior etiam, cui aliquid dixit Confessarius ad finem obtinendi facultatem à reservatis, tenetur ad sigillum; *Diana par. 5. tract. 11. resol.* 12. quod si supe-

ſuperior alicujus domus dicat Patri Generali, vel Provinciali, in ea domo ſæpè poſtulari poteſtatem abſolvendi à peccatis reſervatis, facit contra ſigillum, *Turrianus de pænit. quæſt.* 11. *ar.* 1. *diſp.* 33. *dub.* 1. *Diana par.* 5. *tract.* 11. *reſol.* 45. Interpres, quo uteris io Confeſſione, ad ſigillum tenetur, quia cognoſcit peccata per ordinem ad Confeſſionem, *Diana par.* 5. *tract.* 11. *reſol.* 48. Tenetur etiam ad ſigillum, qui cauſa, vel data opera peccata audivit à Confeſſario, vel pœnitente alta voce loquente, vel dùm eſſet propè confeſſionale, *Honuphrius ſect.* 3. *q. unica dub* 3. *Fagundez præcepto* 2. *lib.* 6. *cap.* 6. *num.* 25. *Suarez*, & alij apud *Dianam par.* 5. *tract.* 11. *reſol.* 16. Quod ſi quis coram multis confiteatur tempore naufragij, aut tempore peſtis, tenentur omnes, qui audierunt ad ſigillum, *Suarez d. tom.* 4. *diſp.* 33. *ſect.* 2. *Diana par.* 5. *tract.* 11. *reſol.* 23. quod ſi Sacerdos de licentia pœnitentis revelet aliis peccatum, illi alij tenentur ad ſigillum, *Toletus lib.* 3. *cap* 16. *n.* 15. *Sà in verb. Confeſſor n.* 30. *Henriquez lib.* 6. *cap.* 20. *n.* 3. *Diana par.* 5. *tract.* 11. *reſol.* 11. *per totam.*

Infertur etiam, eum, qui chartam invenit, ubi ſunt peccata alicujus ſcripta per ordinem ad Confeſſionem, teneri ad ſigillum, non quidem Confeſſionis, ſed naturale, quicquid dicant alij apud *Dianam par.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 112. *& par.* 5. *tract.* 11. *reſol.* 27. qui ait teneri ad ſigillum ſacramentale, non ſolum naturale Confeſſionis, & ait *Menoch. lib.* 1. *de præſumpt. præſ.* 89. *num.* 26. eum non poſſe puniri, qui fuit accuſatus de crimine per fractionem ſigilli, quia hæc cognitio Sacerdotis, cenſetur facta Deo, ergo non debet humano judicio deſervire; ille, cui injuſtè ſunt peccata manifeſtata per Confeſſarium, tenetur illa celare ſub ſigillo, ſimiliter Confeſſarius alteri revelet Confeſſionem tenetur hic alius ad ſigillum, *Fagundez par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 6. *nu.* 26. *Diana par.* 5. *tract.* 11. *reſol.* 7.

Sciendum eſt quintò, poſſe interdum Confeſſarium loqui de auditis in Confeſſione ſine fractione ſigilli, ut ſi loqueretur de auditis abſque manifeſtatione perſonæ, & periculo, ut audientes veniant in cognitione vel ſuſpicione perſonæ, ſicut neque frangitur ſigillum ſi ſolum manifeſtet Confeſſarius peccata venialia in genere, *Honuphrius ſect.* 4. *q.* 2. undè non frangitur ſigillum, ſi dicat Confeſſarius, abſolvi Petrum, vel ſi dicat, Petrus confeſſus eſt mihi ſua peccata venialia, vel peccata ſua, dummodò non exprimatur aliquod peccatum veniale in particulare; ſecus ſi Confeſſarius plures confeſſus eſſet, & diceret, hic confeſſus eſt mihi ſolùm peccata venialia, nam tunc videtur dicere alios in Confeſſione confeſſos eſſe peccata mortalia, *Honuphrius de ſigillo ſect.* 2. *q.* 6. Quod ſi aliquis Confeſſarius dicat, in aliqua Civitate adeſſe multos improbos, & multa crimina, non revelare Confeſſionem, nam nulli fit injuria: ſecus ſi loquatur de aliquo loco non valdè amplo, puta de aliquo monaſterio, & dicat gravia ſcelera in eo committi, nam facile poteſt conjecturari de aliquo in particulari, *Dian. par.* 5. *tract.* 1. *miſcel. reſol.* 13. *& par.* 5. *tract.* 11. *reſol.* 35.

Ex quibus infertur frangi ſigillum Confeſſionis, ſi Confeſſarius dicat, Titius confeſſus eſt mihi caſum reſervatum, vel gravia peccata, etiamſi Confeſſarius non expreſſerit aliquod peccatum in particulari, ſic ſi quis dicat, nondum abſolvi Titium, revelaret Confeſſionem, quoties audientibus ſuſpicio gravis alicujus defectus dari poteſt, quia abſolutio ſolum denegari poteſt ob cauſam gravem, & ob pravam pœnitentis diſpoſitionem DD. ubi ſupra, quos ſequitur *Diana par.* 5. *tract.* 11. *reſol.* 42. contrà *Cajetanum in verb. Confeſſori neceſſaria*, *Henriquez lib.* 6. *c.* 2. *n.* 5. Quod ſi Confeſſarius interrogatus, an Petrum abſolverit, reſpondet ego eum non abſolvi, quia nondùm Confeſſionem finivit propter ſuperveniens impedimentum, tunc putant *Sotus in* 4. *diſt.* 18. *ar.* 5. *q.* 4. *Graffius in deciſ. aureis par.* 1. *lib.* 1. *c.* 23. *nu.* 37. *Suar. in* 3. *par. tom.* 4. *diſp.* 33. *ſect.* 6. *n.* 1. quod non ſit revelare Confeſſionem, ſed contrarium putant alij, quos refert *Fagundez præcep.* 2. *lib.* 6. *cap.* 5. *n.* 9. quia talis reſponſio ſtatim offendit audientium aures, & malam opinionem de ſe ingerit circa pœnitentem, niſi alioquin eſſet probatæ, ac notæ vitæ, & conſcientiæ, ergo ſi Confeſſarius eo modo, quo ſupra reſpondet, frangit ſigillum, *Dian. d. p.* 5. *tract.* 11. *reſol.* 42. Neque Confeſſarius alicujus novitiatus, vel alterius loci, ubi pauci exiſtunt pœnitentes, poteſt in exercitiis ſpiritualibus, quæ habet cum eis, concionari contra defectus in confeſſione detectos, *Malderus de ſigillo cap.* 14. *Diana par.* 5. *tract.* 11. *reſol.* 36. Neque poteſt Confeſſarius ſtatim poſt finitam Confeſſionem, & datam abſolutionem loqui cum pœnitente abſque licentia, v. g. de errore commiſſo in dicta Confeſſione, *Fagund. lib.* 6. *præcept.* 2. *cap.* 4. *nu.* 33. quidquid dicant aliqui apud *Dian. par.* 5. *tract.* 11. *reſ.* 10. *&* 18. *& reſol.* 6. cum licentia verò pœnitentis poteſt Confeſſarius totam revelare Confeſſionem, quia ſecretum ſigilli eſt principaliter introductum favore pœnitentis, quæ licentia debet eſſe formalis, & expreſſa *Fagundez ubi ſup. cap.* 1. *n.* 14. & debet eſſe libera; Unde magiſtri novitiorum, vel alij ſuperiores advertant, quidquid faciunt, quando à ſubditis petunt licentiam prædictam, quia ut benè *Fagundez* in prædicto caſu ſola præſentia, & auctoritas ſine minis, & vultus mutatione ſufficiet ad inducendum metum reverentialem, & ut licentia prædicta non valeat *Diana par.* 5. *tract.* 11. *reſol.* 10. Neque poteſt vocalis alicujus Religionis, qui tenetur ſuffragium dare Novitio tempore novitiatus pro profeſſione facienda, ipſum denegare ob peccatum in Confeſſione auditum; eſſet enim ſcientia uti Confeſſionis, *Fagundez ubi ſup.* *Rodriquez* 2. *tom. quæſtion. regular. q.* 54. *art.* 4. *Sigiſmundus à. Bononia de elect. Prælat. par.* 1. *cap.* 5. *dub.* 37. *Reginald. in praxi tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 3. *n.* 33. *Diana par.* 5. *tract.* 11. *reſol.* 4. *ar.* 3.

Immò ſi Confeſſarius non poſſit aliter in Confeſſione ſuum peccatum explicare, niſi revelando peccatum, quod in Confeſſione audivit, tunc non poteſt revelare, ſed tenetur illud peccatum non dicere, & Confeſſionem non integram facere, quia majus præceptum eſt ſigillum ſervare, quam integritatem Confeſſionis materialem facere, ſufficit enim integritas formalis, quæ eſt ut de omnibus doleat pœnitens ab integritate verò materiali, ſæpius excuſatur quis, *Vaſquez* 3. *par. tom.* 4. *q.* 93. *ar.* 4. *dub.* 4. *Dian. par.* 5. *tract reſol.* 9. Neque poteſt Confeſſarius in actu ſecundæ Confeſſionis meminiſſe pœnitenti peccatorum in priori Confeſſione à pœnitente detectorum, *Fagundez ubi ſup. cap.* 4. *n.* 36. *Diana par.* 5. *tract.* 11. *reſol.* 20. Quod ſi Confeſſarius ex Confeſſione unius complicis ſcit peccata alterius, & alter in Confeſſione tacet, tunc putat *Henriq. de pænit. lib.* 3. *cap.* 20. *n.* 6. differendam eſſe abſolutionem per aliquot dies, *Toletus* verò *lib.* 3. *cap.* 16. *n.* 4. *& Fagundez ubi ſup.*

sup. cap. 4. *n.* 37. putant debere Confessarium eum absolvere, interrogato tamen pænitente, an aliquid aliud habeat, & si dicat, quod nihil habet, est absolvendus, sequitur *Diana par.* 5. *tract.* 11. *resol.* 21. tenetur etiam Confessarius dare schedulam peccatori, ubi aderant peccata, quem ipse non absolvit, v. g. ego mitto famulum ad Confessionem faciendam, & ei dico, nè veniat ad me, nisi allata schedula Confessionis, quod scilicet confessus est, tu Confessarius non potes eum absolvere, teneris adhuc ei dare schedulam, na negando tale testimonium aliquo modo manifestes peccata, & prodas sigillum, & peccatorem, nequa dando illam schadulam mentiris, quia solum testaris eum esse confessum, quod varum est *Coninch. de Sacram. pænit. disp.* 9. *dub.* 1. *n.* 14. *Fagundez pracep.* 2. *lib.* 6. *cap.* 4. *n.* 4. *Diana par.* 5. *tract.* 11. *resol.* 22. quidquid dicat *Bonacina de Sacram. disp.* 5. *q.* 6. *sect.* 5. *par.* 4. *n.* 7. Nota etiam quod cadit sub sigillo quæcumque persona in Confessione detecta, sive ad declarandam aliquam circumstantiam necessariam, sivè aliquid aliud *Reginald. tom.* 1. *lib.* 3. *c.* 4. *n.* 41. *Diana par.* 5. *tract. resol.* 24. Potest tamen Confessarius dicere hæredibus, & revelare restitutionem faciendam, quam ei confessus fuit defunctus, cum licentia tamen ipsius defuncti, qui ante mortem dixit Confessario eam esse faciendam *ex cap. praterea de officio delegat. Diana par.* 5. *tract.* 11. *resol.* 28.

Infertur etiam, prodesse testimonium Confessarij cum licentia tamen pænitentis, ut probetur pænitens emendatus, v. g. Parochus ut det Sacramentum Eucharistiæ, vel sepulturam ecclesiasticam publico usurario, vel meretrici petit testimonium Confessarij, quod fecit Confessarius, cum licentia tamen pænitentis, *Maldinus de sigillo, cap.* 12. *Diana par.* 5. *tract.* 11. *resol.* 20. licentia verò, quam dat pænitens Confessario, non opus est ut fit in scriptis, *Suarez in* 3. *par. tom.* 4. *disp.* 33. *sect.* 5. *n.* 14. *Fagundez pracept.* 2. *lib.* 4. *c.* 1. *n.* 23. *Diana par.* 5. *tract.* 11. *resol.* 41.

Infertur secundò, Confessarium, sive sit Parochus, sive alius non posse Eucharistiam denegare ob peccatum in confessione auditum, quod nec potest facere Episcopus repellendo Clericum ob crimen in confessione auditum ab ordinibus suscipiendis, nam esset implicita revelatio confessionis, sicut nec potest Confessarius, qui ex confessiona novit necem alicui parari, aut imminere proditionem Civitatis, id dicere, licet possit admonere in genere eum, cui periculum imminet, ut sibi consulat cavendo peccata, quæ solent evenire, *Lazarius canonicar. quæst. sect.* 2. *quæst.* 17. *Bonacina disp.* 5. *quæst.* 6. *sect.* 5. *p.* 4. sic Confessarius, qui multa audivit patrari in perniciem fidei, potest monere Episcopum, vel inquisitorem, invigilet super gregem suum, quia lupus est in eo *Lazarius ubi supra sect.* 2. *quæst.* 18. dummodò non adsit periculum revelationis pænitentis, sicut neque potest Sacerdos, qui ex confessione cognovit Ecclesiam esse pollutam, hoc detegere ut benedicatur, quia non potest talis Sacerdos ea scientia uti, nec præsumitur, quod Ecclesia obliget eum, nà celebret in ea Ecclesia, quam ex sola scientia confessionis novit pollutam. Quod si Confessario minetur quis mortem, ut dicat peccatum de confessione, tenetur potius mori, *Avendanus de metu lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 46. Immò si sub juramento interrogetur an audierit aliquod de confessione, potarit negare cum juramento quod non audivit (intelligendo in mente, ut dicam tibi) quando verò peccatum est tale, ut si Confessarius neget, illud sibi fuisse confessum detur occasio populo existimandi pænitentem malè confessum fuisse, non dabet Confessarius respondere negando, sed talibus verbis peccata sua confessus est, vel ego fanctus sum officio meo, v. g. si meretrix, vel alia persona accedat ad Confessarium, *Diana par.* 5. *tract.* 11. *resol.* 43. quod si dicat audivi Petri confessionem, vel peccata Petri, revelat confessionem, & frangi sigillum, quando Petrus ille secreto ei confessus est, & nolit sciri ab aliquo, se illi confessum esse, puta se relicto suo Confessario ordinario confiteatur extraordinario ob quam confessionem ego, qui intelligo ab illo extraordinario venio in cognitionem, & suspicionem majoria peccati, quod suo ordinario Confessario voluit celare, ità ex *Navarro* tenet *Reginald. tom.* 1, *lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 54. *Diana par.* 5. *tract.* 11. *resol.* 47. *per tot.*

Infertur tertiò, quod si Confessarius asserat Petrum, v. g. confessum fuisse plura peccata venialia, tunc non frangit sigillum secundùm aliquos, quia non dicitur de eo aliquod peccatum mortale in specie, vel veniale, sed in genere, & hæc opinia est probabilior, quicquid dicant aliqui apud *Dianam par.* 5. *tract.* 11. *resol.* 49. Putant aliqui etiam quod si Confessarius dicat. Petrus v. g. fuit in confessione suis minutissimis peccatis scrupulosus caput meum obrundit (quæ verba sæpius dicuntur à Confessariis) tunc revelat confessionem, & sigillum frangit: ità *Granad. in* 3. *p. de Sacram. contr.* 7. *tract.* 11. *disp.* 3. *n.* 3. quia hoc est pænitenti ignominiosum; alij, & melius dicunt non frangi sigillum, sed non debere hæc verba à Confessariis dici, *Coninch. de Sacram. disp.* 4. *dub.* 1. *n.* 11. *Diana par.* 5. *tract.* 11. *resol.* 50. *per tot.*

Infertur quartò, posse Confessarium se continere domi, nè occidatur, si novit in confessione ab aliquo sibi insidias parari, sicut potest denegare pænitenti gladium suum apud ipsum depositum, si sciat ab ipso sibi mortem intentari, æquivocatione adhibita: sicut potest se abstinere à confessione alicujus, quem noverat in confessione non esse Sacerdotem, licet solitus esset ei prius confiteri, quia hoc casu nullus est pudor, & nullum sequitur pænitenti damnum, *Honuphr. de fac. sigil. sect.* 2. *q.* 2. *dub.* 20. sic Sacerdos, qui novit per confessionem, vinum esse veneno infectum, & ad missam paratum posset prætermittere missam, nam utitur jure suo, quod si sequatur suspicio revelationis confessionis, puta quia in altari quis se confitetur ei, quod vinum est cum veneno, & ab aliis positum, & ipse desistendo à missa daret adstantibus, qui venenum posuerunt, occasionem suspectandi, quod id ipse sciverit per confessionem illius, qui confessus est, tunc tenetur vinum mixtum veneno sumere, & Deo se commendare: quod verum est, etiam si talis Sacerdos esset in peccato mortali, nec posset confiteri, tunc enim deberet sibi providere omni modo meliori, quo posset, eliciendo actum contritionis, quæ cum Sacramento in votum sufficit ad æternam salutem, *Sotus in* 4. *dist.* 18. *q.* 4. *art.* 5. *Suarez de pænit.* 4. *tom. disp.* 34. *sect.* 4. *n.* 7. *Diana par.* 5. *tract.* 11. *res.* 46. sic etiam Sacerdos, qui cum aliis iter agens ex uno eorum per confessionem intellexit, in ingressum sylvæ parari sibi mortem, tenetur potius mori sylvam ingrediando, quàm ant fuga, aut retrocessione confessionem jam factam suspectam aliquo

aliquo modo reddere, exponendo periculo eum, qui indicavit sibi, quia fortè socij in eum irruerent, aliàs nemo unquam vellet in tali casu confiteri, & sic confessio efficeretur odiosa, nisi tamen posset aliquo honesto titulo rem totam ita cooperire, ut nulla indè confessionis revelatæ possit oriri suspicio: idem dicas, si talis Sacerdos in supradicto casu esset in peccato mortali, quia tunc debet elicere actum contritionis, & sic ingredi sylvam cum evidenti periculo mortis; per actum enim contritionis quisque optimè potest salvari, *Diana ubi sup.*

Infertur quintò, quod si Confessarius commisit aliquem defectum in confessione, & judicat, esse necessarium admonere pænitentem, puta quia absolvit excommunicatum, vel à casu reservato, vel non imposuit obligationem restitutionis, non potest loqui cum illo de supradicto errore, sed petat ab illo licentiam, quod si pænitens eam negat, culpa, quæ fuerat Confessarij transfertur in pænitentem, & Confessarius erit liber ab omni obligatione, *Fagundez præcepto* 2. *lib.* 6. *cap.* 4. *n.* 33.

Infertur ultimo, quod si Confessarius cum licentia pænitentis in ordine ad consilium petendum manifestavit cuidam Sacerdoti aliqua peccata, de quibus postea ipse cum aliquibus locutus est, obligabitur consultor ad sigillum sacramentale confessionis, ità *Suarez in* 3. *par. tom.* 4. *disp.* 33. *sect.* 4. *Bonacina de Sacramentis disp.* 5. *quæst.* 6. *sect.* 5. *punt.* 3 *num.* 4. tùm quia consiliarius participat actum clavium scientiæ, ejusque supplet defectum in ministro, tùm quia peccata audita in confessione transeunt cum onere sigilli confessionis, *cap. pastoralis de decimis*; tùm quia pænitens videtur licentiam concedere ea conditione, ut maneat secretum sub sigillo confessionis, quidquid dicant *Vasquez in* 3. *par. tom.* 4. *quæst.* 93. *art.* 4. *dub.* 2. *Honuphrius de sigillo sect.* 3. *quæst. unica dub.* 6. *Magala par.* 1. *lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 6. *Diana tract.* 15. *miscell. resol.* 14 *per totam.* Sic etiam si Petrus v. g. ante confessionem consulat virum doctum in ordine ad confessionem faciendam non cum illo, sed cum alio, tenetur prædictus consiliarius ad sigillum communiter DD. apud *Fagundez præcepto* 2. *lib.* 6. *cap.* 6. *num.* 23. *Diana par. tract.* 11. *resol.* 44. sequitur *Lugo disput.* 23. *sect.* 2. *num.* 24.

In §. Illud etiam cum sequenti.

AGitur hic de absolutione à casibus reservatis. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, posse Superiorem pute Summum Pontificem, Episcopum in sua Diœcesi, concilium Provinciale in sua Provincia, Generalem in sua Religione reservare sibi casus, quia ad eos spectat, jurisdictonem præbere, est hoc de jure, ut patet ex *Trid. sess.* 14. *cap.* 7. & *can.* 11. *Lugo disp.* 20. *de pænit. sect.* 1. eorum verò peccata reservari possunt, qui subditi sunt reservanti in foro sacramentali. Peccata puerorum putat *Diana* 2. *tom. tract.* 15. *resol.* 1. non intelligi reservata, quia minor ætas excusat à pæna ordinaria in foro externo, ergo etiam in foro animæ, quæ ratio *P. Diana* solum probat de reservatione, quæ statuitur ut pæna, non verò de ea, quæ non est pœna, sed medicina; quare ratio illa tantum probat de casu ibi proposito, quando scilicet peccatum sodomiæ est reservatum in aliquo Episcopatu, quia illa reservatio non est pæna, sed est lex determinans casus, in quibus pro meliori remedio applicando debet recurri ad prælatum pro absolutione, & si esset pæna non incurreretur ab ignorantibus reservationem, ut idem *Diana* docet 2. *tom. tract.* 5. *miscell. resol.* 12. & 13. quando ergo reservatio non est pæna, tunc dicendum est, peccatum commissum à puero non esse reservatum, ut benè *Homobonus de casibus reservatis par.* 1. *cap.* 4. *asser.* 2. *Lazarius de blasphemia q.* 9. *num.* 42. *Lucas Floronus de casibus reservatis par.* 1. *cap.* 3. *num.* 3. quando verò reservatio est pæna, tunc judicandum est de illa, juxtà diversas sententias circa illam quæstionem an, & qua ætate pueri incurrant pænas Ecclesiasticas à jure statutas, de qua *Sanchez lib.* 1. *summæ cap.* 12. *Diana* 2. *tu. tract.* 6. *Miscell. resol.* 88. quando ergò reservatio est pænalis, tunc eam non incurrit quis, si invincibiter ignoret, *Sanchez lib.* 4. *de matrim. disp.* 32. *à num.* 13. *Lugo disp.* 20. *de pænit. sect.* 1. *in fin.* peccata verò venialia quæstio est, an possint reservari, quæ quæstio dependet ab illa alia quæstione, an potestas absolvendi à venialibus detur à Christo, an ab Ecclesia, qui enim dicunt dari à solo Christo consequenter debent dicere non posse reservari ea peccata, cum Ecclesia non possit auferre potestatem à Christo in ipsa ordinatione sacerdoti datam, & ità docet *P. Vasquez q.* 91. *art.* 3. *dub.* 2. *in* 3. *par.* Alij verò qui putant talem jurisdictionem dari ab Ecclesia, & non à solo Christo, ut tenet *Lugo disp.* 20. *sect.* 2. tenent etiam posse reservari peccata venialia: peccata mortalia merè interna possunt reservari, loquendo de possibili, quia requiritur jurisdictio ad ea absolvenda, quæ jurisdictio posset auferri ad talia peccata absolvenda; nec facit ad rem, quod Ecclesia non habeat jurisdictionem, & facultatem ad præcipiendos actus internos, quia in materia nostra reservatio non est ad peccata, sed ad concessionem jurisdictionis in ordine ad absolutionem, quæ absolutio est actus externus, sicut etiam Pontifex reservat sibi dispensationem voti merè interni circa aliquas materias, *Lugo disp.* 20. *sect.* 2. *num.* 13.

De facto tamen non solent peccata interna reservari, quod si aliquis Episcopus reservaret sibi peccatum internum, puta hæresim internam, valet, & tenet reservatio, *Lugo disp.* 20. *sect.* 2. *n.* 14. quicquid dicat *Sotus in* 4. *dist.* 18. *q.* 2. *art.* 5. acriter repræhendens talem reservationem.

Peccata dubia, quando scilicet dubitamus an sint reservata, nec ne, potest confessarius ordinarius absolvere, quia in dubio melior est conditio possidentis, sed confessarius est in possessione suæ jurisdictionis, ergo secus si esset præsumptio in contrarium communiter DD. apud *Sanchez in sum lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 23. quod si sacerdos sciat peccatum aliquod esse reservatum, sed dubitet an ipse jurisdictionem habeat, tunc non potest eum absolvere, quia eponeret se periculo faciendi sacramentum invalidum, DD. ubi supra.

Sciendum secundo, posse Summum Pontificem validè sibi reservare omnes casus, licet illicitè id faciat, quando reservatio renderet in destructionem potius, quam in ædificationem Ecclesiæ, reservatio tamen valeret, quia jurisdictio omnium inferiorum Prælatorum dependet à Summo Pontifice, *Suarez disp.* 29. *cap.* 4. *de pænit. sect.* 4. Episcopus verò si reservationem faciat nimis generalem peccatorum, adhuc validè reservat, sed illicitè communiter DD. apud *Suarez d. sect.* 4. quidquid dicat *Vasq. in* 3. *par. de pænit.*

quæst.

quæst. 91. *ar.* 3. *dub.* 4. & alij, quos refert, & sequitur *Henriquez lib. 6. cap.* 14. *num.* 3. Prælati regulares possunt undecim casus sibi reservare, quos refert *Suarez ex Bulla Clementis Octavi disp.* 29. *sect.* 3. & *ex Bulla Vrbani Octavi* 29. id colligit *Lugo disp.* 20. *sect.* 4. *de pænit.* unde superior regularis non potest ultra illa raservare, quæ Clemens Octavus determinavit, aut quæ à capitulo generali determinata non fuerint. Capitulum verò generale, vel provinciale in ordine ad provinciam potest reservare aliquod peccatum grave solum pro una domo, vel pro aliquibus, & non pro toto ordine, si ita judicetur expedire. Neque possunt Prælati regulares sine capituli consensu aliquod prohibere sub pæna excommunicationis quod non sit prohibitum in decreto Clementis Octavi, ut declaravit Sacra Congregatio, de qua *Lugo disp.* 20. *sect.* 4. *num.* 47.

Sciendum est tertiò, absolutionem à reservatis, posse dari non solùm ab Episcopo, qui casus reservat, verum etiam à Summo Pontifice; sic casus reservati à provinciali possunt absolvi à Generali. Archiepiscopus verò subditos suorum suffraganeorum non potest absolvere à casibus reservatis ab Episcopis suffraganeis, nisi in casu visitationis provinciæ, in causa appellationis ad ipsum *cap. ult. de censib. in* 6. quia in his casibus censetur superior *Coninch. disp.* 8. *dub.* 3. *nu.* 21. Episcopus si incidat in casum à se ipso reservatum potest ab omni absolvi, quia ipse non potest se ipsum ligare: si verò peccatum sit reservatum ipsi Prælato, sed ab alio superiore, ut à Summo Pontifice, tunc potest à suo Confessario absolvi, quod patet ex *cap. fin. de pænit. & remiss. Sanchez lib.* 8. *disp.* 3 *de matrim* qui id extendit ad casus illos, qui in *Trid. sess* 24. *de refor. cap.* 6. Episcopo committuntur, licet sint Papæ reservati, idem *Sanchez in summa lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 11. *Suarez de pænit. disp.* 30. *sect.* 2. & 5. *tom. de censur. disp.* 4. *sect.* 2. *nu.* 10 Vicarius Episcopi potest facere se absolvere à reservatis sicut potest dare pro aliis, ut contra multos docent *Diana tom.* 2. *tract.* 4. *resol.* 147. *de Sacrament.* sequitur *Lugo disp.* 20. *sect.* 5. si Prælatus regularis committat casum reservatum, an possit absolvi ab inferiori Confessario, cui facultatem ipse tradat, quæstio est, negat *Peregrinus de Prælatis suæ Religionis Theatinæ in comment. ad constitutiones suas par.* 1. *cap.* 9. *lit. C.* §. 1 & *in addit. par.* 3. *q.* 1. quam tamen prohibitionem non esse in eadem Religione docet *P. Diana* ejusdem Religionis alumnus, & Prælatus *tom.* 3. *de dub regul. resol.* 3. *tract.* 4. *Miscel. resol.* 1. *in Societate Jesu* ait *P. Lugo disp.* 20. *sect.* 5. *nu.* 60. non posse provinciales committentes casum reservatum absolvi, nisi à Confessario assignato per Generalem, nec superiorem localem posse absolvi à Provinciali, *Lugo disp.* 20 *sect.* 5. *num.* 60.

Pænitens si de uno Episcopatu, ubi commisit casum reservatum accedat ad alium Episcopatum, ubi casus non est reservatus, potest ibi confiteri, & absolvi, communiter DD. apud *Dianam* 1. *tom. tract.* 3. *Miscell. resol.* 16. *Lugo disp.* 20. *sect.* 5. ratio est, tum quia confessarius non tenetur scire alteri Episcopo reservata, tùm quia debet pænitens judicari secundum leges loci, in quo reperitur, sed ubi reperitur casus non sunt reservati, ergo quod intellige dummodo pænitens id non faciat in fraudem proprij Ordinarij secundum opinionem probabiliorem, quamvis secundum opinionem probabilem, quam tenet *Pont. de matr. lib.* 5. *c.* 9. *n.* 6 possit quis licitè absolvi etiamsi in fraudem proprij Episcopi accederet ad alium, ratio est, quia in tali casu non adest fraus illicita, nec dolus malus, sed utitur quis jure suo, sicut si in fraudem *Trid.* ut contrahat quis sine testibus, & Parocho proficiscatur partes ubi Concilium non est receptum possunt validè contrahere clandestinè, quia ità faciens non utitur mala fraude, nec dolo illicito, *Diana par.* 3. *tract.* 6. *resol.* 38.

Sciendum est quartò, quod quando Confessarius advertit pænitentem habere casum reservatum, debet eum mittere ad superiorem pro absolutione reservati, nisi forte ipse Confessarius velit petere facultatem, qua possit pænitentem absolvere, quam tamen facultatem tenetur superior concedere per se loquendo pænitenti petenti per se, vel per alium, quia casuum reservatio est inducta in favorem pænitentis, ut resipiscat, & melius in via spirituali dirigatur, communiter DD. apud *Coninch. tom.* 2. *disp.* 8. *dub.* 4. *Suarez disp.* 30. *sect.* 4 *Filliuc. tract.* 7. *cap.* 10. *q.* 7. *n.* 291. immo si confessarius petat licentiam absolvendi à casu reservato, & superior neget sine causa, poterit pro ea vice tantùm absolvere, currente necessitate communicandi, vel celebrandi ex parte pænitentis, ità *Fagundez* contra *Suarez præcept.* 3. *lib.* 3 *cap.* 9. *nu* 17. *per tot.* & respectu regularium est Bulla Pauli V. quam refert *Naldus in verb religio Alphonsus de Leone de offic. Confess. tom.* 2. *recollect.* 6. *Diana par.* 3 *tractat.* 2. *resol.* 126. Superior verò Confessarius pænitentem habentem reservata, & non reservata, non potest absolvere à reservatis, & mittere ad inferiorem pro non reservatis, quia confessio sacramentalis debet esse integra, ergo non est licitum eam dimidiare sine rationabili causa, ut si esset superior gravibus negottis gressus, & non posset omnia pænitentis peccata audire, hoc enim casu id fieri posset, & esset sacramentalis absolutio primam gratiam conferens in prima absolutione, per secundam verò conferetur augmentum gratiæ, & remitterentur omnia, cum obligatione tamen accedendi ad aliud Confessarium. Casu verò, quo quis absolutus à reservatis per superiorem Sacerdotem, non teneretur inferiori eadem reservata confiteri, quia jam fuit à reservatis directè absolutus, sicut neque eo casu, quo pænitens potest dimidiare confessionem tenetur peccata jam confessa iterum confiteri, DD. citati, latè *Coninch. disp.* 7. *de pænit dub.* 9. *n.* 82. *Lugo disp.* 20. *sect.* 6. si verò quis per noctem integram non haberet commoditatem confitendi reservata, posset ea confiteri Sacerdoti ordinario, quia mora unius noctis est longum tempus, *Diana par.* 5. *tract.* 13. *resol.* 8. *per totam.*

Hoc ipsum ampliatur, ut non possit fieri à Sacerdote inferiori circa non reservata remittendo eum ad superiorem pro reservatis absque insta, & rationabili causa, *Coninch. disp.* 17. *dub.* 9. *num.* 103.

Sciendum est quintò, quod facta semel confessione cum potente absolvere à reservatis, censetur ablata reservatio pro omnibus, quæ pænitens propter oblivionem omisit, ut tenent communiter DD. apud *Coninch. de pænit. disp.* 8. *dub.* 12. *num.* 98. & sequitur *Lugo disp.* 20. *sect.* 7. licèt superioris voluntas est, quod voluerit omnem censuram etiam oblitam tollere, sibi reservatam per absolutionem à censuris generalem, quam præmittit. Sic si quis pænitens confessus

sit

tempore Jubilei cum intentione lucrandi Jubilæum, & postea non lucretur, quia non facit cætera requisita, tunc quoad peccata reservata, quæ confessus est manet absolutus, sine obligatione ea iterum confitendi, quia jam fuerant directè absoluta, & ablata per absolutionem, sed an peccet mortaliter pænitens non observando aliqua requisita ad jubileum lucrandum, postquam virtute alius absolutionem obtinuit? affirmat peccare mortaliter, *Suarez tom. 20. de Religione lib. 6. de voto cap.* 16. *n.* 11. sed negat *Sanchez lib. 4. summæ cap.* 54. *n.* 42. *Henriquez lib. 6. summæ cap.* 16. *n.* 6. quia nullum sufficiens fundamentum invenitur ad inducendam talem obligationem; oblita verò peccata, an maneant postea reservata, quæstio est? affirmat *Vasquez* . *dub.* 5. *n.* 40. negat *Suarez ubi supra sect.* 4. . 25. *Sanchez ubi supra nu* 25. quia quando absolutio aliqua absolutè confertur, non debemus illam interpraetari, esse dependentem à conditione futura; cum ergo Confessarius tunc absolvat absolutè à peccatis quantum potest, sicut & à censuris, atque à censuris non absolvat dependenter ab eventu futuro, idem dicere debemus de tota absolutione à peccatis, in qua includitur, ut diximus ablatio vinculi reserv tionis pro oblitis, atque adeò illud etiam vinculum absolutè aufert: si autem solùm sub conditione futura voluisset auferre, debuerat id explicare, sicut frequenter id explicatur in dispensatione voti, vel absolutione à censura ad reincidentiam.

Est tamen difficultas, an si tempore Jubilei nullam confessionem fecit, possit postea absolvi à reservatis, quæ habebat, quod potest contingere. Primo, si fecit examen, & peccatum non invenit, quod confiteretur. Secundo, quia non habuit copiam Confessarij. Tertiò, quando non solum Confessarius non fuerit, sed neque expleverit opera injuncta, & requisita ad Jubileum, licet à principio cæperit ea facere cum animo illud lucrandi In primo casu *Diana tom. 3. tract. 4. de Sacram. resol.* 150. scilicet si fecit examen, & peccat m non invenit, quod confiteretur, citat pro negativa opinione *Sanchez lib. 8. de matrim. disp.* 15. *n.* 21. *&* *Suarez ubi sup. sect.* 4. *n.* 9. *&* 24. sed neuter id dicit nam loquuntur quando non posuit alia opera ad jubileum requisita. Tu verò dicas, quod si prædictus pænitens fecit omnia alia opera, & non invenit, quod confiteretur, potest postea virtute Jubilei præteriti absolvi à reservatis oblitis, sequitur *Lugo disp.* 20. *sect.* 7. *num.* 102.

Sed quæres an per confessionem factam invalidam superiori auferatur reservatio?

Respondeo affirmativè, puta si non confiteatur integrè peccata sacerdoti superiori, etiam si tempore Jubilei confessio fiat invalida, dummodò fiat ei, qui habet potestatem absolvendi, ut contra *Sanchez lib. 4. summæ cap.* 54. *num.* 45. *& lib. 8. de matrim. disp.* 15. & alios, quos refert, & sequitur *Diana* 1. *tom. tract. de Bulla Cruciatæ resol.* 18. *& tom.* 3. *tract. miscell. resol.* 24. docent *Vasquez ubi supra dub.* 5. *n.* 33. *&* 38. *Comitolus lib.* 1. *responsorum moralium q.* 30 *num.* 2. ubi alios adducit, quidquid aliter distinguat *Lugo disp.* 20. *sect.* 7. *num.* 108.

Sciendum est sexto, posse facultatem absolvendi à reservatis delegare omnes illos, qui reservant, vel qui habent ordinariam potestatem ad eorum absolutionem, quod si quis petit à Prælato ejus auctoritatem pro uno suo subdito, pro una vice, in hac petitione includitur ipse qui petit, itaut virtute illius licentiæ possit ipse absolvi, *Alphonsus de Leone de offic. Confessarij tom.* 2. *recoll.* 6. *nu.* 31. quicquid aliter distinguant alij apud *Dianam* 2. *tom. tract.* 4. *de Sacram. resol.* 142. Si verò petatur facultas absolvendi pro hac vice, est quæstio an extendatur ad peccatum commissum post petitam, & obtentam facultatem, v. g. Parochus petit licentiam absolvendi Cajum à casu reservato: illo tempore inter medio post petitam licentiam usque ad confessionem incidit pænitens in alia duo, vel tria peccata reservata: quæstio est an possit absolvi? Negant aliqui, affirmant alij, & verius, quia quando facultas conceditur absolutè, & illimitatè, non debet à nobis sine causa limitari: ità *Bonacina disp.* 1. *de legibus*, *q.* 3. *puncto* 3. *§.* 1. *num.* 11. sequitur *Diana tom.* 2. *tract.* 4. *miscell. resol.* 109. aliter distinguunt alij cum *Lugo disp.* 20. *sect* 8. *n.* 121. & possunt peccata reservata absolvi virtute jubilei, etiam si commissa essent in confidentiam ipsius jubilei concedendi, communiter DD. apud *Sanchez lib.* 4. *summæ cap.* 54. *n.* 18 *Filiuccius tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 10. n. 262. *Sanctarellus de jubileo cap.* 8. *dub.* 10. quia ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, ergò quia in jubileo, vel alia facultate datur licentia absolvendi ab omnibus peccatis, non debet facultas restringi ad ea, quæ non sunt facta ob confidentiam privilegij; Immò nota, quod si quis ultimo sabbato jubilei accessit ad confessionem faciendam, & quia longa est, differtur in sequentem hebdomadam, si postea inveniat Confessarius, pænitentem incidisse in novum casum reservatum, potest eum ab illo etiam absolvere, *Bartholomæus de S. Fausto lib. 4. de Jubileo q.* 133. putat probabile *Sanctarellus de jubileo cap.* 8. *dub.* 7. *Diana tract.* 4. *de Sacramentis resol.* 147. quicquid dicant alij, quos sequitur *Lugo disp.* 20. *sect.* 8. *nu.* 134. sicut potest Confessarius absolutionem differre, & retinere facultatem ad absolvendum à reservatis præteritis, quia causa cæpta fuerat, quando Confessarius habebat jurisdictionem.

Et si quis sine animo lucrandi jubileum transigit utramque hebdomadam, & die ipso sabbati in fine secundæ hebdomadæ mutato animo velit illud lucrari, poterit absolvi virtute jubilei; *Lavorius de jubileo par.* 1. *cap.* 21. *nu.* 53. *Diana tract.* 4. *de sacramentis resol.* 152. potest enim talis Confessarius commutare tunc iejunia, quæ jam observare non poterit, poterit etiam commutare visitationem Ecclesiæ si fortè nec hoc facere possit, & tunc pænitens faciendo ipsa die sabbati ea opera subrogata, & eadem die confitendo, & suscepta Eucharistia die sequenti poterit lucrari jubileum, & sic potuit virtute illius absolvi die præcedenti à reservatis, & censuris.

Sciendum est septimo, Sacerdotes in articulo mortis quoscumque posse absolvere ab omnibus reservatis directè, & per se, & censuris, *cap. eos qui de sentent. excomm. in* 6. qui verò impedimento perpetuo, vel temporali prohiberetur, nè possit Romanum Pontificem adira pro absolutione excommunicationis Sedi Apostolicæ reservatæ, potest ab Episcopo proprio absolvi, ità tamen, ut cessante impedimento debeat se Romano Pontifici, vel ejus delegato præsentare, alioquin in eandem excommunicationem reincidit, *cap. mulieres*, *cap. noscitur*, *cap.*

quamvis,

Google

quamvis, *cap. de catero de sent. excomm. cap. eos qui eod. tit. in 6.* in quibus locis sermo est de excommunicatione contracta ob Clerici percussionem, quam regulam extendunt DD. ad omnem excommunicationem Summo Pontifici reservatam, cum eadem omnium sit ratio: unde poterit ab Episcopo absolvi mulier, impubes, valetudinarius, pauper, &c. qui non possunt iter agere, qui debent sub juramento obligari ad comparendum cessante impedimento, qui verò non potest adire Pontificem, potest adire Nuntium, vel Legatu potentem absolvere, non potest ab Episcopo absolvi. *Bonacin. de censur. disp. 1. q. 3. par. 2. Lug. disp. 20. sect. 10. n. 220.* Quod onus comparendi post absolutionem semel habitam, non datur in peccatis, nisi habeant annexam censuram, seù excommunicationem *Lugo disp. 20. sect. 10.*

Sciendum est octavo, quod Sacerdos habens casum reservatum cum excommunicatione annexum, urgente necessitate celebrandi ad evitandum scandalum, vel grave damnum, scilicet infamiæ, non habens Sacerdotem superiorem, non tenetur confiteri Sacerdoti inferiori, sed potest celebrare sine prævia confessione cum Sacerdote inferiori, sed tantùm cum actu contritionis, tanquam non habens copiam Confessarij, ratio est, quia hoc casu supponitur non habere copiam Confessarij *Vasq. tom. 4. de excommun. dub. 4. n. 8. & 3.* communiter Scotistæ, quos sequitur *Megala par. 1. lib. 5. cap. 19. Ledesma in summa tom. 1. cap. 2. diffic. 2. Diana p. 5. tract. 13. resol. 19. & 20.*

Sciendum est ultimo, quod Confessarius qui malè absolvit pænitentem de aliquo casu reservato, non habens jurisdictionem, debet petere juridictionem à superiore, & posteà si non adest scandalum, monere pænitentem ad iterum pænitendum, vel si pænitens inscius veniat ad secundam confessionem petat Confessarius ab eo, an doleat etiam de peccatis, in præcedente confessione dictis, & cupiat si qua ratione necesse sit ab eis etiam absolvi, & si dicat, quod sic, eum absolvat, nihil dicendo de defectibus primæ confessionis, *Coninch. de Sacram. pænit. disp. 8. dub. 17. n. 141. & 143. Nugnus in 3. par. quæst. 8. art. 3.* licet alij dicant, scilicet *Valerus in verb. pænit. diff. 9.* hoc casu nihil à Confessario faciendum esse, nec impetrandam esse à Superiore licentiam absolvendi, *arg. tex in cap. quia circa de consang. & affinitat.* nam taliter absolutus est ab omnibus absolutus, directè scilicet à non reservatis, & indirectè à reservatis per infusionem gratiæ: Sequuntur plures relati per *Dian. tract. 15. resol. 60.*

In §. Sed nec contritio.

AGitur hic de satisfactione, quæ est altera pars Sacramenti pænitentiæ. Ad cujus intelligentiam

Sciendum est primo satisfactionem posse accipi pro actione, qua quis facit quantum debet, ut est actio solvendi respectu debitoris solventis debitum creditori. Secundò potest accipi pro compensatione injuriæ illatæ. Tertiò pro compensatione pænæ temporalis debitæ propter injuriam Deo illatam per peccata, & ità sumitur in præsenti; undè definitur, ut sit compensatio pænæ temporalis, debitæ ob injuriam Deo illatam, consistens in operibus pænalibus, & laboriosis taxatis à Confessario, quæ quidem satisfactio ex opere operato remittit pænam, *Suarez disp. 28. sect. 2. Vasq. 3. par. q. 93. art. 1. dub. 5.* non tamen semper remittit omnem pænam debitam in purgatorio, *Suarez ubi sup.* qui cum Theologis docet valere Sacramentum pœnitentiæ, etiamsi Sacerdos nullam imposuerit satisfactionem, licet peccet Sacerdos pænitentiam non imponendo absque rationabili causa, quia satisfactio non est pars essentialis, sed integralis.

Sciendum secundò est, teneri Confessarium per se loquendo imponere pænitentiam, & satisfactionem sacramentalem; patet id *ex c. omnis utriusque sexus de pænit & remiss. Trid. sess. 14. cap. 3. & 8. de Sacram. pænit.* quia tenetur facere, ut Sacramentum sit integrum, sed ad integritatem requiritur satisfactio, seù pænitentia, ergo ad hanc tenetur Confessarius, sed si ob peccata levia, scilicet venialia Sacerdos deberet imponere pænitentiam pænitenti, & eam non imponeret, peccaret Sacerdos solum venialiter, *Lugo disp. 25. de pænit. sect. 4. n. 49.* est etiam quæstio, an possit Confessarius pænitentiam levem imponere sub peccato mortali faciendam? affirmat *Sancius in select. disp. 15. n. 14. & 15.* communiter negant apud *Marollam tom. 2. disp. 4. cap. 3. dub. 25. n. 283. Diana par. 5. tract. 5. res. 51.*

Quod si pœnitens esset morti proximus tunc non est necesse, ut imponatur pœnitentia, sed potest Confessarius imponere, solum tunsionem pectoris, aut brevem orationem, vel invocationem nominis Jesu, vel aliquid aliud bonum, vel opus aliquod sub conditione adimplendum, si valetudinem recuperaverit; vel poterit ei injungere, ut patienter ferat infirmitatem, quam tamen non raro Confessarius injungat, quia fieri potest, ut afferat magnam molestiam infirmo timenti, se non ritè satisfacere pænitentiæ injunctæ, sic etiam si frequenter intrà eandem horam accesserit scrupulosus ad Confessarium, tunc poterit eandam pænitentiam prius impositam imponere.

An verò possit Confessarius imponere pænitentiam absque præcepto, & obligatione, sed solùm liberè, & de consilio implendam, quæstio est? Negant alij, quos sequitur *Lugo disp. 25. sect. 4. n. 54* affirmant alij communiter apud *Dianam tract. 4. de Sacram. resol. 83.* quas refert, & sequitur ipse. Ratio est, quia effectus satisfactionis sacramentalis est ligare, & solvere sed hoc habetur per talem pœnitentiam, ergo. Probatur minor quia ligat Sacerdos, quatenus imponit pænitentiam ad finem consequendi remissionem pœnæ ex opere operato: solvit etiam quatenus facienti talem pænitentiam commutat pænam purgatorij, in faciliorem pænam, quæ per se, & sine virtute clavium necessari esset.

Sciendum est tertiò, opera, quæ possunt imponi pro pœnitentia, esse opera satisfactionis, scilicet jejunium, eleemosynam, orationem; potest etiam dari pro pœnitentia officium mortuorum, vel alia oratio, recitanda pro animabus purgatorij, ut contra *Sancium disp. 16. in select.* tenent alij apud *Dianam par. 3 tract. 4. resol. 54.* quia non opus est, ut pœnitens satisfactionem operis sibi applicet. Potest etiam imponi à Confessario pro pænitentia; quod abstineat à communione per aliquot dies, ut contra *Sancium disp. 33.* tenet *Lugo disp. 25. sect. 4. n. 65*, ratio est, quia licet frequentia communionis si res valdà bona; negar

negari tamen non potest, quin non possit ex circumstantiis prohiberi, sed regulariter id non expedit imponere pro pænitentia, licet in casu rarissimo negari non possit quin possit utiliter imponi. Potest imponi pro pænitentia actus internus, *Suarez disput.* 33. *sect.* 6. *Coninch. disp.* 10. *nu.* 67. & alij, quos sequitur *Lugo disp.* 25. *sect.* 4. *num.* 67. Possunt etiam imponi opera alias debita ex præcepto; si tamen Sacerdos id non explicet, intelligitur communiter loqui de operibus superegationis, ut si imponat jejunium, vel auditionem sacri, censetur velle jejunium, aut sacrum non debitum, nisi ex circumstantiis oppositum posset præsumi; aliquando consulendus esset Sacerdos propter dubium, ut si ecclesiastico, qui debent omnia superflua dare pauperibus, imponatur eleemosyna, præsertim in magna quantitate DD. communiter apud *Dianam tract.* 4. *de Sacram. resol.* 84. *& tom.* 3. *tract.* 4 *Miscell. resol.* 241. *Lugo disp.* 25. *sect.* 4. *in fine*, *& par.* 5. *tract.* 14. *resol.* 61. *& tract.* 13. *resol.* 37. qui verò per confessionem habuit (vigore litterarum alicujus dispensationis) pœnitentiam, ut singulis mensibus confiteatur, si aliquo mense non confiteatur, non tenetur deindè supplere confessionem omissam alio mense, eam duplicando, sicut vovens quotidie recitare, non tenetur praces alicujus diei omissas supplere, *Sanchez lib.* 8. *de matrim. disput.* 34. *num.* 37. *Diana par.* 5. *tract.* 14. *resol.* 31. qui etiam addunt quod eo mense, quo pænitens vellet satisfacere præcepto annuæ confessionis, unam tantum tenetur facare confessionem, eaque satisfaciet tùm obligationi Ecclesiæ, tùm dispensationi, quia non est credibile voluisse Pontificem majus imponere onus: quod idem dicit *Sanchez* de eo, qui vovit confessionem singulis mensibus, vel per aliquos annos babuit à Confessario impositam singulis mensibus confessionem, & in aliquo illorum coincidit præceptum Ecclesiæ, in his casibus non tenetur ad duplicem confessionem, quæ valdè nota quia practicabilia.

Sciendum est quartò, quod Confessarius tenetur pænitentiam imponere secundùm gravitatem peccatorum, & qualitatem pænitentis, *Trid. sess.* 24. *cap.* 8. Undè pænitenti magis contrito minor est imponenda pænitentia, & minus contrito major, & tempore jubilæi, ubi indulgentiæ tollunt debitum ad pænam, mitior imponi debet pænitentia, licèt verò imponantur modicæ pænitentiæ, tamen potest suppleri id, in quo deficiunt prædictæ pænitentiæ, elevando Confessarius opera pænitentis ad satisfactionem ex opere operato, pro peccatis confessis per illa verba, *Quidquid bonifeceris, & mali substinueris sit tibi in remissionem peccatorum*, DD. citati potest verù Confessarius imponere pænitentiam, tam ante, quàm post absolutionem sacramentalem, tùm quia est pars integralis Sacramenti: tùm quia quæ incontinenter fiunt censentur inesse, *cap. præterea de testibus cogendis*, *l. lecta*, *ff. si cert. pet.* ergo satisfactio, quæ injungitur post Sacramentum censetur in ipso Sacramento injuncta, *Diana par.* 5. *tract.* 13. *resol.* 36.

Sciendum est quintò, pœnitentem teneri acceptare pœnitentiam sacramentalem sub peccato mortali, eamque acceptatam implere: est contra *Scotum*, & alios, qui tenent obligari pænitentem ad acceptandam, sed post acceptatam non teneri implere; est etiam contra alios, qui dicunt neque esse obligationem acceptandi, neque implendi acceptatam, ità *Cajetanus tom.* 1. *opusc. tract.* 6. *q.* 2. *ad* 2. sed nostra sententia est vera, & oppositam negantem esse contra fidem, præsertim post *Trid.* docet *Vasq. in* 3. *par. de pænit. disp.* 94. *art.* 1. *dub.* 1. *Suarez disp.* 38. *sect.* 7. dicit esse solum temerariam opinionem, neque audias eos DD. qui oppositam opinionem vocant probabilem, quos congerit *Diana tom.* 1. *tract.* 1. *Miscell. resol.* 52. *& tom.* 2. *tract.* 4. *de sacram. resol.* 51. *Lugo disput.* 25. *sect.* 5. qui hanc opinionem tenet.

Probatur ex *Trid. sess.* 14. *cap.* 8. ubi dicitur, Sacerdotem debere imponere pænitentiam pro qualitate criminum, nè si levem imponat, particeps sit peccatorum pænitentis, quam satisfactionem debet curare, ut non solum sit in medicinam, sed etiam in vindictam, nam claves non solum ad ligandum, sed etiam ad solvendum concessæ sunt, ergo pænitens tenetur eam acceptare, quia si ipse pænitens non teneretur acceptare, non peccaret Sacerdos non imponendo, vel levem imponendo. Secundò probatur ex *Concilio Salegunodiensi cap.* 18. *in* 3. *tom. Concilior. &* *ex Leone Papa epist.* 89. *vel* 91. *& ex cap. omnis utriusque sexus de pænit. & remiss.* ubi confessio, & impletio pænitentiæ eodem modo præcipitur, & ex *cap. ab infirmis* 26. *quæst.* 7. ubi dicitur, quod infirmus si convaluerit impleat diligenter pænitentiam sibi impositam, & alia etiam testimonia ex partibus affert *Bellarmin. lib.* 4. *dè pænit. cap.* 5.

Undè collige, peccare mortaliter pænitentem, non implentem pænitentiam impositam pro peccatis mortalibus alias non confessis, quia facit contra obligationem in re gravi, sed si non adimplet pænitentiam levem, vel partem levem magnæ pænitentiæ, tunc non peccat mortaliter, vel impositam pro peccatis venialibus, aut alias confessis, quidquid aliter distinguat *Lugo disput.* 25. *sect.* 5. *n.* 74. qui dicit, quod si pro peccatis venialibus, vel mortalibus alias confessis imponatur gravis pænitentia, tenetur pænitens eam adimplere sub peccato mortali si verò pænitens ante absolutionem diceret nolo absolvi, eo quod timeret gravem sibi imponendam pænitentiam, non peccat mortaliter, quia non adhuc contraxerat obligationem illam acceptandi, ut cum *Suarez*, *& Conincho* docet *Lugo disput.* 25. *sect.* 5. n. 77.

Collige secundò, pænitentem, qui habuit pænitentiam à Confessario faciendam infra præfixum tempus teneri eam adimplere intra illud tempus præfixum: si tamen præfixit id ut sit onus diei, ut si velit ut singulis diebus recitet coronam, vel jejunet omni sabbato in honorem B. Virginis, hoc enim casu peccat mortaliter non faciens die præfixo, nisi tamen excusetur ob aliquam justam causam. Verùm si sine causa id omittat facere, peccat mortaliter, sed non tenetur ae aliud opus faciendum, quando verò est præfixum tempus non ad finiendam obligationem, sed nè diutius differatur, puta si præcipiat non differri ultra mensem confessionem, tunc non adimpleta pænitentia, non tenetur in futurum pænitens eam adimplere, legas *Lugo disput.* 25. *sect.* 5. *à n.* 90. *Diana par.* 5. *tract.* 5. *resol.* 15. *Fagundez præcept.* 2. *lib.* 9. *cap.* 3. *num.* 13.

Si verò Confessarius non præfixit tempus, ad quod teneatur pænitens adimplere pænitentiam, tunc secundùm opinionem probabiliorem tenetur quam primum potest commodè, nec debet in longum tempus differre, ut communiter tenent DD. quos sequitur *Lugo disp.* 25. *sect.* 5. alij putant, quod obligatur pænitens adimplere pænitentiam saltem intra spatium unius anni, si Confessa-

fessa.

fessarius minus tempus non præscripsit, ut colligitur ex *cap. omnis de pœnit. & remiss.* ità *Fernandez de Heredia in instruct. Confess. par. 1. docum. 4. n. 5. & docum. 8. ll. 2. n. 2.*

Quod si petas an possit pænitens, & debeat per seipsum pænitentiam implere, an verò possit per alium, & quidem dupliciter potest id peti, Primò, an possit propria auctoritate pænitens substituere sibi alium, qui faciat, quod ipse jussus fuit facere, v. g. jejunet, peregrinetur, &c. & hoc casu putant multi id posse fieri saltem quando adest rationabilis causa, ut impotentiæ, vel melioris occupationis, vel quod ille alius propter majorem devotionem melius exequetur illud opus, atque ità erit pænitenti magis fructuosa illa satisfactio per alium: ità *Sylvester in verb. satisfactio q. 3.* alij negant id fieri posse, quia satisfactio est actus pænitentis, ergo non potest ab alio fieri, sequitur *Lug. disp. 5. sect. 5.* Ille verò, qui redditus est impotens ad pænitentiam sibi impositam implendam, non tenetur ad illam implendam per alium, etiamsi commodè id facere posset, nam præceptum non fuit de procurando alieno jejunio, sed de jejunio proprio, quod cum non possit, poni cessat obligatio sicut qui oblitus est pænitentiæ sibi impositæ à Confessario, manet liber ab oblatione illius præcepti, quamdiù non recordatur, & Confessarium consulere non potest, nec tenetur iterum confessionem repetere, ut pænitentiam iterum accipiat. Quod verum est etiam si culpabiliter oblitus sit pænitentiæ prioris, quia tunc satis erit confiteri peccatum illius negligentiæ, & oblivionis culpabilis, ut benè *Vasquez de pænit. q. 49. art. 2. dub. 2.*

Collige tertiò, quod si alicui sit imposita pænitentia jejunii in duplici feria feata sequenti, ipse autem oblitus fuerit, debet posteà jejunare aliis duabus feriis featis, nec debet manere liber à præcepto, quia non est intentio Confessarii, ità alligata ad talem diem, ut velit esse pondus illius diei, quo elapso, maneat pænitens liber, sicut contingit in recitatione officij, vel auditione sacri, sed principaliter intendit satisfactionem, secundariò præscribit terminum diei, ut certius fiat, & non differatur ulterius, undè dicunt DD. posse posteà pœnitentem jejunare aliis duobus diebus extra featas ferias, quia illa circumstantia videtur levis, ut benè *Lugo disp. 5. sect. 5. n. 58.*

Collige quartò quid dicendum ad quæstionem an possit pœnitens injunctam sibi pœnitentem implere per susceptionem indulgentiæ? distingunt communiter DD. duos casus. Primus est quando pœnitentia est imposita tantùm in satisfactionem culparum commissarum, & tunc potest id fieri, quia pœnitens per indulgentiam susceptam satisfacit pœnis debitis pro peccatis, & ideò si quis ex devotione recitabat officium B. M. Virg. singulis diebus, & posteà habuit pœnitentiam recitandi per annum singulis diebus tertiam partem Rosarij B. M. Virginis, satisfaceret prædictæ pœnitentiæ cum recitatione dicti officii, ut benè *Bonacina tom. 1. disp. 5. sect. 3. punt. 4. nu. 8.* qui docet obligationem pœnitentiæ cessare non solùm per indulgentias, verùm etiam per remissionem pœnæ, alia via obtemptam, & per alia opera satisfactoria propria, sibi applicato, nam eadem ratio militat in indulgentiis, & aliis operibus piis satisfactoriis, *Diana par. 3. tractat. 4. resol. 206.* mihi verò videtur id non posse dici, quia opus injunctum à Confessario habet virtutem satisfaciendi ex opere operato, cujusmodi non est illa officij recitatio. Secundus casus est, quando pœnitentia est imposita per modum medicinæ præservativæ, & tunc id fieri non potest: undè luxuriosus, cui impositum fuit jejunium à Confessario, non satisfacit suscipiendo indulgentiam plenariam, quia indulgentia non ità deservit ad præservandum à luxuria, sicut jejunium DD. communiter apud *Coninch. disputat. 12. dub. 3. num. 21.*

Collige quintò, pœnitentem, qui habuit pœnitentiam recitandi septem psalmos per aliquas featas ferias flexis genibus coram Crucifixo, satisfacere recitando dictos psalmos sine illa circumstantia accidentali situs, ut ait *Vega in summ tom. 2. c. 62. casu 6.* Alij putant non satisfacere, quia recitare flexis genibus addit aliquid substantiale, nam facilius aliquis recitabit bis septem psalmos, quam semel flexis genibus, ergo signum est Confessarios velle, ut pœnitentes sentiant illam corporis afflictionem, quæ videtur gravis, *Diana tract. 4. de Sacram. resol. 85.* At *Lugo disp. 25. sect. 5. n. 93.* distinguit quando circumstantia est gravis, & quando est levis, ubi etiam quærit quid dicendum, an pœnitens ab obligatione implendi pœnitentiam excusetur, quando non potuit circumstantiam adimplere.

Sciendum est sextò, quæstionem esse an satisfactio sacramentalis causet gratiam ex opere operato, quando ponitur? Affirmant enim multi, ità *Cajetanus*, *Sotus*, & alij, quos affert, & sequitur *Suarez disp 38. sect. 2.* sed alii probabilius negant: ità *Palatius*, *Coninch. Vasq* & alij, quos sequitur *Lugo disp. 25. sect. 1.* quia non est pars essentialis Sacramenti, & supponit culpam jam remissam, ergo, undè neque confert jus ad auxilia aliqua in ordine ad præservandum hominem à peccatis, vel ad peccata emendanda ex opere operato, quia si ea auxilia conferret, utique esset ex eo, quod confert gratiam habitualem, sed prædictam gratiam non confert, ergo: ex quo infertur, quod siquis pœnitentiam adimpleat in peccato mortali, non peccat mortaliter quia non ponit obicem gratiæ, quæ non confertur per satisfactionem sacramentalem: post alios *Diana par. 3 tract. 4. de sacram res. 70. & par. 5. tract. 13. resol. 38. Lugo dispu. 25. sect. 3. n. 30.* Immò neque est peccatum veniale adimplere pœnitentiam in peccato mortali: immò opus injunctum pro pænitentia est pars Sacramenti non solùm si fiat in peccato, sed etiam si fiat cum peccato, ut si quis oraret, v. g. vel daret eleemosynam ob vanam gloriam, vel ob finem mortalem, quia ad satisfaciendum aliis præceptis sufficit opus peccaminosum, ut per auditionem missæ peccaminosam satisfacit quis præcepto Ecclesiæ: immò si fiat tale opus cum expressa intentione non adimplendi pænitentiam, adhùc eam adimplet. *Sanchez 1. summæ cap. 13. n. 17.* qui etiam *Sanchez lib. 4. de voto cap. 13. in fine* ait, quod si alicui Confessarius imposuit pro pænitentia jejunium, vel eleemosynam disjunctim, & ipse dederit eleemosynam cum intentione non implendi pænitentiam per illam partem, sed jejunandi posteà: potest postea non jejunare, quia re vera implevit disjunctim, quod à Confessario impositum fuit, scilicet jejunare, vel dare eleemosynam, sequitur *Lugo disp. 25. sect. 3. num. 34.*

Nota tamen, quod licet talis satisfactio sacramentalis, facta in peccato mortali, non causet remissionem pœnæ pro eo tempore, quo quis est in peccato mortali, quia adest impedimentum ad talem remissionem: nam sicut Sacramentum

tum non prius tollit pænam, quàm culpam; verùm cum homo posteà resurgit per contritionem subsequentem, tunc pænitentia in peccato facta revivifcit, & producit pænæ remissionem, quam antea non produxerat, ità *Fagundez. Layman*, & alij, quos affert, & sequitur *Diana par.* 3. *tract.* 4. *de sacram. resol.* 85. & post eum *Lugo disput.* 25. *sect.* 3. *num.* 40.

Sciendum est septimo, posse pœnitentiam ab uno Confessario impositam pænitenti, ab alio commutari, sive hic alius sit inferior Confessarius respectu primi, sive superior, sive æqualis ità communiter DD. apud *Suarez de pænit. disp.* 38. *sect.* 10. *Lugo disputat.* 25. *sect* 6. ratio est, quia hoc Sacramentum est ad bonum animarum institutum, ad quod conducit maximoperè talis commutatio: tùm quia hic est usus communis Ecclesiæ. Pœnitentiam verò præservativam quando commutat Confessarius, debet eam commutare in aliam præservativam. Est tamen difficultas an possit secundus Confessarius commutare pænitentiam ab alio Confessario impositam, non audita confessione peccatorum antecedentis confessionis? Respondent communiter DD. negativè, quos afferunt *Lugo ubi sup. disputat.* 25. *sect.* 6. *num.* 108. *ubi supra resol.* 54 quia omnis actus judicialis fieri debet causa cognita circa quam versatur: qui quidem DD. in schola, vel in cella hanc opinionem docuerunt forsitan, quia contraria opinio practicatur in confessionariis, nam onus nimis grave esset pro Confessariis, & pænitentibus in commutatione alicujus pænitentiæ præteritæ iterare confessiones, cum possit confessarius de tota simul causa ex confessione aliorum peccatorum, & ex statu pænitentis, & ex ipsius testimonio habere aliquam notitiam confusam, quod plus, minusvè fuerint peccata præteritæ confessionis; ità *Fagundez præcepto* 2. *lib.* 9. *cap.* 4. n. 22. *Lugo disp.* 25. *sect.* 6. *n.* 109 Est tamen facienda commutatio prædicta in confessione sacramentali, quia est actus clavium; ergò sicut non potest secundus Confessarius ligare absque Sacramento, ità neque poterit solvere & sic commutationem facere debet in confessione non extrà prædictus secondus Confessarius, ut contra aliquos docent communiter DD. apud *Lugo*, & alios citatos.

Quando tamen ab eodem Confessario, à quo est imposita pænitentia commutatur, tunc non requiritur ut fiat intrà confessionem, nam si fiat extrà tenet; dummodò id fiat intra breve tempus dicunt aliqui, scilicet intrà mediam horam; alij dicunt intra unum, vel alterum diem, alij dicunt intra triduum, alij infra hebdomadam, alij infra octo dies circiter; alij denique dicunt etiam post longum tempus fieri, dummodò recordetur Confessarius confessionis, vel status pænitentis ad hoc ut possit mutare pænitentiam, *Lugo disp.* 25. *sect.* 6. *num.* 111.

Quando verò pænitens accedit ad secundum Confessarium dicens, se esse oblitum prioris pænitentiæ, non opus est, ut denuò confiteatur peccata, DD. apud *Coninch. de satisfactione disput.* 10. *dub.* 9. *num.* 86.

An verò possit pænitens propria auctoritate commutare sibi pænitentiam sibi à confessario impositam, in evidenter tamen meliorem, quæstio est? affirmant multi id posse fieri, ità *Portellius in dub. regularib. in verb. pænitentia Sacrament. num.* 6. *Villalobos*, & alij apud *Dianam par.* 5. *tract.* 14. *res* 74. *& p.* 1. *tract.* 1. *Miscell. res.* 53. *& p.* 3. *tract.* 4. *resol.* 53. ego tamen puto id non posse fieri cum communi DD. sententiam, quos refert, & sequitur *Lugo disp.* 25. *sect.* 6. *n.* 95. probatur, quia si hic hoc esset, sequeretur etiam in præceptis Ecclesiæ posse aliquem propria auctoritate rem præceptam commutare sibi in opus aliud, manifestè melius v. g, præcipit Ecclesia in die jejunij, ut jejonet quis ad macerationem carnis, vel auditionem missæ ad cultum Dei, aliquis ergo posset propria auctoritate uti asperrimo cilicio in die jejunij, vel Eucharistiam sumere in die missæ, & tamen nemo dicet id posse fieri tali die ex præsumpta Ecclesiæ voluntate, ergo idem posset dicere in præceptis divinis, posset enim aliquis communionem in articolo mortis præceptam de jure divino, commutare in opus magis insignè, scilicet in statum in religionis, vel in votum castitatis, aut aliud simile. Sed Confessarius in foro pænitentiæ est verus superior, & potest præcipere sicut alij superiores, ergo non poterit pænitens propria auctoritate rem præceptam in alia etiam meliora opera commutare, quando utrumque præstare potest, sicuti quando Pontifex concedit indulgentias plenarias, & alia privilegia illis, qui jejunaverint & alia pietatis opera fecerint, non possunt illi, qui talia opera possunt exercere, alia meliora facere, & lucrari jubileum, quia Pontifex talia opera exigit determinatè, ergò ità de Confessario dicimus.

De Suffragiis.

Ultra satisfactionem sacramentalem, de qua supra, dantur suffragia, quibus unus fidelis pro alio solvit debitum, & satisfacit pro alio vivo, vel defuncto, quem modum satisfaciendi dari, est de fide in articulo fidei *Sanctorum Communionem*, & latè probat *Suarez de pænit. disput.* 48. *sect.* 1. & fit hoc modo, qui Sancti, & servi Dei orantes pro nobis impetrant nobis remissionem pænæ, quæ satisfactio pro aliis, & impetratio remissionis pænæ prodest eis, infallibiliter, *Suarez ubi supra sect.* 3. *Lugo disput.* 26. *sect.* 1. *n.* 50. quando verò quis benè operatur, non potest abdicare à se satisfactionem, eam non applicando alteri, quia est satisfactio necessario dependens ab illa voluntaria pænalitate, neque potest eam reponere in thesauro Ecclesiæ, quia hoc non pendet ab hominis voluntate, sed fit hoc à Deo, ex æquitate quadam, qui id, quod justo superest, reservat in utilitatem aliorum, quare dum ego indigeo, non possum illum abdicare, nisi applicando alteri indigenti; hinc si to applicas alicui defuncto jejonium hodie, & talis sit damnatus, vel beatus, fructus satisfactionis redit ad te, tibique prodest, quia non aliter potest illud abdicare, nisi quatenus applices alteri, quæ applicatio in casu illo non habuit effectu, Non tamen possum ego alteri applicare satisfactionem, quæ mihi venit ex opere operato scilicet per sacramentalem pænitentiam, vel quæ mihi provenit ex jejunio alterius mihi applicatn, quia ego talium operum non sum dominus activè, ut possim disponere, sed passivè me habeo, & sequeretur quod martyr, vel qui baptizatus est adultus, posset mihi offerre satisfactionem, & ipse permanere in purgatorio ad suo debito satisfaciendum, quod est absurdum: sic si quis offerat sacrificium pro me, non possum ego fructum mihi provenientem alteri applicare, quia ego offerrem

pro

pro ipso sacrificium: possum verò ego petere, ut Petrus dicat missam ad meam intentionem, ego deinde offerre pro alio, sed nunc non applico ego, sed Sacerdos pro persona, quæ est io mente mea; sed si Sacredos offerat pro me, non possum ego alteri offerre: Sacerdos verò fructum, sibi debitum ex sacrificio, potest applicare cui voluerit *Lugo disp.* 26. *sect.* 1.

Nota tamen primo, non posse offerri suffragia pro Beatis, cum ipsi nullum habeant debitum pænæ solvendum, neque prosunt suffragia illis, qui sunt in Inferno, *Suarez disp.* 48. *sect.* 4. Animabus purgatorij prosunt, ut est de fide, in *Trident.* definitum *sess.* 25. in principio, immò suffragium, quod pro uno defuncto applicatur, prodest indirectè aliis, quia cum omnes illæ animæ purgatorij habeant in se maximam unionem, & connexionem charitatis; eo ipso, quod una sublevatur, cæteræ recipiunt gaudium accidentale, ut post alios *Lugo disp.* 26. *sect.* 2. *num.* 18.

Nota secundo, quod ad hoc ut suffragium operetus effectum suum pro eo, pro quo offertur, requlritur primo ex parte illius, pro quo offertur, quod sit in statu gratiæ, quia alioquin non habet communicationem sufficientem cum aliis membris vivis, cum sit membrum mortuum. Secundo requiritur quod culpa sit jam remissa ad hoc, ut possit suffragium prodesse, ad delendum reatum pænæ, *Suarez disp.* 48. *sect.* 7. Tertio requiritur, quod ille, pro quo offertur acceptet, quæ acceptatio non requiritur formalis, sed sufficit interpretativa, seu voluntas generalis, quam quis habet liberandi se à debito pænæ quocumque modo possit, ità *Suarez d. sect.* 7. sed alij, quos sequitur *Lugo disp.* 26. *sect.* 2. *nu.* 26. non requirunt prædicta acceptationem.

In illis verò, qui suffragia offerunt, primo requiritur, quod sit in gratia, alioquin sicut non potest pro seipso, ita neque pro aliis satisfacere da condigno missa verò in ratione sacrificij habet suum effectum etiam si Sacerdos sit in peccato, quia principalis offerens est ipse Christua: si verò loquamur de illis orationibus, quæ sunt in missa, & in divino officio, quæ offeruntur nomine Ecclesiæ, hæ orationes, dictæ à ministro peccatore, habebunt impetrationem nomine Ecclesiæ, non tamen habebunt satisfactionem, quia ipse minister non potest satisfacere, cum sit in statu culpæ, Ecclesia verò non sacisfacit per illas orationes, cum non sint opus pænale ipsius Ecclesiæ, nec actus ab ea elicicitus, sed solum impetratus, & sic restat sola efficacia impetrandi, quatenus Ecclesia per os illius ministri repræsentat Deo sua preces & vota.

Secundo requiritur, quod habeat intentionem determinatam offerendi pro alio, quam si non habeat, non provenit justis diminutio pænæ debitæ, nisi operans intendat pro eis satisfacere, sed provenit quædam impetratio Indirecta de congruo, quatenus congruum est, ut propter consortium bonorum Deus benefaciat his omnibus, qui aliqua ratione ad eos pertinent, & cum eis habent aliquam conjunctionem, & talis intentio debet antecedere opus, undè non sufficit applicare coronam postquam dicta est, sicut dicimus de sacrificio missæ, & sufficit si talis intentio sit habitualis; puta si heri habui intentionem applicandi, & hodie applico, si ad indulgentiam consequendam sufficit habitualis intentio, *Diana par.* 5. *tract.* 12. *resol.* 6.

Nota tertio, quod opera relicta facienda post mortem, licet non sint defunctis satisfactoria, sunt tamen impetratoria, quia pauperes, & illi, qui accipiunt ellaemosynes, orabunt pro defuncto, & ipsamet opera movent divinam clementiam, ut misereatur animæ defuncti, & libentius exaudiat preces, quæ pro ipso offeruntur, sed prodest multum quod dentur eleemosynæ illis, qui sunt in gratia, quia eorum orationes facilius pro ejus anima exaudientur.

De Indulgentiis.

SAtisfactio fieri etiam potest per merita Christi, & Sanctorum, quæ nobis applicantur per indulgentias ab habente claves thesauri Ecclesiæ, in quo illæ reservantur. Ad cujus intelligentiam

Sciendum est primò, quod nomine indulgentiæ intelligimus nos remissionem pænæ temporalis debitæ ob peccata remissa quo ad culpam, quæ satisfactio, & remissio non fit virtute sacramenti, vel martyrij, sed per satisfactionem, Christi Domini, & Sanctorum nobis applicatam ab habente potestatem, quæ potestas concedendi indulgentias est de fide definita in *Trident. sess.* 25. *in decreto de indulgentiis*, latissimè *Henriquez lib.* 7. *de indulgentiis cap.* 3. & potestas concedendi indulgentias est actus jurisdictionis, quæ censetur collata Petro per illa verba, *Pasce oves meas*, quibus non ordo, sed jurisdictio data fuit in ordine ad subditos, qui oves appellantur. Ex quo nota obiter, non posse Pontificem indulgentias concedere cathecumeno, quia non est subditus Ecclesiæ, qui actus indulgentiarum respectu vivorum est solutio simul, & absolutio, sed respactu mortuorum est mera solutio, *Bellarminus lib.* 1. *de indulgentiis cap.* 5. *Suarez de pænit. & indulgen. disp.* 4. *sect.* 3. & 4. *Lugo disp.* 27 *sect.* 1. Quarum indulgentiarum effectus est remissio pænæ debitæ, undè per indulgentias liberatur homo ab obligatione implendi pænitentiam sacramentalem, *Coninch. de indulgent. disp.* 12. *dub.* 3. *Lugo disp.* 27. *sect.* 2. *num.* 22. patet ex *cap. cum ex eo de pænit. & remiss. & ex extravaganti antiquorum de pænit. & remiss.* ubi *glossa*: undè tempore jubilei leviores pænitantiæ possunt, & solant imponi à Confessariis, & potest idem Confessarius commutare pænitentiam pænitentis in indulgentiam aliquam plenariam, *Lugo disp.* 27. *sect.* 2. *n.* 31. Quæ indulgentiæ dispensantur ex thesauro Ecclesiæ, quam dari docet *textus* in *extravag. Unigenitus de pænit. & remiss. Cajetanus* 3. *par. q.* 48. *ar.* 5. qui thesaurus constat ex meritis, & satisfactionibus Christi, & aliorum Sanctorum superabundantibus, *d. extravag. Unigenitus*; quia Christus Dominus, & Sancti habuerunt plurimas satisfactiones, quibus tunc non indigebant, eò quia sufficienter solvissent, & satisfecissent jam prius pro debito proprio, vel quia major fuit satisfactio, quem debitum. Defunctis prosunt indulgentiæ; ad lucrandas verò indulgentias, Primò requiritur character baptismalis, quia Sum. Pontifex non potest dispensare thesaurum, nisi iis, qui pertinent ad ovile. Secundò requiritur, quod sit ratione utena, requititur etiam status gratiæ in lucrante indulgentiam, quia sicut aliena suffragia non prosunt illis, qui non sunt in gratia, sic nec Christi, vel Sanctorum satisfactiones per indulgentias applicatæ: est tamen dubium, an si omnia opera requisita fiant in peccato, & postea quando homo transacto tempore jubilei justificatur, reviviscat effectus

indulgentiæ? negant plures, affirmant multi, quos refert, & sequitur probabiliter *Diana par. 5. tract. 12. resol. 4.* quicquid aliter distinguat *Lugo disp. 27. sect. 6. n. 84.* & sunt legendi alij apud eundem *Dianam par. 4. tract. 4. resol. 94.* ratio quia omnia Sacramenta reviviscunt sublata fictione, quæ do bona fide recepta sunt ab eo, qui credebat se benè dispositum, ergò etiam indulgentiæ, cum verò requiritur, ut sit in gratia, intellige, quando ultimum opus præstatur, v. g. concessit Papa indulgentiam omnibus, qui jejunaverint feria quarta, sexta, & sabbato, licet quis omnibus diebus antecedentibus sit in peccato, cum est elapsa dies sabbati, tunc applicatur fructus indulgentiæ, & tunc requiritur, ut sit in gratia, communiter DD. apud *Dianam 5. tom. tract. 12. resol. 4. in fine:* opus etiam, quod præstatur in jubileo non opus est quod sit bonum moraliter secundum omnes circumstantias, sed satis est, si sit bonum secundum se in genere, puta si quis accedat ad visitandam Ecclesiam cum malo fine, scilicet vanægloriæ, vel ad alium, lucratur indulgentias, post alios *Diana par. 5. tract. 12. resol 5.* sic etiam lucratur indulgentiam quis, si faciat opera non eo principali fine, puta si quis visitat Ecclesiam principaliter ob recreationem, vel Romam iret in anno sancto propter curiositatem videndi illam principaliter, *Suarez tom. 4. in 3. par. disp. 52. sect. 6. num. 5. Diana resol. 7.*

Sciendum secundò est, indulgentiam aliam esse totalem, aliam partialem, totalis est, per quam totum debitum remittitur pœnæ temporalis, & dici solet indulgentia plenaria, quæ differt à jubileo ob aliqua indulta, quæ solent adesse jubileo. Partialis indulgentia non concedit totam remissionem debiti, sed partem, puta annos, vel dies, puta quadraginta dierum, *Suarez 3. par. disp. 50. sect. 4.* & 5. est etiam indulgentia alia realis, alia personalis: realis, quæ conceditur alicui grano, vel in imagini benedictæ: localis, quæ conceditur alicui Ecclesiæ, personalis, quæ alicui personæ conceditur Summus Pontifex potest pro toto Orbe indulgentias concedere: Episcopi habent facultatem concedendi indulgentias 40. dierum, & in ipsa Ecclesiæ dedicatione unum annum, *cap. cum ex eo de pænit. & remiss.* & potest ab eis delegari talis facultas, non tamen possunt concedere indulgentiam pro defunctis, quam habent hanc potestatem, & in suos subditos potest Episcopus concedere quatragenam indulgentiam, quod si Episcopus excedat prædictum numerum 40. dierum, non valet indulgentia, *cap. nostro, cap. cum ex eo de pænit. & remiss. cap. ult. eod. tit. in 6.* sed valebit pro quantitate debita, *Suarez disp. 55. sect. 3. nu. 13.* quia utile per inutile non vitiatur, Episcopus extrà suum territorium potest respectu suorum subditorum, etiam si ipse, & sui subditi reperiantur extra territorium; & etiam Episcopus non consecratus potest eas concedere, quia est actus jurisdictionis. Archiepiscopus in tota sua Provincia, etiam si non actu visitet, *cap. nostro de pænit. & remiss.* Indulgentia cessa per destructionem loci, vel rei, cui erat affixa, solet interdum etiam concedi, ut si amittatur granum, vel imago, aliud subrogetur pro prima vice, cum eadem indulgentia, quo casu si imago illa amissa, esset inventa, tunc non amplius prima, sed posterior habet indulgentiam, *Lugo disp. ult. sect. ult. in fine de indulgentia*, neque cessat indulgentia per mortem concedentis ad exemplum gratiæ, & privilegii, *Lugo ubi supra.*

Sciendum tertiò est, indulgentias prodesse defunctis infallibiliter, & certè ex promissione Christi facta, *Matth. 16. Quodcumque solveris, &c.* ut benè *Diana resol. 8. loc cit.* qui benè contra *Cajetan. tract. 10. opusc. q. 1. & tract. 16. q. 5.* docet, indulgentias non omnibus existentibus in purgatorio prodesse, sed illis tantum, quæ ut sibi prodessent, curam habuerunt mortuorum, quæ opinio falsa est, quia indulgentiarum applicatio fundatur in statu gratiæ: solum cathecumenis mortuis, scilicet sine baptismo putat *Suarez* ubi supra, non prodesse indulgentias, sed verior est contraria opinio, quia licet habeant characterem baptismalem, illum tamen voto susceperunt *Layman lib. 5. tract. 7. cap. 5. Diana par. 5. tract 12. resol. 9. in fin.* qui docet indulgentias non solum prodesse cathecumenis mortuis, sed etiam vivis. In concedenda indulgentia causa requiritur, quæ secundum aliquos debet esse proportionata, secundum alios sufficit quæcumque causa pia, alij dicunt, quod si detur à Papa, etiam sine causa, valet, *Emanuel Sà in verb. indulgent. il. 2. Diana par. 5. tract. 12. resol. 10.* si autem duo Papæ concesserunt pro operæ aliquo viginti dierum indulgentiam, qui illud facit, consequitur quadraginta dies, *Faustus de jubileo lib. 2. q. 39 Sanctarellus cap. 15. de jubileo dub. 1.* quicquid aliter distinguat *Diana par. 5. tract. 12. resol. 11.* & nota quod tempore jubilei possunt moniales eligere sibi omnem Confessarium approbatum, ut contra multos, dicentes, sic declarasse sacram Congregationem, tenent alij apud *Laurentium de Peyrinis privil. minim. tom. 3. cap. 4. & Diana par. 5. tract. 12. resol. 12.* qui afferunt Bullam Urbani Octavi 16. *in ordine* §. 5. Excommunicatus verò contritus, qui non potuit obtinere absolutionem, quia fortè in hæresim, vel aliud incidit, posset lucrari indulgentiam, quia non videtur esse intentionem piæ matris Ecclesiæ, velle privare hos suos filios inobedientes talibus suffragiis, ità post alios *Alphonsus de Leone de jubileo par. 1. num. 199. Bossius jubileo sect. 4. casu 22.* §. 1. *num. 12.* quicquid dicant alij, quos sequitur *Diana. par. 5. tract. 12. resol. 14.* undè secundum nostram sententiam hæreticus, qui verè se pænituit, & non potuit absolutionem obtinere, si verè contritus sit, obtinebit jubileum, & indulgentiam, idem dicas de illis, qui sunt excommunicati ob pensiones non solutas, & sunt impotentes ad solvendam.

Sciendum est quarto, quod si in Bulla jubilei, vel indulgentiæ ad eas lucrandas præscribitur eleemosyna facienda simpliciter, & indeterminatè, tunc secundum aliquos est facienda secundum qualitatem personæ, ità *Navarr. de jubileo notab. 31. nu. 34. Lavorius de jubileo par. 1. cap. 21. nu. 46. Reginald. lib. 7. cap. ult. nu. 187.* alij verò putant & melius, quamlibet parvam eleemosynam etiam unius oboli sufficere ad lucrandum jubileum, dum non est determinata quantitas, quia ad veritatem propositionis indefinitæ quælibet singularis sufficit, ità tenent *Faustus de jubileo lib. 4. q. 49. Sanctarellus de jubileo cap. 7. dub. 1. Leone de jubileo par. 2. num. 132.* & alij, quos sequitur *Diana par. 5. tract. 12. resol. 14.* Sed si dicatur in indulgentia *secundum facultates cujuscumque faciendam esse eleemosynam*, tunc ità debet fieri. Illi verò, qui sunt pauperes, & non possunt ad lucrandas indulgentias largiri eleemosynam, non egent alia commutatione in aliquod opus pium, ut contra *Sanctarellum, Alphonsum de Leone, Lavorium*, & alios

alios docet *Faustus de jub. lib. 5. q. 55. Dian. ubi sup. resol.* 15. quia hæc est mens Pontificis, quidquid dicat etiam *Lugo disp. 27. de pænit. sect. 7. n.* 115. Illi verò, qui volunt lucrari indulgentiam concessam visitantibus septem altaria, eam lucrantur, etiamsi non moveantur loco, sed satis est si uno loco fixus quis, preces fundat versus quinque altaria, & sic sufficit moveri corde ab uno altari ad aliud, etiam quando nullum adest impedimentum plures DD. quos sequitur *Diana par. 1. tract. 19. Miscell. resol.* 102. *& par. 5. tract. 12. resol.* 16. si verò in Jubileo dicatur, ut communicentur fideles in die dominico, satisfacit quis, si alio die hebdomadæ communicetur *Angelus Bossius de jubileo sect. 4. casu 20. num* 17. & pueri, qui ex defectu ætatis non possunt communicari lucrantur jubileum, si communio commutetur in aliud opus pium, sicut infirmi, & patientes tussim, vel qui die pro communione designato bibit, lucratur jubileum, si tale opus in aliud simile commutetur *Faustus de jubileo lib. 4. q. 45. Diana par 5. tract. 12. resol.* 17. Si quis non posset præ hominum multitudine ingredi Ecclesiam, sufficit foris orationem fundere ad lucrandum indulgentiam, *Layman lib. 5. tract. 7. cap. 3. n. 9.* & in his casibus cemeterium venit etiam appellatione Ecclesiæ, undè ipsum visitans lucratur jubileum, *Dianu par. 1. tract. 11. resol. 103. & par. 5. tract. 12. resol.* 19. & diruto templo, indulgentia ipsi concessa perit, eoque reædificato, iterum habet indulgentiam, & alia privilegia, *Layman ubi sup. n.* 5. si ad alium locum transferatur, ibi transferuntur indulgentiæ, & privilegia, *Suarez lib. 8. de legib. cap. 5. in fin. Diana par 5 tract. 12 resol.* 20.

Sciendum est quintò, quod si quis minimam partem operis injuncti prætermittat, consequitur indulgentiam, & jubileum, undè si præcipiantur tres dies jejunij, & quis unum omittat jejunium, non lucratur jubileum, sed si opus injunctum sit una missa, & quis omittat levem partem, lucratur jubileum, sed si præcipiatur ut quinquies recitet quis orationem Dominicam, & semel omittat quis, non lucratur, quia illa una omissio est gravis respectu totius quantitatis, *Sanctarellus de jubil. c. 7. dub. 1. Leone de jubileo par. 2 n. 150. Lavorius de jubileo par. 1. cap. 21. n. 20. Dian. de jubileo res.* 23. Quod si quis opera injuncta impleverit, partim in una hebdomada, & partim in alia lucratur jubileum, quando præscribuntur duæ hebdomadæ, *Naldus in verb. indulgentia n. 14. Layman. ubi sup. cap. 8. n. 10. dub. 4. Diana par. 5. tract. 12. resol.* 24. & Confessarius potest commutare opera præscripta ultimo die jubilei, etiamsi ex malitia omissa sint, & potest fieri commutatio die dominico secundæ hebdomadæ, *Sanctarellus de jubileo cap. 7. dub. 1. de Leone de jubileo par. 2. n 186. Dianu de jubileo par. 5. tract. 12. resol.* 26. Quod si petas an peccet mortaliter ille, qui tempore jubilei fuit absolutus à reservatis, & obtinuit commutationem votorum, si ex culpa sua voluntariè posteà non lucretur jubileum? dico cum *Portellio in dub. reg. in verb. indulgentia pro jubileo n.* 20. non peccare mortaliter, quia nihil promisit pænitens, neque Confessarius talem imposuit obligationem, *Diana par. 5. tract. 12. resol.* 42. Undè à fortiori dico, quod Confessarius pænitenti, qui visitavit Ecclesias statutis diebus, & die sabbatn confitetur, si dubitat probabiliter permansurum in occasione peccati, si tunc illum absolvat, potest differre absolutionem, & communionem ultra tempus in Bulla statutum per aliquot hebdomadas, ut illum eruat à tali occasione peccatorum, & reddatur moraliter certus, quod ad illa non redibit, & postea eum à reservatis validè absolvere poterit, sic etiam si quis ad finem jubilei vult confiteri, sed ob longam confessionem, quia scilicet habet casus valdè difficiles, & intricatos Confessarius pro temporis angustia nequit illum integrè audire potest idem Confessarius illum absolvere intrà tempus jubilei à censuris, & à casuum reservatione, & differre absolutionem peccatorum in aliud tempus, & finito tempore jubilei illum absolvere: ità quod vigore talis absolutionis remaneat absolutus, & consequi valeat fructum indulgentiæ jubilei, quod si talis pænitens, cui ex justa causa fuit delata absolutio, post tempus à jubilei bulla definitum, incidat in novos casus reservatos, & nova vota emittit, posset adhuc Confessarius illa absolvere, hæc commutare, *Angelus Bossius de jubil. sect. 1. casu 39. Dianu de jubileo resol.* 27. quidquid dicant *Sanctarell. de jub. c 8. dub. 7. & Alphonsus de Leone de jubileo par. 2. num.* 189.

Sciendum est sextò, quod si quis lucratus est jubileum in prima hebdomada, poterit illud iterum lucrari in secunda hebdomada, *Naldus in summa in verb. indulgentia nu. 4. & Alphonsus de Leone de jubileo par. 2. num. 183. Sanctarellus de jubileo cap. 5. dub. 4. Lavorius de jubileo par. 1. c. 21. num. 65. Diana de jubileo resol 28. & par. 2. & tract. 17. resol. 49. contra Portell. Faustum*, & alios apud eos, qui dicunt oppositum, & dicunt si declarasse sacram Congregationem, de qua tamen non constat authenticè, ut benè *Diana*, & alij citati pro nostra opinione. Quod si quis tempore jubilei per aliquam impotentiam phisicam, vel moralem non posset confiteri, sed contritus post alia opera præscripta, sumit communionem, lucratur jubileum, quia confessio præcipitur in jubileo, ut securior dispositio ad indulgentiam lucrandam, ergo cum confessio sacramentalis sit impossibilis, præsumendum est, piam mentem Pontificis esse, ut in tali casu sufficiat contritio, dummodo omnia alia opera injuncta in jubileo adimpleantur, post alios *Diana par. 3. tract. 4. resol.* 150. sibi contrarius scilicet ab eo, qui dicit in *5 p. tract. 12. resol.* 29. Neque ad lucrandum jubileum qui non habet mortalia, tenetur confiteri venialia, *Protell. in dub. regul. in verb. jubileum nu. 6. Diana ubi supra par. 5. d. tract. 12. resol.* 30. si verò quis præberet eleemosynam per servum, qui tamen illam non daret, lucraretur indulgentiam, & jubileum secundum, *Emanuelem Sà in verb. indulg. num.* 4. quicquid dicat *Leo de jubil. p. 2. q. 14. sect. 6. nu.* 175. *Bonacina de Sacram. disp 6. q. 1. par. 5. n.* 22. non tamen sufficit eleemosyna spiritualis, u. contra *Zanard. in director. Theolog. p. 1. de pænit cap. 21. quæst. 26. in fin.* sed debet esse eleemosyna realis, & temporalis, dummodò quis non sit pauper, qui vivat de quotidianis laboribus, vel ostiatim mendicet, nam sine ulla commutatione tales lucrantur jubileum non largiendo eleemosynam, licet securius sit in tali casu pauperes petere commutationem in aliud opus pium, vel facere sibi ipsis à Confessario applicare eleemosynam, quam pro lucranda indulgentia tenerentur, quod valdè, notat cum *Diana loc. cit. resol.* 31. unum tamen valdè nota cum *S. Fausto de jubileo lib. 4. q.* 64. quod in materia indulgentiarum non juvat opinio probabilis ad lucrandam indolgentiam, v. g. si quis prima hebdomada jejunaverit, Ecclesias adit, &c.

in secunda confessus est, & Eucharistiam sumpsit, sufficit secundum, aliquos ad lucrandum jubileum: sed hæc opinio licet sit probabilis, tamen à parte rei si esset falsa, remaneret quidem absolutus talis à reservatis, quia opinio probabilis confert jurisdictionem, non tamen lucraretur indulgentiam jubilei, & sic dicas de aliis casibus, quod valdè notat *Diana disp. 5. tract. 12. resol. 32.* Oratio, facienda in jubileo, consequendo, sufficit si sit secundum mentem Pontificis, quæ intentio non est necesse ut sit actualis, sed sufficit virtualis, videlicet, quod quis audita publicatione jubilei determinans velle illud consequi, habeat tunc propositum orandi, & præstandi reliqua juxta mentem Summi Pontificis, *Bossius de jubileo sect. 4. casu 17. num. 15.* Quando in jubileo non taxantur certæ preces, sufficit quaslibet fundere, & satis est etiam fundere alias debitas ex voto, vel pænitentia, *Diana par. 5. tract. 12. resol. 54.* & potest quis orare unà cum socio alternatim, & sedendo, vel stando, & etiam non aperto capite, & sufficit prædicta oratio quælibet etiam brevis, *Leone de jubileo par. 1. cap. 18. num. 7.* sed consulendum est omnibus, ut prolixam, & devotam quantum fieri potest faciant orationem, *Diana par. 5. tract. resol. 33.* Casu verò, quod diceretur in Bulla jubilei, ut possit Confessarius absolvere ab omibus casibus, & censuris Papæ reservatis, posset absolvere etiam à casibus Bullæ cænæ, *Bossius de jubileo sect. 1. casu 7. Diana par. 5. tract. 12. resol. 34.* non tamen poterit absolvere ab hæresi occulta hæreticum pænitentem, & emendatum, *Diana ubi supra resol. 35.*

Sciendum est septimo, quod Confessarius virtute jubilei potest commutare vota etiam extrà Sacramentalem confessionem, *Diana par. 3. tract. 2. resol. 9. & par. 4. tract. 4. resol. 8. & par. 5. tract. 12. resol. 36. Faustus de jubileo lib. 2. q. 55. Lavorius de jubileo par. 1. cap. 27. num. 56. Sanctarellus de jubileo cap. 8. dub. 8.* & potest commutare votum religionis metu extortum, vel votum castitatis etiam metu extortum, *Leo de jubileo par. 2. q. 17. sect. 1. num. 97.* quod si quis vovet alternativè, aut dare mille, aut ingredi religionem, hoc votum non est papale: sed est difficultas quid posita electione, qua quis eligit velle ingredi religionem. Putant communiter DD. esse votum papale, nec posse commutari ab Episcopo, vel à Confessario virtute jubilei, ita plures apud *Dianam par. 1. tract. 11. res. 65.* sed alij putant etiam facta determinatione, & electione non esse papale votum, ità *Angelus Bossius de jubileo sect. 2. casu 11.* & alij apud eundem *Dianam.* Quando verò votum religionis, vel castitatis perpetuæ fuit à Papa commutatum in aliam rem non reservatam, puta in eleemosynam, &c. poterit hæc materia ab alio Confessario virtute jubilei commutari. *Lavorius de jubileo par. 2. cap. 27. num. 202. Tamburrinus de jure Abbatum tom 2. disp. 18. q 8. Pontius de matrim. lib. 8. cap 8. & 2. num. 24. Diana d. par. 5. tract. 12. resol. 60.* Si Papa in jubileo concedit facultatem commutandi vota reservata, censentur commutabilia vota peregrinationis in Hierosalem, ad limina Apostolorum, & ad S. Jacobum Compostellanum, *Sanchez de matrim. lib. 8. disp. 9. Diana resol. 58.* quod si dicatur, ne commutentur vota castitatis, & religionis, poterunt commutari juramenta religionis, & perpetuæ castitatis post alios *Diana par. 4. tract. 4. resol. 70. & par. 5. tract. 12. resol. 59. de Leone par. 2. de jubileo q. 13. sect. 1. n. 83.* & habens prædictus Confessarius auctoritatem commutandi vota, extenditur dicta facultas ad juramenta promissoria Deo facta; vel vota jurata. *Pontius de matrim. lib. 8. cap. 11. n. 5. Suarez tom. 2. de religione lib. 6 cap. 14. à num. 19. Diana par. 5. tract. 42. resol. 57.* & potest quis tempore jubilei ab uno Confessario petere commutationem votorum, vel operum injunctorum, & coram alio cofiteri, *Lavorius par. 1. cap. 25. nu. 37. Diana par. 5. tract. 12. resol. 50.* Quod si contingat ut si quis post publicatum Neapoli jubileum visitavit Ecclesias, compulsus postea ex aliquo negotio è Neapoli discedere, potest in alio loco opera præscripta præstare, & jobileum lucrari; *Laymam lib. 5. tract. 7. cap. 8. n. 11. Diana par. 5. de jubileo resol. 53.*

Sciendum est octavo, quod indulgentiam stationum possunt fideles in eodem die pluries lucrari, *Angelus in verb. Indulgentia §. 4. Rosella in eodem verbo §. 12. Diana par. 5. tract. 12. resol. 45.* quia Bulla id non restringit, nec limitat: sed quoties Bulla concedit indistinctè indulgentiam visitanti talem Ecclesiam, toties eam quis lucratur, quoties eodem die moraliter, & prudenter eam visitat, ergo: & pro lucranda indulgentia sufficit oratio mentalis, vel vocalis, quidquid dicant aliqui opus esse in oratione vocali, nisi tamen aliud in Bulla exprimatur, *Diana par. 5. tract. 12. resol. 44.*

Sciendum est nono, quod si tempore jubilei quia noluit petere commutationem votorum, potest postea eo transacto illam petere, *Portellius in dub. regular. in verb. Indulgentia pro jubileo num. 18.* quia per confessionem factam tempore jubilei acquisivit jus ad hoc privilegium, sequitur *Bossius de jubileo sect. 2. casu 47. Diana par. 5. tract. 12 resol. 40.* quod si tempore jubilei obtinuerit quis commutationem votorum, sed aliquorum oblitus est, transacto eo tempore potest à dictis votis obligatis commutationem petere, non obstante, quod postea ex culpa sua jubileum non fecerit: sic si quis in principio jubilei confessus est aliqua reservata, intendens lucrari jubileum, & est absolutus ab eis, si postea ex negligentia illud non lucratur, manet absolutus, quia absolutio non fuit data ad reincidentiam, sed absolutè, & si tempore jubilei habebat quis peccatum reservatum, & tunc oblitus est illud confiteri potest transacto jubileo, absolvi ab illo peccato per quemlibet Confessarium secus est si non fuerit confessus tempore jubilei, quia forsan peccatum non habebat, quia tunc non est ablata reservatio illa, *Portellius ubi sup. Dian. par. 5. tract. de jubil. tract 41.*

Sciendum est decimò, quod si quis existat in peccato mortali lucratur pro mortuis indulgentias, *Naldus in summa, in verb Indulgentia num. 7.* quia in hoc casu malus non satisfacit pro alio, sed solùm facit opus, ob quod Papa satisfactionem Christi, & Sanctorum impartitur, *Portellius ubi supra num. 24.* sequitur *Diana par. 5. tract. de jubileo resol. 38. & par. 5. tract. 24. resol. 79.* consuluit cuidam viro dicenti quotidiè officium defunctorum pro animabus purgatorij, dùm tamen esset in peccato mortali, prædictas preces animabus illis prodesse, ex *Petro Navarro de restitut. lib. 2. cap. 2. nu. 254.*

Sciendum est ultimo, quod cum quis lucratur indulgentiam tot dierum, vel annorum, non intelligitur id de diebus, vel annis purgatorij, videlicet ut tot anni ex pæna purgatorij remittantur, quot indulgentia exprimuntur; sed per dies, & annos intelliguntur dies, & anni pænitentiæ præsentis vitæ. Hinc si alicui sit imposita pænitentia, ut jejunet per 40. dies sumendo indulgentiam 40. dierum, erit absolutus ab illa pænitentia. Hinc

etiam

etiam si alicui esset imposita pænitentia, ut per annum se disciplinet, vel jejunet qualibet sexta feria, & sic in toto anno essent 52. dies. Si iste lucrabitur indulgentiam 52. dierum, absolvetur ab illa pænitentia, *Faustus de jubileo lib.* 2. *quæst.* 153. & 163. *Diana par.* 5. *tract.* 12. *resol.* 39.

In §. *Medicos.*

Conclusio hujus textus est, Medicos accedentes ad infirmos, debere admonere eos, ut vocent Confessarios, *cap. cum infirmitas de pænitent, & remiss.* dat rationem ibi *text.* quia nonnumquam morbi ex peccatis proveniunt. Immò hodie ex Bulla Pij V. edita anno 1556 Quam refert Quaranta in summa Bullarij in *verbo medicus*, est additum præceptum, ut medici ultra tertium diem non accedant ad visitandum infirmum in lecto jacentem, nisi de illius confessione constat per fidem Confessoris in scriptis datam, & additur, ut ante gradum Doctoratus petatur ab illis juramentum servandi dictam constitutionem, & sic ex dicta Bulla renovatur dispositio *text in d. cum infirmit.* quia verò essent hæc omnia medicis valdè onerosa si benigna viri docti illa non explicarent: ideò.

Dico primo prædictam Bullam juncto d. *textu* non obligare in omni morbo, sed solum in morbo gravi, vel in morbo, qui judicatur à principio à medico esse periculosus, ut gravis efficiatur, ità docent contra plures *Barb. in collect. in d. cap. cum infirmit.* & prædictam monitionem potest medicus facere per alios, nec opus est, ut per se eam faciat *Suar. tom.* 4. *disp.* 35. *sect.* 3. *Nugnus in addit. ad* 3 *par. tom.* 2. *q.* 6. *art.* 5. *diffic.* 2.

Dico secundo, si æger constituatur in probabili periculo mortis, non est à medico deserendus, etiam si sit pertinax in renuenda confessione, vel si medici absentia graviter esset ægro nocitura. Idem dicas, si certo creditur; monitionem medici non esse profundam ob ægri ostinationem, quia tunc, nec admonere tenetur, nec eum deserere, nam mens Pontificis fuit consulere spirituali saluti ægri, sed in hoc casu esset frustratoria admonitio, ergo, ità *Sanchez tom.* 1. *summ. lib.* 3. *cap.* 16. *numer.* 10. *Barb. ubi sup.*

Dico tertiò, non opus est ut medicus exigat fidem Sacerdotis in scriptis, sed satis est illorum testimonium, qui ejus curam gerunt, si sint fide digni, & si infirmus sit gravis persona, eius testimonium sufficit, nam ità supradicti DD. dicunt, esse receptam prædictam constitutionem Pij V.

Dico ultimo, quando medici præstant prædictum juramentum, solum intelligitur prout in usu recepta est dicta constitutio Pij V. ut docent *Sanchez* ubi sup. & sic cum in nostra Diæcesi sit hic casus reservatus, intelligitur, secundum terminos, & declarationes jam allatas Doctorum, ut ipsimet advertunt, sequitur *Diana par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 93.

In §. *Finali.*

Conclusio hujus textus est, damnatos ad ultimum supplicium non esse relinquendos sine Sacramento pænitentiæ, si petant, & qui his denegaverint, puniri debent censuris, vel aliis pænis, *cap. quærenti de verb. signific.* quod si impænitentes moriantur, carebunt Ecclesiastica sepultura, quomodo verò se gerere debeat Confessarius in adjuvandis his morientibus, legas Joannem Dominicum Aulisium in *prax.* 2. *de modo adjuvandi morientes morte violenta à cap.* 1. *cum plur. sequentib. Diana par.* 5. *tract resol.* 38.

Ampliatur, ut possint etiam communicari, nam illis quibus non denegatur pænitentia, neque viaticum debet denegari *cap. quod se eod. tit.* debet etiam adjuvari ad testandum de bonis suis *Diana par.* 5 *tract* 3. *resol.* 120 tempus verò iter sacrum Eucharistiam, & lethalis sententiæ executionem in nonnullis christiani orbis partibus esse solet intermedium horarum quatuor supra viginti, usus quidem satis probatur, & commendatione dignissimus Neapoli, apud siculos, aliisque locis vigens, *Aulisius* ubi supra

Ampliatur secundo, ut possit communicari non jejunus condemnatus, cui Princeps jubet inferri mortem eo die absque ulla dilatione, communiter DD. quos sequitur *Layman lib.* 6. *tract.* 4. *cap.*6. Immò si die antecedenti esset commun catus, posset si peteret eodem die, quo mori debet, communicari, neque fieret injuria Sacramento, cum Christus hoc instituerit ad nostrum utilitatem, & sic asserunt multi, posse hoc Sacramentum ministrari condemnatis ante unam horam mortis. *Emanuel Sà*, *Sotus*, & alij, quos sequitur *Fagundez de præcept. par.* 3. *lib* 1 *cap* 4. *Sancius in select disput.* 40. *num.* 14. *Diana tractat* 6. *Miscell. resol.* 19.

Ampliatur tertiò ut teneatur judex reo concedere tempus ad communicandum, præciso periculo notabilis damni communitatis, communiter Doctor. apud *Bonacinam disp* 4. *de Sacram. q.* 7. *p.* 1. *n* 5. Quod si post concessum tale tempus noluit reus hæc Sacramenta suscipere, potest judex ordinare ut impænitens moriatur, quamvis credat, fore, quod reus in peccato mortali moriat r, tum quia si contrarium diceremus, daretur reis occasio eludendi potestatem publicam, nolentes accipere Sacramenta, tum quia magna sequerentur incommoda, Doct. cit.

Tandem pro complemento Sacramenti pænitentiæ nota, quod si Confessarius malè absolvit pænitentem à censuris, tunc obtenta facultate, eum absolvat absentem, quia absoluto censurarum potest dari absenti, & ignoranti etiam existenti in peccato mortali, tum quia aliquin hic privaretur suffragiis ecclesiasticis: tum quia sicut absens potest ligari, ita absens potest absolvi, communiter Doctores apud *Pilhuc tom.* 1. *cap.* 10. *q.* 6. *n.* 234 immò *Navarrus in summa cap.* 26. *n.* 18. docet idem dicendum de eo, qui absolvit à casu reservato, quod tamen falsum est, cum absolutio peccati absenti dari nequeat ex decreto Clementis Octavi, de quo supra.

Si verò Confessarius malè absolvit à peccatis hoc casu si eum habeat propè, potest eum absolvere, quia adsunt omnia requisita, quod si jam necesserat pænitens, tunc debet Confessarius eum iterum admonere, vel saltem curare, ut iterum confiteatur peccata sua, quæ commisit ab ultima confessione sibi facta, & simul curando, ut se accuset pænitens de peccatis alias confessis, quod si eum admonere non possit, vel ratione absentiæ, vel scandali, non tenetur eum admonere non sic est in invalida collatione baptismi, vel ordinis, in qua tenetur ordinans, vel baptizans admonere baptizatum, vel ordinatum, quia sequuntur maxima incommoda ex tali invalida collatione, quod secus est in casu nostro.

TITULUS VI.

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

VIsum est supra de Sacramento pænitentiæ. Verùm, quia post boc Sacramentum à Christifidelibus sumi solet Sacramentum Eucharistiæ, meritò pnnitur hic titulus, de quo Sacramento agit *S. Thomas in 3. par. q. 73. & Trid. de Sacram. Euchar. sess.* 13. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, Eucharistiam (omissis variis significationibus) significare bonam gratiam, nam confert uberiorem gratiam præ cæteris Sacramentis, ut potè continens Christum, uberrimum gratiarum fontem, qua ratione solet appellari communio, quia Christifideles per Eucharistiæ Sacramentum tanquam unius corporis membra cum Christo capite uniuntur, *Bellarminus lib. 1. de Eucharistia cap.* 12. Quod Sacramentum est novæ legis diversum ab aliis, *Trid. ubi supra*, *Lugo* 1. *tom. disp.* 1. *de Sacram. Euchar. sect.* 1.

Sciendum secundò est, Sacramentum Eucharistiæ definiri hoc modo; est Sacramentum consistens sub speciebus panis, & vini consecratis, verè corpus, & sanguinem Christi continens: ità Theologi in 4. *dist.* 8. nam essentia Eucharistiæ consistit in materia consecrata, *Trid. sess.* 13. *can.* 3. instituit autem Christus Dominus hos Sacramentum insignum sui amoris erga nos, juxtà illud *Joannis* 20. *Cum dilexisset suos, in fine dilexisset eos*, *S. Thomas 3. par. quæst. 73. art.* 5. illud verò instituit in ultima cæna ea nocte, qua tradendus erat in loco decenti, idest in cænaculo, ut ex Evangelistis colligitur. Quod sacramentum est decenter custodiendum sub clavibus, prout & chrisma, quod si is, ad quem pertinet custodia, incautè illam relinquat, suspendi debet ab officio tribus mensibus, & si pro ejus incuria aliquod malum acciderit, puniri poterit, *cap. 1. de custodia Eucharistiæ*, *& pæna est arbitraria*, *Diaz in praxi criminali canonica cap.* 45. *Menochius de arbitr. casu* 410. chrisma vero debet in vasis argenteis, quando suppetunt facultates Ecclesiæ, vel in vasis stamneis benè coopertis, non tamen in tabernaculo Eucharistiæ, ubi nihil præter ipsam stare debet. Est verò hæreticus, qui dixerit, non licere Eucharistiam conservare in tabernaculo, *Trid. sess. 13. cap. 6. de Eucharist. & can. 7. Barb. alleg.* 22. & cum defertur ad infirmum, & deferri debent duæ particulæ, ut una in regressu adoretur ab omnibus, cum pallio honesto, præcedente tintinnabulo, ut cuncti genuflectant, & psalmos dicendo dum recedunt, & vadunt. *Piacesius in praxi par. 2. cap. 3. num.* 24. *Genedia coll.* 51. debet semper ardere nocte, & die lampas apud Eucharistiam, ad quam manutenendam tenentur beneficiati Ecclesiæ si qui adsunt, vel populus *Belletus in disquis. clericali, de clerico debitore*, §. 14. *num.* 5. non potest Episcopus concedere licentiam Ecclesiæ non parochiali ut teneatur ibi Eucharistia solum pro adoratione populi, sed requiritur licentia Sedis Apostolicæ, *Genuensis cap.* 110. *Riccius in praxi resol.* 495. *in notabil. de materia Episcoporum*, *Piacesius par. 2. cap. 3. num. 3. Barb. in cap. sane de celebrat. missarum*, qui, etiam dicunt, quod si Episcopus concesserit, revocari potest à successore, vel ab ipsomet.

Sciendum est tertiò Eucharistiam non esse adultis necessariam necessitate medij, in re, vel in voto, nam si adolescens statim post baptismum moriatur, ad cœlum evolat, quod sanè non esset, si esset necessitate medij in re, vel in voto; & sic potest etiam adultus salvari absque hoc sacramento, ut colligitur ex *Trid. sess. 21. cap. 4. de communione sub utraque specie*, *S. Thomas 3. par. q. 65. art. 4. Lugo disp. 3. de Euchar. sect.* 2.

Dices ex eo, quod Christus dixerit, loquens de pœnitentia, *Nisi pænitentiam egeritis omnes simul peribitis*, & loquens de baptismo, *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non poterit introire in Regnum. Dei*, colligunt Patres baptismum, & pænitentiam esse necessaria necessitate medij, ergò ex eo, quod Christus Dominus dixerit, *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, debemus nos colligere hoc sacramentum esse necessarium necessitate medij in re, vel in voto.

Respondeo, negando antecedens: nam non solum ex modo loquendi Christi Domini colligimus nos in baptismo: & pænitentia necessitatem medij, sed ex eorum institutione: sunt enim hæc duo sacramenta instituta ad primam gratiam, & primum esse spirituale conferendum, quod secus est in sacramento Eucharistiæ, & in hoc differt cibus spiritualis à corporali, nam spiritualis confertur per Eucharistiam, sed potest dari per alia media, scilicet per alia bona opera: at verò cibus naturalis est necessarius necessitate medij, quia vita corporalis non potest haberi per alia media, ut benè *Lugo d. sect. 2. num.* 48.

Erit ergò necessarium Sacramentum Eucharistiæ saltem baptizatis de jure positivo Ecclesiastico, & divino, non tamen obligans adultos non baptizatos, ut falsò autumant multi apud *Conimb. 3. par. q 70 art. 11. dub. 2. n.* 93. qui dicunt infideles obligari ad suscipiendum hoc sacramentum, licèt illud non possint licitè suscipere, sicut peccator tenetur ad illud suscipiendum, sed non potest licitè suscipere, idque colligunt ex generalitate illorum verborum, *nisi manducaveritis, &c.* Verius enim est, quod docent alij, quos sequitur *Sanchez lib. 1. summa cap. 12. num.* 15. infideles adultos non teneri, quia non susceperunt baptismum, & ideò si non adesse præceptum sumendi Eucharistiam, potuisset quis, etiam si non haberet propositum illam recipiendi, post alias *Diana par. 5. tract. 13. resol.* 28. Pueri verò capaces sacramenti pænitentiæ non tenentur in articulo mortis communionem sumere, ut contra *Suarez 3. disputat. 70. section. 1. in fine*, ait *Vasquez 3. par. par. tom. 3. disp. 214. cap.* 5. quæ opinio supponit, quod puer non statim quod tenetur confiteri, teneatur communicare, sed si voluerit Confessarius sequi opinionem, *Suarez*, qui putat eodem tempore, quo tenetur quis confiteri, teneri communicare, tunc poterit statim communicare, & utraque opinio est probabilis, ego tamen sequor opinionem *Suarij*, quam tenet *Diana par. 5. tract. 14. resol. 50. & par. 5. tract. 3. resol.* 41.

Sciendum est quartò, Sacramentum Eucharistiæ esse materialiter plura Sacramenta, cum alia sit materia, & forma corporis Christi, alia materia, & forma sanguinis, formaliter verò unum est Sacramentum, quia utraque species continet corpus Christi, & significat refectionem spiritualem, *Joannis 6. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* *S. Thomas ubi supra art.* 2. & ideò docent Theologi, quod plures hostiæ dicuntur plura Sacramenta materialiter, nam sunt distinctæ numero materiæ. Si verò plures hostias sumantur, quatenus uno actu sumuntur

sunt

sunt unum sacramentum, quia habent rationem unius convivij. *Lugo disp. 2. sect. 2.* ex quo fit, & qualem gratiam recipere Sacerdotem communi cantem sub utraque specie, ac laicum sub una tantum specie communicantem, sicut æqualem recipit gratiam per baptismum, qui una aspersione baptizatur, ac, qui trina aspersiona, ut benè *Coninch. quæst. 79. art. 1. dub. 2.* ratio est, quia ratione rei contentæ perfectum est sacramentum sub una tantum specie, ac sub utraque cum sub quavis particula hostiæ aut specierum vini, integrum Christi corpus contineatur: alij putant majorem gratiam recipi à Sacerdote, quam laico communicante sub una specie, quia licet uterque recipiat integrum Christum, tamen Sacerdos à speciebus panis recipit gratiam, & à speciebus vini alium gradum gratiæ, & utraque opinio est probabilis, secundum *Dianam par. 5. tract. 13. resol. 29.*

In §. Et quidem.

Agitur in hoc textu de obligatione, seu necessitate, qua quis adstringitur ad sacramentum Eucharistiæ sumendum, ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo de jure divino esse præceptum sumendi Eucharistiam, ut tenuit *S. Thomas 3. par. q. 64. ar. 11.* mutato consilio ab eo, quod dixerat in *4. dist. 6. q. unica art. 2. quæstiunc. 2. & dist. 2. q. 3. art. 2. quæstiunc. 1.* ubi ait, non dari de jure divino tale præceptum, sequuntur *Suarez 3. par. disp. 69. sect. 1. Vasquez* & alij apud *Lugo disp. 16. sect. 1.* obligat verò saltem in articulo mortis de jure divino tale præceptum, & quidem mortis naturalis, vel violentiæ, idque ex eo patet, quia in articulo mortis potest quis non jejunus communicari; ergò est præceptum de jure divino; nam de jure Ecclesiastico est præceptum contrarium, communicandi scilicet jejunè, qui autem communicavit paulò antequam incideret in articulo mortis, non tenetur de jure divino ex vi præcepti communicari, communiter DD. apud *Laiman lib. 5. tract. 4. cap. 5. num. 4.* quia censetur hic talis, se sufficienter præparasse ad discessum ab hac vita per sumptionem illam, ad quem ordinatur sumptio sacramenti Eucharistiæ, immò si post sumptam Eucharistiam quis in articulo mortis commiserit peccatum, non tenetur, iterum eam sumere; communiter DD. quos sequitur *Filiuccius tract. 4. cap. 2. q. 7. nu. 52. Diana par. 3. tract. 4. de sacram. resol. 40. & par. 5. tract. 3. resol. 43.*

Neque dicas, quod ille, qui communicavit ante articulum mortis, non habebat tunc præceptum, ergò malè dicimus satisfecisse præcepto, quia non potest quis præceptum satisfacere ante obligationem, ut patet in eo, qui ordinatur hodie subdiaconus, hic enim si mane dicat officium, non satisfacit, quia debet dicere horas, illi tempori, quo fuit ordinatus, correspondantes, ut tenet *Bonacina disp. 1. de horis canonicis q. 2. puncto 5. num. 11.*

Respondeo enim, posse interdum satisfieri per opus factum ante obligationem, ut patet in exemplo allato in argumento, quo casu per me satisfacit quis officio, sicut satisfacit Novitius, qui hodie facit professionem, si mane dicat totum officio hujus diei, quia ponit totam rem præceptam: sicut etiam si quis Sacerdos dicat missam, & deindè accedat ad locum ubi adest obligatio audiendi missam, non tenetur hoc eodem die missam audire, quod secus est quando quis hodie diceret officium pro die crastino, quia non ponit rem præceptam; quæ non hodie, sed in crastinum est præcepta, in casu verò nostro obligatio est, ne quis moriatur non accepta Eucharistia, sed hic paulò ante mortem verè Eucharistiam accepit, ergò non tenetur amplius accipere, *Lugo disp. 16. sect. 2. nu. 40.*

Quod si quis vellet eum, qui mane sumpsit Eucharistiam, & post prandium incidit in periculum mortis, iterum communicare, non malè faceret, & sequendo eorum opinionem, qui dicunt per primam illam communionem non satisfecisse, immo etiam non jejunum, poterit illum communicare, & ità fecisse multos Patres Societatis Jesu in Hispaniis testatur *Gaspar de Hurtado de Eucharistia disp. 10. diff. 2. Diana par. 4. tract. 4. resol. 197. & par. 5. tract. 3. resol. 33.* quidquid dicat *Lugo disp. 16 de Eucharist. sect. 3. nu. 52.* si verò quis pro octo dies, vel quindecim, non tenetur in articulo mortis articulum, non tenetur in articulo mortis communicare, *Diana par. 5. tract. 3. resol. 41.* & etiam si quis sit communicatus in Paschate, tenetur de jure divino eucharistiam sumere in articulo mortis, *Diana ubi supra resol. 42.* & in eodem articulo mortis potest infirmo non jejuno, pluries præberi sacramentum Eucharistiæ, ut infra dicemus.

Sciendum est tertio, fideles teneri ex præcepto divino communicare, non solum in articulo mortis, sed etiam aliquoties in vita, quia hoc Sacramentum cum sit institutum per modum cibi, erit necessarium, non solum in morte, sed etiam in vita, quæ præceptio hodie est semel in anno taxata ab Ecclesia, de jure enim ecclesiastico taxante jus divinum tenentur fideles communicari in Paschate. In pueris putant communiter DD. advenire præceptum communicandi in anno duodecimo, ita *Conradus in responsis p. 1. quæst. 54. Ioannes verò Sanc. disp. 26.* putat, eodem tempore advenire pueris præceptum confessionis, & communionis, quæ opinio est speculativè probabilior, quia major usus rationis requiritur in confessione facienda, quam in communione sumenda, qua de re *Diana par 3. tract. 6. Miscell. resol. 70.*

Sciendum est quarto, teneri fideles in propria Parochia sumere eucharistiam *d. cap. omnis utriusque sexus*, illi verò fideles laici, qui religiosis inserviunt, & morantur in monasteriis religiosorum; possunt communionem sumere in eisdem monasteriis, in quibus etiam sepeliri possunt inconsultis Parochis, *Bonacina tom. 1. disp. 4. quæst. 7. par. 2. Sanchez de matrim. lib. 3. disp. 23. Diana par. 5. tract. 3. resol. 52.* Poterit verò quis Eucharistiam sumere in cathedrali, etiam invito Parocho; nam Episcopo est principaliter cura animarum commissa, *cap. quæcumque 10. quæst. 1. cap. præcipimus 12. quæst. 1. Gennensis in praxis cap. 61.*

Sciendum est quinto, & ultimo, quod in articulo mortis, si absit Parochus, & periculum est in mora, licitum est Religiosis ministrare viaticum, quia licet *textus in clem. Religiosi de privilegiis*, (ex quo movetur *Toletus lib. 1. cap. 36. num. 21.* ad dicendum contrarium) id prohibeat, tamen prædicta prohibitio non cadit quando infirmo ministratur in articulo mortis Parocho absente, & periculo concurrente, ut benè *Lugo de Eucharistia disp. 18. sect. 1. n. 53. Diana par. 5. tract. 3. resol. 51.* Quod si infirmus in articulo mortis repetitus, non posset deglutire particulam Eucharistiæ, posset ei mini-

ministrari species sanguinis, & sic Sacramentum sumei infirmus sub specie sanguinis, ut contra aliquos tenet *Diana par. 5. tractat. 3. resol. 34.* qui pro se adducit aliquos, & etiam addit, quod si contingat Sacerdotem sacrificantam mori post consecratum, & ante assumptum sanguinem, & nullus adsit Sacerdos, à quo posset consumi, possit laicus sumere sanguinem, si servari non possit, nisi cum periculo, ut species acescerent, & corrumperentur, & est doctrina *Vasquez 3. par. tom. 2. disp. 216. cap. 4. num. 47.*

In §. Invaluit tamen.

Agit nunc *Paulus* de Sacramento Eucharistiæ prout est sacrificium, scilicet de missa. Ad cujus intelligentiam,

Sciendum est primò, sacrificium missæ esse sacram ceremoniam, qua res aliqua sacratur, consumitur, & Deo offertur in ipsius cultum, & recognitionem supremæ majestatis: dicitur verò missa, quia per consecrationem Christus ad nos mittitur à Patre, & per sumptionem à nobis ad patrem mittitur *Bellarminus de missa lib. 1. cap. 1. Lugo disp. 19 sect. 1. de Euchar.* cujus missæ essentia secundum aliquos sunt tres actus, scilicet oblatio, consecratio, & consumptio. Alii putant consecrationem, & consumptionem. Ego puto solam consecrationem esse partem essentialem sacrificii, alias esse partes integrales, *Coninch. de Sacram. q. 83. art. 1.* quidquid dicat *Lugo disp. 19. sect. 3. 4. & 5.* quia sacrificium consistit in separatione sanguinis, & animæ à corpore in recognitionem divinæ excellentiæ: sed hoc fit per consecrationem, per quam ex vi verborum venit in hostia corpus, & non sanguis, ergò; undè collige, non esse sacrificium quando Sacerdos ostendit hostiam pridiè consecratam, & aliam non consecrat, licet frangat, & sumat, quia deficit consecratio, undè in feria sexta Parasceve non est propriè sacrificium, cum non adsit nova hostiæ consecratio.

Sciendum est secundo, effectus sacrificij missæ esse tres. Primus s. est conferre gratiam, & remittere peccata. *Trident. sess. 22. cap. 2.* quam tamen gratiam non confert ex opere operato, & immediatè, sed in hoc sensu, quatenus Deus intuitu sacrificii tribuit auxilium ad contritionem, qua remittitur peccatum mortale, ut ex *Trid.* colligitur, quod auxilium secundum *Suarez* est efficax secundum alios verò est tantum sufficiens, cum videamus non semper converti peccatores, pro quibus sacrificium offertur, mihi verò videtur interdum efficax, & interdum sufficiens, efficax, scilicet quando convertuntur, sufficiens quando non convertuntur,

An verò missæ sacrificium remittat peccata venialia ex opere operato quæstio est? putant aliqui affirmativè, ego negativè dico *Joanne de la Crux in directorio conscientiæ de sacrificio missæ q. 1. dub. 4. concl. 12.* tùm quia modus remittendi ex opere operato est competens Sacramentis, non sacrificio: tùm quia sequeretur etiam remittere peccata mortalia ex opere operato cum non sit major ratio, sed peccata mortalia non remittit, ergò neque venialia, quidquid dicat *Diana par. 3. tract. 4. resol. 39.* dico ergo remittere venialia ex opere operantis cum *Lugo disp. 19. sect. 9. de Sacram. Euchar.* Unde homo attritus, cui missæ sacrificium applicatur, non justificatur, nisi contritionis actum eliciat, ad quem eliciendum confertur per missam speciale auxilium.

Secundus effectus sacrificij est, quia impetrat nobis bona, quæ petimus, undè pro necessitatibus Ecclesiæ tàm spiritualibus, quàm temporalibus offerri solet, *Azorius par. 1. lib. 10. cap. 21. Lugo disp. 19. sect. 9. de Eucharistia.*

Tertius effectus est, quia satisfacit pro peccatis, undè dicitur satisfactorium, ideò *Machab. 2.* dicitur, *Sancta ergò, & salubris est cogitatio offerre sacrificium pro defunctis, & exorare, ut à peccatis solvantur, scilicet à pænis peccatorum.* Undè missa est sacrificium propitiatorium, & impetratorium, juvat hoc sacrificium animabos purgatorij, *Trid. sess. 22. cap. 2. & can. 3. & sess. 25. de purgatorio*, immediatè per modum satisfactionis, *Lugo disp. 19. sect. 9. nu. 153.*

Fructus sacrificii est quæstio, an possit applicari cathecuminis in gratia, non adhùc baptizatis? & quidem dicunt, quod fructus ex opere operantis possit applicari, secus satisfactio ex opere operato, *Lugo disp. 19. de Euchar. sect. 10. num. 164.* potest vero missa offerri pro non baptizato ad impetrandum, licèt non ad satisfaciendum, *Lugo ubi sup.* pro excommunicato vitando non potest offerri fructus sacrificii, sed potest Sacerdos sola mente, ut privatus homo etiam in missa orare pro tali excommunicato, nullas tamen dicendo rationes publicas, quia tunc oraret nomine Ecclesiæ.

Pro excommunicatis verò non vitandis, & occultis potest fructus sacrificii applicari: *Covarr. in cap. Alma mater, par. 1. §. 4. Lugo disp. 19. de Eucharist. sect. 10. num. 187* quicquid dicant *Suarez, Vasquez, & Sanchez ubi supra*, damnatis in inferno, vel Beatis in cœlo sacrificium non prodest; & quidem damnatis non prodest, quia ibi nulla est redemptio. Beatis verò non prodest in satisfactorium, cum non habeant pænam delendam, neque ut propitiatorum, cum sint in gratia, neque ut impetratorium, cum fruantur summo bono illud solum, ergò eis prodest, quatenus per eum honorantur Sancti, & hac de causa Ecclesia dicit missas de Sanctis, *Bellarminus lib. 2 de missa cap. 8. Trid sess. 22. cap. 3.* Peccatoribus existentibus in peccato sacrificium prodest ut impetratorium, sed non ut satisfactorium, quam tamen satisfactionem peccatores recipiunt, sublato obice peccati, secundum *Navarrum de oratione cap. 19. nu. 79* licet communis opinio Theologorum teneat contrarium, quos sequitur *Lugo disp. 19. de Euchar. sect. 10. num 195.*

Ex parte ejus, cui offertur sacrificij fructus, ultra gratiam non requiritur particularis aliqua devotio: licet crescat magis, vel minos effectus satisfactionis pænæ, prout major, vel minor erit dispositio, & devotio ejus, pro quo offertur *S. Thom. 3. par. q. 79. ar. 5. & art. 7. ad 2* ad exemplum Sacramentorum, ut bene *Lugo disp. 19. sect. 10 n. 201.*

Si dicatur missa pro aliquo, qui jam condemnatus est ad inferos, putant aliqui apud *Fillince. tract. 5. cap. 3. quæst. 7. n. 78.* reponi in ecclesiæ thesauro; ego puto applicari ipsi sacrificanti talis fructus satisfactionis, juxta illud *Psal. 34. Oratio mea convertetur in sinum meum*, & patet ex verbis oblationis *Offero pro innumerabilibus peccatis meis &c. & pro omnibus fidelibus Christianis vivis, atque defunctis, ut mihi, & illis proficiat ad salutem* Ergo dum aliis non deservit, accrescit sibi *Lugo disp. 19. sect. 10. in fine* ad aliud tamen propositum.

Sciendum est tertio triplicem esse valorem missæ: primus est generalis, quem intendit ecclesia applicare pro omnibus fidelibus, & personis, pro quibus missa oratur, à quo valore non potest Sacerdos excludere aliquem christianum, qui sit membrum ecclesiæ, & quidem ab impetrationa, id tenet *Suar. disp. 78. sect. 2. & disp. 79. sect.*

sect. 9. §. 2. non posse sacerdotem excludere aliquem, & *Vasquez* 3 *par. disp.* 234. *cap.* 9. *nu.* 35. tenet, neque a satisfatione posse eliqnem excludi, qua de re *Lugo disput.* 19. *de Euchar. sect.* 10. *num.* 220. quod si Sacerdos id faciat, excludetur ille fidelis à tali fructu, secundum *Lugo* & alios ubi supra.

Secundus valor est specialis, qui est proprius ipsius sacerdotis, quem fructum non tenetur alteri applicare.

Tertius valor est medius, qui applicatur personis, pro quibus sacerdos intendit sacrificium specialiter offerre.

Si ergo petas an valor missæ sit infinitus? Respondeo si loquamur de valore missæ, prout se tenet ex parte sacerdotis non est infinitus, quia est tantum instrumentum sacerdos, quo applicantur merita Christi, neque est valor medius infinitus ob eandem rationem, ille vero valor, qui est generalis, est infinitus extensivè, hoc est prodest non tot, quin pluribus, & potest pluribus, & pluribus applicari, *Lugo disp.* 19. *sect.* 12. *num.* 244. Ex quo inferunt DD. ad quæstionem, an missa pro pluribus oblata, tantum prosit singulis, quantum si pro uno tantum offeratur? affirmant plures, quos sequitur *Diana par.* 5. *tract.* 14. *res.* 81. negant tamen communiter Theologi, quos sequitur *Lugo disp.* 19. *sect.* 11. *num.* 246. quia si id esset, sequeretur frustra applicari missam pro aliquo defuncto, cum tantum prosit uni, quantum omnibus, & sequeretur etiam Sacerdotem posse pro duobus unam missam offerre, cum tantum uni, quantum omnibus prosit: & nota quod fructus impetrationis, quem applicat sacerdos in memento pro omnibus circumstantibus, est etiam infinitus & prodest pluribus, verum si pauciores sint adstantes in missa magis eis prodest, quam si essent plures, sed hoc est per accidens, quia multitudo facit quod non possit sacerdos orare distinctè, & studiosè pro singulis, ac si essent soli, ut bene *Lugo d. sect.* 12. *num.* 253.

Et ideo cautè legas *text. in cap non mediocriter* 24. *de consec. dist.* 5. ubi ex S. Hieronymo traduntur hæc verba. Dum igitur pro centum animabus psalmus, vel missa dicitur, nihil minus, quam si pro uno quoliber ipsorum diceretur accipitur: illa enim verba apud Sanctum Hieronymum non inveniri ait *Lugo*, vel si inveniuntur, sunt delenda, quia sunt contraria Concilio Costantiensi *sess.* 8. ubi damnatur articulus Vuglephi, qui erat 19. dicentis speciales orationes pro aliquo dictas, non magis prodesse, quam orationes generales, & si hæc responsio non placet, dicas cum *Barbos. in collect.* 5. *tom. in d. textu*. S. Hieronymum solum loqui de merito, quod oratio cujuslibet habet, & sensus est, non minus mereri nos cum pluribus orationes fundimus, quam si pro uno tantum.

Sciendum est quarto, ministrum hujus sacrificij missæ esse Sacerdotem, *c. firmiter de Summa Trinit. & fid. Cathol.* qui Sacerdos etiamsi fuerit in peccato mortali, non tollit valorem sacrificij procedentem ex opere operato, ipsi verò Sacredoti non prodest ratione obicis, quod si fiat sacrificium ab excommunicato, prodest aliis fidelibus, quando non erit excommunicatus virandus, nam Ecclesia tollerat talem excommunicatum: si verò excommunicatus fuerit vitandus, tunc prodest fidelibus sacrificium solum, quatenus fit nomine Christi, nam talis valor non impeditur, cum procedat à Christo, quo ad valorem verò, quem habet sacrificium ex parte Ecclesiæ, non prodest, cum Ecclesia non tolleret talem Sacerdotem, nec velit per ipsum orari, *S. Thomas* 3. *p. quæst.* 82. *ar.* 2. *Suarez de censur. tom.* 5. *disp.* 11. *sect.* 2. *n.* 11. Quando verò Sacerdos celebrat in peccato mortali, putant aliqui, quod tria peccata committit, unum quatenus indignè offert Secundum quatenus indignè consecrat. Tertium quatenus indignè sumit corpus Christi: ego dico unum peccatum esse, quia omnes illi actus ordinantur ad unam sumptionem, ut benè *Bonacina tom.* 1. *disp.* 4. *q.* 6. *p.* 1. *nu.* 33. Neque peccat duplici peccato sacerdos, qui celebrat in peccato, unum quatenus omittit confessionem, aliud, quia celebrat in peccato, nam confessio ordinatur ad communionem, ergò cum sit unum propter aliud, unum erit peccatum, sicut neque duo peccata committit sacerdos celebrans cum excommunicatione, non præmissa confessione, sciens se teneri vinculo peccati, & censuræ, nam non facit talis sacerdos contra duas obligationes specie distinctas, sed contra unam, ut benè *Valentia in* 3. *p. disp.* 206. *cap.* 1. *Diana par.* 5. *tract.* 13. *resol.* 62. *& par.* 2. *tract.* 14. *resol.* 22. qui etiam ubi supra *res.* 63. ait cum omnibus, posse sacerdotem celebrare cum sola contritione, quando copiam Confessarij non habet, & tenetur præceptum Paschale adimplere, idem dico de laico, qui omnes contri i solum potuerunt communicari, *Lugo d.* 14. *de Euchar. sect.* 5. *num* 116. quidquid dicat *Sylvius in* 3. *par. quæst.* 80. *art.* 4. *dub.* 2. quando verò sacerdos habens casum reservatum confitetur Confessario inferiori, à quo absolvitur urgente necessitate confitendi directè à peccatis non reservatis, indirectè verò à reservatis, tenetur quamprimum confiteri, juxtà decretum *Trid. sess.* 13. *cap.* 7. quod decretum habere locum in casu proposito tenet *Lugo disp.* 14. *de sacram sect.* 7. *nu.* 151. cum dicitur in *Trid.* quamprimum teneri, intelligitur ante aliam celebrationem, ut post alios *Diana par.* 5. *tract.* 13. *resol.* 64.

An verò simplex sacerdos, qui in anno non celebrat, peccet mortaliter, dummodò communicet in Paschate, quæstio est?

Respondeo, multos dicere peccare mortaliter; quia faceret contra finem suæ ordinationis, qui tamen dicunt, quod sit ter, aut quater celebret in anno, minimè peccaret mortaliter, nec aliis vicibus celebrare tenetur, i à plures Doctores apud *Bonacinam disp.* 4. *de Sacrament. q. ult. par.* 7. *nu.* 10. qui tamen probabile putat, non peccare mortaliter, quam opinionem variorem existimo cum *S. Bonaventura in* 4. *dist.* 14. *q.* 2. *ar.* 2. *q.* 2. & aliis, quos refert, & sequitur *Fernandez in Theol. moral p.* 3 *cap.* 5. §. 6. *n.* 1. *Diana par.* 1. *tract.* 15. *de celebr. missar. resol.* 19. quicquid aliter putet *Lugo disp.* 20. *de Euchar. sect.* 1.

Neque dicas obstare *Trid. sess.* 13. *cap.* 14. ubi ait, curent Episcopi, ut hi, qui ad præsbyteratus ordinem assumuntur, saltem diebus Dominicis, & festis solemnibus missas celebrent, ergò tenentur ex mente Concilij.

Respondeo enim, quod tale decretum non dirigitur ad sacerdotes sed ad Episcopos, undè non tenentur antequam eis fiat præceptum ab Episcopis, quando ergò eis præceptum fit, tunc tenentur sub peccato mortali, ut benè *Bonacina ubi supra num.* 3.

Limitarer tamen in Parocho, vel alio habente curam animarum, qui tenetur per se, vel per alios in diebus dominicis, & festis solemnibus celebrari facere, quibus populus tenetur missam audire, ut ex *Trid.* ubi supra colligitur. Est tamen difficultas, an Parochus pro illis diebus, quibus tenetur missam dicere, scilicet diebus festivis, teneatur etiam missam applicare populo, an verò possit stipendium

dium accipere ab alio pro tali applicatione? prima opinio docet, non teneri applicare, & sic posse accipere stipendium ab alio, ità multi DD. quos sequitur *Alphonsus de Leone de officio Cappellani q. 8. sect. 10.* Alia opinio docet, teneri applicare, nec posse stipendium accipere, ità declaravit Sacra Congregatio teste *Barbos. de potest. Parochi cap. 11. num. 13.* quicquid dicat *Lugo disp. 21. de Eucharist. sect. 1. num. 18. in fin.*

Limitatur secundo, in Cappellano alicujus Cappellæ, qui juxtà fundatoris intentionem missas celebrare tenetur, ideò si adsit obligatio quotidiè celebrandi, debet Cappellanus quotidiè celebrare, nisi justa causa, vel legitimo impedimento excusetur, DD. citati, immò poterit sine justo impedimento supplere per alium, sic decisum in *Rotâ* refert *Alphons. de Leone q. 4. in praxi 1. num. 98 de officio Cappellani*, quando vero talis Cappellanus esset ægrotans per aliquot dies, non tenetur ad celebrandum per alium, quod dies extendunt ad octo, vel decem aliqui apud *Barbos. alleg. 24. num. 31.* alij apud *Naldum in verb. missa num. 11.* dicunt quod si spatium unius, vel duorum mensium Cappellanus ægrotaret, non obligaretur ad celebrandum, *Diana p. 5. tract. 13. resol. 51. in fine*, alij putant extendi ad quindecim dies legat *Genuensem in pract. cap. 47. Lugo disput. 21 sect. ult. in fine, Diana ubi supra resol 27. Bonacina disp. 4. de sacrificio missæ q ult. par. 8.*

Nota etiam, quod licet Sacerdos vigore Cappellaniæ, sit obligatus quotidiè ad celebrandum, tamen poterit se abstinere causa honestatis, & reverentiæ Sacramenti per unam diem in hebdomada, si institutio missæ referatur ad Sacerdotem his, vel similibus verbis. (Eligatur Cappellanus, qui quotidiè celebret,) non autem si adjungat per se, vel per alium, neque etiam si institutio missæ eligatur ad locum, ut si dicatur quotidiè missa in tali loco dicatur, scilicet in tali Ecclesia, vel Cappella, quia tunc Sacerdos, qui tale onus habet, sine ulla vacantia tenetur celebrare, latè *Bonacina tom. 1. disp. 4. q. ult. par. 7. §. 2 num. 17.* & hoc casu possit talis Cappellanus quater, vel sex pro se ipso celebrare, vel pro amico sibi valdè conjuncto, ad specialem gratiam consequendam, quia hoc ei non denegaret fundator, *Naldus in summa in verbo missa nu. 6* poterit ergò Cappellanus obligatus ad quotidie celebrandum, ea consuetudine introducta relinquere unam missam in hebdomada. Ubi advertere, quod non poterit hoc casu celebrare missam pro alio, & accipere stipendium, DD. citati. Adde *Dianam par. 5. tract. 5. resol. 23.* qui tamen dicit, posse eam dicere pro amico, &c. sine stipendio.

De stipendio Missæ.

Sciendum est primo, contra hæreticos, posse licitè Sacerdotes accipere stipendium à fidelibus quibus spiritualia ministrant, immò habent jus ad illud exigendum, ut colligitur ex *Paulo 1. Corinth. cap. 9. & ex verbis Christi Matth. 10. Dignus est operarius cibo suo*, & est definitum in Concilio Agathensi *cap. 36.* quod stipendium non datur pro missa, sed pro labore, & opera Sacerdotis, quæ ibi intervenit, quæ quidem in se est prætio æstimabilis, cum sit actio laboriosa, vel ut alij volunt, stipendium datur pro substentatione ministri, ut latè *Lugo disp. 21. sect. 1.* sicut in Societate Jesu est peculiaris prohibitio non accipiendi aliquid pro missis, concionibus, vel aliis ministeriis spiritualibus, & tamen potest accipi pro itinere concionatoris, pro substentatione ipsius, &c. *Sanchez lib. 7. summæ cap. 28. num. 3.* ergo non erit contra spiritualem actionem missæ accipere Sacerdotem stipendium in sui substentationem, *Lugo dispu. 21. sect. 1. de Euchar.* quod stipendium peti potest etiam à Sacerdote divite, quia etiam consideratur in eo labor, *Lugo ubi supra num. 58.* & in die Nativitatis potest accipere tria stipendia, pro tribus missis, qui verò petitur ab aliquo, ut celebret in tali loco, puta in tali Ecclesiastica ratione festivitatis, vel in aliquo loco, ad hoc, ut fideles audiant missam, potest eis non applicare, sed cui voluerit, & duplex stipendium accipere unum pro sola præsentia, aliud pro applicatione, quod à fortiori procedit, quando à principio id dicat Sacerdos, quod potest dicere non obstante decreto sacræ Congregationis de celebratione missarum, ut latè *Lugo disp. 21. sect. 1. in fine*, quicquid dicat *Diana 1. tom. de celebratione missarum resol. 80.* qui mutavit postea sententiam, ut ipse *Pater Lugo* fatetur.

Sciendum secundo est, quod stipendium justum illud dicitur, quod vel lege Prælati Ecclesiastici, vel consuetudine hominum taxatum est, nón tamen potest Sacerdos una missa satisfacere pluribus, à quibus accepit diversa stipendia, ut declaravit sacra Congregatio, teste *Diana 1. tom. de celebrat. missar. resol. 8. cap. 5. tract. 13. resol. 52.* & contrarium faciens quis, peccat mortaliter, & restituere tenetur, neque potest id facere, quia esset pauper, *Diana ubi supra resol. 8. Lugo disp. 21. sect. 2.* & peccat mortaliter, & tenetur restituere contrarium faciens, & eadem sacra Congregatio apud DD. citatos revocavit omnia privilegia religionibus concessa, quæ id faciebant ob paupertatem. Neque potest Sacerdos, cui fuerunt datæ aliquæ missæ dicendæ eas dare alteri, ut dicat accepta parte stipendii, etiam si ei detur major solita eleemosyna pro celebratione, non enim potest partem retinere, est enim hoc lucrum damnabile: Beneficiatus verò, qui potest per alium celebrare non tenetur dare Sacerdoti stipendium ad rationem fructuum beneficii, nisi aliter cautum sit in fundatione beneficii; quod etiam locum habet in Cappellano, qui per alium satisfacit oneri missarum, cum sit eadem ratio de ipso, ut benè *Lugo ubi sup. sect. 2. num. 30.* Administratores verò Ecclesiarum non possunt retinere aliquam portionem eleemosynarum pro expensis manutensionis Ecclesiæ, altarium, servientium, paramentorum, luminum, vini, &c. nisi quando Ecclesiæ alios non habeant redditus, & tunc portio, quæ retinetur non debet excedere valorem expensarum, quæ pro sacrificio sunt necessariæ, ut declaravit sacra Congregatio ubi supra: si verò tu Sacerdos accepta eleemosyna des eam alteri, ut dicas missam, & ille condonet, & remittat tibi partem mercedis spontè, tunc potes eam recipere, & retinere, sed si non liberè, sed ex metu aliquo condonet, & remittat, tunc non potest retinere, puta si alias non darentur sibi missæ, vel in futurum alia non dabuntur, vel quid simile, ut benè *Lugo disputat. 21. sect. 2.* & in hoc sensu sunt accipiendi DD. apud *Dianam loc. cit. resol. 13.*

Neque potest sacerdos duobus stipendiis à duobus acceptis, satisfacere unica missa, applicando uni partem solitam, & alteri suam partem, ut declaravit sacra Congregatio ubi supra, quæ ait hoc peccare mortaliter cum obligatione restituendi, *Lugo ubi supra, Diana par. 1. tract. 14. resol. 14. & par.*

& par. 5. tract. 14. resol. 45. qui etiam num. 31. docet, non posse Sacerdotem plura stipendia accipere, quibus satisfaciat post longum tempus, scilicet 60.ᵃ missas, ut benè *Lugo ubi supra*, *Diana tract.* 14. *resol.* 25. Potest etiam Sacerdos, qui accepit stipendium ad dicendam missam de B. V. aut missam pro defunctis, dicere missam, quæ eo die occurrit, & satisfacit, saltem quando non augeretur notabiliter eleemosyna ob illam conditionem, & eettè si occurrat Dominica, vel festum duplex, melius est se ruare regulam missalis, quam ob privatam devotionem pervertere ordinem Ecclesiæ; & in aliis diebus id fieri non est malum DD. apud *Dianam ubi supra*, *resol.* 31. & apud *Lugo d. sect.* 2. *num.* 35.

Ille verò Sacerdos, qui ex fundatione, vel ex alio titulo debet celebrare in aliqua Ecclesia, vel altari determinato (ex eo quia id determinatum fuit ob cultum peculiarem illius loci, vel propter commodum populi, ut possit ibi audire missam, vel propter memoriam suæ familiæ, ad quam pertinet Cappella, vel altare prædictum) non potest absque auctoritate illius, qui potest commutare ultimas voluntates, alibi celebrare, nisi id rarò fiat; tunc enim non esset peccatum mortale ob parvitatem materiæ: immò si causa esset rationabilis, neque esset peccatum veniale, quia non censetur testatorem, vel fundatorem voluisse cum tanto rigore obligare suum Capellanum. Si verò fundator ad nihil simile respexit in designando illo altari, facilius poterit excusari à peccato gravi variatio altaris, intra eandem tamen Ecclesiam, alioquin si in alia Ecclesia celebrentur ille missæ, videtur jam fieri in præjudicium prioris Ecclesiæ, cui acquisitum fuerat illud jus: undè dico, quod si altare designatum à testatore non erat privilegiatum, hoc est, habens indulgentiam ad liberandam animam à Purgatorio, quoties in eo celebratur, & Sacerdos celebret pro fundatore in alio altari ejusdem Ecclesiæ privilegiato, melius satisfaceret suæ obligationi, dummodo tamen testator designando prædictum altare, non respexisset ad causas supra enumeratas, quia tunc regulariter debet servari, quod ipse præscripsit.

Quod si altare, in quo Sacerdos debet celebrare ex fundatione sit occupatum ab alio ibi celebrante, vel alia ex causa impeditum, tunc potest absque peccato gravi in alio ejusdem Ecclesiæ altari celebrare, dummodò id non frequenter, immò aliquando fieri id potest absque veniali, ut si Sacerdos expectare non potest propter negotium urgens, quod postea expedire debet, ut benè *Lugo disp.* 21. *de Sacram. Euchar. num.* 38.

Quando verò testator designavit altare, quia erat privilegiatum, & in eadem Ecclesia est aliud etiam privilegiatum satisfacit Sacerdos suæ obligationi si in illo alio privilegiato celebraret, eo quod ipse habeat calculum, vel imaginem benedictam, cum indulgentia ad liberandam animam à purgatorii pœnis in singulis missis.

Qui veró est obligatus celebrare in altari privilegiato, non satisfacit dicendo missam, quæ non sit de reliquie in eodem altari, & sic declaravit sacra Congregatio rituum; nec potest missa de requie, in altare privilegiato debita, celebrari ibi in die festo duplici, & de præcepto, *Diana par.* 4. *resol.* 233.

Nota etiam, quod si Sacerdos sit obligatus ad celebrandum in tali Ecclesia, & veniens, invenit Ecclesiam occupatam, scilicet Sacerdotes paratos in Sacristia, ita ut cogatur nimis expectare, vel forte propter missam solemnem, vel fortè propter Concionem, vel quid simile, posset absque peccato gravi celebrare pro tunc in alia Ecclesia, & aliquando absque veniali: verùm expedit, ut quando prævidet, fore tale impedimentum, præveniat aliquantulum, ne id frequenter contingat.

Ex quibus infertur ad quæstionem, an si Ecclesia, vel altare designatum à testatore casu aliquo inveniatur omninò impedita, vel quia Ecclesia polluta est, vel quia non invenitur clavis Ecclesiæ, vel Capellæ, an Sacerdos maneat liber pro illa die ab obligatione an verò debeat alibi celebrare? quæ quæstio dependet ab illa proposita per *Sanchez lib.* 4. *de voto cap* 14. *nu.* 27. ubi quærit an si quis vovit recitare coronam in tali altari, vel imagine, & nequeat in eo loco recitare, maneat absque ulla obligatione, Responsio vera est, quod si testator voluit celebrari in tali altari ob reverentiam illius Sancti ibi existentis, si ibi non possit celebrari, cessat obligatio, si Capella sit impedita, sicut, qui vovit jejunare in vigilia talis Sancti, si eo die non posset, non debet alio die jejunare: si verò testator intendit fructum sacrificii, vel cultum Dei, non cessat obligatio, sed debet in alio altari, vel Ecclesia celebrari, in dubio verò præsumitur intentio testatoris posterioris modi, non prioris. Idem dico de voto cum *Sanchez ubi sup. n.* 38. & etiam si de voto non ità diceremus, ità debet dici in casu nostro, ut benè *Lugo ubi supra num.* 42.

Infertur secundo, quid dicendum, quando testator dixit, quod celebrentur missæ feria secunda, sexta, & sabbato, v. g. an possit Capellanus illas celebrare aliis diebus intrà eandem hebdomadam? & dico ego, quod si illi dies fuerunt designati simpliciter sine ministerio, & tunc poterit Sacerdos aliis diebus ejusdem hebdomadæ celebrare, quia est circumstantia illa accidentalis. Si verò fundator designavit dies propter honorem ipsorum, v. g. ut sabbato fieret missa de B. Maria, feria sexta de Passione Domini, &c. & tunc non potest celebrare alio die, verùm non facilè in ejus omissione peccaret mortaliter, si cum causa, vel non multum frequenter fieret, *Lugo num.* 43. Undè etiam dico, quod si Sacerdos deberet singulis mensibus celebrare 15. missas pro anima talis fundatoris, posset hoc mense offerre, & dicere 30. missas pro mense præsenti, & sequenti, ut in simili de eo, qui ex pœnitentia debet aliquod facere in tempore, dicunt DD. quia anticipata solutio nullo modo præjudicat, sed prodest creditori; secus dicas, si testator respexerit ad tempus illud determinatum propter aliquam specialem causam, quia nimirum pertinet ad honorem, & decorem suæ Cappellæ, nullum mensem præterire absque missa, & memoria testatoris; pront neque admitto prædictam anticipationem quando redundat in alterius præjudicium, ut si Sacerdos debeat celebrare singulis hebdomadis, vel mensibus pro defunctis hujus populi, vel communitatis, ex illa enim anticipatione fit, ut illi, qui moriuntur hoc mense, vel hebdomada post missam anticipatè celebratam fraudentur illo subsidio mense, vel hebdomada sequenti, cum tamen fundator voluerit omnibus successivè subvenire, & ex causa, ex qua licita est anticipatio, erit licita postpositio, *Lugo ubi supra* 45.

Infertur ultimò, quod si alicui præcipiatur, ut celebret omnibus sabbatis, vel feriis quintis, aut sextis; feria sexta hebdomadæ sanctæ nec debet cele-

celebrare, nec poteſt, nec aliam diem ſubrogare in ejus loco: feria verò quinta, & ſabbato ſancto non tenentur celebrare, licet poſſit privatim celebrare, & ſi privatim celebraverit, tenetur applicare pro teſtatore, quod ſi non celebret, non tenetur alias ſubrogare miſſas, quod ſecus eſt ſi Eccleſia eſſet polluta, quia tunc tenetur Capellanus alibi celebrare pro eo die, quo eſt polluta, quia violatio Eccleſiæ eſt impedimentum accidentale, quod poteſt non eſſe, ſed impedimentum illorum dierum eſt per ſe, & omnibus notorium, ergò videtur teſtatori cognitum, & quod conſuetudini Eccleſiæ ſe conformaverit, ut benè *Lugo diſ. 21. ſect. ult. in fin.*

Eſt ultimum notandum, non poſſe Sacerdotem non habentem ſtipendium dicere miſſam, eamque applicare primo offerenti ſtipendium, quem Deus ſcit futurum, ità pluries in ſacra Congregatione deciſum refert *Ricc. in praxi par. 3. reſol. 361. Barboſ. de poteſt Epiſcopi, alleg. 24. n. 12. Genedus Canonic. quæſt. q 28. n. 6.* & notat *Alphonſ. de Leone* poſſe Sacerdotem conductum ad celebrandum in aliquo loco paciſci de duplicato ſtipendio pro illo die *Alphonſ. de Leone de offic. Cappell q. 6. ſect. 10. nu. 100. in fin.* qui etiam *q. 51. ſect. 20. nu. 290.* refert per Urbanum Octavum ſublatum eſſe facultatem, quam habeant vigore *Trid. ſeſſ. 25. cap 4.* reducendi numerum miſſarum, quod etiam dixit *Gavant. in praxi celebrandi Synodum Diœceſan. par. 1. cap. 37. Squillante de privil. Cleric. cap. 4. num 3.*

Quod ſi alicui detur ſtipendium, ut dicat 30. miſſas S. Gregorii pro defunctis, non teneſur omnes de requie dicere, *Bonacina diſp. 5. q. ult. p. 7. §. 3. num 6.* & poterit eas dicere cum interruptione, *Gavant. in rubric Miſſal. tom. 1. par. 1. tit. 5. lit. D.* qui non eſt audiendus in eo, quod dixit, prædictas miſſas non tantum valere, quantum illas, quas S. Gregorius inſtituit.

De tempore hujus Sacrificii celebrandi.

AD intelligentiam ſciendum eſt primò, miſſam pro ſingulis anni diebus celebrari: circa feriam quintam majoris hebdomadæ negant aliqui: alii, ut *Suarius diſp. 80. de Euchariſt. ſect. 2.* docent, nullam eſſe prohibitionem pro tali die: in feria ſexta, & ſabbato non poteſt dici miſſa, *cap. Sabbato de conſecrat. diſt 3.* & quidem in feria ſexta nec publicè, nec privatè id licitum eſt, neque officium illius diei fit cum conſecratione, ideò non eſt miſſa, neque tenentur fideles eam audire; ſi veniat feſtum Annunciationis in die Veneris Sancti, ut declaravit ſacra Congregatio anno 1622. teſte *Bartholomæo Gavanto in rubric. Miſſal. p. 4 tit. 9. num 24. Lugo diſp. 20. ſect 1. num. 14.* & addit idem *Gavantus ubi ſupra*, in die Paraſceve non poſſe miniſtrari Euchariſtiam, niſi infirmis: in ſabbato Sancto non poteſt dici miſſa in privatis oratoriis, *Lugo diſp. 20. ſect. 1. nu. 19.* in quibus miſſis privatis non ſunt legendæ prophetiæ, quia iſtæ non ſunt pars miſſæ, neque litaniæ ob eandem rationem; undè qui ex præcepto miſſam illam audiunt, litanias non tenentur audire, & tales miſſas privatas dicere poſſunt Sacerdotes ſabbato Sancto ante miſſam ſolemnem, ſummo manè, & adeò ſolent Epiſcopi Sabbato prædicto prius conferre ordines in miſſa ſummo manè, ad hoc ut poſtea inveniantur præſentes in functionibus in Eccleſia, *Lugo ubi ſupra num. 25.*

Sciendum ſecundo eſt, quod miſſa non poteſt inchoari ante auroram, nec poteſt meridiem, *Henriquez lib. 9. de ſacrificio cap. 24. num. 5. Fagundez lib. 3. præcepto 1. cap. 17. ex cap. Nocte ſancta de conſecrat. diſt. 1.* Verum ibi nihil dicitur de aurora, ſed ſolum præcipitur, ut hora tertia miſſa celebretur, quare dicendum eſt, quod intelligitur de miſſa ſolemni, vel dicendum eſt prædictum decretum fuiſſe abrogatum. Melius ergò probatur ex conſuetudine Eccleſiæ, ubique recepta, quam approbare videtur *Pius V. in regulis miſſalis*, ubi dicitur, horam celebrandi in miſſis privatis eſſe ab aurora uſque ad meridiem: ſed ab hac regula excipitur primo dies Natalis Domini, in qua licitum eſt celebrare poſt mediam noctem: ſed dubium eſt, an ea nocte poſſit una ſolum miſſa, an tres omnes dici, negant plures poſſe dici abſque peccato gravi duas miſſas in nocte prædicta, quos refert, & ſequitur *Fagundez ubi ſup. cap. 18. num 3.* aſſignant rationem, tùm quia ità præcipitur in rubricis miſſalis, tùm quia in ipſo canone dicitur communicantes, & noctem ſacratiſſimam celebrantes. Alii verò, & melius putant poſſe omnes dici: ità *Suarez in 3. par. tom. 3. diſp. 80. ſect. 4. Layman lib 4. tractat. 5. cap. 4. Coninch. de Sacram. quæſt 83. ar. 2. dub. 4. num. 218. Diana de celeb miſſ. reſ. 35. Lugo diſp. 20 ſect 1. num. 25.* Ratio eſt, quia in *d. cap. Nocte ſancta* abſolutè dicitur in nocte Nativitatis miſſæ celebrentur ſine ulla diſtinctione: tùm quia ità eſt conſuetudine receptum: ad argumentum verò partis contrariæ dico, quod prædictæ rubricæ loquuntur de miſſis ſolemnibus, & Conventualibus, & verba illa Canonis nihil obſtant, quia verba divini officii non ſemper referuntur ad tempus, in quo dicuntur, ideò licet dicatur in prima miſſa, & *noctem ſacratiſſimam venerantes*, non obſtant, quia talis miſſa in plena luce dici non poſſit. Secundò limitatur doctrina prædicta in caſu neceſſitatis, quando eſſet neceſſarium celebrare ad dandum viaticum infirmo, alioquin fortaſſe abſque viatico morituro, quo caſu conveniunt DD. poſſe ante auroram fieri ſacrum, quia conſuetudo non videtur cum tanto rigore introducta: poteſt ergo hoc caſu poſt mediam noctem celebrari, etiam non petita licentia Prælati, *Layman lib. 5. cap. 4. Dian. ubi ſup. reſol 33.* ratio eſt, quia neque talis conſuetudo videtur recepta cum tanto rigore, ut benè *Lugo diſp. 20. ſect. 1. n. 26.* Tertiò limitatur in illis, qui habent privilegia, inter quos admittitur communiter Epiſcopus, quod itineris cauſa poſſit vel ipſe, vel alius coram ipſo una hora ante auroram celebrare, ſive ex conſuetudine, ſive ex ordinaria poteſtate diſpenſandi. Religioſi etiam habent eadem privilegia, ut poſſint celebrare per unam horam ante diem, & per tres horas ante, imò illicò poſt matutinum, aut poſt duas horas mediæ noctis: ità *Joannes de la Cruz in direct. conſcien. par. 1. de ſacrificio miſſæ q. 2. dub. 1. concluſ. 2.* quæ privilegia non fuiſſe revocata per *Trid. ſeſſ 22. in decreto de evitandis in celebratione miſſæ*. tenet *Rodriquez 1. tom. quæſt. regul. quæſt. 43. artic. 5. Tiana par. 1. de celebratione miſſar. reſol. 33. Lugo diſp 20. ſect. 1. num. 29.* & putant aliqui apud *Layman lib 4. tractat. 5. cap. 4. n. 3.* poſſe Sacerdotem una hora cum dimidia ante ortum Solis celebrare: cum verò dicimus ante auroram non poſſe celebrari, nomine auroræ non intelligitur ortus ſolum, ſed prima ejus irradiatio, & ſolet anticipare ortum ſolis per boram, & quadrantem, ut in menſe Martii, aliquando per duas boras, & quadrantem, ut in menſe Junii aliquando per horam, & dimidiam, ut

ut in menſe Februarii, & Septembris; aliquando per horam cum tribus quadrantibus; itaque excepto Martio ſemper durat crepuſculum illud ad minus per horam, & dimidiam; quod totum tempus auroræ tribuitur, & in eo poteſt celebrari ſine ullo ſcrupulo, *Lugo ubi ſupra*, qui ex *Suarez* ait, poſſe etiam celebrari ſemi hora ante initium auroræ, ita ut finis miſſæ ſit in aurora: Datur verò in hac materia parvitas materiæ, undè ſi media hora ante auroram qnis celebret, non peccat mortaliter; poſt alios *Lugo ubi ſupra num.* 35.

Sciendum eſt quartò, quod neque poteſt miſſa inchoari poſt meridiem, verùm datur in hac re parvitas materiæ, *Lugo diſp.* 20. *ſect.* 1. *nu.* 27. *Diana par.* 5. *tract.* 5. *reſol.* 58. *& de celebrat miſſar. reſ.* 34. *& par.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 105. qui etiam *par.* 5. *tract.* 13. *reſol* 7. docet ex *Philippo de la Cruce* poſſe miſſam dici per unam horam poſt meridiem, & ſic à fortiori ſi quis incipiat miſſam poſt tres quadrantes ultrà meridiem, non peccat mortaliter, *Sylvius in* 3. *par. q.* 83. *art.* 2.

Hoc totum limitatur in Epiſcopo iter agente, in celebrante ad dandum viaticum, & in Religioſis habentibus privilegium, qui ex ſuis privilegiis poſſunt celebrare uſque ad nonam incluſivè, id eſt, uſque ad tres horas poſt meridiem, *Diana ubi ſupra tract. de celebrat. miſſ. reſol.* 24. à quo caveas in duobus. Primò, quia ſupponit privilegium regularium eſſe abſolutum, cum tamen ſolum ſit ad certos caſus itineris, vel alterius cauſæ: caveas ſecundò à *Diana*, qnia dicit horam nonam eſſe uſque ad tres hnras poſt meridiem, quod non eſt univerſaliter verum; ſed in æquinoctio, nam in ſolſtitio hiemali hora nona attingit ſolum ad ſecundam poſt meridiem cum quadrante, in ſolſtitio autem æſtivo uſque ad horam tertiam poſt meridiem cum tribus quadrantibus, ut latè *Francolinus de temporib. hora cap.* 10. Ille verò Sacerdos, qui cauſa itineris eſt impeditus ne celebret, poteſt miſſam incipere ſine ullo ſcrupulo una hora, & plus poſt meridiem, *Layman lib.* 4. *tractat.* 5. *cap.* 4. *num.* 4.

Sciendum eſt quintò, non licere regulariter pluries in die celebrare, *cap. conſuluiſti*, *cap. te referente de celebrat. miſſar.* excipiuntur aliqui caſus. Primus ſcilicet dies Natalis. Eſt tamen difficultas, an Cardinalis, qui ut Diaconus miniſtrat Pontifici illa die in miſſa ſolemni, & communicat ſub utraque ſpecie, poſſit ipſe ſi Sacerdos ſit, alias duas miſſas privatas dicere, & dico, nullam miſſam poſſe ante, vel poſt illam communionem dicere, quia facultas ſolùm conceditur dicendi tres miſſas, non verò communicandi bis, vel ter extrà miſſas: quare alii Sacerdotes non poſſunt bis, vel ter communicare, & dicere unam miſſam: habent etiam privilegium celebrandi bis in die Commemorationis defunctorum Sacerdotes ex conceſſione Apoſtolica in Regno Valentiæ, & in Hiſpania. Ad communicandum infirmum non poteſt Sacerdos non jejunus celebrare, quia præceptum communicandi infirmum obligat cum decenter, & reverenter id fieri poteſt: ſed in caſu noſtro id fieri non poteſt, ergò, major enim ratio eſt, habenda reverentiæ hujus Sacramenti, quàm neceſſitatis proximi, *Diana par.* 1. *tract.* 14. *reſol.* 66. *& par.* 5. *tract.* 3. *reſol.* 35. ubi tamen probabiliter tenet oppoſitum, ut verò Sacerdos ſe communicet in articulo mortis, putat *Lugo*, quod poſſit celebrare non jejunus, ſequitur *Diana par.* 5. *tract.* 3. *reſol.* 36. ſed ego puto contrarium, qua ſi pro communicando infirmo id non eſt licitum, non eſt major ratio, quare liceat pro ſe communicando; in hoc verò puto audiendum *Lugo diſp* 14. *de Euchariſt. q.* 5. *n.* 107. quod dicit, neceſſitatem communicandi infirmum per modum viatici eſſe ſufficientem rationem, & caput, ut ſi non habeat copiam Confeſſarii, poſſit celebrare non confeſſus; ſicut ſi eſſet excommunicatus, poſſet pro viatico miniſtrando celebrare abſque abſolutione, ſequitur *Diana par.* 5. *tract.* 3. *reſolut.* 36.

Alius caſus ponitur celebrandi non jejunè, quando ſcilicet venit Princeps, vel Epiſcopus miſſam auditurus, qui caſus reprobatur, quia aut Princeps omiſit miſſam inculpabiliter, aut culpabiliter. Si primo modo non peccavit, ſi ſecundo modo jam peccatum commiſit, quod non remittitur per auditionem miſſæ, ſed per pœnitentiam, ut benè *Lugo diſp.* 20 *de Euchar. ſect.* 1. *n.* 45. Alius caſus eſt, quando Sacerdos habet duas Eccleſias parochiales, quibus ſolus ipſe abſque coadjutore adminiſtrat, & in utraque eſt populus auditurus miſſam, poteſt enim jejunus duas dicere miſſas. *Lugo diſp* 20. *ſect* 1. *nu.* 46. ſed requiritur licentia ſacræ Congregationis, *Barb. de poteſt. Parochi cap* 11. *num.* 9. *Alphonſus de Leone de offic. Cappellani q.* 8. *ſect.* 17. *caſu primo*; ſi verò celebret quis duas miſſas eodem die, punitur pœna arbitraria, *Menoch. caſu* 407. & poſſet ab officio inquiſitionis puniri non tamen cenſuram aliquam incurrit.

Sciendum eſt ſexto, qnod olim non poterat dici miſſa, niſi in Eccleſia conſecrata, hodie verò ſufficit, ſi ſit benedicta ab Epiſcopo, vel ab habente facultatem benedicendi, immò in oratoriis privatis, non benedictis, quæ tamen ſunt ad talem uſum deputata ab Epiſcopo, *Trid. ſeſſ.* 21. *de evitandis in celebrat. miſſar.* In aliquibus caſibus non requiritur Eccleſia, primò ratione neceſſitatis, *c. ſicut de conſecrat. diſt.* 1. puta ſi dum peregrinantur alicui, diu miſſa cogerentur. Secundò, ſi Eccleſiæ ſint dirutæ, vel ſi multi conveniunt ad ſolemnitatem, & non capit eos Eccleſia; poteſt enim tunc altare juxta Eccleſiam collocari, nè careant ſacro, item in caſtris pro militibus in littore, pro nautis intrà triremes exiſtentibus, in quibus, & ſimilibus caſibus ſi fieri poteſt, eſt oetenda licentia ab ordinario, quod ſi non poſſit fieri ſine licentia, requiritur ſemper altare portatile conſecratum; licèt verò poſſit Epiſcopus ex cauſa diſpenſare, ut miſſa celebretur in aliquo loco honeſto, non tamen poterit concedere licentiam, ut celebretur in doma privata, *Bonacina de Euchar. q ult. p.* 9. *nu* 9. & colligitur ex *Trid d ſeſſ.* 22. *cap.* 9. *de obſervandis & evitandis in celebr. miſſar.* Epiſcopus itineris cauſa poteſt in looo decenti celebrare cum altare portatili, vel facere, quod alius coram ipſo celebret. *cap. ult. de privil. in* 6. quæ facultas eſt ablata per *Trid. ſeſſ.* 22. ut docet *Vaſquez* 3. *par. diſp.* 233. & probat *Fagundez lib.* 3. *de primo præcepto cap.* 13. *n.* 19. & poteſt in ſuo palatio facere domum, Capellam, & Oratorium ad celebrandum, *Lug. diſp.* 20. *ſect.* 2. *n.* 5. Religioſi habent privilegium celebrandi extrà Eccleſias, Epiſcopis tamen non contradicentibus, *Lugo ubi ſupra nu.* 51. *Barb. in cap.* 3. *de privil.*

In mari poteſt celebrari accedente Papæ conſenſu, hoc enim non eſt contra jus naturale, vel divinum, & in prima Eccleſia conſuetum erat in navibus pro nautis celebrari: undè refert *Surius tom.* 2. die 20. Martii S. Vulfranum, dum in medio Ocea-

Oceano navigasse, & die quadam hora solita sacrificium offerret, & patena de ministri manu fuisset lapsa, prædictum Sanctum oratione sua impetrasse, ut patena iterum ex profundo ad manum diaconi reverteretur, quam etiam historiam refert *Card. Baronius tom.* 8. *anno Domini* 800. & ex antiquo usu deferebatur Eucharistia in navibus, ut refert *S. Gregorius lib.* 4. *dialog. cap.* 36. *S. Ambrosius*, & alii apud *Baronium tom.* 1. *anno Christi* 57. *& tom.* 5. *anno Christi* 401. novissimis nostris temporibus fuit à Pontifice petita licentia celebrandi in triremibus saltem in regia triremi, & negavit Pontifex: nihil mirum, quia triremes non sunt ita aptæ, ut grandiores illæ naves, deservientes pro Indica navigatione, nec est eadem necessitas, cum frequenter ad terras accedant, ubi in littore maris altari erecto, possunt missam audire, ut benè *Lugo disp.* 20. *sect.* 3. *in fine.*

Sciendum est septimò, quod ultra Ecclesiam ad celebrandum requiritur altare, quod debet esse lapideum, consecratum ab Episcopo, vel habente auctoritatem, quod altare est duplex, unum fixum, alterum mobile, seu portatile, quod ara nuncupatur, & primum consecratur, ut ibi permaneat, & si totum consecratur in qualibet parte illius potest sacrificari, quæ consecratio amittitur, si mensa superior separetur à pedibus, vel base, cui affixa est, non tamen si unus alter lapis ex iis, quibus nititur auferatur, si tamen potest adhuc manere, & stare quantum sufficit ad sacrificandum, *Layman lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 6. *num.* 3. Altare verò mobile retinet consecrationem quamdiù non frangitur, ità ut in parte illius integra non possint consistere calix, & patena cum hostia, non quidem ut totus pes calicis, & tota patena debeant esse desuper partem lapidis, sed tanta pars utriusque, ut sufficiat ad sustentanda illa, ne cadant: si verò pars lapidis addatur lapidi sacro, non fit sacer lapis ille, quia non componit cum præcedenti altare sacrum, *Layman ubi supra num.* 50. & altare portatile non perdit consecrationem, si separetur à ligno, in quo adest, neque requiritur in altari, ut adsint reliquiæ Sanctorum, *Lugo disp.* 20. *sect.* 2. *num.* 75.

Ultra altare requiruntur duæ tobaleæ, vel una duplicata, præter corporale, & ultra has duas alia longa, & ad terram pertingens, ut in missali reformato jussu Clementis Octavi, & præter has additur corporale ex Sacristia afferendum, & ità disponitur etiam in Missali Pij V. ut patet ex §. 10. *de defectibus occurrentibus in missa*: & debent tales tobaliæ esse benedictæ, quod à fortiori requiritur in corporali, quod licet in extremitatibus possit esse sericum, vel auro elaboratum, non tamen ea parte, qua calicem, & hostiam tangit; ejusdem rationis debet esse altera pars, qua calix operitur, quæ etiam pro corporali posset deservire, si capax sit, cum eandem benedictionem habeat, purificatorium vero, quo tergitur calix, non debet esse de necessitate benedictum. *Suarez disp.* 81. *sect.* 8. §. 4. *Gavant. in rubr. Missal. par.* 2. *tit.* 1. *lit. I.* & hodie neque tobaleæ benedicuntur, In pixide ubi Sacramentum conservatur, non est necesse, ut permaneat aliqua palla ex lino confecta, & benedicta, *Diana, par.* 2. *tract.* 1. *Miscell. res.* 2. qui etiam ait, quod pixis non est benedicenda.

Requiritur etiam, ut adsit lumen, immò si lumen extinguatur ante consecrationem, nec aliud haberi possit, relinquenda est missa, etiamsi necesse esset consecrare ad dandum viaticum moribundo, *Fagundez ubi sup. cap.* 22. *nu.* 19. sequitur *Lugo disp.* 20. *sect.* 3. *num.* 77. quod si unica candela ceræ adesset, tunc sine necessitate peccaret tantum venialiter Sacerdos id faciens, si verò unum tantum est lumen, olei, vel adipis, & non aliud; licet putent multi apud *Ricc. par.* 3. *dec.* 213. peccare mortaliter Sacerdotem, verius tamen est, non peccare *Diana de celebr. miss. res.* 45. *&* 67. *Lugo d. disputat.* 20. *section.* 3. *num.* 77.

Requiritur etiam Missale, quod si Sacerdos sit sufficianter instructus, & de sua memoria bene confisus, ut memorabiliter sit certus, se bene omnia dictum sine libro, tunc non peccat mortaliter, dicendo missam sine Missali. *Layman. lib.* 4. *tract.* 50. *cap.* 6. *num.* 17. sequitur *Diana res.* 46. qui male pro contraria opinione citat *Vasquez*, cum prædictam opinionem apertè teneat *d. cap.* 3. *num.* 26. & ideo *Lugo ubi sup. nu.* 78. excusat eos, qui cum legere non possint propter visus debilitatem, adhuc celebrant missam, memoriter recitantes, & videntes quantum satis est ad reliquas sacrificii actiones ritè exercendas. Cæcus cum dispensatione potest celebrare, *Sot. in* 4. *dist.* 9. *q.* 1. *ar.* 2. quæ dispensatio est habenda à Papa, sine qua dispensatione, si celebret, peccat mortaliter, *Conich. de Sacram q.* 74. *ar.* 2. *dub.* 1. & dispensatione facta, deberet alius tangere hostiam, & sibi consecrandam tradere, & ita refert Sotus, se vidisse Tridenti quendam Episcopum cæcum ea dispensatione Pontificis celebrantem, sequitur *Diana par.* 5. *tract.* 6. *res.* 17. sicuti in simili mutus Sacerdos potest eucharistiam altari administrare, licet non possit ipse consecrare. *Gratianus cap.* 407. *nu.* 6. *Diana ubi sup. p.* 5. *tract.* 6. *res.* 18. sive potest quis existente præcepto confessionis confiteri Sacerdoti surdo per signa, (si alium non habeat Confessarium) *Hurtadus de pænit. disp.* 8. *diff.* 4. est tamen opinio probabilis in hoc casu, quod teneatur pœnitens scribere peccata, & præbere Confessario, *Fagundez præcept.* 2. *lib.* 1. *cap.* 6. *nu.* 9. *Diana d par.* 5 *tract.* 6. *res.* 19.

Requiritur etiam, ut in altari sit Crux, non tamen est de præcepto, *Suar.* 3. *par. disp.* 81. *sect.* 6. *Layman. ubi sup. num.* 17. & alii, quos sequitur *Diana ubi sup. res.* 46. In altari, ubi est Sacramentum eucharistiæ, non est necesse, ut adsit Crux, sed alii putant oppositum cum *Gavant. d. p.* 1. *tit.* 20.

Requiritur etiam calix, & patena consecrata *cap. vasa de consecr.* 1. *dist.* quod si quis celebret in calice non consecrato bona fide, remanet calix consecratus, *Diana par.* 5. *tract.* 13. *res.* 60. *& par.* 1. *de celebr. miss. res.* 69. quicquid dico *Lugo disp.* 20. *sect.* 4. *n.* 91. Quando vero calix, qui usu aurum amisit, & postea iterum deauratur, quoad illam superficiem, qua tangit sanguinem Christi, non est iterum consecrandus, *Layman lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 6. *nu.* 7. *Coninch. de sacram. q.* 83. *ar.* 3. *dub.* 3. *nu.* 246. *Diana par.* 2. *tract.* 1. *Miscell. res.* 3. *Lugo ubi sup. n.* 95. quia talis calix non amittit consecrationem per deaurationem, cum non frangatur, nec ita mutetur: quin maneat idem, sicut Ecclesia retinet suam consecrationem, quando paulatim reficitur, in qua pars nova censetur consecrata ex hoc ipso, quod consecratæ additur.

Requiritur etiam, ut Sacerdos sit indutus sacris vestibus puta amictu alba, cingulo, manipulo, stola, planeta, &c. quæ omnes vestes debent esse benedictæ ab Episcopo, vel ab alio habente privilegium à Sede Apostolica. In casu necessitatis licitum est celebrare absque aliquo ornamento ex levioribus, vel cum eo non benedicto, ut absque stola, vel manipulo, aut cingulo Doctores plures, quos sequitur *Diana par.* 1. *de celeb. miss. res.* 57. si celebret quis cum cingulo non benedicto, vel aliquo alio, vice cin-

guli fungente, non peccat mortaliter, *Diana par. 2. tract. 14. resol. 68. & par. 5. tract. 5. resol. 62.* & potestSacerdos uti stola pro manipulo, vel manipulo pro stola, vel stola pro cingulo. *Lugo ubi sup. nu. 98.* Aliqui dicunt Sacerdotem extra missam communicantem, debere sub peccato mortali habere stolam, Alij communiter id negant, cum quibus sentit *Diana ubi supra d. tract. de celebr. resol. 20.* sequitur *Lugo*; & cingulum si sit fractum, ità ut neutra pars sufficiat, utraque iterum connexa potest absque nova benedictioni usurpari, *Diana 1. tom. tract. 20. Miscell. res. 4. & p. 5. tract. 13. res. 92.* quicquid dicat *Lugo ubi sup. nu. 102.* celebrare etiam cum cingulo non benedicto non est peccatum mortale. *Diana ubi sup. tract. de celebr. miss. resol. 68. & Lugo nu. 103.* Est præceptum secundum aliquos de calceis habendis, sed hoc gratia asseritur, ut benè *Lugo* Licentia celebrandi capite cooperto non potest dari ab Episcopo, sed à Papa, *Gavant. ad rubr. Missal. tom. 1. par. 2. tit. 2. Lugo ubi supra num. 102.* & est declaratum per Sacram Congregationem, ut in Missali reformato jussu Urbani Octavi.

Requiritur adhuc minister, qui Sacerdoti celebranti inserviat, & respondeat, & requiritur unus, quæ obligatio potius ex consuetudine, quam ex aliquo juris præcepto colligitur *Suar. disp. 87. sect. 1.* habemus tamen ex jure in *cap. 1. de cohabit. Cleric.* quod non ministret fœmina, quod intelligitur de ministerio circa ipsum altare, nam non prohibetur respondere Sacerdoti, ut faciunt Moniales ex choro: occurrente necessitate quod quis non habet nisi fœminam, quæ sibi ministrare posset, debet Sacerdos sibi ministrare, non fœmina, *Squillante de oblig. Cleric. p. 2. dub. 23. n. 70. Laym. d. cap. 6. n. 13.* licet putet *Nugnus in 3. par. tom. 1. q. 83. ar. 6. dub. 1.* posse Sacerdotem uti fæmina hoc casu, sine ullo peccato mortali, nam fieret sacrificium debito modo, idem docet *Sylvius in 3. par. q. 83. ar. 5. in resp. ad 12.* Non ergò est damnandus de peccato Sacerdos, qui in die festo, vel ut det viaticum infirmo celebrat sine ministro: ut contra *Bonacinam*, & alios, docent multi apud *Fagundez d. lib. 3. tract. 1. cap. 21. Squillante ubi sup. Lugo disp. 20. sect. 4. num. 163. Diana resol. 43.*

Requiritur ultimò, in missa hostia consecranda, quod si in aliquo campo, in Ecclesia aliqua non reperiatur hostia, sed tantum particula, licebit Sacerdoti, cum illa celebrare, post *Marcantium* ità tenet *Diana par. 5. tract. 13. resol. 80.* si non potest haberi alia hostia major.

Est tamen primò notandum, quod quia non debet operari contra rubricas Missalia, quasi novum ritum introducendo, quia esset peccatum mortale, & hoc intendit Pius Quintus, dum obligavit omnes ad hunc ritum, & prohibuit alios, qui verò contra regulam Missalia in festo duplici, vel Dominica dici missam votivam, vel de mortuis, non peccat mortaliter, ità post *Suarez*, *Diana de celebrat. Miss. resol. 32.* sequitur *Lugo d. sect. 15. num. 105.* neque est peccatum mortale omittere orationes, quæ dicuntur à Sacerdote, dum se sacris vestibus induit, *Laym. d. c. 6. nu. 12. Fagundez d. c. 21. nu. 9.* sequitur *Diana ubi sup resol. 41.* quia illa non est materia præcepti, sed institutionis, & directionis, neque est peccatum mortale omittere in missa Gloria, vel Credo, *Fill. tom. 1. tract. 5. c. 5. n. 151. Dian. ubi sup. resol. 59.* sed si relinqueret in missa epistolam, vel Evangelium, peccaret mortaliter; excusaretur verò à peccato Sacerdos, qui, dum canitur missa, non legit Epistolam, quam canit Subdiaconus, vel Evangelium, quod canit Diaconus: *Diana ubi supra resol. 42.* & sequitur *Lugo d. sect. 4. in fine*; quia graduale omisit post epistolam, & fuit excusatus à peccato mortali per *P. Dianam par. 5. tract. resol. 63. & d. tract. 5. resol. 45.*

Sciendum est ergo, quod si in missa accidat aliquis defectus substantialis, est supplendus quoties advertitur, sive id advertatur ante, sive post consecrationem, ideò si videat Sacerdos hostiam non esse ex tritico confectam, vel locò vini adesse acetum, debet aliam apponere materiam, & eam consecrare. Si verò defectus sit accidentalia, ut si advertat sacerdos post consecrationem calicis non fuisse appositam aquam; aut hostiam esse notabiliter fractam, nihil tenetur supplere: secus si hoc advertat ante consecratione, *S. Thom 3. par. quæst. 83. ar. 6. Suarez disp. 85. sect. 2. Filliuccius de Sacram. tract. 5. cap. 5.* quod si sacerdos post consecrationem hostiæ advertat materiam, quam posuit in calice, non esse vinum, sed acetum, vel liquorem, nec vinum adsit præsens, poterit procurare ut deferatur vinum, quod si sine scandalo fieri non potest, tunc consecrare poterit in una tantum specie, quia præceptum consecrandi sub utraque specie non obligat hoc casu, DD. citati. Undè si sacerdos jam sumpto corpore videat se consecrasse calicem cum sola aqua inadvertenter, debet de novo consecrare vinum, & incipere ab illis verbis *Simili modo &c.* ità *Scotus in 4. dist. 8. q. 3. S. Tho. in 4. dist. 11.* & est approbatus hic modus supplendi defectum hunc in Missali edito jussu Clementis Octavi, licet in Missali Pij Quinti videatur dici contrarium, scilicet esse etiam consecrandam hostiam, quod dixit *S. Thomas 3. par. quæst. 83. art. 6. ad quartum.* Ex quibus

Infertur primò, sacerdotem, qui in suscipiendo calice advertit, non esse vinum, sed aquam, vel acetum, non debere illud parvum, quod suscepit ex guere in calice, sed posse deglutire, & postea aliud vinum consecrare, quia illud expuere esset indecens, nec præceptum de celebrando jejunè videtur obligare cum tanta indecentia, & ideò tres casus assignant Doctores, in quibus licitum est celebrare non jejunè primus propter integritatem sacrificij, quando sacerdos aquam posuit in calice pro vino, & illam assumpsit: quod si sacerdos inconsideratè hoc casu neque consecraret verum vinum, non peccaret mortaliter, Doctores communiter, quos sequitur *Sylvius in 3 par. quæst. 80. ar. 8. casu 2.* secundus casus est, quando sacerdos post assumptionem calicis, & hostiæ assumptionem, videt reliquias hostiæ in patena, vel corporali, Idem dic, si in sacris vestibus non dum spoliatus id videat sacerdos, scilicet inveniens aliquod fragmentum in patena, vel calice, potest enim illud sumere *Diana par. 5. tract. 14. resol. 43.* retractans se ab eo, quod docuerat *par. 3. tract. 4. resol. 45.* ubi tamen id docet, tanquam probabile, admittens oppositum ut probabilius. Tertius casus est, quando sacerdos post consecrationem recordetur, se non jejunum, vel si post consecrationem hostiæ deficiat, hoc enim casu si adsit alius sacerdos jejunus, debet sacrificium perficere, & communicare, quod si alius non adesset jejunus, posset ille non jejunus perficere, ità *excom. nihil 7 q. 1. Coninch de sacram. 4 q. 80 ar. 8. num 63. Vasquez in 3. par. tom. 3. disp. 21 1 cap. 5. Sylvius par. 3.* potest verò sacerdos oblatione hostiæ jam facta, si offeratur particula pro communicando laico, eam consecrare, *Gavantus in rubr. Missal. tom. 1 par. 3. tit. 10 num. 19.* non tamen id debet facere valdè remotè ab oblatione hostiæ, puta cœpta præfatione, & cum sit, effici debet oblatione ejusdem hostiæ mente concepta, videas *Possevinum de offic. Curati cap. 2. num. 17*

Et nota, quod si animal venenosum ceciderit in calle

alicem ante consecrationem, sumi debet alia materia. Si verò post consecrationem admoeatur Sacerdos vinum esse venenosum, sunt omburendæ species post corruptionem, quando jam non est amplius Christus speciebus, idem ic de Euchnristia, quam, quis evomuit, non men est audiendus Bartholomæus ab Angelis, elatus per *Bonacinam ubi supra num.* 10. qui doct barbam Sacerdotis post trinam lotionem abdendam esse, & comburendam, quoties Christi sanguis super barbam Sacerdotis ceciderit, m quia id usu non est receptum, tum quia ogerentur sacerdotes ire sine barba, quod est diculum; quod si sacerdos post sumptionem advertat, vinum fuisse veneno infectum, potarit eas pecies emovere in vase mundo, sicut non tenetur as sumere, DD. ubi supra.

Nota secundò, quod si Sacerdos advertat, se iquod spectans ad formam, & qoidem substanale omisisse, tenetur id, quod prætermisit repetere: quod si post multum tempus id advertat, tenetur totam formam repetere: si verò prætermiserit aliquod accidentale, non est supplendum; ideò qui omiserit voluntariè *Credo, vel Gloria*, non peccat mortaliter, sed solum venialiter: idem dicas si omittatur in canone nomen alicujus sancti, *Filiuccius tom. 1. tract. 50, num.* 155.

Nota tertiò, quod si sacerdos in ultima missa alicujus Ecclesiæ obliviscatur consecrare aliam hostiam apponendam post prandium in oratione 40. horarum, potest sumere particulam à tabernaculo ex consecratis jam anteà ab alio sacerdote, & hostiam ab ipso consecratam conservare, ad effectum publicè illam exponendi postea, posito quod non esset ultrà tempus celebrandi aliam missam, ità *Fagundez præcepto 1. lib. 3. cap. 4. num. 26. & Henriquez de missa lib. 9. cap 9. nu. 2.* quicquid dicat *Diana par. 5. tract. 15. resol. 96. & Lugo disp. 19. de Eucharistia sect. 1. nu. 76.* Ratio est, quia sacrificii essentia consistit in nova consecratione, & consumptione hostiæ, & vini in eodem sacrificio facta, non tamen ab eodem sacerdote. Undè multi Parochi, dùm renovant Eucharistiam, consumunt hostiam ab alio consecratam, eam verò, quam consecrant, ponunt in tabernaculo, & fit integrum, & perfectum sacrificium missæ: id enim quod requiritur est, ut in eodem sacrificio detur nova consecratio, & nova sumptio, quamvis nova hostia consecretur, & alia præconsecrata consumetur; idem alibi *Fagundez*, scilicet *d. lib. 3. cap. 5. nu.* 20. quem tamen repræhendit *Lugo*, dicens parùm theologicè loqui, & ego idem credo, quia Ecclesia in rubricis missalis præcepit, quod si post consecrationem contingat species sanguinis omninò effundi, vel in ipsis, aut hostia venenum apparere, debet sacerdos aliud vinum, vel aliam hostiam consecrare, quam sumat, quod non esset necessarium, posita prima sententia, nam posset sacerdos ex tabernaculo sumere particulam, vel si id accidisset in vino, ex sacerdote celebrante in alio altari partem ex calice accipere, & cum illo prosequi missam inceptam, ad quod sufficit per eos consecratio, & sumptio sacramenti alias consecrati: sed est secundum præceptum ecclesiæ iterum talibus casibus consecrandum ad integritatem sacrificii, unde jura non solum dicunt debere sacerdotem participare in missa de eodem sacramento, sed debere participare de sacrificio, ut in *cap. relatum de consecr. dist.* 2. ergo est opinio *Fagundez, & Henriquez* improbabilis, & usus Parrochorum, quem ipse asserit, est abusus natus ex ignorantia.

Ex quo rejicitur cautela illa, qua usus fuit Parrochus quidam (de quo *Jacob. Marchantius in resol. pastorali de Sacram. tract. 4. cap. 5. q. 3. in fine,*) qui nullam habens majorem hostiam, veritus scandalum populi; dum minorem hostiam consecrasset in elevatione Sacramenti, extollit alteram quandam majorem hostiam, quæ conservabatur in piside, ut exponeretur in die populo; malè enim fecit, quia in missa debet ostendi popolo adoranda illa hostia, quæ in sacrificio est oblata, & consecrata, melius tamen fecisset, si majori hostiæ alteram parvam consecratam per illud sacrificium simul adjunxisset, quod facile fieri potest, exhibendo utranque adorandam, sic enim satisfaceret prædictæ sacræ cæremoniæ, quia hostia sacrificii prædicti populo adorandam exhibenda præcipitur, sequitur *Diana par. 5. tract. 13. resol. 96.*

Sciendum est nonò, sacrificium applicari posse ipsi, pro quo dicitur tam ante, quam in ipsa consecratione: & sic, qui dicunt debere applicari sacrificium in memento, sunt intelligendi de primo memento, non secundo, quia tunc est perfecta essentia sacrificii, *Fagundez de præcep. lib. 3. præcept. 1. cap. 1. n. 9. Fraxinelius de oblig. Sacerd. sect 5. concl. 4. ȼ. 7.* Quod si contingat Sacerdotem perdere loquelam post consecrationem, secundus Sacerdos veniens debet referre intentionem, & applicationem suam ad illam prioris Sacerdotis, neque requiritur nova applicatio, nec novum per consequens potest accipere stipendium, Doctores communiter apud *de Leone de offic. Cappellani q. 7. sect. 14.* In ecclesia universali non est obligatio applicandi missam in aliquo die, præsertim in die desunctorum, ut probat *Alphonsus de Leone ubi sup. sect. 9.* sicut neque eo die adest obligatio recitandi officium defunctorum, ut probat *Diana par. 4. tract. 4. resol. 243.* Missa Conventualis quæ dicitur in Monasteriis, potest applicari pro quocumque voluerit Prælatos Monasterij *Alphonsus de Leone q. 8. de offic. Cappellani sect. 18. nu. 188. Laurentius de Peyrinis in privil. minimor. tom. 3. cap. 1. nu. 20. Bonacina disput. 4. de sacram. q. ult. p. 7. §. 2 nu. 7. Fraxinellus de obligat. Iust. sect. 4. concl. 4 ȼ. 16.* Qui dicunt missam Conventualem non posse applicari illi, qoi dedit stipendium. Sacerdos dum celebrat simul cum Episcopo, à quo ordinatur, potest applicare illud, cui voluerit. *Diana par. 5. tract. 14. res. 112. qui resol. 65.* dicit sufficere ad applicationem missæ intentionem habitualem, prout dicit etiam *Lugo disp. 8. de sacramen. sect. 6 num. 93.* & dixerat prius idem *Diana par. 1. tract. 14. resol. 47.* est autem difficultas, utrum Sacerdos, qui accepit stipendium ab aliquo pro missa celebranda, teneatur ei applicare fructum ex opere operantis, & orationes quæ fiunt in missa, negant teneri *Coninch. de Sacram. quæst. 83. art. 1. dub. 10. num. 195. Hurtadus de Sacram. disp. 3. de sacrificio missæ diffic. 8. in fine, & disput. 4. diffic. 15.* Alij dicunt teneri applicare, quia si vera esset opinio contraria, frustra dantes stipendium pro missis, studium adhiberent ad inveniendos Sacerdotes optimæ vitæ ad illas dicendas, quod tamen consulunt Doctores communiter esse faciendum, ut patet per *Fagundez præcept. 1. lib. 3. cap. 6. num. 22.* quia stante prædicta *Hurtadi* opinione, cum celebrans missam pro stipendio, non teneatur applicare fructum ex opere operantis, neque orationes, aliasque missæ actiones, idem esset pro stipendium dantibus celebrare ad eorum intentionem, tam malos, quam bonos Sacerdotes, sed hoc videtur absurdum, & contra praxim, ergo, legas *Diana par. 5. tract. 14. res. 80.*

Explicatur, quando nàm fideles teneantur audire Missam.

PRO intelligentia sciendum est primò., nomine auditionis missæ intelligi eam actionem, per quam fidelis est præsens missæ humano modo, scilicet corpore, & animo, ità distans, ut possit saltem videre Sacerdotem, & attendere ad illius ministerium; ideò amentes, vel ebrii existentes in ecclesia, dum missa celebratur, non dicuntur missam audire, nec qui eorum curam gerunt, tenentur facere, ut videant missam, *Sanchez in summa lib. 1. cap. 12. num. 17.* requiritur ergò præsentia humana, non tamen ut visu percipiatur, vel auribus verba percipiantur, nam cœcus, vel surdus adhuc missæ assistit, & satisfacit præcepto, si tamen quis incipiat missam audire, & postea etiam involuntariè dormiat, per notabilem ejus partem, non satisfacit præcepto, ut cum aliis docet *Sanchez 2. tom. consil. lib. 7. cap. 2. dub. 33.* immò addunt aliqui, quod si quisdum missam audit raptum, vel extasim patiatur, qua ab omni sensuum usu alienatus sit, non satisfacit præcepto audiendi missam, quia neque illa est præsentia humana, qualis exigitur, ità *Luisius Turrianus in select. par. 2. disp. 16. dub. 7.* si vero quis est in missa præsens post aliquam columnam, dicitur præsens moraliter, cum sit pars multitudinis: si vero quis ex fenestra domus audiret missam, est quæstio, an satisfaceret? & negant *Fillincc. tom. 1. tract. 5. cap. 7. num. 209.* cui se subscribit *Diana. par. 4. tract. resolut. 155.* quod quidem verum judicarem, quando inter fenestram, & ecclesiam mediat platea, aut via nimis lata, quæ altare multum remotum reddat à fenestra; non tamen universaliter est verom, quia potest, contingere, esse adeo vicinam fenestram altari, ut moralem præsentiam non impediat, undè *P. Lugo disp. 22. de eucharistia sect. 2. num. 21.* loquitur de Collegio Romano, ubi adest privatum sacellum cujus altare à fenestris domus adversæ instat non plus, quàm triginta passus, & dixit, & ab illa fenestra audiri posse missam, licet via publica intercederet, ac si intra ecclesiam parvam audiretur ab aliquo ibi existente.

Sciendum secundò est, eum, qui dum audit missam, confiteretur sacramentaliter, cum tamen confessio non sit necessaria, sed posset differri, vel audire post aliam missam, non satisfacere præcepto audiendi missam: ita *Bonacina disput. 4. de euchar. q. ult. par. 11. n. 26.* mutata sententia, quam prius docuerat, sequitur *Lugo disp. 22. sect. 2. num 22.* ratio est, quia, licet actio, quæ sit ordinata ad Deum, tamen non est per hoc compatibilis cum auditione sacri, alioquin posset quis, dum audit missam consulere pattem spiritualem circa casus suæ conscientiæ, vel posset inservire ægroto sternere ei lectum, & similia, ergo non sufficit pietas actionis, ut excludat attentionem ad missam, nam licet tunc possit recitare horas, non tamen potest exercere actionem externam, quæ impediat cultum externum sacrificandi, seu ostendendi se assistentem sacrificio, & coofferentem cum Sacerdote.

Sciendum est tertiò, in missa audienda requiri intentionem, qui vero ex voluntate mala, & peccaminosa accedit ad videndam missam, satisfacit præcepto, quia ponit totam rem præceptam, idem dic de eo, qui venit ex metu patris, magistri, vel Domini, si jam in ecclesia positus vult audire missam, sed si interius nollet consentire auditioni missæ, jam illa non esset actio humana, nec vellet etiam implicitè offerre illud sacrificium. Ille verò qui ignorat esse præceptum audiendi missam, vel qui non vult satisfacere præcepto, sed postaa audit, verè satisfacit Doctores ubi supra. Attentio verè requisita in missa non opus est, ut sit interna, sed sufficit externa. *Diana de hor. canon. resolut. 2. Lugo disp. 22. sect. 2. num. 26.* quia potest quis orare in missa, externa oratione cum mentis evagatione, ergo non requiritur attentio interna.

Sciendum est quartò, missam, ad quam tenemur audiendam esse, sive ritu græco celebratam, sive latino, *Portellius in verb. missa*, & satisfacit quis audiendo missam votivam in die Dominico. vel audiendo extra Parochiam, quia licet olim fuissent fideles obligati audire in Parochia, tamen ex privilegiis fuit huic obligationi derogatum, & licet *Trid. sess. 14. cap. 4.* dicat, fideles debere adire Parochias ad audiendum verbum Dei, tamen universalis status ecclesiæ docet, non esse receptam dictam obligationem quoad conciones, & sacra Congregatio determinavit, non posse Episcopum pœnis, & mulctis cogere populum ad audiendam missam, aut concionem in propria Parochia, etiam in casu negligentiæ, vel contumaciæ. *Azorius tom. 1. lib. 7. cap. 8. q. 6.* si quis partem notabilem missæ non audit, sed omittit, peccat mortaliter: pars notabilis, secundum communionem opinionem, est, si omittatur usque ad evangelium exclusivè, secus si omittatur evangelium, ita post *Navarrum, Suarez, Sotum, Tab. Enam, & alios tenet Fagundez lib. 2. cap. 6.* Alii dicunt, non esse peccatum mortale etiamsi omittatur evangelium, dummodo audiatur totum reliquum cum evangelio ultimo, inclusivè, quod probabile putant multi apud *Bonacinam*, quos refert, & sequitur *disp. 4. de missa q. ult. p. 11. num. 17.* & ut verum fatetur. *Hurtadus de sacrificio miss. disp. 5. diffic. 1. Dian. p. 5. tract. 14. resol. 70. & d. par. 5. tract. 5. res. 44. & 45. Lugo disp. 22. sect. 1. num. 3.* Aliqui putant, quod si quis est præsens aliis partibus missæ, sed non in consecratione, non satisfaceret, sed verius est satisfacere, quia non est notabilis pars temporis *Lugo ubi supra nu. 4. Diana par. 5. tract. 13. resol. 61.* est etiam quæstio, an qui non potest integram missam audire, quia forsan venit in medio missæ ultimæ, teneatur saltem audire illam partem, quæ restat? negant aliqui apud *Dian. tom. 2. tract. 6. miscell. res. 69.* ipse tamen affirmativè respondet cum *Suarez, & Sanchez*, ego puto dicendum cum *Lugo ubi supr. num. 6.* Quod si potest adesse præsens consecrationi tenetur ille adesse, quia illa est pars principalis, & alia pertinent ad ejus complementum; si vero sit facta consecratio, non tenetur reliquæ parti adesse, sicut in feria sexta, hebdomadæ sanctæ, non tenemur adesse officio illius diei, etiam occurrente festo, quia deest consecratio.

Si vero quis audit mediam missam unius Sacerdotis, & mediam ex alio, satisfacit præcepto, communiter Doctores apud *Dianam tom. 1. tract. 3. miscell. resol. 18. Lugo d. disp. 22. sect. 1. nu. 8.* immò si quis eodem tempore sacrum duorum Sacerdotum media ex parte audit, satisfacit, puta si eodem tempore audit missam unius Sacerdotis usque ad consecrationem, & alterius à consecratione usque ad finem, satisfacit enim præcepto secundum *Bonacinam ubi sup. Faustus de euchar. lib. 2. q. 389.* qui etiam docet, posse eodem tempore aliquem audire tres missas, & satisfacere præcepto, voto, & pœnitentiæ injunctæ de audiendis tribus missis, sequitur *Diana par. 5. tract. 14. res. 52.* qui etiam dicit

dicit non peccare mortaliter aliquem, si prius audit posteriorem partem missæ, puta post consecrationem, usque ad finem, & secundo loco audit primam partem missæ, scilicet à principio usque ad consecrationem, *& resol.* 71. *idem Diana*, cum pluribus, docet, quod si Confessarius injungat alicui duas missas audiendas, satisfacit pænitens, si simul ex uno loco illas audiat à duobus Sacerdotibus, nisi aliud Confessarius expresseris.

Ex quibus omnibus infertur primò, adultos baptizatos, legitimo impedimento non impeditos, teneri ex præcepto ecclesiastico missam audire diebus festis, *cap. missas, cap. omnes fideles de consecr. 1. dist.* quod præceptum, licet sit ecclesiasticum est tamen tertio Decalogi præcepto maxime conforme. *Filliucc. tract.* 5. *nu.* 198. ex quo tenentur pueri fideles, elapsis septem annis *Suar. in 3. par. tom.* 3. *dis.* 88. *sect.* 4. alii putant, quod teneantur pueri, quando sunt obligati ad communionem, sequitur *Diana p.* 5. *tract.* 13. *resol.* 77. si vero quis esset excommunicatus, & est negligens ad petendam absolutionem excommunicationis, putant aliqui, quod peccat mortaliter in die festo missam non audiendo, quia est negligens ad accipienda media, ad finem conducentia; alii verò, & melius putant, nullum esse peccatum mortale, ità *Suar. in 3 par. tom.* 3. *dis.* 88. *sect.* 6. *Coninch. de sacrament. disp.* 14. *dub.* 7. *num.* 56. *Avila de censur. p.* 2. *c.* 6. *disp.* 4. quia nec obligatio præcepti audiendi missam, non est tanti momenti, ut obliget ad tam remotam dispositionem, nempe ad acquirendam capacitatem audiendi missam, sicut debitor carceratus, qui missam audire non potest, licet possit solvere, non peccat pro eo tempore, quo detinetur in carceribus, si missam non audit, non sic est in observatione præcepti confessionis, à quo non excusatur excommunicatus, quando potest petere absolutionem, quia est magni momenti, *Diana p.* 4. *tract.* 4. *res.* 57. *& par.* 5. *tract.* 9. *res.* 88.

Infertur secundò, eum satisfacere præcepto, qui inservit missæ, & dum inservit missæ recedit à loco, ut deferat vinum, hostiam, aut thus, quia præsumuntur præsentes, sic qui audit missam nesciens esse diem festum, non tenetur aliam missam audire, sic qui missam audit Sacerdotis excommunicati, satisfacit præcepto, nisi sit excommunicatus vitandus, quia illius non possumus missam audire, sicut nec missam Sacerdotis degradati, vel depositi, Sacerdotis verò concubinarij possumus audire, quia non est excommunicatus vitandus.

Infertur tertiò, mutum, surdum, & cœcum, teneri missam in diebus festis audire, quia audiendi verbum, ne quo *in cap.* 1. *de consecr. dist.* 1. non sumitur strictè, sed latè, & sic nihil aliud importat, quam voluntariam alicujus præsentiam in sacro habere, & sæpe contingit, ut missa privata ità submissa voce dicatur, ut nihil ab adstantibus audiatur, & tamen præcepto ecclesiæ satisfaciunt, qui præsentes sunt, & aliquando ita magna est populi frequentia, ut missa non ab omnibus audiatur, & tamen qui præsentes adsunt præceptum servant, ergò surdi, qui nihil audiunt, & cœci, qui nihil vident, tenentur missam audire, & à præcepto minime excusantur *Fagundez præcept.* 1. *lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 3. *Diana par.* 5. *tract.* 6. *res.* 8.

Infertur quartò, ex multis causis excusari aliquem à præcepto audiendi missam, primo quidem excusatur ex impotentia morali, puta si mater probabiliter timeat, quod si filiam domi relinquat, vel ad ecclesiam traducat, aliquis vituperet, eam poterit domi remanere cum ea, nec ad missam accedere, sic infirmus, qui probabiliter timet periculum gravioris morbi, si ad ecclesiam accedat, non tenetur missam audire, sic nutrix, vel alia persona, quæ non potest parvulos in ecclesia retinere absq; gravi molestia, non tenetur missam audire: sic excusatur nauta, vel iter faciens, si ille cogeretur ad magnas faciendas expensas, & hic amitteret socios, quibus opus habet ad iter faciendum, cum viam ignoret, aut latrones timeat, secus si solum id faciat, ut socios habeat; sic excusatur fœmina honesta, quæ non habet vestem sibi competentem, sic excusatur qui non potest de domo securus exire, ut si timeat se ab hostibus invadendum, aut à satellitibus comprehendendum, sic excusatur famulus, aut uxor, quæ timet verbera, aut rixas, si ad missam accedat, *Bonacina ubi sup. p. ult.* Illa verò puella, quæ scit se concupisci lascivè, potest exire ad audiendum sacrum, *Diana par.* 5. *tract.* 7. *resol.* 22. *Castrus palaus tom.* 1. *tract.* 6. *disp.* 6. *p.* 16. quia unusquisque habet jus faciendi illud bonum, ad quod tenetur, licet sequatur alterius scandalum, non enim sunt præcepta omittenda propter scandalum, excusantur vero ob regionis consuetudinem viduæ, quæ mortuo marito ad certum tempus non exeunt de domo, modo non se abstineant ab audienda missa plus temporis, quam consuetudo postulet, sic excusantur puellæ, quæ non permittuntur missam audire, donec nuptui tradantur: quod si istæ tales ad ludos accederent, & ad alia spectacula, & missam non audirent, peccat mortaliter: excusantur etiam ex eadem causa mulieres, quæ post partum domi se continent.

Ultimò, pro complemento sacrificii missæ noto, approbari ab aliquis modum quendam visitatum, quo quis sibi in vita facit applicari missas, & exequias celebrari, quasi ipse mortuus sit, quem modum laudat *Bartholomæus à S. Fausto lib.* 2. *de Euchar. q.* 148. nè fortè posteà, ut sæpè fit hæredes sint negligentes in talibus suffragiis faciendis. Idem docet *Laurentius de Peyrinis de privil. minim. tom.* 3. *cap.* 1. *num.* 21. *Barb. in collect. ad Trid. sess.* 22. *cap.* 3. *num.* 8. qui id limitat, modò in missa non dicantur illæ orationes, quæ supponunt aliquem esse jam mortuum, ut oratio: *Inclina Domine*, in qua habentur hæc verba, *quam de hoc sæculo migrare jussisti*, nè mendacium committatur, sed prædictam limitationem non esse necessariam ait à *S. Fausto*, quia etiam in missis de requie, quæ dicuntur pro animabus purgatorij dicitur, *ne cadant in obscurum, ne absorbeat eas tarturus*, quia ne dicatur mendacium, sufficit si Ecclesia repræsentet eas animas Christo, ac si tunc essent agonizantes, & pro iis orat, ut à purgatorii pœnis liberentur, sic in casu nostro, ut veritas salva maneat sufficit, si Sacerdos oret pro vivis, & repræsentet eos Christo Domino, ac si jam essent mortui: modus autem anticipatè loquendi usitatissimus est in sacris scripturis. Alii verò putant, prædictam consuetudinem dicendis talibus missis in vita, ac si esset quis defunctus, esse abolendam, *Layman lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 2. *num.* 15. quia intentio Ecclesiæ est, ut officium mortuorum, & missa de requie dicatur pro mortuis, non pro vivis, sequitur *Fraxinellus de obligat. sacerdotis sec.* 4. *proemio* 4. *&.* 4. *Diana part.* 5. *tract.* 13. *resolut.* 2.

In §. Sed nec.

AGitur hic de ministro hujus Sacramenti Eucharistiæ, ad cujus intelligentiam,

Sciendum est primo, apud Catholicos certum esse, solum Sacerdotem ritè ordinatum posse validè Eucharistiam consecrare, *Trid. sess.* 23. *cap.* 4. & Sacerdotes excommunicati, schismatici, vel aliter interdicti validè conficiunt, quamvis non licitè *S. Thom.* 3. *par. q.* 82. *art.* 7. *&* 8. *cap. accedens* 50. *dist.* Potestas verò dispensandi competit soli Sacerdoti, ex commissione verò competit diaconis. Potest etiam Sacerdos communicare seipsum extrà missam, non solum in casu necessitatis, sed si id faciat devotionis causa ex particulis jam consecratis, nam in hoc Sacramento non debet esse minister distinctus à suscipiente, ut patet in die Parasceve, quando Sacerdos seipsum communicat non consecrando; communiter DD. apud *Fagundez tract.* 3. *lib.* 3. *cap.* 3. *Suarez in* 3. *par. tom.* 3. *disp.* 72. *sect.* 3. & hoc licitum est fieri secluso scandalo, quod evitabit Sacerdos dicendo adstantibus, ne scandalum patiantur, quia id sibi facere licet, & id intellige, etiam si esset Diaconis præsens *Diana par.* 2. *tract.* 14. *resol.* 53. & hoc casu potest Sacerdos seipsum communicare qualibet hora post meridiem dummodò sit jejunus, quia prohibitio est, nè consecret, *Azorius par.* 1. *lib.* 10. *cap.* 25. *Henriquez lib.* 8. *cap.* 25. & in casu necessitatis potest laicus alio scilicet non existente idoneò ministro seipsum communicare, ità contra *Bonacinam de Sacram. disput.* 4. *q.* 5. *punt.* 1. *num.* 6. & alios docent *Suarez*, *Filiuccius*, aliique probaliter apud *Dianam par.* 3. *tract.* 4. *de Sacram. resol.* 47. ex quo addit, licere subdiacono, vel diacono in casu necessitatis ministrare viaticum infirmo, quia casus ille necessitatis semper videtur exceptus, & de Regina Scotiæ legimus, quod in Anglia martyrium subitura, Sacramentum Eucharistiæ, quod secum habebat, propriis manibus sumpsit, quidquid dicat *Lugo disp.* 18. *de Euchar. sect.* 1. immò non solùm laicus in casu necessitatis posset seipsum communicare, sed etiam alios, si non àdsit legitimus minister, quæ opinio licet intolerabilis videatur *Soto in* 4. *dist.* 23. *q.* 1. *ar.* 3. tamen est satis probabilis, tum ob DD. plures, quos refert, & sequitur *Diana, ubi sup. d. resol.* 47. tùm quia nullo præcepto nec naturali, nec divino Christi repugnat, neque ullus reperitur Canon. Ecclesiasticus qui id prohibet, quia *text. in cap. pervenit*, *de consecr. dist.* 2. qui videntur id prohibere, loquitur extrà casum necessitatis, neque dici potest, esse contra consuetudinem Ecclesiæ, nam in Ecclesia non practicatur cum sit casus rarissimus; ex quo à fortiori laicas in articulo mortis, non existente Sacerdote poterit seipsum communicare, *Diana par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 47. *&* *par.* 6. *tract.* 3. *resol.* 48. & in articulo mortis posset quis Sacramentum recipere à Sacèrdote excommunicato virando, *Diana loco cit. resol.* 49.

Sciendum est 2. posse Sacerdotem dare licentiam diacono, ministrandi Sacramentum Eucharistiæ, quando est ipse impeditus, licet non soleat id esse in usu, quia talia casus de raro accidit. Posset etiam Diaconus absente Parocho deferre viaticum infirmo, ne absq; communione moriatur, ut in *Concil. Niceno can.* 14. quod idem dicas, si Parochus præsens nolit deferre, nec committére Diacono, ut ferat. Regulares ex privilegiis sibi concessis possunt in die Paschatis dare laicis communionem, *Fagundez libr.* 1. *de* 3. *præcepto*, *capit.* 5. *Rodriquez quæst. regul. tom.* 1. *q.* 56. *art.* 3. *Lugo disp.* 18. *sect.* 2. *nu.* 49. & vagis possunt præbere in die Paschatis, quia nullam parochiam habent, *Diana par.* 3. *de dub. regul. resol.* 12. *Lugo ubi sup.*

Sciendum est tertio, posse Sacerdotem pro infirmo communicando, ne sine viatico decedat, partem hostiæ frangere, eique dare, & etiam si vellet alium communicare devotionis causa, *Sancimus in selectis*, *disp.* 26. *nu.* 21. quia Secerdos sic faciens consulit utilitati fidelium, nec ullam injuriam facit Sacramento, cum in singulis particulis, quamvis exiguis, totus Christus contineatur, *Diana de Sacram. resol.* 34. *de celebrat. miss. resolut.* 37.

In §. Item.

AGitur hic de illis, quibus dari non debet hoc Sacramentum, & sic de ejus subjecto, ad cujus intelligentiam,

Sciendum est primo, quod sumptio Encharistiæ triplex est, una spiritualis tantum, quæ fit per solum affectum, & desiderium sumendi eam, alia Sacramentalis tantum, quæ fit recipiendo Sacramentum, sed sine fructu, quia recipitur cum obice: alia est sacramentalis, & spiritualis, quæ fit suscipiendo Sacramentum cum gratia, & fructu, quæ communio spiritualis fuit cognita à *Trid. sess.* 12. *cap.* 8. *& sess.* 22. *cap.* 6. quæ sumptio, x communio spiritualis gratiam confert ex opere operantis, non operato, *Suarez disp.* 62. *sect* 1. *Vasq. disp.* 212. *cap.* 1. Ad Sacrementalem communionem sumendam.

Requiritur primò, ut sit baptizatus, qui ad eam accedit, undè cathecumenus non est capax ipsius. Neque quicquam facit *text. in cap. veniens de presbytero non baptizato*, quia ibi solum loquitur *Innocentius III.* disputativè pro utraque parte adducendo, ut benè *Lugo disp.* 13. *de Euchar. sect.* 1.

Secundò ruquiritur intentio actualis, vel virtualis, aut habitualis: unde licet infantibus non sit necessaria Eucharistia, *Trid. sess.* 21. *cap.* 4. *& can.* 4. tamen possunt communicari, latè *Lugo disp.* 13. *de Eucharist. sect.* 2. Amentes, qui antea habuerunt usum rationis sunt communicandi per viaticum, si priùs voluntatem habuerunt recipiendi Eucharistiam, *S. Thom.* 3. *par. q* 80. *art.* 9. & licet *text. in cap. is, qui in infirmitate* 26. *q.* 2. loqui videatur de illis, qui in infirmitate ipsa usum rationis habuerunt, tamen quia ratio milirat in utroque casu, ideò utrique est danda, & ut possit dari his talibus, sufficit si non constet de peccato mortali commisso antecedenti; illi verò amentes, qui nunquam habuerunt usum rationis non sunt communicandi in articulo mortis, quia non censentur petiisse eucharistiam, neque explicitè, neque implicitè, non tamen obligantur ad communionem semel in anno amentes. Qui verò inciderunt in phrenesim, & delirant, possunt communicari in articulo, vel periculo mortis, *S. Th.* 3. *p. quæst.* 88. *art.* 9. *ex cap. qui recedunt*, 26. *dist.* undè omnis fidelis, qui non est notoriè excommunicatus, nec notorius peccator, & de quo non constat in peccato mortali mortuum esse in vita gratiæ, potest in articulo mortis communicari, *Coninch. de Sacram. d. q.* 80. *art.* 9. *num.* 74. intellige hoc, quod tales personæ sine periculo vomitus Sacramentum sumere possunt, alias dandum non erit: & in hoc dat praxim *Melchior Zambran. de casibus occurentibus tempore mortis*, *cap.* 3. *dub.* 4. *num.* 5. ut scilicet detur primo tali infirmo aliqua forma non consecrata, ut appareat, quomodo se habeat in tali sumptione,

ptione, & si decenter se habuerit, detur forma consecrata: dant etiam aliam praxim, ut scilicet freneticus, vel furiosus, si resistat, ligetur; verùm prima praxis mihi placet, ex quo patet à fortiori semifatuo, & absesso posse dari hoc Sacramentum, dummodò non adsit aliqua irreverentia, ut benè DD. citati: sunt etiam communicandi adulti, habentes debile usum rationis, ut sunt Indi, *Lugo disp.* 13. *de Euchar. sect.* 5. qui etiam loquitur de energumenis.

Requiritur etiam ad dignam Eucharistiæ sumptionem gratia in suscipiente, *Trid. sess.* 13. *cap.* 8. *Bellarminus lib.* 4. *de Euchar. cap.* 17. & patet ex verbis *Pauli* 1. *ad Corinth.* 11. *Probet autem seipsum homo, &c.* quod si quis cum paucioribus peccatis accedat indignè, alius cum majoribus, gravius hic, quam ille peccat, non tamen in confessione tenetur quis id explicare, *Lugo d. disp.* 14. *sect* 3. communicare cum peccato veniali est peccatum veniale, non tamen est necessaria actualis aliqua devotio, licet melius sit taliter communicare, *Lugo d. disp.* 14. *sect.* 3. requiritur tamen ut quis sit in gratia per confessionem Sacramentalem, sic in *Trid. sess.* 13. *cap.* 7. *& can* 11. ibi probet autem, intelligit prædicta verba *Pauli*, de confessione, nempè Sacramentali, & est excommunicatus, quis, si contrarium dixerit, undè qui dubitat se commisisse aliquod peccatum mortale, adhùc debet confiteri, quia debet seipsum probare; undè hoc præceptum communicandi cum confessione antecedenti est de jure divino: patet ex *Paulo ubi supra* illis verbis, *Ego autem accepi à Domino, quod & tradidi vobis*, deinde subdit Paulus, *probet autem seipsum homo, &c.* ità docet *Lugo disp.* 14. *de Euchar. sect.* 4. ubi duo dicit: Primum contra *Caietanum*, prædictam obligationem præmittendi confessionem ante communionem adesse. Secundum non esse merè ecclesiasticum, sed divinum; si verò non adsit copia Confessarii, licebit communicari sine confessione, *Trid. d. cap.* 7. & requiritur ut adsit necessitas communicandi; ille verò dicitur non habere copiam Confessarii, qui vel nullum habet, vel Sacerdotem mutum, aut nolentem ex malitia, vel ignorantia, aut ex alio capite absolvere, vel carentem jurisdictione, aut alio modo impeditum, vel etiam quando pœnitens timet sibi grave detrimentum, ut revelationem sigilli, vel malum grave à Confessario inferendum. Ut verò videatur, an quis careat copia Confessarii, ut possit ei confiteri, Judicis arbitrio remittitur, *Lugo disp.* 14. *sect.* 5. excusatur verò quis ob necessitatem ab obligatione confitendi peccata. Primo scilicet, si instet periculum mortis. Secundo, si infamia, aut detrimentum occurrit non communicando, & quidem necessitas dandi alteri viaticum sufficit, ut quis celebret absque confessione; sic in die festo potest Sacerdos missam dicere sine confessione, ad hoc ut alii missam audiant, *Lugo ubi supra sect.* 5. *num.* 144. *Diana de celebr. miss. resol.* 63. *&* 64. quando verò prætermittitur confessio ex causa, non sufficit attritio, ut putat probabiliter *Filiuccius tract.* 3. *de Sacrament. confirm. cap.* 3. *nu.* 5. sed requiritur contritio, ut putat idem *Filiucc. tract.* 4. *de Sacram. Euchar. cap.* 8. *nu.* 210. & colligitur ex *Trident. sess.* 13. *cap.* 7. *Lugo ubi supra sect.* 6. Qui verò absque confessione communicavit celebrando, tenetur quamprimum confiteri, *Trid. d. cap.* 7. ex jure humano, quod secus est in illo, qui communicavit cum contritione, non habens Confessarii copiam, *Lugod. disp.* 11. *sect.* 7. & verbum illud, *quamprimum*, da quo in *Trid.* intelligitur non statim post celebrationem, sed ante aliam missam dicendam, *Diana ubi sup. resol.* 60. Quicquid dicat *Lugo*, ubi putat statim post peractum sacrum adesse obligationem confitendi. Alii putant illud *quamprimum*, intelligi intrà triduum, legas *Lugo disp.* 14. *sect.* 7. *in fine*; qui verò dubitat, an habeat peccatum mortale, potest Eucharistiam sumere sine confessione, *Diana par.* 5. *tract.* 14. *res.* 44.

Requiritur quartò, in suscipiente hoc Sacramentum, ut Sacerdos veniat cum stola in modum Crucis ad communicandum, *cap. ecclesiastica* 23. *dist.* quamvis si contrarium fecerit, nullo pacto peccat, quia talis textus Canonicus usu abrogatus est, *Gavantus in commentar. ad rubricas missalis tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 8. *num.* 7.

Requiritur quinto ex parte suscipientis hoc Sacramentum, ut si peccatum aliquod carnale commiserit, se abstineat per aliquod tempus, etiam si patrati peccati confessionem fecerit, nisi adsit justa causa communicandi; ideò advertit *Bonacina tomo* 1. *disp.* 4. *q.* 6. *punto* 2. *num* 4. conjuges, qui se cognoverunt carnaliter sequenti die abstinere debere à communione, verùm accedentem ad hoc Sacramentum post pollutionem voluntariam, vel fornicationem præmissa confessione, nullum peccatum mortale, vel veniale committere, tenet *Sancius in selectis disp.* 23. n. 30. nam eo ipso quod confitetur, omnis tollitur macula, & immunditiès, & sic recedas à *Navarro de pœniten. dist.* 6. *cap.* 1. dicente, esse peccatum mortale, accedere ad recipiendum Sacramentum Eucharistiæ ante integrum diem post peccatum, etiam si homo sit de illo contritus, & confessus, *Diana p.* 5. *tract.* 13. *resol.* 65. quicquid dicat *Lugo disp* 15. *sect.* 1. *nu.* 4. non nego tamen esse conjugibus consulendum post habitam copulam nocte saltem antecedenti non recipere Eucharistiam, ut docent communiter DD. quos citat, & sequitur *Sanchez tom.* 1. *de matrim. lib* 9. *cap.* 13. *ex canone Sciatis fratres* 33. *q* 4. *& can. Omnis homo de consecrat. dist.* 2. licet dicat *Sancius* esse consulendam eo die communionem.

Requiritur sexto in sumenda eucharistia jejunium, quod præceptum ab ipsis Apostolis initium habuisse tenet *Vasquez in* 3. *par. disp.* 211. *cap.* 1. neque sufficit jejunium ecclesiasticum, sed requiritur naturale, *cap. liquido de consecrat. dist.* 2. *Suarez disp.* 68. *sect.* 2. *concl.* 1. *&* 2. *can. Sacram de consecr. dist.* 1. *cap. ex parte de celebr. missar.* & licet Christus Apostolos non jejunos post escam Agni communicaverit, hoc tamen non est trahendum in exemplum. Ut hoc autem intelligas, nota, quod duplex est jejunium. ecclesiasticum, & naturale primum est, cum quis comedit unica vice, secundum est, quando nihil comedit, in Sacramento verò non primum, sed secundum, nempe naturale jejunium requiritur, *cap. nihil.* §. *nullus* 7. *q.* 1.

Ex quo sequitur, eum Sacerdotem, vel laicum, qui mane deglutire solet aliquid ex propriis unguibus, vel papiri, vel sanguinis proprii vulneris, posse communicari, quia hæc non habent rationem cibi, neque potus, communiter Doctores apud *Dianam tom.* 1. *tract. de celebr. miss. res.* 52. qui dubitant dè terra, quæ comeditur ob delectationem, sive ad diminuendum colorem; si enim id comedat quis, non potest communicari post sumptionem. Ille verò qui nocte mittit saccarum in os paulatim deglutiendum, si illud duret post mediam noctem, & dubitet an aliqua pars illius in stomachum trajecerit, non potest missam cele-

celebrare, nisi tamen moraliter certus sit nihil transacta media nocte deglutiisse, sequitur *Bonacina tom. 1. disp. 4. q. 6. p. 2. nu. 77. Lugo disp. 15. sect. 2. nu. 37.* non tamen requiritur ad hoc, ut aliquis possit communicari eodem die, quod cibum digesserit, aut post cœnam dormierit. Ideò Sacerdos, qui in vigilia Nativitatis Domini pransus est usque ad mediam noctem, posset post mediam noctem celebrare, quamvis non dormierit, & cibum non digesserit, nam jejunium dicitur à media nocte, Doctores ubi sup. & contra *glossam in cap. nihil 7. q. 1. & in cap. si constiterit de accusat. in verbo dormitione*, ubi *Abbas num. 4.* docent communiter DD. de quibus *Perficus lib. 1. de offic. Sacerdotis cap. 3. dub. 6. num. 64. Lugo disput. 15. de Euchar. sect. 2 nu. 39. Pasqualigus dec. 344.* neque obstat *text. in cap. si constiterit de accusat.* ubi punitur præsbyter, qui cum pernoctasset in taberna, sequenti die nulla præmissa dormitione ivit ad celebrandum, quia ibi non fuit punitus præsbyter ob cibum indigestum, sed ob irreverentiam, & scandalum populi, dùm è taberna ivit ad celebrandum: quod tamen limito, quando adesset periculum irreverentiæ, si celebraret statim post prandium. Illa verò, qui dubitat an aliquid cibi, vel potus sumpserit post mediam noctem, potest deponere dubium, & judicare, quod hic, & nunc sibi liceat suscipere Sacramentum, & communicari etiam si id fiat sine ulla necessitate ex sola devotione: ità contra *Sanchez de matrim. lib. 2. disp. 41. n. 40. Fagundez præcepto 3. lib. 3. cap. 5. n. 18*, docet *Sancius in selectis disp. 42. Layman lib. 1. tract. 1. cap. 5. n. 36.* quorum opinio probabilissima est, & in praxi sequenda, atque notanda, utpotè à scrupulis liberans, *Pasqualigus dec. 340. & sequenti, qui resol. 342.* dicit, ignorantiam excusare à peccato in hac materia, puta si quis ignoret esse peccatum, accedere non jejunium, non peccat. Idem dico de inadvertentia, qua quis ad hoc non advertit.

Nota etiam, quod si aliquis reliquias cibi præcedentis diei, quæ inhærent interdentes spontè, & voluntariè deglutiat, posset communicare absque ullo peccato mortali: sic ille, qui aliquantulum aquæ per nares attrahit, quæ in stomachum transmittitur, potest communicari, quia non fuit per modum cibi, vel potus id factum. Idem dicas, si attrahatur aliquid per modum respirationis, etiam si nutrire posset, vel alterare, ut muscum, tabaccum, sive in fumo, sive in pulvere recipiat, quia per tabacchum in fumo contingit trajectio humoris ex capite manantis in stomachum, per tabacchum verò in pulvere fit attractio per nares, & sic licet aliqua pars trajiciatur in stomachum, non impeditur, ut diximus de aqua attracta per nares, quod si aliquid de folio etiam inadvertenter trajicitur puto, non posse communicari, *Alphonsus de Leone de offic. Capellani q. 8. sect. 17. num. 134. Fagundez præcepto 3. cap. 5. num. 14. Diana ubi supra resol. 36. Lugo d. disp. 15. sect. 2. num. 27.* & idem *Diana par. 5. tract. 13. resol. 1.* De musca, ingrediente in os apertum alicujus, dico non impedire communionem, quia non per modum cibi DD. citati.

Secundo nota, quod si unum horologium sonuerit mediam noctem, aliud verò non: possum ego uti quo volo, tanquam habens duas opiniones probabiles, quod si cum primus pulsus sonat, bibit quis, non potest communicari mane sequenti, licet sonante ultimo pulsu desisteret, quia in primo finitur hora, & est media nox, undè habens buccellam panis in ore, si audit primum pulsum horæ sextæ, tenetur statim de ore ejicere buccellam, si mane vult communicari, quod si masticaverit buccellam carnis, & dies sequens sit jejunii, non tenetur illam rejicere, quia non ità rigorosè obligat jejunium Ecclesiasticum, ac naturale; si verò horologium bis signat, tunc cum in primo signo horâ sit completa, non potest amplius bibere, vel comedere, DD. ubi supra. Ego tamen puto, quod non à primo pulsu horæ, sed ab ultimo sit sumenda media nox, quia non ità rigorosè, & mathematicè procedendum est in præceptis, ut benè *Pasqualigus dec 338.* à quo *Pasqualigio* recedas *in decis 339.* putante, quod si adsunt duo horologia, non liceat mihi sequi, quod voluero; quasi quod non sint duæ opiniones probabiles, sed veluti testes deponentes de facto: immò si quis accedat ad Eucharistiam, & ante altare recordetur, se non esse jejunum, si advertit, quod recedendo pariet sui præcipium malam sui ipsius poterit communicari non jejunus, *Pasqualegius dec. 343.*

Tertiò nota, quod si quis existat in extremis, & petat communicari per viaticum, non requiritur jejunium, *d. cap. liquido, cap. Sacramenta, de consecrat. dist. 2.* Immò data communione per viaticum, posset iterum dari intrà eandem ægritudinem, communiter DD. apud *Dianam de celebr. miss. resol. 75. Lugo disp. 15. sect. 3. nu. 64.* cum maximè indigeat infirmus ope, & subsidio hujus Sacramenti ad vincendas occasiones occurrentes, tentationum scilicet, & peccandi pericula. Est tamen difficultas quanta distantia inter unam, & aliam communionem debeat intercedere aliqui enim putant post octo, vel decem dies posse administrari viaticum administratum. *Suarez, Fagundez, Castaldus*, & alii apud *Dianam, ubi supra. resol. 77.* & apud *Lugo d. sect. 3. num. 65.* Alii putant, post sex dies posse administrari: alii dicunt in tertia die, alii dicunt posse sequenti die communicari, si infirmus sit solitus communicare, & propter desiderium, aut devotionem difficile abstineat, & mortis periculum instare videatur, ità *Laym. lib 5. tract. 4. cap.6 num. 20.* sed usus Ecclesiæ est post sex, vel septem dies *Lugo ubi supra sect. 3. num. 66.* Licitum est etiam communicare non jejunè, quando ità postulat Sacramenti reverentia; undè si Sacerdos advertat periculum fore, ut Eucharistia eat in manus infidelium, poterit eam sumere non jejunus; quia sic major exhibetur reverentia Sacramento, quàm si non sumeret ratione jejunii: ideò sacerdos qui loco vini consecravit aquam, non advertens, nisi post sumptionem, debet de novo vinum consecrare ob integritatem Sacramenti faciendam; sic qui post consecrationem advertit non esse jejunum, tenetur sacrificium perficere, quia majus vinculum est perficere Sacramentum inchoatum, quam illud cum jejunio perficere: alios casus supra adduxit *Lug. disp. 15. sect. 4.*

Quarto nota, quæstionem esse, an detur parvitas materiæ in jejunio naturali pro sumptione Eucharistiæ? Communis negat, quos sequitur *Diana par. 6. tract. 8. resol. 9.* tum quia sic dicitur in *rubric. missalis, cap. 9.* ubi præcipitur omnem parvitatem materiæ gustatam impedire communionem, *& in d. cap. ex parte, de celebr. miss.* & plures citat idem *Diana par. 5. tract. 5. resolut. 12.* sed probabilem putat opinionem post *Idelphonsus, Rodriquez, P. Zaccharias, Pasqualigus Theatinus in decisionibus moralibus decis. 385.* qui dicunt, quod quantum tantum avellanæ capit est parvitas materiæ, quia illum parvum non est verè cibus, vel potus, cum non sit aptum ad alimentationem, ad quam ordinatur de sui essentia cibus & potus, sequuntur multi etiam hanc opinionem, quos refert, sed non sequitur *Diana par. 5. tract. 5. resol. 12.*

Est etiam difficultas, an sit consulendus omnibus fide-

fidelibus indifferenter usus quotidianus Eucharistiæ? & pro responsione.

Dico primò, omnes convenire, quod homini existenti in gratia licitus sit usus Eucharistiæ, nec in tali frequentia labes includitur peccati, & secundo dico, quod usus ipsius Eucharistiæ de se laudabilis est, & perfectior, quam rarior usus, & ideò curare omnes debent ad illam pervenire si possint, *Trident. sess.* 22. *cap.*7. & ipsius usus ob tot fructus, quos parit laudabilis est, ex parte verò sumentis, scilicet ob ejus relaxam vitam, & tepiditatem interdum non est licitum, Eucharistiam sumere, ut ait *S. Thom.* cum aliis, quos sequitur *Lugo disp.* 17. *sect.* 2. undè est Patris spiritualis consilium, & consensus attendendus, ut benè *Lugo loc. citato sect.* 3.

In §. Constat.

Agitur hic de materia, & forma Sacramenti Eucharistiæ. Ad cujus intelligentiam,

Sciendum est primò, materiam remotam hujus Sacramenti esse panem triticeum, & vinum de vite; sic docet *textus in cap. firmiter de summ. Trinit & fide Cathol. & in Trident. sess.* 13. & ex Evangelio; *accipiens Jesus panem*, & ex aliis locis, de quibus, *S. Thom. in* 3. *par. q.* 74. *art.* 1. *Suarez in* 3. *par. dis.* 45. *sect.* 1. *cap. cum Marte*, *de celebr. miss.* Panis ex hordeo non est materia, vel ex millio, quia specie differunt à tritico, Panis confectus ex farina, & aqua rosacea non est sufficiens, quod si sit aqua rosacea admixta cum majori parte aquæ naturalis, erit materia sufficiens; neque est materia apta hostia illa, qua fidelius sigillare litteras, quia per mixtionem, quæ ibi opponitur, alteratur notabiliter, & extrahitur à pane usuali, *Lugo disp.* 4. *de Euchar. sect.* 1. *nu.* 4. Massa verò cruda, vel oleo, aut butyro frixa, vel aqua elixa, non est materia, sed debet esse solo igne assa, vel cocta; neque lagana est materia apta, quia communi usu non appellatur panis, mica verò panis madefacta, & digitis compressa, si reducatur ad massam, sufficit pro materia, quia non amisit concoctionem. Panis ex Amydo non est materia secundum communem Theologorum, quicquid dicat *Paludanus*, quia quicquid sit, an sit ex vero tritico, an ex tritico prius corrupto per diuturnam madefactionem non est panis usualis, nec retinet communem saporem panis, sed alium valdè diversum: id enim quod attenditur, hic semper est, an secundum communem usum panis talis dicatur: & panis sufficiens est, sive azymus, sive fermentatus, sed de necessitate præcepti ad Ecclesiam latinam pertinet consecrare in azymo, ad Græcam verò in fermentato, *cap. litteras, de celebr. miss.* & congruentior est usus Ecclesiæ latinæ, quia Christus Dominus in azymo creditur consecrasse, quorum latior probatio, quia ex historiis petenda est, sunt legendi Theologi, *loc. cit. in q.* 5. 74. 3. *par.*

Sciendum secundò est, vinum, quod est materia hujus Sacramenti, esse vinum de vite, undè vinum granatorum pomorum, &c. non sufficit, sed debet omnino esse ex uvis, undè nec sufficit agresta, neque acetum, quia non sunt verè vinum: lora non est materia, quia non est vinum, sed aqua infusa in racemis expressis, seù in acinis; mustum est sufficiens, *cap. cum omne*, *de consecr. dist.* 2 quia est verum vinum, ut patet *Act.* 2. ibi, *Musto pleni sunt isti.* Illud verò mustum, quod in uvis adhuc est inclusum, non est materia, quia non est potus, sed cibus, neque potest dici hic est Sanguis: vinum miraculosè confectum, ut fuit illud in nuptiis Canæ Galileæ, est materia sufficiens, quia perindè fuit, ac si ex vite factum fuisset: sicut supra diximus fuisse validum baptismum, si fuisset administratus in aqua, quæ exivit de latere Christi; Vinum accescens est materia, licet non acetum, quia est vinum corruptum, sed consecrans in vino, quod incipit acescere, peccat mortaliter ob irreverentiam, si aliud habere possit. Vinum congelatum potest validè consecrari, quia verè est vinum ex sua natura putabile, & lambendo, vel liquefaciendo potari potest: secus est de uvis, nondùm expressis, *Layman. lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 6. *Fagundez præcepto* 3. *lib.* 2. *cap.* 3. *nu.* 9. & ideò Sacerdos qui in Germania, vel aliis locis in vino paulo ante congelato consecrasset, validè consecraret secundùm DD. citat. peccat mortaliter tamen consecrans in tali vino paulò antè congelato, *Fagundez ubi sup.* quod si prius congelatio resolveretur, quàm esset sumendum, nullum esse peccatum mortale, *Coninch. de Sacram.* 3. *par. q.* 74. *art.* 5. *num.* 27. quod si vinum congelatum consecretur, non desinit esse Christus sub speciebus, & per consequens, neque aliud vinum est consecrandum, *Layman. ubi supra*, & habetur in missali Romano, ut dicitur, vinum consecratum, si contingit congelari debere liquefieri, & sumi. Neque dicas, quod aqua congelata non est materia baptismi, ergo neque erit materia vinum congelatum hujus Sacramenti. Respondeo enim esse disparitatem, quia primarius effectus, & finis baptismi est ablutio, quæ haberi non potest in aqua congelata, meritò non potest fieri baptismus in aqua congelata: finis verò hujus Sacramenti est consistere in re permanenti, quia non requiritur materia, quæ actu, bibatur, sed quæ bibi possit, ut est vinum congelatum.

Sciendum est tertiò, non esse necesse necessitate Sacramenti fieri consecrationem sub utraque specie, nam etiamsi forma consecrationis calicis non proferatur, adhuc hostia remanet consecrata, & proponitur adoranda, peccat tamen mortaliter peccato sacrilegii, qui in una tantum specie consecraret, nam faceret primò contra Christi exemplum. Secundò, contra divinum præceptum. Tertiò, contra universalem Ecclesiæ consuetudinem in re gravi: undè tenetur Sacerdos communicare sub utraque specie sub pena suspensionis à communione, & tenetur celebrare sub utraque specie, *Bonacina q.* 2. *p.* 3. *nu.* 60. Quod quidem præceptum consecrandi sub utraque specie est affirmativum, quia si esset negativum, nullus daretur casus, quo posset Sacerdos consecrare in una tantum specie, sed dantur aliqui casus, quibus id est licitum, ergò major, & consequentia patet, minor probatur, primò, quando Sacerdos consecrata hostia, videt non esse vinum, vel esse venenum infectum, nec habere aliud, &c. vel si Sacerdos post hostiæ consecrationem patiatur periculum vitæ, potest enim consumpta hostia aufugere ad præcavendum vitæ periculum, quod si vinum non reperiatur, non posset Sacerdos consecrare sub una specie ad communicandum infirmum, quia non perficeret essentialiter sacrificium ex impedimento levi, quod esse non potest, sicut neque ad id potest Summus Pontifex dispensare.

Sciendum est quartò, cum vino, quod est materia hujus

hujus Sacramenti esse aquam miscendam de necessitate præcepti Ecclesiastici, *Trid. sess.* 22. *cap.* 7. & *can.* 7. & 9. miscetur verò aqua cum vino, tùm ut significetur sanguis, & aqua, quæ de latere Christi fluxerunt, tum ad significandam unionem Ecclesiæ per aquam significatæ, cum Christo, per aquam enim significatur populus, *Apoc. cap.* 17. & per vinum Christus, qui dixit *Ego sum vitis, vos palmites*, & sic denotatur unio aquæ, seù populi, cum vino scilicet Christo *cap. omne crimen, de consecr. dist.* 2. undè peccat mortaliter non adhibens aquam, eamque cum vino non miscens, & est suspensus quousque non se pænitet, *d. cap. litteras, de celebr. missar. d. cap. cum omne crimen*, & aqua, quæ miscetur, debet esse naturalis, *cap. in quadam, de celebr. missar.* Aqua etiam apponenda debet esse in modica quantitate, ne se exponat Sacerdos periculoso faciendi Sacramentum invalidum in materia indebita, ideò quantitas non debet esse quanta est quantitas vini, neque tertia pars, sed sufficit quælibet guttula sensibilis: ideò nescio, quomodo benè loquatur *Layman. lib.* 5. *tract.* 3. *cap.* 2. *num.* 9., ubi docet, octavum, vel decimam guttam aquæ apponi posse sine peccato mortali; sed puto, quod si sexta, vel quinta pars aquæ apponatur, nullus erit scrupulus, quia non est credibile, vinum esse adeò debile, ut tàm modica aqua corrumpatur, *Lugo disp.* 4. *de Euchar. sect.* 3.

Est tamen difficultas, an aqua, quæ ponitur in calice, convertatur immediatè in sanguinem Christi, an verò mediatè in sanguinem, & immediatè in vinum?

Respondeo, quod antiquorum una fuit opinio, aquam converti non in sanguinem, sed in aquam illam, quæ exivit de latere Christi; alij dixerunt converti immediatè in sanguinem Christi simul cum vino: alij dicunt manere aquam post consecrationem in propria substantia admixta speciebus vini consecratis, non tamen converti in sanguinem, qua de re, *Innocentius III. in cap cum Marte, & in cap. cum quadam, de celebr. missar.*

Ego puto converti aquam immediatè in vinum, & mediatè in sanguinem Christi, est contra *Toletum lib.* 2. *cap.* 25. §. *rursus*, *Coninch. q.*74 *de Sacram. art.* 8. sequitur *Layman. lib.* 5. *tract.* 3. *cap.* 2 *num.* 9. *Lugo disp.* 4. *sect.* 3 *n.* 49. nostra verò opinio est multorum, quos sequitur *Diana par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 49. Probatur, quia illud immediatè convertitur in sanguinem, quod est materia remota sanguinis, & cujus accidentia sunt materia proxima ipsius sanguinis, sed vinum tantum est materia remota, & vini accidentia sunt materia proxima, non verò aqua, ergo. Major, & consequentia patent, minor probatur, quia si aqua esset materia remota Sacramenta sanguinis, utique sine aqua non subsisteret Sacramentum, quod est falsum, ergo aqua non convertitur immediatè in sanguinem sed immediatè, in vinum, mediatè verò in sanguinem; legas *Dianam par.* 5. *tract.* 5. *resol.* 56. qui etiam refert, quod si Sacerdos non miscet aquæ guttam cum vino in calice, peccat mortaliter, ex quo dicunt DD. modicam guttam aquæ esse apponendam in calice, ut convertatur in vinum, ergo non convertitur aqua immediatè in sanguinem, sed in vinum, quia si immediatè in sanguinem non opus esset io tàm exigua quantitate apponere aquam. Ideò nota, quod si aqua posita in calice ante consecrationem fuerit conversa in vinum, consecrabitur, & convertetur in sanguinem, si verò post consecrationem convertatur in vinum, non remanet consecrata, & sic non adoratur, quia non habet Christi sanguinem; quod si hoc accidat in die Nativitatis, tunc posset Sacerdos alias missas dicere; tum quia potest se qui opinionem probabilem, quæ asserit immediatè in sanguinem converti: tum quia potest probabiliter credere, fuisse aquam ante consecrationem in vinum conversam DD. ubi supra. Et in gratiam curiosorum nota, quod si illo medio tempore, in quo profertur forma prolatis tamen illis verbis, *Hic est calix*, illa pars aquæ convertamur io vinum, non erit consecrata secundum opinionem *Suarez in* 3. *par. tom.* 3. *disp.* 45. *sect.* 4. quia illud pronomen, *Hic*, denotat materiam præsentem, sed illa pars non est præsens, nec vinum eo tunc, quo prefertur illud pronomen, *Hic*, ergo. Secondum opinionem verò *Nugni in* 3. *par. q.* 74. *art.* 8. talis materia maneret consecrata; quia intentio ministri fertur ad instans, in quo fit consecratio, sed tunc illa materia est præsens, & sufficiens, ergo, & sic eo tunc, quo profertur illud pronomen materia illa est moraliter præsens, & sufficiens, quia erit præsens in minima temporis distantia, & ut ait *Arist.* quod parum distat, ut fiat, nihil distare videtur. Quicquid dicat in hac re *Lug. disp* 4 *de Euchar. sect.* 5.

Sciendum est quinto, quamlibet particulam panis posse consecrari, idem dicas de vino, dummodò sit pars sensibilis, & quælibet particula, etiamsi sit adeò tenuis, ut non possit sentiri, retinet corpus Christi, dummodò in se sit sensibilis, & demonstrabilis per particulam *Hoc*, *Lugo disp.* 4. *de Euchar. sect.* 4. omnis etiam quantitas magna præsens potest validè consecrari, sed non licitè quod validè consecret, patet, quia, Christus non dedit potestatem limitatam consecrandi Apostolis suis, quod non licitè consecret patet, quia illa tota quantitas non posset decenter conservari, & simul sumi.

Sciendum est sexto, materiam consecrandam debere esse præsentem Sacerdoti, ut ex forma consecrationis colligitur ubi debet, quod consecratur demonstrari per pronomen, *Hoc*, demonstratur verò materia sufficienter etiam si consecrentur hostiæ in capsula, vel vinum in calice cooperto: hostia, existens in tabernaculo clauso, non posset consecrari: quando ergo res multum distat, non potest consecrari, quia non potest dici *Hoc est corpus meum* sed illud est corpus meum ergo: potest etiam consecrari hostia existens stergo, quam manibus tenet Sacerdos, secus si eam præ manibus non habeat, quia primo casu demonstrari potest per pronomen *Hoc*, secus in secundo. Hostia existens post parietem non potest demonstrari per pronomen *Hoc*, & regulariter dicunt DD. materiam distantem per centum passus, non consecrari, per 50. esse dubium, per decem, &c. consecrari: sed ego nullam certam regulam possum tradere, sed dico eam dari posse, quod scilicet nomen consecratur, quod potest demonstrari per pronomen *Hoc*, &c.

Sciendum est septimo, materiam consecrandam debere esse determinatam, certam, & definitam ex Sacerdotis intentione, alioquin non poterit demonstrari per ly *Hoc*; undè ille qui ex decem hostiis præsentibus vult consecrare octo non designando illas, nullam consecrat, ille verò, qui putans in manu habere unam hostiam habet duas, utramque consecrat, quia habet intentionem consecrandi illud, quod habet in manibus, licet ex errore existimet esse unam hostiam: quod si Sacerdos habeat intentionem consecrandi illas hostias; puta decem, quas Deus, vel Petrus voluerit, nulla consecratur, quia non potest dicere, *Hoc est corpus meum*, cum ipse non designet, *Lugo disp.* 4. *de Euchar. sect.* 7. *num.* 130.

Ille verò Sacerdos, qui in Sacristia habuit intentionem consecrandi particulas, & deindè fuerunt illæ particulæ insuper altare in cornu ipsius ex errore appositæ, non super aram, eas non consecra-

secravit, quia intentio ministri debet esse rationabilis, sed non esset talis si minister intenderent consecrare particulas extra aram positas, ergo ità *Suarez in 3. par tom. 3. disp. 43. sect. 6. Gavantus in rubr. missalis, tom. 1. 3. par. tit. 7. num. 4.* undè non est audiendus *Tanner. in 3. p. disp. 5. q. 2. dub. 20. num. 76.* dicens, has particulas esse consecratas quam opinionem, ut probabilem tenet *Diana 3. p. tract. 6. resol. 103. & par. 5. tract. 14. resol. 19.*

Explicatur, forma hujus Sacramenti.

UT hoc perfectè intelligas suppono forma hujus Sacramenti aliam esse extrinsecam, aliam intrinsecam; forma verò extrinseca illa est, quæ non componit intrinsecè effectum, sed recedit, intrinseca verò forma est, quæ remanet cum re, quam componit. Hoc posito.

Dico primo forma intrinseca hujus Sacramenti est corpus Christi, materia verò sunt species sacramentales panis, & vini. Theologi communiter apud *Suarez, Coninck.* & alios citatos. Probatur, quia corpus Christi, & species Sacramentales constituunt unum integrum Sacramentum, & corpus Christi se habet, ut nobilius respectu specierum, ergo corpus Christi est forma; species verò materia hujus Sacramenti *Suarez* latè *disput. 41. sect. 3.*

Dico secundo, forma extrinseca hujus Sacramenti sunt verba illa (loquendo de Sacramento corporis) *Hoc est corpus meum*, quia ea usus est Christus Dominus, *S. Thom. in 3. p q. 78. art. 2. Bellarm. lib. 4. de Euchar. cap. 12.* qui communiter docent, Christum Dominum post gratiarum actionem, & benedictionum fregisse panem, & illum consecrasse illis verbis, *Hoc est corpus meum* illudque tradidisse Apostolis, dicendo *Accipite, & comedite,*

Ex quibus infertur primo, totum canonem, incipiendo ab illis verbis, *Qui pridiè quam pateretur*, non esse necessarium necessitate Sacramenti, quia essentia consistit illis verbis, *Hoc est corpus meum*; peccat tamen mortaliter cum omittendo Sacerdos.

Infertur secundo, quod si Sacerdos loco illorum verborum, *Hoc est corpus meum*, dicat *Hoc corpus est meum*, vel *Meum est corpus hoc*, validè consecrat, quia talis transpositio non mutat substantialiter formam, sicut consecraret Sacerdos, si loco illorum verborum, *Hoc est enim corpus meum*, dicat *Hac est enim caro mea*; *Fagundez in 3. præcepto, lib. 3. cap. 6 nu. 19. Diana par. 5. tract. 14. resolut. 76 & 78.* Quod si Sacerdos loco illorum verborum dicat *Hic est corpus meum*, quia retinetur sensus substantialis, licet error sit grammaticæ, conficit Sacramentum, *Faust. de Euch. lib. 1. q. 110.* verum si particula, *Hoc*, mutetur in *Hic* & sumatur partic. *Hic* pro adverbio, tunc non valet Sacramentum, quia mutatur substantialiter forma, sed si sumatur pro genere masculino, ità ut sit sensus, *Hic cibus est corpus meum*, tunc valet, *Diana disp. 5. tract. 14. resol. 77.* quia est mutatio accidentalis.

Dico tertio, forma extrinseca Sacramenti sanguinis sunt hæc verba, *Hoc est calix sanguinis mei*, alia verò verba non sunt de essentia; undè validè consecrant Græci, qui informa relinquunt verba illa *æterni, & mysterium fidei*: peccat verò mortaliter, qui in consecrat his verbis non uteretur, puta: *Hic est calix sanguinis mei, &c.* & ideò valet consecrario. Si dicat Sacerdos, *Hic est calix novum testamentum in meo sanguine*: vel si dicas, *Hic est sanguis meus*, quia non mutatur sensus formæ, DD. ubi supra, & nota quod Sacerdos in persona Christi profert illa verba consecrationis, non verò recitativè sed formaliter significando, & causando id quod significat, quia Sacerdos per formam consecrationis intendit efficaciter Christum producere sub speciebus, ergo non solum ea recitativè, sed etiam formaliter profert DD. ubi sup.

Rogabis, quid operentur verba consecrationis? Respondeo per hæc verba constitui Christum sub speciebus panis, & vini. *Trid. sess. 13. c. 1. & can. 1.* & ponitur totius Christus verus Deus, & homo, totus quoad substantiam, sub qualibet specie, *1. sess. 13. can. 3. Joan. 3. Qui manducat me, & ipse vivet propter me, ego sum panis vivus, &c.* Unde in Eucharistia est caro Christi, sunt ossa, & nervi, & in Eucharistia est eadem figura organica, ac illa, quam habet Christus in Cælo, quia manus non est confusa cum pectore, &c. figura verò situalis non adest, quia Christus non occupat septem palmos in Sacramento, sicut in cælo. *Lugo disp. 8. sect. 1. & 2.* & corpus Christi non solum sub speciebus integris, sed sub qualibet parte ponitur totus per modum ineffabilem, & admirabilem substantiæ spiritualis, non verò per extensionem partium, & modo quantitativo, ut docent Consilia, & Patres apud *Filliucc. tract. 4. c. 5. q. 3.*

Ex vi tamen verborum sub speciebus panis ponitur corpus Christi vivum; informatum anima rationali, cum sanguine, & humoribus, ac cæteris partibus, spectantibus non solum ad substantiam, sed etiam ad ornatum corporis, sub speciebus verò vini ea vi verborum est solum sanguis Christi, ea verò, quæ Christo conjuncta sunt, ponuntur per concomitantiam, quia habent connexionem cum Christi sanguine, ideò diversitas, quæ unita est corpori, & animæ Christi, ponitur in Sacramento per concomitantiam, sic Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus per concomitantiam sunt in hoc Sacramento; sic per concomitantiam est sanguis Christi sub speciebus panis, & in speciebus vini est corpus Christi concomitanter *Lugo disp. 8. sect. 5. & 6.* cum vero movetur hostia per accidens, movetur Christus, scilicet ad motum specierum. Neque potest videri Christi corpus, prout est in Eucharistia, oculo aliquo corporeo, sed supernaturaliter potest videri *Lug. d. disp. 9. sect. 2.*

Est etiam notandum, quod in Sacramento remanent accidentia panis, & vini, *cap. firmiter, §. una vero de summ. Trinit. & fid. Catbol. Trid. sess. 13. can. 2.* & manent sine subjecto, & talia accidentia producunt suos effectus, v. g. calorem ad calefaciendum, colorem, ad videndum, &c. & hoc naturaliter tales species patiuntur, nam dividuntur, condensantur, augentur, &c. *Lugo disp. 19. sect. 2. de Euchar.* ex speciebus corruptis, & conversis in hominem generatur pars hominis, & nutritur ille, qui eas comedit, cum corrumpuntur specie in pixide, vel alia re generantur vermes, vel in homacho chylus, quæ forma educitur de novo à materia prima à Deo creata, quæ subjicitur generationi substantiali: & verius est reproduci eandem materiam primam, quæ fuerat prius sub forma panis *Lugo disp. 10. sect. 2. num. 31.* Definit corpus Christi esse sub speciebus, cum ad talem gradum corruptionis perveniunt, ut non sint aptæ continere substantiam panis, nec vini, & tunc definit corpus Christi, non quidem simpliciter quo ad esse, sed quo ad esse Sacramentale *Lugo sect. 3.* est tamen doctrina *S Thomæ 3. par. q. 77. art. 8.* quod per commixtionem specie.

ſpecierum conſecratarum, cum non conſecrata, perdatur conſecratio, & præſentia Chriſti, alij dicunt non deperdi, niſi tanta ſit vini advenientis diverſitas, ut ſufficeret ad deſtruendam ſubſtantiam uni conſecrati *Lugo num.* 41. & tale vinum ſit mistum eſt ſervandum ad pios uſus, alioquin fieret contra reverentiam, Sacramento debitam, *Suarez in* 3. *par. diſp.* 57. *ſect.* 4. *Coninch. q.* 77. *art.* 8. *num.* 73. *Nugnus in* 3. *p. q.* 77. *art.* 8.

In §. Veritas.

AGitur hic de conſubſtantiatione; Ad cujus intelligentiam.

Sciendum eſt primo, quod tranſubſtantiatio eſt converſio, ſeu tranſitus totius ſubſtantiæ in aliam, unde differt à creatione, quia creatio, non eſt deſitio, ſed potius alicujus rei in eſſe: tranſubſtantiatio verò eſt deſitio ob incompoſſibilitatem alterius, differt etiam ab annihilatione, quia annihilatio reducit rem ad nihilum, tranſubſtantiatio vero reducit ad nihilum ſubſtantiam panis ob incompoſſibilitatem, quam habet cum corpore Chriſti de qua tranſubſtantiatione agit *Lugo diſp.* 17. *per ſectiones duodecim.* Undè collige quamlibet rem creatam poſſe in aliam rem creatam converti per divinam potentiam, cum hoc non implicat fieri *S. Tom. in* 3. *p. q.* 75. *art.* 5. *ad* 3. Deus vero in creaturam non poteſt converti, quia cum ad rationem converſionis requiratur, ut terminus, qui convertitur deſinat eſſe, & id in Deo implicet, conſequenter in creaturam non poteſt converti, ſicut nec creatura in Deum poteſt converti, ut benè Theologi, apud *Coninch. q.* 75. *de Sacram. art.* 4. *dub.* 4. *n.* 149. contra *Cajetanum* 3. *p. q.* 2. *art.* 1. quia terminus in quem res convertitur ſcilicet Deus deberet pati diminutionem, quam cum non poſſit pati, merito in eum aliqua creatura converti non poteſt.

Sciendum ſecundo eſt, Chriſtum Dominum per tranſubſtantiationem conſtitui ſub ſpeciebus panis, & vini, *Trid. ſeſſ.* 13. *cap.* 4. *& can.* 2. per quam deſinit ſubſtantia panis, & vini, adveniente corpore, & ſanguine Chriſti *Coninchus q.* 75. *art. num.* 49. & facta conſecratione, remanent quidem accidentia, non tamen remanet ſubſtantia panis, quæ actio tranſubſtantiativa eſt vera actio productivè, per quam licet non producatur Chriſtus, producitur tamen quidam modus accidentalis, quo Chriſtus habens ſuum eſſe ſubſtantiale; ntitur per modum contenti ſub ſpeciebus.

Sciendum eſt ultimo, quod corpus Chriſti incipit eſſe ſub ſpeciebus, eo tunc, quo completur forma conſecrationis, tam diu vero conſervatur corpus Chriſti ſub iiſdem ſpeciebus, quandiu conſervaretur, ſi panis ſub illis ſpeciebus exiſtenti; ideò quando vermes ex ſpeciebus generantur, deſinit corpus Chriſti ſicut deſineret, ſi adeſſet ibi ſubſtantia panis, idem dicas de ſanguine.

In §. Virtus.

AGitur hic de effectibus Euchariſtiæ, qui quidem, aut ſunt conſiderandi circa animam, vel circa corpus. Circa animam.

Primo confert augmentum gratiæ, ad quod augmentum cauſandum fuit inſtitutum *Joan.* 6. *qui manducat me, & ipſe vivet propter me*, & alibi, *qui manducat hunc panem, vivet in æternum*; & ſicut cibus confert augmentum vivendi, ità Sacramentum Euchariſtiæ, *Joan.* 6. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.*

Ampliatur, ut recipiens Euchariſtiam in peccato veniali, vel cum effectu ad peccata venialia, recipiat augmentum gratiæ habitualis, quia peccata venialia non ſunt impedimenta ad talem gratiam, & à fortiori colligitur, quod accedens ad communionem cum diſtractione voluntaria, vel affectum ad aliquod peccatum veniale, non peccaret venialiter, ut contra *Fillucc. tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 7. *num.* 206. & alios docet *Sanch. in ſelect. diſp.* 23. Sed ego puto hunc talem committere peccatum veniale ratione irreverentiæ communiter DD. quos ſequitur *Layman lib.* 5. *Theol. moral. tract.* 4. *cap.* 6.

Hanc autem gratiam quam confert Sacramentum Euchariſtiæ, confert non ſtatim, quod eſt in ore; ſed eo inſtanti, quo valet dicere, nunc facta eſt ſumptio, immediatè antea non erat, licet hoc inſtans nobis notum non ſit, ſed Deo, quod tamen non eſt, quandiu hoc Sacramentum eſt in ore; unde ſi quis eum ſumeret, & aliqua de cauſa non deglutiret, non acciperet gratiam Sacramentalem, ergo tunc eſt ſumptio perfecta; quando deglutitur, & tranſit per guttur, quia tunc perfecta dicitur manducatio, & comeſtio, ita *Salvius in* 3. *par q.* 79 *art.* 2. *Henriq. lib.* 8. *cap.* 43. & alii quos refert, & ſequitur *Fagund. præcept* 3. *lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 3. *Beccanus*, verò apud DD. citatos putat tunc gratiam conferri cum hoſtia ſumpta eſt, etiam ſi non ſit tranſmiſſa, alioquin, ægrotanti, qui præ infirmitate non poſſunt tranſmittere, non acciperent gratiam, quod abſurdum videtur, ait *Beccanus*: Undè nota primo quod illi, qui diu retinent hoſtiam in ore, itaut ſpecies corrumpantur, antequam deglutiantur, non recipiunt gratiam, quia non dicuntur Chriſtum manducare, dicitur enim qui manducat me, & ipſe vivet propter me: neque Euchariſtiam cauſat gratiam toto tempore, quo eſt in ſtomacho, alias eſſent melioris conditionis communicati pluribus formis, quod falſum eſt, & qui ſunt ſoliti, pluribus hoſtiis communicari, puniuntur per inquiſitores, *Joannes de la Cruz de Euchariſt. q.* 4 *dub.* 1. *concl.* 1 *Fagundez præcep.* 3. *lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 11. *Lugo* tamen *diſp.* 12. *ſect.* 2. *de Euchar.* putat conferre gratiam quouſque eſt in ſtomacho. Ille vero Sacerdos, qui deglutita parte hoſtiæ, evomit reliquas partes, recipit gratiam, & totum effectum Sacramenti, quia Sacramentum producit gratiam quando prima pars hoſtiæ deglutita eſt, ideò ſi daretur caſus, quod quis communicans ſit in peccato mortali, tunc temporis, quo manducavit aliquam partem hoſtiæ, ſed ſtatim eliciat actum contritionis, antequam reliquas partes manducet, neque reciperet gratiam manducando reliquas partes, quia totus effectus producitur per ſumptionem primæ partis, ſed communicans in ſumptione primæ partis non erat ſufficienter diſpoſitus, ergo non recipit poſtea effectum DD. citati ſed alij, ut *Suar. Coninch.* & alij putant recipere gratiam reſpectu illarum partium.

Secundus effectus Euchariſtiæ eſt remiſſio peccati *Trid. ſeſſ.* 13. *cap.* 2. ubi vocatur hoc Sacramentum, Antidotum quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſervamur. *Suar. diſp.* 63. *ſect.* 10. & quidem operatur hoc immediatè: præſervat verò à peccatis mortalibus; primo conferendo abundantem gratiam gratum facientem, & recipiendo ſpeciale lumen à Deo, quo tentationes ſuperantur, & diminuitur fomes peccati; undè *S. Bernardus*, ait de hoc Sacramento;

by Google

gustato spiritu, *despit omnis caro*, *& Eccl* 28. dicitur *Non ne ardorem refrigerabit ros*, *sed Christus est Ros*, de quo dicitur *Rorate Cæli desuper*, ergo dicitur etiam hoc Sacramentum aqua, juxtà aliud *Psal.* 22. *In loco Pasquæ ibi me collocavit*, *super aquas refectionis educavit me*, & sicut stetit sanguinis fluxus, quem patiebatur fœmina, quæ Christum tetigit, ità fluxus peccatorum stabit ante Christum. Undè *Zacch. cap.* 9. hoc Sacramentum vocat *Frumentum electorum*, *& vinum germinans virgines.*

Tertius effectus est acquisitio gloriæ, juxta illud Christi, *Qui manducat hunc panem*, *vivet in æternum*, quem effectum probat *S. Th. ubi sup. art.* 2. & indicatur in *Trid. sess.* 13. c. 8. undè *Reg.* 3. c. 19. panis subcinericius fuit datus *Heliæ*, ut in fortitudine cibi illius ambularet, usque ad montem Dei Oreb. Undè hoc Sacramentum appellatur pignus futuræ gloriæ, ut in *Antiph. ò Sacrum Convivium*, *& a Trid. sess.* 13. *cap.* 2.

Quartus effectus est actualis dulcedo, & delectatio juxta illud *Psal* 67. *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus*, *& Genes. cap.* 49. *Pinguis est panis ejus*, *& præbebit delicias Regibus. Suarez de Sacramento disp.* 63. *sect.* 9. qui affert aliquas rationes, quarè non semper sentitur prædicta dulcedo, & notat benè non oportere talem effectum dari tunc, sed aliquando servari in meliorem occasionem, & talis dulcedo oritur ex fervore, ad quem hoc Sacramentum excitat.

Circa corpus causat effectus plures: primò nititur per aliquam veram, & realem unionem cum nostro corpore. Secundo ea eo, quod aliquid operatur in anima, resultat aliquid in ipso corpore. Tertio operatur corporis resurrectionem, & etiam causat corporalem effectum roboris, fugando dæmones, ne tentationes proponant, & etiam reprimendo humorum vires *Suar. disp.* 64. *sap* 2. *Lug. disp.* 12 *sect.* 5.

Quod verò hoc Sacramentum operetur resurrectionem gloriosam colligitur, ea verbis Christi *Joan* 6 *Qui manducat meam carnem*, *& bibit meum sanguinem habet vitam æternam*, *& ego resuscitabo eum in novissimo die*, ubi promittitur gloriosa resurrectio sumenti hoc Sacramentum, non quidem simpliciter, sed dignè: ratio est, quia per conjunctionem carnis Christi, cum carne hominis fit aliquando caro dignè communicantis, una caro cum carne Christi, ergo sicut carni Christi debetur gloriosa vita, ita suo modo debetur illi, quæ aliquo etiam modo est caro Christi. Neque dicas, quod Patres antiqui hoc Sacramentum non acceperunt, & tamen resurgunt illa die judicij. Respondet enim *Robertus Abbas in cantica*, *cap.* 50. in sensu magis mystico, quam literali, eos scilicet Christum etiam suscepisse, quatenus eorum animæ susceperunt Christi animam, in Limbo, corporibus autem in sepulchris jacentibus, & curpus Christi etiam ad hunc finem sepultum, conjunctum fuit, sequitur *Lugo disput.* 13. *sect. ult.*

In §. *Penultimo*, *& finali.*

Concludit *Paulus in hoc* ♁. dari in hoc Sacramento tria, scilicet Sacramentum tantum, quod est signum, res tantum quod est gratia: ideò si quis spiritualiter se communicaverit, recipit rem, scilicet gratiam, sed non sacramentum: Sacramentum simul cum re est, cum quis communicatur realiter, & recipit effectum, scilicet gratiam, quæ est res Sacramenti, & Sacramentum, quod est recipere species consecratas Panis, & Vini. *cap. dupliciter de consecr. dist.* 2. *S. Thomas*, & Theologi, ubi supra.

TITULUS VII.

De Extrema Unctione.

Visum est supra de sacramentis, quæ deserviunt ad ingressum, puta de baptismo, & de his, quæ deserviunt ad progressum, puta de pœnitentia, & Eucharistia; sequitur nunc *Paulus* videre de sacramento, quod deservit ad egressum ab hac vita. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, hoc Sacramentum Extremæ Unctionis, ità dici, tùm quia est ultima Unctio, quam homo viator recipit, nam primam recipit in baptismo. Secundam in confirmatione. Tertiam in collatione ordinis Sacerdotalis. Ultimam in Sacramento Extremæ Unctionis: dicitur etiam talis, quia confertur homini, in extremis existenti, Theologi in 4. *dist.* 23. quod quidem Sacramentum dari, & ab aliis esse distinctum de fide est, *Trid. sess.* 13. *can.* 1. & colligitur *ex epist. S. Jacobi* 5. Infirmatur quis vestrum, inducabit præsbyteros, & orent super eum, ungentes cum oleo in nomine Domini, & si in peccatis sit remittentur, nam per hoc sacramentum, ut benè Theologi cum *S. Thoma* 3. *par. q.* 29. *art.* 1. remittuntur peccata venialia; & nota quod sicut certum est, dari hoc Sacramentum, ità certissimum est, fuisse à Christo, & non ab Apostolis institutum, sicut & omnia alia sacramenta novæ legis. *Trid. sess.* 14. *can.* 1. fuit verò hoc sacramentum promulgatum *a Beato Jacobo in epistola* 1. *cap.* 3. *&* 5. Insinuatum vero fuit *Marci* 6. licet non constet, quando fuerit institutum, aliqui enim putant fuisse institutum *Marci loc. cit.* quando Christus Apostolos misit, ut ungerent oleo infirmos, & sanarentur: alij dicunt, tunc fuisse incoatum; quare non constat hoc inter DD. quando nam fuerit institutum: hoc unum scio, & admittunt omnes, extremam unctionem perpetua Ecclesiæ traditione, & usu apud Græcos, & Latinos esse sacramentum à Christo institutum, *Bellarminus de Sacramento extremæ unctionis lib. unico cap.* 20.

Sciendum secundo est, Sacramentum hoc sic definiri: est signum rei sacræ, quo aliquæ partes corporis infirmi unguntur sub præscripta verborum forma DD. citati. Dicitur (signum rei sacræ) loco generis, in quo extrema unctio convenit cum cæteris Sacramentis. Dicitur, quo aliquæ partes corporis, &c. loco differentiæ, cum per has particulas extrema unctio differat à cæteris sacramentis, ut infra. Hujus Sacramenti materia remota est oleum ex olivis expressum, benedictum ab Episcopo. Ratio est, quia materia remota est, quam Christus instituit: sed Christus Jacobi 5. ait, ungentes oleo, ergo oleum est materia: erit etiam ab Episcopo benedicendum, licet possit de consensu Summi Pontificis ab alio, quàm ab Episcopo benedici, puta à simplici sacerdote, non tamen est necessarium ad validitatem Sacramenti, ut oleum fuerit eo anno benedictum, licet ex consuetudine, & præcepto id requiratur, *cap. litteris de consecr. dist.* 3. nec excusatur Parochus, si adhibeat oleum alterius anni sine necessitate, *Diana par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 90. *Bonacina disput.* 7. *de Sacram. q. unica punt.* 2. *num.* 6. *Mancin*

cin. in prax. tract. 9. *dub.* 2. quod si per errorem sacerdos ungeret infirmum non oleo, sed chrismate nihil repetendum esset, sed res Domino erit commendanda; tùm quia plerumque non posse fieri iterata unctio sine scandalo, tùm quia valdè probabile est, sacramentum extremæ unctionis validè conferri in materia sacri Chrismatis, *Layman lib.* 5. *Theolog. moralis tract.* 8. *cap.* 2. *num.* 3. docet tamen *Henriq. lib.* 3. *de sacram. cap.* 8. non esse de præcepto renovare oleum singulis annis, & per consequens ungentem oleo veteri seclusa necessitate, non peccare mortaliter, sequitur post alios *Mancinus ubi sup. dub.* 2. mihi verò magis placet opinio eorum, quos sequitur *Zambranus de casibus occurrentibus tempore mortis cap.* 5. *dub.* 4. *nnner.* 5. esse peccatum mortale, vel oleum benedicere alia die, quam feria quinta, vel illud singulis annis non renovare, vel veteri uti extrà necessitatem, *Diana par.* 5. *tractat.* 3. *resol.* 90. *& par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 168. est autem materia sufficiens oleum olivarum, si admisceatur alius liquor cum eo, dummodò admixtio sit modica, ex qua non perdat olenm naturam suam, *Possevinus de offic. parochi cap.* 9. Qui etiam addit posse Parochum oleum non consecratum admiscere consecrato, quando timet, quod oleum consecratum non suf ficiat, dummodò tamen id, quod additur sit minoris quantitatis, quam consecratum, quia per admixtionem utrumque censetur consecratum, licet melius sit, addere oleum consecratum, si posset haberi DD. ubi supra, *Bonacina ubi supra nu.* 8. *Mancinus d pract.* 9. *dub.* 3. posset tamen sacerdos uti valdè oleo non benedictio consueta Ecclesiæ benedictione, sed alia benedictione ad libitum Episcopi, quæcumque illa sit, quia ex *Trid. sess.* 14. *de extrema unct. cap.* 1. materia hujus Sacramenti est oleum ab Episcopo benedictum, ergo quæcumque Episcopi benedictio sufficiet, *Mancinus in addit. pract.* 9. *dub.* 15.

Sciendum est tertio, materiam proximam hujus Sacramenti esse unctionem, tùm ex *Jacobo* 5. ibi ungentes oleo, tùm ex natura sacramenti, consistentis in usu (ut est hoc sacramentum) quod habet pro materia proxima actionem: non tamen est de essentia, ut fiant unctiones in forma Crucis, immò neque de necessitate præcepti, putant DD. apud *Filiuccium tract.* 3. *cap.* 4. *quæst.* 8. *nu.* 75. qui ex hoc putant, sacerdotem conferentem hoc sacramentum prætermisso signo Crucis non peccare mortaliter, ut henè docent etiam contra *Nugnum. in addit. ad* 3. *par. q.* 25. *art* 6. *Beccanus de Sacram. cap.* 27. *quæst.* 3. *num.* 3. *Layman lib.* 5. *tract.* 80. *cap.* 3. *num.* 7. *Coninch. disp.* 19. *de sacrament. dub.* 2. *num.* 7 *Zambranus de casibus occurrentibus tempore mortis cap.* 5. *nu.* 12. *Diana par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 168. *Additio ad Mancinum pract.* 9. *dub.* 5. una tamen gutta olei est sufficiens in unaquaque unctione ad conferendum sacramentum extremæ unctionis, *Reginaldus in praxi tom.* 2. *lib.* 28. *cap.* 9. *num.* 13. *Diana par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 88. *vers. notandum est*, undè recedas à *Marchino de peste par.* 3. *cap.* 6. *num.* 14. dicente, non sufficere unam guttam olei, sicut una gutta aquæ ad baptismum sufficit, quicquid dicat *Filiuccius tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 4. *num.* 78. Posset etiam tempore pestis sacerdos ungere infirmum, non digito, sed virga oblonga, ut fugiat contractum infirmi, dummodò virga sit oleo tincta; ità docet *Sylvius in* 3. *par. q.* 32. *art.* 2. *Capezvilla de Sacram. extrema unct. q.* 34. & legitimus, id fecisse S. Carolum tempore pestis Mediolanensis in ejus vita: sicut etiam tempore pestis docet probabiliter *Gravantus in Euchiridio Episcopi in verb. pestis num.* 7. posse dari sacramentum Eucharistiæ in cocleari argenteo, nè sacerdos manu tangat infirmum, inficietur, licet contrarium dicat *Bonacina de sacram. disput.* 4. *sect.* 6. *par.* 3. *num.* 10. & sic practicari docet *Diana par.* 4. *tract.* 4. *resol.* 114. *& par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 79. *&* 80. *& par.* 3. *tract.* 3. *resol.* 167. & tempore pestis licitum est Eucharistiam dare in pagina, & ipsam postea comburere, *Diana par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 50. ex aliis præsertim *ex Mancino*, licet ipse contrarium putet, prout dixit etiam *par.* 4. *tract.* 4. *resolut.* 114.

Sciendum est quarto, formam hujus Sacramenti esse hæc verba, *Per istam Sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quicquid deliquisti per visum, &c* sic descendendo per alias partes corporis, *Trid ubi sup.* sic ungendo audium dicitur per audium, odoratum, &c. quando unguntur nares, per oris visum, quando ungitur os, per tactum quando unguntur manus, per incessum, quando unguntur pedes, per ardores libidinis, quando unguntur renes. Ex quo.

Infertur primo, hoc Sacramentum non requirere ad sui validitatem invocationem Sanctissimæ Trinitatis, tùm quia non est in forma, tum quia hoc sacramentum non est professio fidei, ut baptismus, neque ejusdem protestatio, ut confirmatio, *Coninch. disp.* 19. *dub.* 4. *num.* 15. *Mancinus pract.* 9. *dub.* 4.

Infertur secundo, formam prædictam debere fieri modo deprecativo, puta, *per istam sanctam, &c.* non modò indicativo, puta, *Ego te ungo in nomine Patris, &c.* vel alia simili, quia eget infirmus deprecatione, cum transeat de foro Ecclesiæ ad forum divinæ Majestatis, cui commendatur per hoc sacramentum. Adde quod sic Christus illud instituit *Jacobi* 5. Inducat præsbyteros, & orent pro eo, ità *Bonacina disp.* 7. *q. unica puncto* 3 *num* 3. & alij apud eum: sequitur *Mancinus pract.* 9. *dub.* 1. *in addit.* Ratio est, quia duæ formæ non possunt esse institutæ pro uno sacramento, nisi sint æquivalentes saltem in sensu, sed forma deprecativa est sufficiens, & à Christo instituta, ergo sola indicativa non sufficit, quia habet diversum sensum; si verò Sacerdos diceret, *Ungo te oleo Sancto, & Deus tibi remittat quicquid peccasti, &c.* validè conficeret Sacramentum, quia verbo indicativo adjungeret Sacerdos sufficientem deprecationem, peccaret tamen, quia formæ Sacramentorum non sunt mutandæ, *Layman lib.* 5. *tract.* 8, *cap.* 3. *Mancinus ubi supra.* Non tamen sunt de essentia omnia verba prædictæ formæ, ideò illa verba *Per sanctam, & piissimam passionem*, non videntur de essentia, cum sensus verborum sit completus, & subsistat, illis omissis; sed solùm hæc verba sunt de essentia, *Per istam unctionem indulgeat tibi Deus, quicquid per visum deliquisti, vel per auditum, &c.* immò posset quis necessitatis tempore ungere per unicam formam complectentem plures partiales formas, videlicet, *Per istam sanctam unctionem, parcat tibi Deus, quicquid per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum deliquisti*, neque est peccatum mortale, præcisa etiam necessitate, relinquere in forma orationes illas, quæ ab Ecclesia præscribuntur, puta septem psalmos pœnitentiales, quia id non est usu receptum, & à Sacerdotibus etiam timoratæ conscientiæ omittuntur, aliàs verò orationes esset peccatum relinquere, quia hoc non est se conformare commu-

commuui usui Ecclesiæ, *Possevinus de extrema unctione*, nu. 20. *Barbos. de potest. parochi*, cap. 21. nu. 39. & 40. *Manc. pract.* 9. *dub.* 3.

Sciendum est quinto, solùm Sacerdotem esse ministrum hujus Sacramenti, & sic Diaconus ipsum administrans Sacramentum non conficeret, quia *S. Jacob. c.* 5. ait, *Infirmetur quis vestrum inducat presbyteros*, &c. & est de fida determinatum in *Trid. sess.* 14. *can.* 4. *de extrema unctione.* Neque posset diaconus cum licentia Papæ, vel subdiaconus cum ejusdem licentia hoc Sacramentum administrare, quia non potest Papa dispensare in illis, quæ sunt de jure divino, *Additio ad Mancinum pract.* 9. *dub.* 16. Quilibet tamen Sacerdos, etiam excommunicatus, vel degradatus, potest hoc Sacramentum ministrare, licet talis Sacerdos graviter peccet administrando, ut potè carens jurisdictione. Ille verò Sacerdos, qui non est parochus, neque à parocho facultatem habet, peccat mortaliter administrando, quia non debet mittere falcem in messem alienam: & alij putant, quod etiam si Sacerdos sit excommunicatus vitandus; possit, & debeat administrare hoc Sacramentum, neque peccet mortaliter, ut contra *Suarez*, docet cum aliis *Diana par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 81. & sic recedas ab eo, quod mox tibi dixeram, peccare mortaliter hunc talem Religiosi si administraverint hoc Sacramentum sine parochi licentia, essent excommunicati. *Clem.* 1. *de privilegiis*, *Suarez de censuris*, *disp.* 22. *sect.* 4. quam tamen censuram non incurrit Religiosus administrans cum ratihabitione parochi, vel quando infirmus est in articulo mortis, & parochus abest, quia tunc præsumuntur licentia Pontificis, & Episcopi, cum non sit credibile, Ecclesiam velle privare infirmum tanto Sacramento, *Nugnus in* 3. *par. q.* 31. *art.* 3. contra *Gavantum in Enchyridio Episcopali*, *in verb. Extrema unctio*, *num.* 3. Sacerdos verò sæcularis si ungeret infirmum, peccaret mortaliter, sed non esset excommunicatus, quia prædicta *Clementina* loquitur solùm de Religiosis, & pœnæ sunt restringendæ *Diana par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 82. Possunt etiam Regulares hoc, & alia Sacramenta ministrare sæcularibus, servientibus eorum Monasteriis, *Diana part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 11. *Barb. in collect. Trident. sess.* 23. *de Sacram. pænit. cap.* 15. *num.* 11. *Portellus in dub. Regular. in verb. Sacramentorum administratio*, *num.* 9. *Mancinus in addit. ad pract.* 4. *dub.* 22. Idem *Barb. de offic. parochi*, *cap.* 29. *num.* 12. Idem extenditur ex privilegio Pontificum ad sæculares non inservientes, quos in monasteriis infirmari, & curari accidit *Barbos. loco citato*, *Mancinus in addit. pract.* 9. *dub.* 17. neque regulares sunt excommunicati, si extremam unctionem religiosis alterius ordinis, absque lecentia suorum superiorum, vel Parochi loci, ubi situm est monasterium, administrent, *Mancinus du.* 18. *cum plurib. sequentib.*

Ex quibus infertur, etiam posse hoc Sacramentum ministrari à pluribus Sacerdotibus, ità ut unusquisque ungat independenter ab alio, & unus ungat unam partem, alius aliam, prolata in singulis unctionibus debita forma, ut dixi, cum de baptismo, quod si non adest necessitas, id fieri minimè poterit absque mortali peccato, *Suarez tom.* 4. *in* 3. *par. disp.* 44. *sect.* 2. *Barb. de potestate Parochi*, *cap.* 22. *num.* 9. *Diana part.* 5. *tract.* 4. *resol.* 88. Quod si Parochus timet, & nocte fore vocandum ad dandam extremam unctionem, posset, vesperi, quando accedit ad communicandum, vel aliquod aliud offerre extremam unctionem: prout neque peccat Sacerdos si deferat oleum sanctum ad infirmum sine lumine, *Barb. de offic. Parochi*, *cap.* 22. *num.* 44. sicut neque peccat Sacerdos, si in periculo mortis sine ministro Sacramentum conferat, & sine alia prævia præcatione, *Diana p.* 5. *tract.* 3. *resol.* 91.

Dices, *Jacob.* 5. *infirmetur*, *quis vestrum inducat presbyteros*: ergo plures extrà necessitatem etiam possunt administrare.

Respondeo textum prædictum intelligi, *inducat presbyteros*, ideft aliquem ex presbyteris, ut indicat usus Ecclesiæ, sicut etiam *Matth.* 27. dicitur, latrones improperasse Christum, ideft unum ex latronibus, cum certum sit, duos tantum latrones cum Christo fuisse crucifixos, & unum tantum improperasse, *Luca* 27. ut benè *Suarez* 3. *p. disp.* 43. *sect.* 2.

Infertur secundo, unum Sacerdotem posse unam partem ungere necessitate urgente, & alius aliam, dummodo ille, qui ungit, simul etiam proferat formam unctioni debitam, casu vero, quo Parochus moriatur dum ungit, reliquæ partes ab alio ungendæ erunt, & partes unctæ, non erunt iterum ungendæ, *S. Thom. in.* 4. *dist.* 23 *q.* 1. *ar.* 1. *quæstiunc.* 2. *ad* 3. *Diana par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 87. *per tot.* sed si esset mora inter secundum Sacerdotem venientem, & primum, & sic inter primas, & secundas unctiones præteritas esse magna, mora posset. Secundus, qui venit totum repetere, ut ex aliis probat *Diana loco cit. in fine*, non tamen posset Sacerdos infirmus se ipsum ungere, quia mutaretur forma substantialis, sicut si quis se ipsum baptizaret *Diana p.* 5. *tract.* 3. *res.* 93.

Infertur tertiò ad quæstionem, an teneatur Parochus tempore pestis ministrare extremam unctionem, & eucharistiam cum periculo vite? Duæ enim fuerunt sententiæ, prima affirmativa, teneri scilicet Parochum, alias esset res iniqua, & impia, ità *Silvius*, & *Nugnus.* Alij dicunt non teneri, quia hæc sunt Sacramenta non necessaria, post alios *Diana par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 174. & *par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 93. & *resol.* 83. Posset ergo Sacerdos in tali casu à longè hortari fideles peste laborantes, ut patienter sustineant infirmitatem, ac propositum habeant suscipiendi viaticum, quia in casu necessitatis sufficienter judicatur propositum suscipiendi, & sic adimpletur præceptum, DD. ubi supra contra *Mancin. pract.* 9. *dub.* 5.

In §. Sciendum est.

Agitur hic de subjecto hujus Sacramenti, cui scilicet dari possit. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, subjectum extremæ unctionis esse fideles de vita periclitantes, qui ratione utantur vel antea usi sint, & hoc Sacramentum optaverint *S. Thomas in* 4. *dist.* 23. *quæst.* 2. *art.* 2. *Bellarminus*, *Coninchus* & alij apud *Bonacinam*, ubi supra; Ex quo.

Infertur primò, laborantem phrenesi posse hoc Sacramentum suscipere, si ante phrenesim optaverit eum recipere quia hic dicitur sufficienter dispositus, & sine obice accedere. Et aliqui putant quod etiamsi non petierit, sit dandum, qui in dubio præsumitur unusquisque bonus, quousque de malitia non constet, ideò tali casu posset phreneticus ligari, vel fortiter teneri, ut recipiat extremam unctionem *Diana part.* 5. *tract.* 3. *resol.* 84. *Barbos. de potest. Parochi cap.* 22. *num.* 31. secus si inciderit in amentiam in evidenti peccato mortali, *Mancinus*, *ubi sup. decis.* 12. Illis verò, qui non laborant infirmitate, licet versentur in magno periculo vitæ, non esset dandum hoc Sacramentum,

tum, undè non est conferendum gerentibus bellum, aut existentibus in mari cum periculo mortis, aut damnatis ad mortem à Judice per supplicium, aut mulieribus in partu existentibus, quia non laborant infirmitate corporali, secus dic, quando isti ex morbo in periculo vitæ versantur, *Bonacina d. disp.* 3. *quæst.* 5. *par.* 5. *Mancinus pract.* 9. & 10. sic qui ex morsu canis moreretur, esset ungendus. Monent tamen Doctores citati, Sacerdotem ne salivam illius digitis suis attingat, nam inficeretur, sed debet ungi loco oris pars vicina, vel linteo os prius abstergi debet. Posset tamen hoc Sacramentum dari existenti in articulo mortis, licet adsit spes aliqua vitæ: immò non esset expectandum tempus, in quo jam constet, infirmum non posse naturaliter vivere, nam hoc derogat secundario fini hujus Sacramenti, *Bonacina*, *Mancinus*, & *alij ubi supra Diana par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 91. casu, quo infirmus nollet Sacramentum hoc recipere, potens eum habere, putat *Toletus lib.* 2. *cap.* 14. *in fine*; quod peccat mortaliter, & non sit absolvendus: sequitur *Bellarminus lib.* 1. *de Sacrament. in genere cap.* 22. Sed ego puto in rigore loquendo, non peccare mortaliter, secluso tamen contemptu, & gravi scandalo, qui contemptus non præsumitur, ex eo, quod quis sciens, & prudens illud omisit, *Diana p.* 3. *tract.* 4. *resp.* 170. & *par.* 5. *tract.* 3. *res.* 97. Curare tamen debet Parochus, ne infirmus sine hoc Sacramento moriatur, & hortetus illum, ut illud sumat. Pueris doli capacibus potest administrari hoc Sacramentum, *Bonacina ubi supra*, & *Mancinus dub.* 11. etiamsi tales pueri non essent capaces Eucharistiæ *Baldellus tom.* 1. *lib.* 5. *disp.* 30. *nu.* 16. quod si dubitetur, an puer habeat usum rationis, esset sub condtione ungendus. *Sanc. disp.* 27 *Diana par.* 3. *tract.* 4. *resolut.* 169. *Lugo de Sacram Euchar. disp.* 13. *sect.* 4. *nu.* 41. *Diana p* 5. *tract.* 3. *res.* 85. Sic etiam quando hoc Sacramentum administratur infirmo, de quo dubitatur, an vivat, vel mortuus sit, debet administrari sub conditione, ne conferatur subjecto incapaci. Doctores ubi supra.

Infertur secundo ad quæstionem, an possit hoc Sacramentum dari infirmo, qui nunquam peccavit actualiter, (exemplificant Doctores hunc casum in Sacerdote, seù Parocho, qui cognovit per confessionem, puerum nunquam actualiter peccasse,) & ego dico, quod potest, & tenetur ei Sacramentum extremæ unctionis administrare secundum Doctores communiter, quos sequitur *Diana par.* 3. *tract.* 4. *resol* 172. quia hoc Sacramentum datur ad robur acquirendum adversus tentationes, & ad superandam tristitiam ex infirmitate manantem, & accipiet gratiam, qua perfectius ad ingressum gloriæ præparetur, ut benè *Filliucc. tract.* 3. *cap.* 4. *num.* 108. & *Coninch. disp.* 19. *de Sacram. dub.* 7. *num.* 23. Neque dicas, quod non verificaretur forma, nam in forma dicitur: *Remittat tibi Deus quicquid deliquisti*, *sed non deliquit*: ergo falsificatur forma. Respondeo enim formam hunc sensum facere; impendo tibi gratiam Sacramentalem de se remissivam peccati, si forte adsit; sicut in Sacramento pænitentiæ, cum dicit Sacerdos absolvo te à peccatis tuis, si ille esset contritus, sensus erit, impendo tibi gratiam peccati remissivam.

Adde, posse hoc Sacramentum ministrari adulto in articulo mortis recenter baptizato. ideò anno 1620. testatur *Sancius d disp.* 27. *nu.* 18. fuisse ministratum cathecumeno Manilensi mancipio Mahumetano, periculoso morbo decumbenti, Sacramentum baptismi, Eucharistiæ, & extremæ unctionis successivè, & immediatè unum post aliud, nam peccatum actuale non est materia hujus Sacramenti, ergo si adhibeantur omnia essentialia habebitur effectus ità communiter Doctores, apud *Layman. lib.* 5. *Theol. moral. tract.* 8. *c.* 3. undè malè faciunt illi Parochi, qui baptizant infideles tempore mortis, & tamen eis non ministrant hoc Sacramentum *Dian. p.* 3. *tract.* 4. *resol.* 172. & *p.* 5. *tract* 3. *resol.* 86.

Sciendum secundo est, partes corporis ungendas esse quinque sensus, scilicet oculos, aures, os, manus, & nares, repetita ad singulos forma, & de consuetudine unguntur etiam pedes, & renes propter concupiscentiam. Ratio est, quia hoc Sacramentum est institutum ad remittenda peccata, quæ trahunt originem ab omnibus sensibus, ergo. unde unctio facta non in quinque partibus, reddit invalidum Sacramentum, quia quod ungantur omnes, est de essentia hujus Sacramenti, *S. Thomas in* 4. *dist.* 23. *art.* 3. *Naldus in verb. extrema unctio*, *nu.* 8. *Diana par.* 3. *tract.* 4. *res.* 168. licet alii putentur, non esse de necessitate Sacramenti omnes ungi, quos sequitur *Mancin pract.* 9. *dub.* 6. *in addit.* sed contrarium putat *Marchinus de peste*, *par.* 3. *cap.* 6. *num.* 16. Si autem quis esset cæcus, vel mutus, putant aliqui, esse ungendam partem propinquam sensui, quo caret alii tamen, & melius dicunt, esse ungenda organa illorum sensuum, quibus carent, quia licet exterius per illa organa non peccaverint, tamen poterunt peccare per interiores potentias. *Naldus in summa in verb. Mutus nu.* 3. & *in verb extrema unctio*, *num.* 8. *Diana par.* 5. *tract.* 6. *resol.* 11. est tamen notandum, unctionem in pedibus, vel renibus esse faciendam, quando de consuetudine servatur. In fæminis verò ratione decentiæ unctio in renibus non fit, neque in pedibus, quia non est de necessitate Sacramenti; quod si in Concilio Florentino dicatur, præter quinque sensus esse ungendos renes, & pedes, id intelligitur non de necessitate, sed de consuetudine loci Doctores ubi supra. Sacerdotes verò non unguntur in palma, sed in parte versa superiori ipsius manus, quia semel fuerunt uncti in palma in susceptione Sacerdotalis ordinis *Bonac. disput.* 7. *q.* 5. *p.* 6. *Mancin. pract.* 6. *dub.* 18. qui etiam docent, non esse servandum aliquem ordinem in ungendis quinqué sensibus de necessitate Sacramenti, neque esse utrunque organum, & sensum ungendum, puta utranque manum, utrunqué oculum, &c Sed hoc est secundum consuetudinem servandum *Bonacina*, & *Mancinus ubi supra*, & in *addit. dub.* 7. *Barbos. de potestate Parrochi*, *cap.* 22. *nu* 28.

Sciendum est tertio, hoc Sacramentum posse iterari in eadem infirmitate, quando tamen recedit, & iterum accedit periculum mortis, licet infirmus non surget de lecto, nam tunc dicitur diversus infirmitatis status, quoties novum periculum mortis supervenit, *Tabiena in verb. unctio extrema*, *num.* 9. quod solet accidere in diuturnis morbis, *Bonacina d. par.* 3. *num.* 4. *Diana part.* 9. *tract.* 3. *resol.* 96. *Mancin. dub.* 21. *qui dub.* 26. notat, peccare solùm veniali er Sacerdotem, prius ministrando hoc Sacramentum, quam Sacramentum pænitentiæ, & extremæ unctionis. Distantia vero temporis proiterando hoc Sacramento (supposito novo periculo mortis) esset octo saltem, dierum post unctionem præcedentem, in quo temporis spatiu verisimiliter peccare potuerit saltem venialiter, *Mancin. dub.* 21. & *dub.* 29. dicit, non debere curtere Parochum, ad hoc sacramentum minis-

ministrandum, prout illud etiam Eucharistiæ, sed teneri decenter ambulare; sed ad sacramenta baptismi, vel pænitentiæ, quia ista sunt sacramenta necessaria ad salutem, tenetur currere, non solum festinare, imò urgente necessitate pro baptismo, & confessione, debet curare accedere etiam semivestitus, etiam cum magna pluvia Doctores citati; & licebit hoc sacramentum ministrare in necessitate sine stola, & superpelliceo, quicquid dicat *Mancinus*, ubi supra; meam enim sententiam tenet *Layman. lib. 5. tract. 8. cap. 8.* & additio ad *Mancin. pract. 9. dub. 11.*

Neque est irregularis sacerdos, si volvendo infirmum accelereretur mors, quia nullum delictum commissum est, tum quia intuitu charitatis, & præter malam intentionem id factum est. *Bonac. ubi sup. par. 4. num. 10. Mancinus pract. 9. dub. 31.* debet tamen cavere sacerdos ab ista infirmi volutione, quia frustra fit, cum possit prædicto casu ungere partes viciniores illius sensus si fieri poterit, sin autem cautè volvatur infirmus, nulla erit irregularitas, si casu sequatur mors, *Mancinus dub. 31. in fine.* Quod si dum ungitur infirmus moriatur, debet cessare sacerdos ab administratione, quia jam non est amplius capax sacramenti, ex eo, quia non est vivus, *Barbos. ubi sup. num. 23. Mancinus in addit. dub. 4. Diana ubi sup. addit. dub. 9.* qui etiam ex *Diana* ubi supra addit; quod si sacerdos unicam formam proferat super omnibus quinque sensibus, puta si dicat per istam sanctam unctionem, &c. indulgeat tibi Deus, quidquid per visum, auditum, gestum, adoratum, & tactum deliquisti, talis administratio sacramenti valida esset. Addit *Mancinus dub. 12. in addit* quod si per tempus non liceat dare infirmo, nisi unum tantum sacramentum, puta, vel pænitentiæ, vel eucharistiæ, tunc si infirmus sit in peccato mortali, est prius dandum sacramentum pænitentiæ, si vero non sit in peccato mortali, tunc potius Eucharistia est danda, quam pænitentia *Mancin. pract. 9. dub. 12.*

In §. Sunt enim.

Agitur hic de effectu hujus sacramenti extremæ unctionis. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quod primus effectus hujus sacramenti est abstergere reliquias peccatorum, idest expellere malas habitudines, & proclives inclinationes ad peccatum.

Secundus effectus est, sublevare infirmum à corporali ægritudine, & sanitatem conferre, si animæ saluti expediet, & patet *Jacobi 5.* ibi (*sublevabit eum Dominus*) unde in promptuario exemplorum apud discipulum *lit. V. exempl. 29.* Narratur, quod quidam vir bonus, cum ab eo peterent adstantes in extremis constituto, an vellet extremam unctionem, respondit ipse, nolite obsecro talia nunc mihi dicere, quia omnes, qui unguntur, moriuntur, quibus dictis mortuus est, & Deo volente resurrexit, dixitque, quia extremæ unctionis sacramentum nolui, (licet non ex contemptu) centum annis ignibus purgatorii justo Dei judicio torquebor, sed si ipsum recepissem, utique de hac ægritudine convaluissem: sacra enim unctio non est mortis acceleratio, sed dilatio, quibus verbis dictis animam iterum exhalavit: & ideo poterunt omnia hæc sacerdotes ponderare, & adducere, ut infirmi accendantur ad sacram unctionem petendam antequam sensibus ipsis destituantur.

Tertius effectus, quia tollit peccata venialia, si de illis complacentia absit, & mortalia etiam post ultimam confessionem commissa, & inculpabiliter oblita, vel per præcedentes confessiones non remissa, ut pote nullas, & id à pænitente invincibiliter ignoretur. Patet ex illis verbis *Jacobi 5.* & ex *Trid. sess. 14. de extrema unct. cap. 2.* ibi, si quæ sunt expianda, &c. abstergit.

Quartus dat fiduciam de divina misericordia. Quinius tollit pœnas peccatis debitis. Caveas tamen à *Cutillo in addit. ad Mancinum d. pract. 9. in fine*, qui dicit, extremam unctionem characterem imprimere in animam.

Est tamen difficultas? quando extrema unctio gratiam conferat. Prima enim opinio docet, in unaquaque unctione conferre gratiam, quia tunc adest propria materia, & forma: ita multi apud *Henriquez lib. 3. cap. 12. num. 3.* Alij dicunt quod conferatur gratia in prima unctione *Beccanus cap. 25. de Sacram. quæst. 7. num. 6. Sylvius in addit. ad 3. par. q. 32. art. 6. Molfesius tract. 4. cap. 3. nu. 29.* Alij dicunt conferri gratiam in ultima unctione, communiter Doctores apud *Bonacinam d. disput. 7. q. 5. par. 16. Mancin. pract. 9. dub. 16* tum quia omnia sacramenta, quæ consistunt in usu, gratiam conferunt in instanti, quo perficiuntur. Tum quia non remittitur peccatum unius sensus sine alio; cum quia omnes unctiones ordinantur ad unum sacramentum, ergo in ultima confertur gratia: ideò si moriatur quis ante ultimam unctionem, gratiam non reciperet, Doctores ubi supra *Marchinus de peste par. 3. cap. 6. num. 23.* qui tamen probabile putat oppositum.

TITULUS VIII.

De Sacramento Ordinis.

Visum est supra de sacramentis necessitatis, tam medii, quam præcepti, videndum erat de Sacramentis voluntatis, merito ponitur hic titulus. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, nos multa de ordine dixisse in primo libro tit. 21. 22. & 23. juncto titulo sequenti, ultra autem ea, quæ ibi diximus: dico ordinem in materia nostra sumi pro gradu, & potestate spirituali: quam clerici in ordinatione recipiunt, & quidem respicit ad commune bonum, estque necessarius non quidem singulis hominibus ad propriam salutem: sed toti Ecclesiæ, tum ad populos spiritualiter regenerandos, ubi enim non est gubernator populus corruet *Proverb. cap. 11.* tum ad alia sacramenta conficienda, ut late *Marchin. de ordine cap. 1. 2. & 3.* definitur verò ordo communiter, ut sit signaculum quoddam, in quo spiritualis potestas traditur ordinato, Verum quia hæc definitio convenit etiam sacramento confirmationis, in quo spiritualis potestas tribuitur confirmato ad fidem profitendam, ideo tu definias hoc sacramentum ordinis, ut sit signaculum quoddam, in quo spiritualis potestas traditur ordinato in ordine ad Eucharistiam conficiendam, vel ministrandam, nam omnes ordines ad Eucharistiam ordinantur, vel conficiendam, vel ministrandam, aliqui quidem remotius, alij vero proximius, vel ordinatur ad ipsos Eucharistiæ ministros consecrandos, ut Episcopatus, late *Marchinus de ord. par. 1. cap. 4.*

Sciendum secundo est, ordines esse septem Ostiaristum, Lectoratum, Acolythatum, Subdiaco-

diaconatum, Diaconatum, & Presbyteratum *Trid. sess.* 23. *can.* 2. Episcopatus verò non est ordo, ut docent communiter Theologi cum *S. Thoma* 3. *par.* q. 4. *art.* 5. quia ordo ordinatur ad sacrificium missæ: sed Episcopus non habet majorem potestatem presbytero simplici, ergo, improprie tamen vocatur ordo *in cap.* 1. ubi *gloss.* 32. *dist.* & *in cap. cleros* 21. *dist.* & *in cap. porrò* 66. *dist.* & *in cap. sicut* 68. *dist.* & *in cap. post translationem*, §. *cum ergo de renunciat.* sicut minores quoque ordines sacri dicuntur, cum tres tantum propriè sacri sint, *cap.* 1. *de filiis Presbyt. in* 6. & sic intelligitur *Trid. sess.* 23. *cap.* 1. *de Sacram. Ordin.* sunt vero septem ordines pro septiformi gratia Spiritus Sancti *Marchin. cap.* 14. quod sacramentum ordinis fuit in ultima cæna institutum, quando Christus Apostolis ait, *hoc facite in meam commemorationem*, quibus verbis contulit Christus Apostolis auctoritatem sacerdotalem eisque & ejus successoribus, in sacerdotio dedit Christus potestatem consecrandi *sess.* 22. *cap.* 23. & omnes alij ordines à Christo dicuntur instituti, quia omnium ordinum officia, Christus in se ipso quodam modo gessit *Barb. lib. de jur. Eccl. cap.* 33. *num.* 50. *in fine.*

Sciendum est sexto, sex esse de substantia hujus Sacramenti. Primò potestas ordinantia. Secundo materia, idest instrumenta tangenda, & in Presbyteris unctio. Tertio, forma verborum. Quarto, sexus virilis, quia fæmina characterem non suscipit. Quinto, intentio recta. Sextus Baptismus inordinato, alia vero sunt accidentalia: de contactu dicunt communiter Doctores, quod requiratur de necessitate *cap. præsb. de Sacram. non iterand.* ad validitatem vero Sacramenti sufficeret si ordinandus extenderet manus, & signum daret, quod vellet tangere, ità post alios *Diana par.* 3. *tract.* 4. *resolut.* 185. *de sacrament.* & *in Miscell. tract.* 3. *resolut.* 3. *par.* 3. quicquid dicat *Marchinus ubi sup. cap.* 16.

Est tamen difficultas, an si Episcopus proferat verba formæ antequam applicetur materia, vel è contrà ordo sit iterandus. Respondeo ego, sufficere simultatem moralem materiæ, & formæ, undè si finitia verbis formæ tangat materiam, validè ordinatur, *Diana part.* 5. *tract.* 13. *resol.* 48. Quando verò sacerdotes ordinantur, & plures proferunt super eadem hostia verba cum Episcopo, omnes habere debent intentionem consecrandi, & si unus audiat verba ab alio jam esse prolata, ponit, & debet proferre verba consecrationis, quia debet intendere practicè id facere, quod nunc facit Ecclesia. *Diana par.* 5. *tractat.* 14. *resol.* 82. Quando verò est dubium, an ordo sit verè collatus, sive quia materia est dubia, sive sunt rationes sufficientes dubitandi, debet tunc ordo sub conditione reiterari. Idem dicas si fuerit opinio probabilis ordinem verè fuisse susceptum, & opposita etiam probabilis; potest enim sine dubio iterari sub conditione, quando tamen est Sacerdotalis ordo, vel dignitas episcopalis vide *Diana par.* 5. *tract.* 13. *resol.* 47. & *tract.* 14. *resol.* 64. ubi memoria lapsus *P. Diana eamdem resolutionem* per eadem verba repetit.

Sciendum est quarto, materiam remotam sacramenti ordinis esse rem illam, quæ traditur tangenda, materiam verò proximam esse traditionem ipsam materiæ remotæ; nam his positis cum forma perficitur sacramentum ordinis; forma verò Sacramenti ordinis sunt verba, quæ ab Episcopo proferuntur imperativo modo, cum expressione potestatis; quæ confectur, *Bellarminus lib.* 1. *cap.* 18. adhibetur verò forma hujus Sacramenti modo imperativo, puta, accipe potestatem, quia per hoc Sacramentum constituitur quis minister Ecclesiæ, *S. Thomas* 3. *par.* q. 34. *art.* 4. Instrumenta verò, quæ ordinando tangenda traduntur, si tradantur per Episcopum, & purus sacerdos verba proferret, puta, accipe, &c. ordinatio esset nulla, quia simplex sacerdos non est ordinis minister, & hic est sensus, *cap. quorundam, dist.* 23. si ad majores, ordinatio tenet, *cap. Acholytus* 23. *dist.* & idem etiam docet *S. Thom. in* 4. *dist.* 25. q. 1. *art.* 1. *ad* 2. & *in addit. ad* 3. *par.* q. 38. *art.* 1. *ad* 2. qui dicit sufficere si in Acholytatu, & aliis tradatur materia per Archidiaconum, quia ipse est quasi Princeps Ministerij, *Marchinus de ordine par.* 1. *cap. ultim. in fine.*

De Ministro Sacramenti Ordinis.

AD intelligentiam sciendum est primo, ministrum ordinis ordinarium esse Episcopum, qui auctoritate, & lege ordinaria potest ordines conferre, *cap. perlectis* 25. *dist.* & à quocumque Episcopo, licet Episcopatum non habeat, validè confertur, nam de jure divino est unicus Sacramenti ordinis minister Episcopus, *Trident. sess.* 23. *cap.* 4. & 7. *Barb. alleg.* 3. *Anguianus lib.* 2. *de legibus controv.* 1. *num.* 70. *Salzedus in praxi Episcopali, par.* 2. *cap.* 5. *de ordination.* cum verò dixi, posse ordines à solo Episcopo conferri, intelligo de majoribus; nam minores possunt ab aliis conferri ex privilegio, ut ab Abbatibus, *cap. Abbates, ubi glossa*, & *DD. de privil. in* 6. *Trid. sess.* 23. *de reform cap.* 10. & diximus supra. Angelus bonus si aliquem ordinasset in Sacerdotem, vel Episcopum, prædicta ordinatio, ut valida esset, habenda, *S. Thom.* 3. *par.* q. 64. *art.* 7. Antiqua lege Sacerdotes, & levitæ carnali successione propagabantur; quia tale Sacerdotium antiquum carnale erat solis ovibus, & bobus mactandis deditum; sed novæ legis Sacerdotium spirituale est, in quo Christus Jesus, ut vera victima offertur, *March. par.* 2. *de ordine tract.* 1. *cap.* 8. & quidem Episcopus scismaticus, hæreticus, excommunicatus, aut degradatus potest validè ordinare, est contra *Joannem Andream in cap. accedens* 50. *dist.* ubi *Glossa*, & *in cap. degradatio, de pænis*, *in* 6. qui dicunt, quemcumque Clericum degradatum ordinis characterem amittere, quod ipsum dicunt *Innocentius*, *Abbas*, & alij *in cap. quanto, de consuetud.* qui dicunt, posse Papam tollere ab Episcopo facultatem ordinandi, & confirmandi validè. Verum, ut rectè dixit *Sotus in* 4. *dist.* 13. q. 1. *art.* 8. quoties simplices juris Canonici Doctores, qui Theologiæ operam non navarunt, voluerunt de divino jure ratiocinari, toties errarunt Legas *tex. in cap.* 4 *q* 7. & *Trid. sess.* 7. *cam.* 12. quod *Trident.* licet loquatur de Ministro in peccato existente, tamen ratio militat etiam in hæretico, &c. undè videmus, quemcumque Sacerdotem excommunicatum posse ministrare Sacramenta, excepto tamen Sacramento confessionis, quia confessio Sacramentalis cum sit actus jurisdictionis, nulla est, & irrita si impertiatur à Sacerdote qui à legitimo Judice denunciatus est excommunicatus, vel suspensus, aut simpliciter, ab officio, aut à jurisdictione, vel si fuerit notorius percussor Clerici, juxtà extravagantem *Martini V.* quæ incipit *Ad evitanda scand.* Suarez *de censuris, disput.* 16. *sect.* 1. *Marchinus, de ordine, tract.* 1. *par.* 2. *cap.* 18. potestas verò

verò circa Sacramentalia potest auferri Sacerdoti per Pontificem, quia pendet ab Ecclesia.

Sciendum secundo est, ordines conferri posse, & debere à proprio Episcopo: dicitur verò Episcopus proprius ille, cui subjicitur, *cap. cum nullus, de tempor. ordinan. in 6. Trid. sess.* 14. *cap.* 2. *& sess.* 23. *cap.* 3. *&* 8. *de reform.* & in prima tonsura etiam debet quis à proprio Episcopo ordinari, *Trid. sess.* 6. *cap.* 5. *de reform. & sess.* 14. *de reform. cap.* 2. sic Regulares non possunt à quocunque Episcopo ordinari, sed solum ab illo, in cujus Diœcesi manet monasterium, in quo degunt, & etiam illi, qui habent breve extra tempora, debent ordinari à propriis Episcopis, nisi aliud dicatur in brevi: potest autem quis tripliciter alicui Episcopo subjici ad effectum recipiendi ordines ab illo. Primo ratione originis, nam ortus Neapoli, etiam si alibi habitet, potest ab Episcopo Neapolitano ordinari, tanquam proprio: item ubi quis est baptizatus, ibi traxisse dicitur originem, si id per librum baptismi parochialem probetur, *Rebuffus, Gonzales*, & alij apud *Marchinum tract.* 1. *par.* 5. *cap.* 50. *num.* 14. Secundo, ratione domicilij, quia licet aliquis sit natus Romæ, tamen si animo commorandi Neapoli, domicilium hic habet, poterit ab Episcopo Neapolitano promoveri. Tertio, ratione beneficij, nam natus Romæ, si beneficium habeat in hac Civitate, potest hic ordinari, *cap. cum nullus, de tempor. ordinat. in* 6.

Ratione originis patris sui est quæstio an possit quis ordinari ab Episcopo, qui est in loco, in quo pater est oriundus? tres sunt DD. sententiæ, prima negativa, ità *Jacobus de Grassis par.* 2. *decisionum lib.* 3. *de Clericis circa ordines, cap.* 23. *nu.* 4. *& lib.* 2. *de tempor. ordin. consil.* 2. *num.* 15. *Henriquez lib.* 10. *cap.* 22. *lit. C. Quaranta in verb. ordo, vers. quoad tertium, Mauritius Salzedo in praxi Episcopali. par.* 2. *cap.* 5. *n.* 44. favet Card. *Tusch. tom.* 2. *in verb. ordo, concl.* 592. *Cæsar. de Grassis. dec.* 15. *sub tit. de prob.* ubi refert, sic Romæ decisum. Secunda opinio dicit ante factum id Clerico non esse concedendum, post factum verò excusat, tam Episcopum ordinantem, quam ordinatos à pena suspensionis, communiter *DD. in d. cap. cum nullus, ut Geminianus Joannes Andreas, Francus, & alii.* Tertia opinio docet, tàm ante factum, quàm post factum originem patris sufficere, ut filius etiam alibi semper commoratus, possit ab Episcopo, cui pater erat subditus ad ordines assumi: ità *Gloss. in cap.* 1. *in verb. alienigenas, de usuris, in* 6. ubi *Abbas, Ancharanus, Francus, & alii, Navarr. de tempor. ordin. cons.* 11. *in veteri impressione, & in nova cons.* 11. *Barbos. de potestate Episcopi alleg.* 4. *Ugolinus de potestate Episcopi, cap.* 26. *§.* 1. *Comitolus lib.* 6. *respons. moral. q.* 45 *Riccius in praxi, de Sacram. ordin. resol.* 298. *Marchinus par.* 5. *de ordin. tract.* 1. *cap.* 6. *Diana par.* 4. *tract.* 4. *resol.* 148. Idem *Barb. de jure Eccles. lib.* 1. *cap.* 33. *num.* 22. quia ut quis dicatur originarius loci, sat est ut sit natus in eo loco, vel ipse, vel pater, *cap. Rodulphus de rescriptis*, ubi DD. undè mulier prægnans, si in itinere pariat, filius dicitur illius loci, undè pater recessit, *Sanch. lib.* 3. *de matrim. disput.* 23. *num.* 3. legas *textum in l. assumptio, §.* 1. *ff. ad municipalem*, ubi filius dicitur originarius loci patris, *& in l. libertus, C. de municipibus, & originariis, §.* 1. *l. filius, ibidem*; ergo quia Canones absolutè dicunt, posse filium ordinari in loco originis, non excludunt originem patris, & pluries hoc decisum per Sacram Congregationem referunt *Marchinus, & Diana, ubi supra.* Immò est licitum Episcopo ordinare aliquem ratione originis paternæ, licet Clericus ab alio Episcopo, v. g. ex alio titulo ordines recepisset, ut decisum contra Episcopum Cavæ, refert *March. supra.*

Limitatur verò in aliis Sacramentis, undè ut benè *Sanch. lib.* 3. *de matrim. disp.* 23. non potest parochus originis assistere matrimonio, sed spectat hæc assistentia ad parochum, sub cujus parochia quis habitat: Idem dicas de baptismo, confirmatione, & aliis Sacramentis, *Marchin. ubi sup.*

Undè infertur ad quæstionem, an dicantur subreptitiæ litteræ Apostolicæ, in quibus petens dispensationem ad ordinem, beneficium, vel matrimonium, asserit se oriundum ex Civitate Neapolitana cum tamen ipse ortus erat Capuæ, sed pater ejus erat Neapolit, affir. *Garsia par.* 6. *cap.* 9. *num.* 25. docens, de stylo Curiæ oriundum accipi pro orto, teste *Mandosio ad regul Cancellaria* 16. *q.* 40. ergò litteræ sunt subreptitiæ, sed verius est oppositum, quod oriundus dicatur à nativitate, tàm propria, quam paterna, *Jason in l. hujusmodi, §. legatum, num.* 18. *ff. de legat.* 1. Idem dicit *Maceratensis lib.* 1. *resol. ultim. casu* 33. *Barb. alleg.* 4. *num.* 8. qui subdit, neque subreptitias dici litteras illas, in quibus minimè dicitur, talem esse natum in tali loco, & si minimè in illo sit natus, sed sufficit, genitorem in his locis esse natum, & habuisse ibi domicilium, *Marchin. ubi sup. num.* 6. *c.* 25.

Ratione domicilij, quis potest ab Episcopo ordinari, differt verò domicilium ab habitatione, quia ad habitationem sufficit habitare pro aliquo tempore: ad domicilium verò requiritur animus perpetuo habituandi, *l. Cives, C. de incolis lib.* 10. *Menochius lib.* 6. *præsumpt.* 42. Idem *Menoch. de arbitr. casu* 86. *Sanch. lib* 3. *de matrim. disp.* 23. *Barb. l.* 1. *de jure Eccles. cap.* 33. *numer.* 27. *cum seqq.* Probatur verò domicilium constitutum: Primo in foro externo per habitationem decennalem. Secundo, si ad eundem locum majorem partem suorum bonorum transtulit. Tertio, si domum habitationis causa emerit. Quarto, si ibi dies festo celebraverit; de quibus conjecturis, legas *Abbat. in cap. fin. de parochiis, Mascard. de probat. concl.* 334. *Assict. decis.* 394. *Menoch. casu* 86. *Barbos. allegat.* 4. *num.* 28. & nota quod Barones, sive feudatarij possunt ordines recipere ab eo Episcopo, in cujus Diœcesi obtinent feudum, etiam si ibi non habitent, & alibi domicilium retineant. Idem dicas de filiis eorum, qui acquirunt domicilium in eodem loco, in quo pater contraxit propter dictum feudum; unde illi etiam poterunt admitti ab Episcopo, in cujus Diœcesi pater habet feudum, *Campanilis in diversorio juris Canonici, rubrica* 9. *cap.* 8. *num.* 20. *Barbos. de potestate Episcopi, alleg.* 4. *num.* 32. Idem dicas de Senatoribus, & aliis perpetuis Officialibus Principis, ità ut tàm ipsi, quàm eorum filij possunt ordinari à talibus Episcopis, quia contrahunt ibi domicilium, *l. Senatores, C. de incolis lib.* 10. *un.* de feudum, & perpetuum officium apud Principem dant domicilii titulum, *March. tract.* 1. *p.* 5. *cap.* 7. *in fine.*

Ratione beneficij, quis fit subditus Episcopi illius Diœcesis, in quo eum habet, & ab eo potest ordinari, vel ab alio de ejus licentia, quamvis ei alio modo subditus non sit, *cap. nullus, de de tempor. ordin. in* 6. *Ugolinus cap.* 26. *§.* 3. *Bonacina disp.* 8. *de Sacram. q. unica, puta.* 4. *num.* 14. *Garsia par.* 2. *cap.* 4. *Riccius*, aliique communiter apud

apud *Barb. d. cap.* 33. *num.* 32. quod ampliatur, ut procedat, etiam si tale beneficium esset simplex, & non requirens residentiam sub tali Episcopatu, ut contra *Abbatem in cap.* 1. *de foro competenti*, *Felynum ibidem*, *Angelum in vera domicilium*, *Genuensem in praxi*, *cap.* 48. *num.* 3. docent *Henriquez lib.* 10. *cap.* 22. §. 1. *Quaranta in verbo ordo*, *Riccius*, *Garsia*, *Barb.* & alij apud *Marchinum*, *ubi supra*, *cap.* 8. *num.* 4. idem *Barb. lib.* 1. *de jure Pontificio*, *cap.* 33. *num.* 34. Ratio est, quia lex generaliter prolata, est generaliter intelligenda, *cap. consuluisti*, 2. *q.* 5, sed *textus in cap. cum nullus de tempor. ordin. in* 6. loquitur generaliter ergo. Declaratur secundo, ut non sufficiat beneficij collatio, sed requiratur possessio, *Riccius par.* 2. *decis.* 188. *Squillante de privil. cleric. cap.* 4. *num.* 33. *Garsia par.* 2. *cap.* 4. *num.* 16. ubi resolvit, solam possessionem sine titulo justo sufficere. Tertio declaratur, ut non solum possit eum ordinare Episcopus beneficij, sed cum eo etiam dispensare in interstitiis, & etiam in illegitimitate ad minores ordines, quia cum sit ei subditus, quoad ordines, erit etiam subditus, quoad omnia concernentia ordines, & illis annexa argumento, *l.* 2 *ff. de jurisdict. omn. judic Garsia*, *Squillante*, *Barb. & alij*. Quarto declaratur etiam in possidente praestimonium, quia dictum praestimonium venit appellatione beneficij, *Riccius in praxi fori Ecclesf. resol.* 258 *in fine*. Quinto declaratur, ut procedat etiam si beneficium habeatur in titulum, seu commendam sed est ad utilitatem commendatarij, maximè perpetuam, *Garsia Squillante*, *& alij*. Sexto procedit etiam si beneficium habeat certum ordinem annexum putà Diaconatum, vel Subdiaconatum quia tunc poterit ad alios promoveri ratione illius beneficij. Septimo procedit etiam si beneficium sit tenue, *Garsia d. cap.* 4. *num.* 8. *Barb. lib* 1. *de jure Pontificio*, *cap.* 33. *num.* 38. *& de potest. Episcopi*, *alleg.* 4. *num.* 44. *Garsia*, *Henriquez*, *Campanilis*, alijque communiter apud *Marchinum tract.* 1. *par.* 5. *cap.* 8. *num.* 14. Ratio est, quia ubi lex non distinguit, nec distinguere nos debemus, sed *text. in d. cap. cum nullus*, non explicat valorem, & qualitatem beneficij, ergo. Quare si tenui beneficio adjungatur patrimonium, ità ut consessum ex utroque sufficeret ad sustentationem, ut requirit *Trid. sess.* 21. *de reform. cap.* 2. tunc posset Episcopo beneficij ordinari, quicquid dicant *Riccius*, *Sotus*, & apud *Marchinum*, *&* *Barbos.* quicquid etiam dicat *Carol. Maranta part.* 2. *responsorum moral. respons.* 29. qui distinguit tenue beneficium à tenuissimo, dicens tenuissimum non sufficere, quod vocat minus sex ducatorum, sed tenue, puta sex ducatorum, vel supra dicit sufficere. Octavo declaratur, ut procedat etiam si quis plura habeat beneficia in diversis dioecesibus, quia ab unoquoque Episcopo poterit ordinari, *Barbos. in d. cap.* 33. *num.* 39. Nono id procedit etiam si beneficium sit subjectum alteri Episcopo quoad subjectionem Decimo procedit etiam si beneficium conferatur in hunc finem, & in fraudem, quia qui utitur jure suo, neminem fraudat, ut benè *March. d. cap.* 8. *num.* 9.

Non tamen est licitum Episcupo ordinare non subditum ratione pensionis, quam habet in sua Dioecesi, neque ratione Cappellaniae, etiam perpetuae, *Marchinus*, & alij, ubi supra, sequitur *Barbos. d. cap.* 33. Neque potest Episcopus alium ordinare ad titulum patrimonij, quia patrimonium non est beneficium, ergo non potest Episcopus ratione patrimonij, quod sub propria Dioecesi reperitur, illum ad ordines promovere, nisi alias unde esset illi Episcopo subditus, vel ratione originis, vel domicilij, *March. d. cap.* 8. *num.* 11.

Ratione triennalis familiaritatis, potest Episcopus non subditum ordinare, *Trident. sess.* 23. *de reform. cap.* 9. à quo traditur Episcopo talis facultas, cum alias in jure non daretur, quod nium intelligi debet completum, quia sumus in odiosis, est enim odium Episcopi, quod quis eximatur à sua jurisdictione, ità *Marchinus*, *ubi sup. cap.* 9. *num.* 2. Posset tamen Episcopus suum familiarem ordinare, si ad utilitatem, vel Ecclesiae necessitatem expedire judicaverit, licet servitus talis familiaria triennio, antequam Episcopus crearetur caeperit. Sic decisum pet Sacram Congregationem refert *Riccius decis.* 110. *Garsia par.* 2. *cap.* 5. *num.* 83. *Fornarius de ordine*, *cap.* 5. *Augustinus Barbos. allegat.* 5 *nu.* 8. quia *Trident.* absolutè dat Episcopis facultatem ordinandi, nec limitat, an antea caeperat triennium, an non, ergo, sequitur idem *Barbos. d. cap.* 33. *num.* 49. Appellatione familiarium in hac materia veniunt illi, qui cum Episcopo commorantur, & praesentes serviunt; non verò illi, qui absunt, quamvis stipendiis Episcopi vixerint, *Bonacina*, & alij apud *Barb. & Marchin. locis citatis*, quia quando est absens, nullam oculatam cognitionem habere potest Episcopus de eo ergo.

Et talis facultas, quam habet Episcopus est ei concessa cum onere dandi, quam primum beneficium, *Barb alleg.* 5. quod verbum, *Quàm primum*, intelligit *Vasquez* 3. *tom. in* 3. *par disp.* 243. *num.* 49. quàm primum vacaverit, quae expositio est nimis ampla, nam Sacra Congregatio decidit suisse collationem beneficij factam ab Episcopo in undecimo mense contra formam *Trident.* apud *Basilium lib.* 4 *de resignat. beneficij*; *q.* 2. *num.* 92. & apud *Garsiam par.* 2. *cap.* 5. *num.* 85. & alia facta post sex menses fuit judicata contra formam *Trident.* in nostra Curia Archiepiscopali, apud *Riccium decis.* 308. & apud *Molsesium in summa tract.* 2. *cap.* 2. *num.* 9. *& Zerola in praxi*, *par.* 1. §. *dimissoriae*, *& par.* 2. *in verb. ordo*, *& ead. Rota decis.* 222. apud *Farinaccium*, *& part.* 1. *diversf. dec.* 371. quare verbum, *Statim*, *& quamprimum*, putant DD. non excedere decem dies post elapsum triennium, & factam ordinationem, *Marchinus d. cap.* 9. *num.* 8. qui plures refert, qui etiam advertunt, quod si Episcopus suo familiari statim conferat beneficium, poterit eum ordinare etiam non elapso triennio, quia ordinaret eum tanquam subditum propter beneficium; ideò triennalis familiaritas dat justum titulum ordinandi ante collationem beneficij, sed post beneficium collatum non requiritur ex necessitate triennalis familiaritas, *Sanchez in Opusculis tom.* 2. *dub.* 20. *num.* 24. *Diana par.* 4 *tract.* 4. *resol.* 145. *in fine. Marchin. d. cap.* 9. *num.* 8.

Quando verò de beneficio dicit *Trident.* statim esse conferendum, intellige, tam de minoribus, quàm de prima tonsura *Barbos. alleg* 5. *num.* 11. declaravit sacra Congregatio, apud eundem *Barbos. d. cap.* 9. *sess.* 23. & potest Episcopus huic familiari dare etiam litteras dimissoriales, non tamen potest dispensare ab interstitiis, neque licebit sam liarem praedictum dispensare, quo ad natalia, *Barb. & Grat.* ubi supra, licet & melius putet *Diana de Sacram. resol.* 190. Ad titulum pensionis, vel patrimonij pro Ecclesiae suae utilitate, vel necessitate posset Episcopus talem familiarem ordinare *Barb. Grat. Vasqu.* & alij, ubi supra, dummodo conferat statim beneficium, quia titulus patrimonij, vel pensionis non sufficit, ad hoc *March. num.* 15.

Extendi-

Extenditur prædicta facultas ordinandi familiares triennales, etiam ad familiares, seu officiales Papæ, & familiares Cardinalium, & ad familiares Episcoporum Romæ residentium: sic servatur in praxi Barb. alleg 5. in fin. extenditur secundo, ad familiares, seu famulos familiarium Episcopi, qui expensis vivunt Episcopi, Sanch. in Opusc. lib. 7. cap. 1. dub. 20. num. 24. Dian. par. 4. tract. 4. resol. 144. quia privilegium concessum familiaribus, extenditur semper ad servos eorum. Marchin. d. cap. 9. in fin. Tertio extenditur, ut nomine familiaris veniat in præsenti Magister Curiæ Episcopalis, Ricc. collect. 596 Gratian. dec. 233. Barb. allegat. 5. n. 18. Ut autem quis sit familiaris, requiritur mens, & dens, idest quod destinatus sit ad certum aliquod officium, & quod, vel comedat in Tinello, vel recipiat portionem in pecunia, etiam extra domum Barbos. alleg. 5. Farinac. decis. 184 par. 1. ubi latè agit quando quis dicatur familiaris, & quando non.

Restringitur dicta facultas in Episcopis titularibus, quia isti, ut potè carentes jurisdictione, non possunt familiares suos ordinare, Trid. sess. 13. cap. 2. Marchin. num. 16.

De effectibus Sacramenti Ordinis.

SCiendum est primò, hoc Sacramentum Ordinis conferre gratiam, quia est unum ex septem Sacramentis, ergo confert gratiam, Arg. loc. Trid. sess. 7. de Sacram in genere, can. 8. quæ gratia causatur in eo instanti, quo traditur principalior materia, puta in Diaconatu, & Præsbyteratu, quando Episcopus manus imponit dicendo *Accipe Spiritum Sanctum, &c.* non secus, ac Apostoli faciebant erga septem illos Diaconos, qui imponebant manus super eos, & accipiebant Spiritum Sanctum, quod idest est, ac recipere gratiam sanctificantem, & colligitur ex Paulo 2. ad Thim. cap 2. ibi, *Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum*, & ex illo ad Tim. 4. *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum Præsbyteri*: & tandem patet, quia aut verba illa, *Accipe Spiritum Sanctum*, faciunt quod significant, vel non faciunt, ergo tunc causant gratiam, si non faciunt, ergo essent frustatoria, quod nefas est dicere, & sic impositione manuum facta, quæ est vera materia Diaconatus, & Præsbyteratus, confertur gratia: & licet liber Evangeliorum sit materia Diaconatus, tamen est materia secundaria, & licet esset primaria, tamen posset dici imprimi characterem, sed gratiam infundi in manuum impositione, & ob hanc causam fortasse Episcopus primo manuum imponit super ordinandum, & deinde librum Evangeliorum illi tradit: sed in præsbyteratus collatione Episcopus primo tradit calicem cum hostia, deinde manum imponit dicens. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis, &c.* & in prima operatione est probabile imprimi priorem characterem, scilicet potestatem conficiendi corpus Christi, in secunda operatione imprimitur potestas remittendi peccata, quæ est realiter distincta à præcedenti potestate: & simul etiam infunditur gratia habitualis, quæ necessario illa verba significant, *Accipite Spiritum Sanctum*, ità Marchin. par. 3. cap. 2. in fine.

Sciendum secundo est, Sacramentum Ordinis in ordinato disposito, prout de confirmatione, matrimonio, & aliis dicimus: remittit ex opere operato peccata venialia, S. Thom. 3. par. quæst. 87. art. 3. Sot. in 4. dist. 5. q. 2. art. 3. quia si hunc effectum habent Sacramentalia, longè magis habebunt Sacramenta, in quorum remissione obtinenda, requiritur aliqua retrotractio, vel attritio, quæ cum Sacramento remittit talia venialia ex opere operato, S. Th. 3. par. q. 87. art. 1. Sot. tamen ubi supra dixit, sine ulla retractatione remitti talia venialia. Alius ordinis effectus est character, ad quem principaliter causandum est Sacramentum Ordinis institutum licet secundario ad gratiam causandam habitualem, ut latè Marchinus ubi sup. cap. 5. qui character est physica potentia activa, & realis causalitate producens. S. Th. 3. p. q. 63. art. 2. Cajetanus, & omnes S. Thom discipuli, & character unius non supponit characterem alterius ordinis de necessitate Sacramenti, sed solùm de necessitate præcepti DD. in cap. sollicitudo d. 52. & in cap. unico, de Cleric. per saltum promot. Theologi in 4. dist. 31. nam solus Baptismus est, qui, ut pote janua omnium Sacramentorum, prærequiritur essentialiter ad alia Sacramenta. Character tamen Episcopalis de necessitate Sacramenti supponit characterem Sacerdotalem: legea Marchin. ubi sup.

TITULUS IX.

De Sacramento Matrimonii.

VIsum est suprà de omnibus Sacramentis, tàm necessitatis, quàm etiam de voluntario, puta de ordine, videndum erit de alio etiam voluntario, scilicet matrimonio: meritò ponitur hic titulus. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quod de matrimonio acturus, ejus laudes recensere oporteret argum. l. 1. ff de minorib. & l. 1. ff. si cert. pet. sed remitto videndas apud Justinianum novell. 2. in princip. novell. 39. in proem. & Imperator Justinian. minor novell 2. in princip inter novellas Justiniani 140. quam Cujacius, adscribit Justino 2. multa de matrimonio dicit. Videatur etiam Leo Imper. novell. 3. & S. Ambrosius relatus in cap. Nuptiæ 32. qu. 1. ait, *nuptiæ terram replent, virginitas Paradisum*; significat verò matrimonium interdum bona materna, ut ex Seneca, Valerio Maximo, & aliis probat Barcolten. Instit. de nupt in princ. num. 1. in materia vero nostra significat maris, & fœminæ conjunctionem, & interdum dicitur conjugium, l. d Caligato milit. C. de nupt. quia duos sub eodem jugo conjungit: dicitur à matre, tum quia ideò mulier nubit, ut mater fiat: Augustinus libr. 19. contra Manicheos cap. 26. quod antea dixerat Agellius lib. 18. cap. 6. vel quia certa mater est, non sic pater, ut ex Homero, probat Covarruvias 2. part. de matrim. cap. 1. mater enim semper est certa, licet vulgo concipiat, l. 5. ff. de in jus vocand. cùm patet incertus sit; l. filium, ff. de his, qui sunt sui, vel alieni juris. Sponsalia in jure vocantur interdum matrimonium Covarr. par. 1. cap. 1. undè sponsus accipitur interdum pro marito Rota, apud Seraphinus dec. 240. Dicitur etiam connubium sine nuptiæ quasi à nubendo, eo quod olim velamine tegebantur conjuges, cum benedictionem, accipiebant, ut ex Genesi cap. 20. colligit text. in cap. nec illud 10. quæst. 5. & Genesi 24. vers. 65. & cap. 38. vers. 14. Vessembechius in Paratitlis, de ritu nuptiarum, undè non

rarò

raro nuptiæ, & matrimonium, ut diversa ponuntur, & si adversus, *in verbis neque nuptiæ, neque matrimonium instit. de nuptiis, Cujacius lib. 6. observat. cap. 32. Bercolten. instit. de nupt. Hugo Donell. lib. 13. comment. c. 8. Petr. Greg. lib. 9. Synthagm. cap. 1.*

Sciendum est secundo, quod matrimonium est legitimus, & indissolubilis contractus inter virum, & fœminam, quo traditur, & acceptatur mutuorum corporum potestas, & confertur gratia sanctificans, *Bonac. de matrimonio in princ.*

Dicitur (legitimus contractus) nam si celebretur non servatis legibus, circa eum disponentibus, non valet.

Dicitur (indissolubilis) quia non potest dissolvi, si semel sit contractum, quod enim Deus conjunxit, homo non separet.

Dicitur. Quo mutua corporum potestas traditur, & acceptatur, ut ostendatur materia, & forma hujus Sacramenti.

Dicitur, (& confertur gratia sanctificans) ut ostendatur effectus hujus Sacramenti.

Ex qua definitione intelliges *text. in cap. illud quoque, de præsump. & in cap. 2. 27. q. 2. & in §. nupt. Instit. de patr. potest. & in l. 1. ff. de ritu nupt. §. 1. instit. de nupt. & in l. 1. ff. de ritu nupt. l. s. ff. de jure dot. Cujacius in princip. justit. de nupt. Duarenus ad tit. ff. sol. matrim. de nuptiis, cap. 1. & in l. 4. Cod. de crim. expil. hæred.* Imperator Gordianus vocat mulierem nuptam divinæ, & humanæ domus sociam, ubi vocat sociam, ad ostendendum nexum indissolubilem, undè à societate ad matrimonium argumentatur *Summ. Pont. in cap. 3. de sponsalib.* dicitur etiam uxor humani viri, sive humanæ domus cum marito, quia uxor sequitur domicilium, & forum sui mariti in *l. cum quadam 5. ff. de jurisdict. omn. judic. l. ea quæ, ff. ad municip. l. fin. Cod de incolis, lib. 10. l. mulieres, C. de dignit. lib. 12.* & omnem dignitatem à marito accipit, *d l. mulieres, l fœminæ, ff. de Senator.* eamque vidua retinet, donec transeat ad secundas nuptias, *d. l fœminæ, l. 1. §. filii, ff. ad municip. Petr. Gregor. lib. 9. cap 4 nu 6.*

Sciendum est tertiò, matrimonium, quod dicit contractum, fuisse in Paradiso institutum, vel à Deo immediatè in illis verbis, *Crescite, & multiplicamini, Genes. c. 1. Sanch. de matrim. lib. 2. disp. 4.* vel in illis verbis, *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile*; ibi, ut putat *Rebell. lib. 2. de obligat justit. q. 1. n. 10.* vel, ut alii volunt, fuit à Deo institutum non immediatè, sed mediante Adamo, cum ex divina inspiratione pronunciavit illa verba: *Hoc nunc os ex ossibus meis, &c.* ità communiter Doctores quos sequitur *Basil. Pont. lib. 1. de matrim. cap. 3.* & illis verbis Adami consensus exprimitur, sine quo matrimonium constare non potest, cui verisimile est, quod Eva aliis similibus verbis responderit, quibus suum consensum indicaret, & sic intelligitur *Triden. sess. 24. de matrim. c. unico,* & sic intelligitur locus *Matth. cap. 19. Quod Deus conjunxit, &c.* & *Honorius in Tertius in fin. de frig. & maleficiat.* ubi Deus vocatus matrimonii auctor, & in *capit. unico, de voto in 6.* ubi idem dixit *Bonifac. Octavus*, ibi enim institutionem vacat factam à Deo, scilicet celebrationem ipsius, nam immediatè ab Adamo, & Eva fuit celebratum, & institutum: matrimonio jam contracto subjunxit Deus benedictionem, *Crescite, & multiplicamini*, licet per anticipationem dicta sit à Moyse *Genes. cap 1:* Adfuit præceptum contrahendi matrimonium de jure naturali pro propagatione generis humani, hodie tamen non est præceptum, quod singulos obliget ad matrimonium contrahendum, ut contra hæreticos latè probat *Bellarmin. lib. 2. de Monachis, cap. 30. & 32. Periurus in Genesi lib. 4.* in illa verba, *Crescite, & multiplicamini, & Christus Matth. 19.* ait, *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est, & Paulus 1. ad Corinth.* ait, *Bonum est si sic permanserit, sicut, & ego.* Aliqui tamen dicunt, cessasse ante diluvium; ità *S. Bonaven. in 4. dist. 26. art. 1. q. 3.* Alij dicunt, in lege Evangelica, alij dicunt præceptum extare, sed non obligare singulos, sed communitatem tantum, communiter Doctores, apud *Rebell. loc. cit. q. 2.* ego dico extare præceptum etiam nunc circa singulos, sed cessavit ejus obligatio, quod extet, patet, quia est de jure naturali, sed jus naturale est immutabile, ergo, quod cessaverit obligatio patet, quia tale præceptum non obligat absolutè, sed sub aliqua circumstantia, quæ si desit, cessat obligatio, ut est præceptum reddendi depositum, obligat enim sub aliqua circumstantia, sic servandi honorem, sic præceptum de matrimonio contrahendo, obligat sub ea circumstantia, si adsit necessitas propagandi genus humanum, qualis initio fuit, quæ cum cessaverit, cessavit etiam obligatio præcepti: multiplicato enim humano genere non est cur dicamus, singulos obligari, ut benè *Pontius ubi sup. cap. 4. lib. 1. nu. 8.* & sic colliges veritatem *Trid sess 14 cap. 9. & 10. Paulus 1. Corinth. c. 7.* ait *de Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do,* & postea subdit, *qui in matrimonium jungit Virginem suam, bene facit, qui autem non jungit, melius facit.*

An verò deficientibus hominibus sæcularibus, & tantum remanentibus religiosis, isti tenerentur contrahere matrimonium? disputant curiosè magis, quàm utiliter recentiores. Negant eo casu teneri *Basilius lib. 1. cap. 4. num. 11. Vasquez disp. 1. de matr cap. 3. Ledesma q. 41. de matrim. ar. 2. Rebellius par. 2. lib. 2. q. 2. Sylvius in 3. par. q. 41. art. 2. concl. 2.* putantes Mundi jam finem instare, & ideò non esse necessarium contrahi matrimonium à religiosis, ut per illos genus humanum restauretur. Sed ego affirmativam sequor opinionem. quam tenet *Sanchez tom. 1. lib 2. disp. 3. Reginald. Villalob.* & alii, quos sequitur *Diana par. 3. tract 4 resolut. 289.* & ratio est, quia orgenre necessitate obligatur, quis contrahere matrimonium, sed in nostro casu urget necessitas juris naturalis, propagationis scilicet generis humani, ergo. Neque seclusa Dei revelatione finem Mundi adesse præsumere debemus, & notant *Sanchez, Reginald. Diana, & Pontius.* locis citatis, posse etiam nunc occurrere casum, in quo aliquis religiosus teneretur matrimonium contrahere, ut quando sequeretur seditiones, & bella, nisi filius Principis uxorem duceret, vel hæres Regni, tunc enim tenetur ex præcepto matrimonium facere, quia tenetur subvenire suæ Reipublicæ incommodis, *Ledesma*, & alii loc. cit.

Sciendum est quartò, matrimonium in Sacramentum fuisse elevatum, & institutum à Christo Domino, & inter septem Ecclesiæ Sacramenta numerari de fide est. *Trident. sess. 7. can. 1. & cap. 1. & 24. cap. unico, can. 1. cap. ad abolendam de hæretic.* neque in matrimonio pro gratia datur dos, ut malè argumentantur hæretici, sed datur pto oneribus matrimonii,

sicut in Sacramentis solet dari pæcunia pro alimentis ministrorum, *S. Thom* 22. q. 100. ar. 2. Quando verò fuerit elevatum matrimonium ad rationem Sacramenti non constat apud Doctores, sed ex communi traditione Ecclesiæ, sic colligitur, ut benè *Basilius lib.* 1. *cap.* 6. Undè nota, quod matrimonium infidelium est contractus ordinatus in conservationem naturæ humanæ, & in remedium concupiscentiæ, non tamen est Sacramentum, cum careant baptismo, *cap. veniens, de Cleric. non baptizat.* & licet ibi Summus Pontif. dicat, Eucharistiam, & matrimonium posse recipi à non baptizatis, tamen mens Pontificis non fuit, ibi ea definitivè loqui, sed tantum id adduxisse pro parte dubitabili quæstionis propositæ quod facilè patet, non probatum fuisse à Papa ibi, quia determinat iterum baptizandum, & ordinandum, & in *cap. Gaudemus de divortiis*, cum dicitur Sacramentum conjugij apud fideles, & infideles existere, intelligitur impropriè, & largè, id quantum aliquo modo designat tale matrimonium unionem Christi cum Ecclesia, licèt impropriè, quia fide carent, *Sanchez lib.* 2. *disp.* 8. quicquid impugnet *Basilius d. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 6. *in fin.*

Si verò contrahatur matrimonium fidelis cum infideli, ex Pontificis dispensatione, tunc putat *Bonacina tom.* 1. *de matrim. q* 2. *par.* 2. *nu.* 3. esse Sacramentum ea parte fidelis, non vero ea parte infidelis, *Sanchez* vero *lib.* 2. *disp.* 8. *Coninch. q.* 64. *ar.* 8 *dubit.* 3. *Basil.* ubi suprà, & alii apud eum putant, non esse Sacramentum ex nulla parte, quia non potest Sacramentum claudicare, sed ex parte infidelis non est Sacramentum, quia deest baptismus, ergo neque ex parte fidelis.

Si verò curiosè quæras, quando infidelium matrimonium efficiatur sacramentum?

Respondeo, verissimum esse, non debere infideles denuò coram Parocho, & testibus contrahere, quia *Trid. sess.* 24. *cap.* 1. eam formam præscripsit pro nuptiis contractis inter fideles; qua veritate posita, putant *Sanchez lib.* 2. *disp.* 9. & alij apud eum fieri Sacramentum tale matrimonium, quando recipiunt infideles prædicti baptismum, quia matrimonium infidelium est Sacramentum non actu, sed habitu: alii dicunt, quod fiat Sacramentum, quando novus consensus per signa aliqua externa intervenit post baptismum, quia non potest dari novum sacramentum sine nova materia, & forma, sed in baptismo non adest materia, & forma, Sacramenti matrimonij, ergo requiritur nova forma scilicet novus consensus, vel saltem prioris ratificatio, quæ tamen ratificatio, seu novus consensus non coram Parocho necesse est, ut habeatur, quia *Trident.* solum requirit Parochum, & testes, ut contractus validè celebretur, sed contractus infidelium validè fuit celebratus, ergo sat est expressio consensus novi, vel ratificatio prioris, qua posita confertur gratia Sacramentalis ad ritè obeunda munera conjugalia, Doctores communiter apud *Bonac. d. q.* 2. *de matrim. par.* 2.

Sed *Basil. Pont. lib.* 1. *de matrim. cap.* 9. *nu.* 8. *Vasq. Coninch.* & alii, quos sequitur *Diana p.* 3. *tract.* 4. *res.* 153. dicunt, non posse fieri verum sacramentum etiam si postea baptizentur, & ratio est, quia matrimonium est essentialiter contractus inter baptizatos initus, qui hic nullo modo poni potest, nam neque contractus præteritus fuit factus inter baptizatos, neque tales possunt ullo modo de novo contrahere matrimonium, quia non possunt sibi mutuo corpora tradere, nemo enim potest alteri tradere, quod non est suum, & quia neuter habet jam potestatem proprii corporis. Apostolus 1. *Corinth. c.* 7. ergo non possunt ea sibi mutuo tradere.

Explicatur quæ sit materia, & forma Sacramenti matrimonii, & quis sit minister ejus?

Quoad primum dico, materiam Sacramenti hujus remotam esse corpora contrahentium, proximam traditionem ipsam: formam vero dico esse verba conjugum contrahentium, *Layn. lib.* 5. *tract.* 10. *p.* 1. *c.* 2. *Basil. lib.* 1. *c.* 7. *nu.* 12. Probatur, quia nomine materiæ intelligitur aliquod indeterminatum, sed corpora conjugum, utpote indeterminata determinantur per mutuum consensum, ergo corpora se habent per modum materiæ, & verba contrahentium per modum formæ, & hæc eadem est materia matrimonii, ut Sacramentum est, & forma ejusdem Sacramenti, nam Christus Dominus non immutavit naturam hujus contractus, sed tantum eam elevavit ad esse Sacramenti *Basil. lib.* 1. *cap.* 7. *in fin.* quicquid dicat *Diana p.* 3. *tract.* 4. *res.* 251. Si verò inter absentes celebretur matrimonium per procuratorem, per epistolam, vel per Nuncium, habet rationem contractus, & Sacramenti, *cap. honorantur* 32. *q.* 2. *c. fin. de procurat. in* 6. *Basil. lib.* 1. *c.* 10. *nu.* 3. in quo matrimonio celebrato inter absentes, & per Procuratorem, tunc nec procurator, est minister, nec verba ipsius sunt materia, & forma, procurator tamen est conditio, sine qua non, ità *Sanchez tom.* 1. *lib.* 2. *disp.* 11 *q.* 4. *num.* 28. *Basil. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 6.

Quoad secundum dico, quod minister hujus Sacramenti sunt ipsi contrahentes, sive sumatur quoad contractum, sive quoad Sacramentum. Est contra multos dicentes, Sacerdotem esse ministrum hujus Sacramenti, si sumatur quoad Sacramentum, quos impugnant *Diana par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 254. & *Basilius lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 10. Ratio autem, quare Sacerdos non sit minister, sed ipsi contrahentes, ea est, quia matrimonium Clandestinum, quod ante *Concil. Trid. sess.* 24. *cap.* 1. celebrabatur, erat verum matrimonium, & Sacramentum, ut constat ex ipso *Trident.* Et tamen non aderat Sacerdos, ergo ipse sacerdos non est minister hujus sacramenti. Confirmatur hoc ipsum, quia illi sunt ministri Sacramenti matrimonii, qui sunt ministri contractus, sed ministri contractus sunt ipsi contrahentes, ergo ministri matrimonii sunt ipsi contrahentes.

Ex quo infertur, sacerdotem assistentem matrimonio in peccato mortali, non peccare mortaliter, quia nec ministrat, nec conficit Sacramentum, contrahentes verò in peccato mortali, peccant solùm, ut contrahentes, non ut ministri, quia non sunt ministri essentialiter deputati, & consecrati ad hoc, ut diximus cum de Sacramentis in genere, quicquid dicat *Basil. lib.* 1. *c.* 8. qui dicit duo peccata committere, quod falsum est; si verò contrahentes nollent matrimonium recipere sacramentum, sed solum, ut contractum, valet, ut matrimonium, & contractus, sed non ut sacramentum, ut contra *Sanchez lib.* 2. *disp.* 10. & alios tenet *Basilius lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 3. quia deficit intentio conficiendi Sacramentum; inter absentes verò matrimonium si fiat habet rationem contractus, & rationem Sacramenti, *Sanchez lib.* 2. *disp.* 11. *Diana par.* 3. *tractat.* 4. *resol.* 250. qui etiam notaut, diversitatem sexus in hac materia esse impertinentem, undè fœmina poterit pro viro matri-

matrimonium contrahere, & dicta procuratio non est necesse ut fiat coram parocho, & testibus, licet prædictum matrimonium coram eis sit postea faciendum; & quod de matrimonio dicitur contracto per procuratorem, dicas de matrimonio contracto per litteras, *Barbos. in collect. tom. 5. causam. 30. q. 5. cap. illud.* Ex quo collige, quod si aliquis contraheret matrimonium sine intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non reciperet rationem Sacramenti, sed putam rationem contractus, *Diana d. par. 3. tract. 4. resol. 255.*

Explicatur, quomodo matrimonium sit indissolubile.

CUm verum sit de fide, matrimonium esse indissolubile de jure naturali, & Divino, *cap. fin. de condition. appositis*, ex quo pacisci non possunt conjoges ad tempus matrimonium duraturum, videndum est solum, de quo jure talis indissolubilitas in matrimonio adsit, unde,

Dico primò, matrimonium est indissolubile de jure naturali, & divino, *S. Th. 3. contra gen. cap. 222.* ità *Basil. lib. 1. cap. 12. & 13.* Ratio est, quia lumine naturæ videmus, quod posita indissolubilitate matrimonii, conjuges mutuum fovent amorem, & magis fugiunt adulterii occasiones, & se se invicem diligunt, ergò indissolubilitas est de jure naturali.

Dico secundò, matrimonium est etiam indissolubile de jure divino, quando est consummatum, ità colligitur *Matth. cap. 9. Quod Deus conjunxit, homo non separet, & ad Corinth. 1. cap. 7.* ait, *His, qui in matrimonio conjuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere*, & multas alias scripturas refert *Sanch. lib. 2. de matr. disp. 13.* quas omnes intelligit cum omnibus Theologis de matrimonio consummato, undè matrimonum infidelium consummatum est indissolubile de jure Divino, quia lex Dei obligat omnes, & licet dissolvatur, si alter tantum convertetur ad fidem, id tamen contingit ex Christi dispensatione, explicata per S. *Paulum 1. ad Corinth cap. 7.* ut dicemus, cum de impedimento disparitatis cultus.

Ex quibus primo infertur matrimonium indissolubile de jure Divino, cum scilicet jam consummatum est, repræsentare unionem hypostaticam Verbi cum natura humana, quæ unio, quia est indissolubilis, facit, ut indissolubile, etiam censeatur matrimonium consummatum; undè nec Summus Pontifex dispensare in eo poterit; quando verò matrimonium est tantum ratum, & non consummatum, tunc repræsentat unionem Christi cum Ecclesia, quæ unio licet sit inseparabilis respectu totius Ecclesiæ, tamen respectu singulorum hominum est separabilis, nam de facto separatur à multis, amissa charitate per peccatum, ità *Innocentius Tertius in cap. debitum de Bigamis, Basilius lib. 1. de matrim. cap. 11.*

Infertur secundò, matrimonium ob adulterium dissolvi non posse, nam ad *Romanos 7.* habetur, mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit, ergo vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.

Neque obstat auctoritas *Matth. 5. & 19.* ubi habetur, qui uxorem suam dimiserit, nisi ob fornicationem, facit eam mæchari, ergo potest matrimonium ob fornicationem dissolvi.

Respondeo enim, ibi loqui Evangelium de divortio, quasi quod ob adulterium solum dari possit divortium, ut infrà dicemus cum de divortus.

Infertur tertiò, posse Summum Pontificem dispensare in matrimonio rato, ut dissolvatur, secus in consummato, ut de facto dispensarunt aliqui Summi Pontifices, undè *Navarr. cap. 22.* tefert ter, vel quater ad petitionem suam Paulum Tertium, & Pium Quartum dispensasse, & Gregorius Decimus Tertius, unica die cum undecim dispensavit, & licet opinionem contrariam defendant multi Doctores, non posse scilicet Papam dispensare, & probabile putat speculativè loquendo, *Basilius lib. 9. cap. 3.* verius est posse dispensare, ut communiter tenent Theologia alij recentiores, & Canonistæ communiter apud *Sanchez lib. 2. disp. 14.* & apud *Basilium ubi supra cap. 3.* Matrimonium etiam infidelium quamvis consummatum, neque potest per Pontificem solvi, quia pontifex non habet potestatem supra contractus subditorum, neque dum ipsomet factos, *argum. cap. quod nostrum, de regulis juris, & cap. conventior 23. q. 8.* Neque habet Summus Pontifex potestatem in infidelea, quia de his, qui foris sunt, nihil ad nos. Neq; poterit dispensare, si consummatum sit ante baptismum, & nerq; postea ad fidem converticur, quia rè vera sunt facti una caro, vel si unus solum convertitur, altero remanente in infidelitate, *Pontius lib. 9. cap. 2.* facit *textus in cap. nunquid 28. q. 1. cap. si quis 28. q. 2. cap. gaudemus de divortiis, cap. quanto, de divortiis.*

Explicatur, quotuplex sit matrimonium.

REspondeo primò, quod matrimonium aliud est spirituale, aliud carnale; spirituale contrahitur ad effectus spirituales producendos, & exemplificatur primò inter Prælatum, & Ecclesiam, *cap. inter corporalia, de translat. prælatorum*, Secundò, inter Deum, & animam gratam sibi, quia qui adhæret Deo, unus spiritus efficitur cum eo. Tertiò, inter Religiosos, & Religionem, per votum, quod emittitur, *cap. cum ad Monasterium, de statu Monachorum*; matrimonium verò carnale est, quod ordinatur ad prolem procreandam.

Respondeo secundò, quod matrimonium aliud est putativum, aliud verum, de quibus *Barb. in collect. ad decretales in tit. de sponsalib. in princ.*

Sunt autem multæ differentiæ, & convenientiæ inter utrumque matrimonium. Primò enim sicut maritus carnali tenetur habitare cum uxore carnali, *cap. 1. & 2. de conjugio leprosorum*, de jure divino, & naturali simul, *Sanchez lib. 9. disput 4. de matrim. Barb. in d. cap. 1. de conversione leprosorum*, ità etiam maritus spiritualis residere tenetur in propria Ecclesia, *cap. conquerente, & toto titulo de Clericis non residentibus*, Notat tamen *Barb. cum aliis d. cap. 2.* quod potest uxor negare debitum marito ob morbum lepræ, ubi judicio medicorum notabile timeret infectionis periculum, quod ipsum dicunt de morbo gallico, sequitur *Bonacina q. 4. de matrim. punt. 1. n. 8.* sed sublato periculo infectionis, vel morbi gallici tenetur reddere. Secundo conveniunt utrumque matrimonium, quia sicut pater tenetur filiam in carnali matrimonio dotare, *l. ultima, C. de dotis promissione*, ità tenetur dotare filiam monachandam, *DD in d. l. fin.* Tertiò, quia sicut tenetur maritus carnalis ad onera matrimonii, *l. pro oneribus C. de iure dotium*, ità maritus spiritualis tenetur ad onera suæ Ecclesiæ, *cap. 1. & 2. de custodia Ecclesiæ*, ubi DD.

Differunt verò inter se matrimonium carnale, & spirituale, quia dos, quæ datur in matrimonio carnali, debet dari secundum quantitatem patrimonii,

monii, & personæ qualitatem, ot in Regno nostro est Constitutio, quæ incipit, *In aliquibus.* Dos verò, quæ traditur in matrimonio spirituali, debet esse secundum consuetudinem loci, ubi ingreditur puella, *Francus dec.* 44. *Molfes. ad consuetud. par.* 2 *q.* 7. *& par.* 3. *q.* 8. qui etiam addit, quod quando pater assignat dotem filiæ moniali, satis est, ut assignet illam portionem, quam solent Monasterio dare omnes moniales illius loci, nec potest talis monialis petere aliud paragium, & ratio hujus est, quia moniales non indigent tanta dote, ac si nuberent in sæculo seipsam, virum, & filios alere tenetur ex fructibus dotis, in Monasterio verò solùm agitur de alimentandis mulieribus; undè dos monialium potest esse minus legitima, & minus paragio, quod mulieri debetur, si nuberet sponso terreno, & eo ipso, quod filia dotatur à parte, non potest aliquid aliud petere pro paragio, ut refert decisum *Merlinus controv. for. cap.* 3.

Differunt etiam matrimonium carnale, & spirituale, præsertim in Regno nostro, quia quando Barones volunt maritare filiam in matrimonio carnali, tenentur Vassalli per constitutionem Regni, quæ incipit *Quamplurimum*, dare quinque carolenos pro quolibet foculari; at verò si tractetur de monachanda, traduntur grana 25. quod tamen non tenentur facere Vassalli, quando tempore professionis non essent subditi, licet tempore ingressus tales fuerint, *Francus dec.* 42. Immò tale adjutorium tenentur præstare Vassalli, quamvis Baro maritaret sororem, etiamsi de bonis propriis eam dotare posset, *Capiblancus in prag.* 1. *de Baronib.* immò etiam si Baro solverit dotem à patre relictam suæ sorori, adhùc Vassalli tenentur, *Molfes. par.* 4. *q.* 16. *& par.* 6. *qu.* 4. *Novarius in pragm.* 1. *de Baronibus.*

Tertiò differunt, quia si apponatur conditio (si non nupserint) intelligitur de matrimonio carnali, non autem de spirituali, *Auth. hoc locum, C. si secundo nupserit mulier.*

Respondeo tertio, quod dividitur etiam matrimonium, quod aliud sit legitimum, aliud ratum, aliud consummatum; consummatum enim est, quod jam carnalis copula consummavit; legitimum dicitur, quod juxtà leges est contractum, undè infidelium matrimonium legitimum dicitur. Ratum dicitur, quod est signatum Sacramentô fidei, sive quod est in baptizato, & habet eam conjunctionem, & significationem Christi cum Ecclesia, *cap. quanto de divortiis.* Caveas à *Gratiano in cap. quod autem, & in cap. institutum* 27. *q.* 2. qui ait, non esse verum matrimonium ante consummationem, cum falsum dicat, quia in statu innocentiæ fuit verum matrimonium, & tamen copula non fuit, ergo, &c. & facit *tex. in cap. cum initiatur, & cap. conjux, cap. conjuges* 27. *q.* 2. undè collige, quod copula, neque ad essentiam, neque ad veritatem, neque ad perfectionem integralem matrimonii pertinet, sive matrimonium consideretur, ut contractus, sive ut Sacramentum; quia usus rei traditæ in nullo contractu pertinet ad essentiam, vel integritatem contractus.

Dices, obstat *text. in cap. non est dubium* 27. *q.* 2. *& in cap. cum societas, & in cap. in omni, cap. quipropter, cap. si quis eodem q.* in quibus juribus indicatur, vel matrimonium sine concubitu non esse, vel saltem ante copulam esse imperfectum, & perfici conjunctione prædicta.

Respondeo *text. in d. cap. non est dubium* apud S. *Augustinum*, non extare, ut notat *Sotus in* 4. *dist.* 26. *q.* 2. *art.* 4. *in fine*, *textus in cap. cum societas*, extat apud *Leonem*, quod correctum habetur *in epist.* 90. *&* 92. *ad Rusticum*, quem tamen *textum*, cum aliis intelligunt DD. quoad unitatem Christi cum Ecclesia, quæ perfectè repræsentatur in conjugio consummato, non verò ante consummationem, licet aliter conetur respondere, *Basil. Pontius lib.* 1. *de matrim. cap.* 16.

Sciendum tamen est, consensum requiri essentialiter in matrimonio, & quidem externus esse debet, cum matrimonium sit Sacramentum rebus sensibilibus constatum, non tamen opus est, ut exprimatur verbis, sed sat est nutu exprimi: neque sufficit, regulariter loquendo, taciturnitas, quia taciturnitas non habetur pro expressione consensus, qui enim tacet, neque consentire, neque dissentire videtur, *cap. is, qui tacet, de regul. jur. in* 6. ideò non valet matrimonium, quando puella tacet, licet interius consentiat, ex quo mutua, & surdus à natura potest matrimonium contrahere, *Sanchez lib.* 1. *nu.* 12. *argum. cap. cum apud, de sponsalib. Guttierez de matrim. cap.* 8. *Molina de ritu nuptiarum lib.* 1. *comparatione* 31. *Ripolla variar. resol. cap.* 18. *num.* 207. *Naldus in summa, in verb. mutus, Hurtadus de matrim. disp.* 3. *diffic.* 3. *num.* 8. quia signis poterit id explicare, sequitur *Diana par.* 5. *tract.* 6. *resol.* 9. si verò esset simul mutus, surdus, & cæcus, putant Canonistæ, quod posset etiam contrahere, *Cevallos, Guttierez, Angelus, Abbas*, & alii apud *Dian. ubi supra resolut.* 10. contrarium tamen docet *Sanch. Ripolla, & Diana ubi supra, cum Basilio lib.* 2. *cap.* 12. *nu.* 16. quia deest in hoc casu modus, quo possit percipere est, quod facit, ergo non potest contrahere, nam quando non est cœcus, potest edoceri ad agendum.

Sunt tamen in matrimonio tria: Primum vinculum conjunctionis, quatenus transfertur corpus ab uno alteri in plenum dominium, & probitatem, deserviens ad usum, & conjugalem consuetudinem quæ dominii translatio distinguitur ab usu corporis, ut in omnibus rebus est invenire translationem dominii, & proprietatem simul cum usu, & sic secundum quod consideratur in matrimonio, est usus copulæ. Tertium est cohabitatio in eadem domo. Primum est de essentia matrimonii, Secundum, & Tertium minimè, *Basil. lib.* 1. *cap.* 17. non tamen requiritur in matrimonio consensus expressus, vel tacitus ad copulam, sed solùm ad essentiam requiritur, quod sit mutua animorum conjunctio in individuam vitæ societatem, cum diversitate sexus.

Undè infertur ad matrimonium, contractum inter B. Virginem cum S. Joseph de quo matrimonio est, *textus in cap. Beata Maria* 27. *q.* 2. quem *textum* allegat *Gratianus ex operibus, S. Augustini*, sed re vera est ab illo confectus, & in Augustini operibus non reperitur valuit autem, & fuit verum matrimonium, secundum quod docent communiter Theologi, & Patres apud *Basil. lib.* 1. *cap.* 19. Probatur ex illo *Lucæ* 4. *Missus est Angelus, Gabriel, ad Mariam, desponsatam Joseph*, ergò saltem fuerunt sponsalia celebrata, ergo etiam matrimonium; probo ultimam consequentiam, quia jam, quod fuerunt sponsalia celebrata, dicendum est matrimonium etiam celebratum, quod intendimus, cum sponsalia sint futurarum nuptiarum promissio, vel dicendum est, ipsum non fuisse sequutum, quia sibi invicem non servarunt fidem, quam sponsalitio sibi contractu promiserant, aut sibi mutuo relaxasse, quod absurdum est, ergò fuit verum matrimoni-

matrimonium, ad quod nullus requiritur consensus, neque implicitus ad copulam.

Neque dicas, Beatam Virginem habuisse votum castitatis, quod fecerat ante Annuntiationem, dùm erat in Templo, *Lucæ* 1. *Quoniam virum non cognosco*, quæ verba non denotant tantum actum, sed propositum, ac votum non cognoscendi, ut benè *Nissenus erat in sanctam Christi nativitatem, quoniam ille virum cognoscere nefas est*; & illud, *non cognosco*, idem est, ac non possum, ob votum scilicet, & antequam desponsaretur Josepho, id fecerat, & fuit votum Virginis absolutum, purum, & simpliciter, non verò conditionatum.

Respondeo enim cum docto *Basil. Pontio* (omissa responsione, quàm alias tradidi) non repugnare votum præ dictum castitatis absolutum, cum matrimonio B. Virg. ut dixi, ad quod matrimonium, ut valeat essentialiter, non requiritur consensus ad copulam.

Neque quicquam facit, multos Sanctos Patres non audere concedere, B. Virginem veram Sponsam S. Joseph, ut sunt *Hilarius Matth* 1. *Cyrillus Hierosolymitanus Cathechesi* 12. *§. videmus porrò*, *Chrysostomus hom.*4. *in Matth. Hieronymus cap.* 1. *in Matthæum*, *Gregorius Nissenus in d. orat. pro Natali Christi*, *Bernardus hom.* 2. *super missus est*, *Tertullianus lib. de velandis virginibus, cap.*6. *Epiphanius hæresi* 78. *Gregorius hom.* 26. *in Evangelia*, & habetur *in cap. sic quippè* 27. *q.* 2. *Petrus Chrysologus serm.* 175. solo nomine ait S. Joseph esse maritum, non conscientia.

Respondeo, hæc omnia Patrum testimonia facili negotio explicari, si attendamus nomen conjugis, vel uxoris, vel etiam viri apud illos non tantum significare eos, qui legitimo matrimonio juncti sunt, sed etiam corruptos, & qui consummarunt matrimonium, & in hoc sensu negarunt illi Patres nomen conjugis B.M.V.& nomen sponsi S. Joseph.

Infertur secundo, duos esse fines matrimonij. Primus est sobolis procreatio, quod appellant bonum prolis. Secundus mutuum obsequium, & communicatio operum, de quo *Arist.* 5. *Physic. c.*3. & *lib.* 3. *c.* 3. docet enim hominem magis esse animal conjugale, quam politicum. Addunt alii alium finem, scilicet remedium concupiscentiæ, contrahere enim matrimonium ob fornicationem vitandam, nullus esse peccatum veritas est, ut patet ex testimonio *Pauli* 1. *ad Corinth. c.* 7. ibi propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat, & unaquæque suum virum, & licet *Paulus* subdat, Hoc secundum indulgentiam dico, non secundum imperium, tamen ibi indulgere, non est veniam dare pro culpa, sed concedi aliquod debere. Neque est peccatum mortale contrahere matrimonium ob pulchritudinem, & divitias, & neque veniale, putat post alios *Pontius lib.* 1. *c.ult. nu.*13, quia res non est mala.

TITULUS X.

De Sponsalibus.

Auctor noster ponit titulum de sponsalibus, post titulum de matrimonio, debebat tamen contrarium facere, quia ante matrimonium contrahuntur sponsalia. Verùm ipsum defendendo dico, quod tractaverat priùs de Sacramentis, inter quæ posuit titulum de matrimonio. Verùm deindè occasione ductus de sponsalibus egit. Ad cujus intelligentiam,

Sciendum est primò, quod sponsalia dicuntur à verbo spondeo, & idem significant, quod sponsionem, *Alciatus lib.* 1. *Parergon. c.*2. *Sanchez lib.* 1. *de matrim. disp.* 1. spondere autem apud Jureconsultos promissionem per stipulationem factam significat, *l. sciendum* 29. *§. dictum ff. de ædil edict. l. sponsio* 7. ubi *Alciatus de verb. signif.* eo quod antiquitus mos erat, quas sibi uxores petebant, ab eis, in quorum potestate erant stipulari, *l.*2. *ff. de sponsalib.* undè sponsi, quasi ad invicem per stipulationem promissi dicti sunt: postea verò factum est legibus, & moribus, ut sponsalia nudis promissionibus per nuncium, & epistolam contrahentur, ut res omnium frequentissima, & ad Reipublicæ conservationem in primis necessaria facile expediri possit, *l.*5. *& ultima*, *ff. de sponsalibus*, atque ideò parentes pro filiis sponsalia faciunt, *l. sponsalia*, *ff. de sponsalibus*; sponsalium verò vox non unius significationis est, nam sponsalia dicuntur contractus promissionis matrimonii: sponsalia etiam dicuntur munera, quæ à sponsis sponsæ dantur: in *rubrica & in l* 1. *C. si Rector Provinciæ sponsalia dederit, in Codice Theodosiano*; sumpta verò sponsalia in prima significatione, ut sumuntur in materia nostra, sic definiuntur. Sponsalia sunt mentio, & repromissio futurarum nuptiarum, quàm definitionem approbant *Canonistæ in cap. Nostrates* 31.*q.*5. *Theologi in* 4.*dist.*27. *& seq.* licet explicatior videatur ea, qua utitur *Valentia disp.* 10.*q.*2.*pun.*1. *Toletus lib.*7.*cap.*12. *Pontius lib.* 12.*c.*1.*nu.*4. qui dicunt, sponsalia esse mutuam promissionem futuri matrimonii, signo aliquo sensibili expressam; ex qua definitione collige, non omnem promissionem ad sponsalia sufficere, sed debere esse mutuam, quæ vocatur repromissio, & debet contrahentibus innotescere. Ex quibus

Infertur primo, ad sponsalia requiri promissionem voluntariam, nec satis est propositum promittendi, sed debet esse vera voluntas promittentis; debet etiam talis promissio esse acceptata, nam omnis promissio non obligat promittentem, nisi acceptetur, nam habet hanc tacitam conditionem promissio, ut eatenus obliget, quatenus acceptatur, quod procedit regulariter, quia adsunt aliqui casus, in quibus promissio obligat promittentem sine acceptatione alterius partis, ut si promittatur Deo, vel alteri piæ causæ; vel quando promittitur infanti. *Sanchez lib.* 1. *disp.* 6. *de matrim.* Regulariter ergo debet esse acceptata, antequam acceptationem potest revocari per promittentem sine ullo peccato, sed si post eam acceptatam, qui promiserit, non adimplet, peccat mortaliter, quod si quis à fœmina postularet; an vellet eum ductum ire, & illa respondeat, placet, sunt contracta sponsalia, quia illud verbum *Placet*, vim habet acceptationis, *Basil.lib.*12. *de matr. cap.* 3. *in fin.*

Infertur secundò, talem promissionem debere esse mutuam, & reciprocam, aliàs sponsalia non erunt: est tamen difficultas, an uno promittente, & alio acceptante, non tamen repromittendo, maneat promittens obligatus? & licet affirmativè respondeat *Sanch. tom.* 1. *lib.* 1. *disp.* 5. *nu.* 12. sed negat *Basil. lib.* 12. *cap.* 4. *num.* 2. quia contractus matrimonii ad instar cujusdam contractus commutationis, & necessariò continet in se mutuam commutationem, & obligationem utrinsque, ità ut nemo velit, nec velle possit se tradere, nisi sub conditione, ut alter se ei mutuo tradat in compensationem, & obliget, quæ doctrina *Basil.* fuit *Vasq.* prout ferè omnes suæ doctrinæ.

Infertur tertiò, talem promissionem debere esse externus manifestatam, quia cum promissio fiat homini, qui non nisi per sensus externos interna percipit, meritò debet exterius manifestari, *Sanch. lib. 1. disput. 3. Basilius*, ubi supra. Undè taciturnitas non sufficit ad manifestandam promissionem, & consensum, ideò si Cajus promittat Bertæ matrimonium, & ipsa taceat, non fiunt sponsalia: etiam si Berta interius consentiat, quia consensus Bertæ non manifestatur sufficienter per taciturnitatem: quod si pater, vel mater contraxerint sponsalia pro filiis puberibus, vel impuberibus ipsis præsentibus, & non contradicentibus, valida erunt *cap. unico, §. porrò, de desponsatione impuber. in 6.* Jus enim in hoc casu accipit taciturnitatem pro consensu, quod verum est etiam si filii sint absentes, dummodò tamen non contradicant, quando id intellexerint, ut ex dicto textu colligit *Sanchez d. lib. 1. disput. 23. Bab. in d. text. tom. 4. in collect.* Si verò quæras, an alius, qui non sit mater, vel pater, nec filii curam habeat, promittat pro eo tacente, contrahat sponsalia? Resp. non contrahere, quia solum, ut quid speciale habetur in *d. c. unico*, de parentibus, ergo non est ad aliud trahendum, ut benè *Sanch. d. lib. 1. disp. 23. Barb. loc. cit.* est etiam difficultas, an dispositio *dict. §. porrò*, procedat in matrimonio contracto per parentes filius tacentibus, & puto non extendi, quicquid dicat *Basil. lib. 2. de matrim. cap. 14.*

Dices, qui tacet videtur consentire, *cap. qui tacet, de reg. jur. in 6.* ergo sive pater, sive alius contrahat filio tacente, valent sponsalia.

Respondeo, distinguo antecedens, qui tacet videtur consentire quantum est in favorem suum, concedo antecedens quantum est in sui præjudicium, nego antecedens, sed in casu nostro esset præjudicium filii, ergò. Si hæc responsio non placet, prout placere non debet, cum indistinctè, tàm in favorabilibus, quàm præjudicialibus, qui tacet consentire videatur, ad quod facit bonus, *text. in cap. si servum sciente 54. dist.* ubi agitur inter extraneos de dominio servi amittendo, & tamen tacens habetur pro consentiente, cum aliis citatis per *Barb. in d. cap. qui tacet*; dicas, quod si tacens ignorat actum fieri, nunquam censebitur consentire, quia consensus non potest ferri in illud, quod est omninò ignoratum, nec dicitur volitum, nisi illud, quod, vel aliquo modo scimus, vel scire tenemur; *l. nihil 147. ff. de reg. jur. c. turbatur*, §. *notand.* 1. q. 4 & censetur consentire in illis actibus, qui sunt à jure expressis.

Quod verò diximus de patre, & matre, dic etiam de tutoribus, vel aliis, quorum curæ commissi sunt filii, ut docet *Coninch. de Sacram. disput.* 21. *Layman. lib.* 5. *tract.* 10. *p.* 1. *cap.* 2. *nu.* 13. tandem procedunt hæc omnia, etiamsi parentes contraherent sponsalia coram filiis emancipatis, & spuriis.

Infertur quarto, verba hæc, quæ dicunt contrahentes. Ego non ducam aliam à te, vel non ducam aliam præter te, vel nisi te, non exprimere consensum sufficientem in sponsalibus requisitum, quia non exprimitur sufficienter consensus de præsenti, vel de futuro, nisi tamen ex conjecturis colligatur, contrahentes voluisse per ea verba contrahere sponsalia, *Sanch. lib. 1. disput. 19. Filliucc. tractat. 10. cap. 7. quæst. 4. nu 245.* Quod si verba habeant duplicem sensum, tunc in foro conscientiæ standum est intentioni, secundum, quam verba proferuntur; *cap. intelligentia de verb. signific.* ideò si adhibent sponsi verba denotantia consensum de futuro contrahunt sponsalia, si verò adhibent verba importantia consensum de præsenti, contrahiuur matrimonium; ad contrahendo vero sponsalia non requiruntor determinata verba, sed quæcumque sufficiunt, dummodò explicent consensum internum, *l. sufficit, ff. de sponsal. Sanch. lib. 1. disp. 18.* si verò verba sint dubia, & non constat de intentione proferentium; tunc possunt compelli præferentes ad servanda verba prolata in ea intentione & sensu, quem intelligentes percipere solent ex illis verbis *cap. litter. il. t. de sponsal.* ea verò verba, quæ dicit quis, habeo te in uxorem, sunt explicanda in foro externo pro sponsalibus, in foro verò interno standum est intentioni contrahentium, quid scilicet voluerint contrahere; illa verò verba, quibus quis dicit; te accipio in meam, explicant consensum de præsenti, *cap. penult.* hoc titulo. Idem dicas, si dicatur: habeo te in uxorem, ex nunc providebo tibi, ut uxori, ab hoc tempore servabo tibi fidem, ut uxori, *cap. ex par. 9. de sponsal. cap. si quis 30. quæst. 5.* verba verò illa: accipio te in cristinum, sponsalia importans, latè *Sanch. lib. 2. disp. 18. & Basil. lib. 2. cap. 8 de matrim.* si verò dicatur; Habeo te in uxorem, absque particula illa (ex nunc) putant multi cum *Sanch.* importari sponsalia, non matrimonium, alii, quos sequitur *Pont. lib. 2. cap. 9. num. 4.* docent, importari matrimonium, tum ex *text. in cap. si quis Divinis 30. q. 5.* ubi valere dicitur matrimonium ejus, qui juravit se habiturum in uxorem, qui Textus desumptus est, *§. quoniam autem Auth. quib. mod. nat. efficiant. legit. collat. 6.* Illa verò verba, volo te tractare pro uxore, verum important matrimonium, idem dicas de illis verbis; volo te esse uxorem meam, & aliam hujus generis ponunt. *Sanch. & Basil.* loc. cit.

Sciendum secundò est, quod sponsalia contrahuntur, Primò re. Secundò verbis. Tertiò litteris. Quartò consensu. Quintò purè, & sub conditione.

Primo modo dicuntur contrahi re, scilicet per traditionem Arrharum ad finem contrahendi matrimonium: est autem Arrha id, quod à sponso sponsæ datur, vel è contra in argumentum sponsalium contractorum, & veluti pignus contrahendi matrimonii, *l. 3. & l. fin. Cod. de sponsal.* unde etiam dici solet Arrha sponsalia, *in l. si legib. 16. C. de Episcopal. Audien.* Arrha autem non censetur, nisi re ipsa tradatur *Sylvest. in verb. sponsal. n. 9.* quod si nuptiæ sequutæ fuerint, arrha à dante rectè repetitur; cum contracto matrimonio, sine causa sit apud recipientem, *l. ex empto 11. §. is, qui vina, ff. de action. empt.* nisi fortè aliud consuetudo habeat, per quam certum est juri scripto derogari posse, *cap. fin. de consuetudin. l. de quib. 32. in fin. ff. de leg.* si vero matrimonium inter sponsos sequutum non fit, si per dantem stetit, arrha amittitur, si verò per recipientem, duplum, vel etiam quadruplum restituitur, si ita consuetum sit, *l. 3. & l. final. C. de sponsal. l. si quis offic. ff. de ritu nupt.* quod si justam causam renunciandi habuit alterutre hæc pœna cessat *l. 2. & ult. C. de sponsal. l. 1. Cod. si nupt. ex rescript. petant.* & licet *glossa in cap. gemma, de sponsal.* dubitaverit de jure canonico circa constitutionem arrharum, in sponsalibus tamen communiter reprobatur, ex *text. in cap. si quis uxorem, cum seq.*

seq. 27. q. 2. cap. nostrates, cap. femin. 30. q. 5. & prædictæ arrhæ tam in corpore, quam in quantitate possunt constitui, d. cap. ex empt. ubi DD. & quidem quælibet quantitas sufficit, licet de jure Hispanico solum in decima parte bonorum possint arrhæ constitui, l. 5. Tauri, & in aliis legibus, de quibus Basil. lib. 22. cap. 19. nu. 3.

Solet etiam dari anulus in signum matrimonii, de quo Cujac. in d. cap. fin. de despons. impub. glos. in cap. penult. de sponsal. & alia signa hujus rei ponit Basil. lib. 2. c. 11. de matrim. ponitur verò anulus in quarto digito sponsæ in manu sinistra, quia ibi docent animastici adesse quendam correspondentiam ad cor.

Secundò, contrahuntur sponsalia verbis denotantibus matrimonium futurum, v. g. ego te accipio, vel promitto te accipere in futuram conjugem, & illa respondet, de quibus, in cap. inter eodem tit. &c. 1. de spons. duor. ubi DD. & nos supra diximus.

Tertio modo contrahuntur sponsalia litteris inter absentes, vel per procuratorem cum speciali mandato, qua de re dicemus, cum de procuratoribus ad explicationem text. in c fin. de proc. in 6.

Quarto modo contrahuntur sponsalia consensu, qui consensus, ut supra diximus, debet esse, primò voluntarius, secundò mutuus ex parte, utriusque, tertiò debet acceptari, & aliquo signo externo manifestari.

In §. Quo casu, & sequenti.

AD intelligentiam horum jurium sciendum est, egi hic de obligationibus, quæ ex sponsalibus nascuntur. Unde,

Dico primo, sponsalia obligant ad peccatum mortale, ut adimpleantur per promittentes, ratio est, quia ex contractu oritur naturaliter obligatio justitiæ ad ipsum implendum, quando materia est gravis, sed sponsalia sunt contractus inter sponsum, & sponsam, in materia gravi, ergo ex sponsalibus oritur obligatio sub mortali, ergo sponsus, sponsalia non adimplens, graviter peccat, quæ obligatio, colligitur ex cap. desponsatas, cap. de conjug. 27. q. 2. cap. 2. cap. ex litt. il. 2. cap. requisivit de sponsal. quæ obligatio incipit à momento contractus, l. in omnib. obligat. ff. de reg. jur. l. cum qui, §. quoties, ff. de verb. oblig. neque opus est aliqua præfixione termini, ut obligatio nascatur, ut putat Sanch. lib. 1. disput. 28. sed nascitur à principio, quia ex tunc est utilis, ut benè Basil. lib. 12. de matrim. cap. 6. per tot.

Ampliatur conclusio, ut etiam teneatur stare sponsalibus dives, qui cum aliquo ignobili, & paupere contraxit sponsalia, cujus tamen non ignorabat conditionem, quia cum esset conscius conditionis ipsius, & adhuc sponsalia contraxit, tenetur adimplere promissionem, ex qua oritur obligatio sub mortali, intellige tamen dummodò ex tali adimpletione non sequatur grave malum, vel magnum scandalum, vel incommodum, sive rixa inter parentes, quia tunc non obligarentur, cum justitia ad malum non obliget, Sanch. lib. 1. disp. 14.

Limitatur tamen in sponsalibus fictè celebratis, id est factis, absque intentione promittendi, & se obligandi, quia nemo obligatur ad servandum id, quod verè non promisit, nec vera promissio subsistit fine animo se obligandi: hoc ergo casu peccat mortaliter sponsus, decipiendo alterum, qui non facile poterat cognoscere, id jocosè agi, non tamen tenetur stara promissioni, aut complere sponsalia ex vi promissionis facta, sed si alter pateretur damnum vel scandalum oriretur, tunc tenetur stare promissioni, Sanch. tom. 1. lib. 1 disp. 9. Coninch. disp. 21. de Sacrament. dub. 2. nu. 7. Layman lib. 5. tract. 10 par. 1. cap. 2. nu. 10. Non desunt tamen doctissimi viri dicentes, etiam consensum fictum producere obligationem stanti sponsalibus, ita Basil. lib. 1. cap 4. lib. 12. cap. 2. Vasq. disp. 6. de matr. cap. 6. Turianus 22. S. Thom. dispnt. 64. dub. 15.

Adverte etiam primò, quod neque si fictis sponsalibus accesserit juramentum, obligatur jurans, ac contrahendum, quia obligatio juramenti, ex vero, & non ficto oritur juramento, c. humanæ aures 22. q 5. erit tamen servanda promissio, alia forte causa, puta si quis promisit fictè contrahere cum aliqua virgine, quam defloravit, nisi fortè sit condi ionis longè superioris, sic qui carnaliter viduam cognovit sub ficta promissionis matrimonii, si illa infamiam pareretur, teneretur stare promissionis, quia est injusta causa illius, nec dotando eam satisfaceret, quia promissio non de dote, sed de matrimonio fuit, Sanch. ubi sup. disp. 10. docent verò alii, & probabilius, hunc talem satisfacere, & resarciendo interesse seu damnum, ac injuriam.

Adverte secundò, quod ille, qui contraxit sponsalia, & postea non vult adimplere, est monendus prius per Judicem Ecclesiasticum, & si negat, compellendus per censuras, cap. ex litter. debet tamen Judex compellere per censuras, compulsione moderata, non præcisa, si pertinax sit pars in resistendo, cap requisivit, de sponsal. Barbos. in d cap. ex litter &c requisivit, de sponsalib. quod si prudenter judicetur, frustra fieri excommunicationem, debet Episcopus ab illa abstinere, Basil. lib. 12. de matr. c. 6 nu. 2. Villalob. in summa, tom. 1. tract. 12. diffic. 19.

Adverte tertiò, quod ille, qui rem habuit cum aliqua, ei promittens nubere, quæ simulabat se virginem, vel divitem, cum, talis non esse, non tenetur eam ducere, quia hoc casu possunt dissolvi sponsalia, si facta essent, ut infra dicemus, ergo non est obligatio ea faciendi; Sanch. lib. 1. disp. 10. nu. 11. nec aliquid restituere tenetur ei, quæ virginem se simulabat, & postea reperta est corrupta, sicot nec tenetur, quis ducere eam, cui fictè promisit matrimonium, & copulam extorsit, quando ver est nobilitate, divitiis, aut potentia impar, quia si mulier sciebat talem disparitatem, præsumitur, se voluntariè deceptam esse, Sanch. d lib. 1. disp. 10. Lessius lib. 2. c. 10. dub. 3. & nota, quod hoc casu neque à dotandum, neque ad aliquid restituendum tenetur vir, quia fœmina sciens videtur consensisse, & ei non fuit facta injuria, nam volenti, & scienti non fit injuria, cap. scienti, de reg. jur. in 6. idem dic, si vir, & fœmina essent pares in nobilitate, sed notabiliter altioris conditionis, & fœmina decepta, nesciebat inæqualitatem status ipsius viri, vel sciebat, sed tamen vir promisit infallibiliter mulieri, ut credat sibi, promissio. nem non fictè, sed verè fieri, tunc neque tenetur vir eam ducere, & quidem non tenetur ratione promissionis, cum sit ficta, nec ratione damni, fœminæ illati, quia hoc damnum resarciri potest dotando, aut augendo dotem, qua possit nubere, ac si non fuisset deflorata, Sanch. ubi supra.

Adverte quartò, quod si vir fictè promisit fœminæ illam ducere, sed parentes recusent, vel ipsa recusat, ad nihil aliud tenetur vir, quia per ipsum non stetit, quin promissio adimpleatur, nec tenetur

fœmina verò aliquid restituere, à quo extorsit copulam ficta promissione matrimonii, tùm quia promissio fuit ficta, tùm quia vir non patitur damnum ea copula habita cum fœmina, communiter Doctores, quos sequitur *Diana p.5. tract.* 14. *resol.* 32. qui *resolut.* 23. probabiliter tenet, quod promittens sponsalia fictè etiam cum juramento, sine animo tamen, & intentione se obligandi, non obligatur nec tenetur stare promissioni, idem dicit *resol.* 34.

Dico secundo, ex sponsalibus nascitur impedimentum publicæ honestatis, cum hac tamen differentia, quod ex sponsalibus de præsenti, ut est matrimonium ratum nascitur impedimentum publicæ honestatis, quod impedit, & dirimit matrimonium secundum, usque ad quartum gradum inclusivè, ut declaravit Pius Quintus in Bulla, quæ incipit *Romanum*: & est posita in fine Concilii Tridentini: si verò matrimonium est consummatum, tunc oritur impedimentum affinitatis, de quo impedimento dicemus infrà, & sic erravit *Toletus lib* 7. *c.* 10. asserens impedimentum publicæ honestatis, ortum ea matrimonio, extendi solum ad primum gradum, non enim advertit ad motum Pij V. ut docet *Bonac. de matrim. q.* 3. *par.* 11.

Quod si sponsalia sint per verba de futuro celebrata, tunc nasceretur ea illis impedimentum publicæ honestatis impediens, & dirimens matrimonium, usque ad primum gradum, quando tamen sponsalia fuerint valida, nam si fuerint invalida respectu consensus, vel alio modo, non nascitur hoc impedimentum *Trid. sess.* 24. *de matrim cap.* 3. licet olim hoc impedimentum etiam usque ad primum gradum extenderetur, *cap. sponsam, de sponsalib.* ubi Doctores.

In §. Rursus, cum duobus sequentibus.

AGitur hic de sponsalibus contractis sub conditione. Ad cujus intelligentiam,

Sciendum est primò, dari in jure demonstrationem, causam, modum, & conditionem; demonstratio est: quando denotatur aliqua qualitas personæ, ut si dicatur (Duco te, quæ es virgo) causa est, quando explicatur motivum, ob quod fit contractus, ut si dicatur (contraho tecum, quia es dives) modus est, quando adjicitur onus in contractu, ut si dicatur (Duco te, ut mihi inservias) conditio est, quando dicitur (Duco te, si mihi des centum.)

Sciendum secundo est, conditiones, quæ possunt apponi in matrimonio alias esse necessaria, alias turpes, alias impossibiles, àlias impertinentes, alias honestas, alias de præterito, alias de præsenti, & alias de futuro, His positis,

Dico primò, matrimonium, sub conditione necessaria celebratum, validum est ante conditionem, tam in foro externo, quàm interno, *Sanch. lib.5 disp.2 Coninch. disp.29. dub.1.* Probatur, quia hoc matrimonium est validum, quando adest mutuus consensus de præsenti inter personas habiles, manifestatus signo externo sufficienter, se in hoc casu adest mutuus consensus inter personas habiles signo externo sufficienter manifestus, ut suppono, ergo, quod si uterque contrahens intendat celebrare matrimonium, & suspendere consensum suum, usque ad eventum conditionis; tunc matrimonium sub conditione necessaria celebratum, non est validum de præsenti, cum non adsit consensus mutuus de præsenti.

Ex quo benè sequitur valere matrimonium sic contractum, contraho tecum, vel duco te in uxorem, si cras Sol orietur, aut si stellæ erunt in cœlo, aut si elementum ignis erit supra elementum aeris, dummodò contrahens non intendat suspendere consensum, usque ad eventum conditionis: sic valet matrimonium celebratum sub hac conditione; Contraho tecum, si Antichristus nascetur, quia ex infallibili scripturæ testimonio certum est, Antichristum nasciturum, & sic statim valet matrimonium. Idem dic de conditione de præsenti necessaria, vel de præterito, ut contraho tecum, si es virgo, vel si fuisti Romæ, *Sanch. lib.* 5. *disp.* 2. *nu.* 3.

Dico secundò, matrimonium contractum, sub conditione turpi, quæ sit contra substantiam matrimonii irritum est, si conditio adjungatur, ut præstanda de futuro, *cap. fin. de condit. appositis.* Probatur, quia de substantia matrimonii est consensus ad societatem conjugalem, & ad fidem mutuo servandam, ergo omnis conditio turpis, talibus bonis repugnans, facit invalidum matrimonium, quod si conditio sit turpis de præsenti, vel de præterito, tunc non invalidat matrimonium, si fuerit posita in esse, ideò si dicat Titius Bertæ, contraho tecum, si adulterium commisisti, validè statim matrimonium contrahit, si Berta adulterium commisit, secus si non commisit adulterium, quia conditio de præsenti, vel de præterito suspendit actum, *l. institutio talis, ff. de condit. institut.* nec censetur contra matrimonii bona, cum supponatur præcessisse ipsum matrimonium, *Sanch. lib.5. disp.9.*

Ex quo non valet matrimonium contractum hoc modo; Contraho tecum, si filios occidas, vel mutiles, quia est conditio contra bonum matrimonij; id est contra prolem, etiam si consummetur, invalidum est, quia cum sit invalidum, invalidum præcisè per copulam reddi non potest validum; sic invalidum est matrimonium, si dicat quis, contraho tecum, si domi semper manseris, aut vestem nigri coloris gesseris, quia istæ conditiones sunt contra indissolubilitatem matrimonii, si alter conjux non habeat intentionem contrahendi, nisi alter conjux re vera semper domi maneat; sic nec valet matrimonium celebratum sub hac conditione, contraho tecum, si te obliges ad servandam perpetuo castitatem, vel ad professionem in religione faciendam ratio est, quia matrimonium requirit consensum saltem tacitum in copula, sed talis consensus non adest quando interveniunt dictæ conditiones: ergo, ità communiter Doctores, apud *Sanch. lib.3. disput.* 10. *Filliucc. tractat.* 10. *cap.* 3. *quæst.* 3. *num.* 150. licet contrarium docent *Bonacina de matrimon. q.2. par.* 10. *nu.*18. valebit tamen matrimonium contractum hoc modo, contraho tecum hoc pacto, ut nunquam petas debitum, reddam tamen tibi petenti, quia posita hac conditione, adhuc proles suscipi potest, reddendo debitum petenti, ergo illa conditio non est proli contraria, sic valet matrimonium, si dicatur contraho tecum, si neges mihi debitum, quoties illicitè petiero, non tamen valet matrimonium contractum cum pacto, nunquam cohabitandi simul: quia hæc conditio repugnat proli, quæ videtur impedit sine causa.

Dico tertiò, validum est matrimonium, contractum sub conditione turpi; modo conditio non sit contra substantia matrimonii. Probatur exemplis, si enim quis dixerit, contraho tecum, si patrem occideris, quia talis conditio habetur pro non adjecta, *cap. fin. de condit. apposit.* sed si non esset adjecta; validum esset matrimoniũ, ergo est validũ, quamvis fuerit adjecta dicta conditio, dumodò sit consensus contrahentium sufficienter explicatus signo externo. DD. citati. Idem dic, si conditio esset impossibilis puta con-

contraho tecum si montem istum in mare transtuleris, dummodò adsit absolutus contrahentium consensus.

Dico quarto; matrimonium, contractum sub conditione honesta de præsenti, vel de præterito; validum est, si res ità est, quia talis conditio non est propriè conditio, nec actum suspendit; ideò valet matrimonium, si quis dicat contraho tecum, si patri placet, vel si es dives, si re vera alter est dives, vel patri placet; secus si alter non est dives, vel patri non placet, si verò celebretur sub conditione de futuro honesta, tunc non valet matrimonium antè conditionis eventum, quia contrahentes non intendunt contrahere, nisi dependenter à tali conditione, DD. ubi suprà.

An verò tale matrimonium adveniente conditione efficiatur validum, absque alio novo consensu? quæstio est inter Canonistas, & Theologos; etenim putant Canonistæ, quos citat, & sequitur *Sanch. tom. 1. lib. 5. disput. 8. num. 5. Coninch. de Sacram. disp. 29. dub. 1. concl. 3.* & alii, quia cæteri contractus conditionales adveniente conditione, absquè novo consensu purificantur, *l. hæc conditio, ff. de contrah. emp.* ergò idem dicendum est de matrimonio. Ideò si quis contrahit matrimonium conditionaliter de præsenti, & posteà aliud contrahat statim quod advenit conditio, est secundum invalidum, quia per implementum conditionis, primum matrimonium omninò firmum fuit: quæ sententia probabilis est.

Theologi verò communiter, quos citat, sed non sequitur *Sanchez ubi supra, nu 3.* sequitur verò *Barbos. doctus Canonista in collect. tom. 2. lib. 4. tit. 5. cap 5. Guttierez de matrim. cap. 8. Basilius Pontius de matrim. lib. 3. cap. 14. num. 15.*

Probatur, quia forma illa contrahendi, si placet patri tuo, videtur tantum valere, quantum si fieret per verba de futuro, ut patet ex *cap. super eo de conditionibus appositis*; sed si fieret per verba de futuro, requireretur postea novus consensus, ergo factum per verba illa requirit novum consensum.

Confirmatur, quia Sacramentum non potest dependere à conditione de futuro; ideò si quis dicat, *Ego te absolvo, cum primum restitues*, nihil efficit: sed matrimonium est Sacramentum, ergo si fiat per talia verba, pendebit à conditione de futuro, ergo requiritur novus consensus posteà, quando patri placet.

Ex quo infertur primo, quod si post eventum conditionis ante novum consensum præstitum alter contrahat aliud matrimonium, peccat quidem contra fidem præstitam, sed valet matrimonium, quia prius matrimonium habebat tantum vim sponsalium, *Sotus in 4° distin. 20. q. 2. art. 1. conclus. 3. Diana par. 5. tract. 13. resol. 87. per totam, & par. 3. tract. 4. resol. 292.*

Infertur secundo contra *Sanchez*, quod si duo consanguinei contrahant coram Parocho, & testibus per verba de præsenti, sub conditione, si Papa dispensaverit, non est matrimonium, absque novo consensu post obtentam dispensationem Papa, ita *Guttierez de matrim. cap. 71. num. 10. Comitolus lib. 1. q. ult. num. 1.*

Quod si tibi placet opinio eorum, qui dicunt, non requiri novum consensum, scias, quod requiritur saltem, ut conditio adimpleatur coram Parocho, & testibus, vel ut Parochus, & testes cognoscant conditionem esse adimpletam, *Coninch. ubi sup. & Pontius de matrim. lib. 5. cap. 22. nu. 8.*

Infertur tertiò, quod is, qui contrahit matrimonium cum duobus per verba de præsenti sub conditione de futuro, fit maritus illius, cujus conditio prius adimpletur; quod si utraque conditio simul adimpleatur neutrum matrimonium valet, quia incertitudo vitiat matrimonium, *cap. in litteris, de sponsalibus.*

Infertur quarto; matrimonium contractum inter consanguineos, si Summus Pontifex dispensaverit, validum esse adimpleta conditione, seu adveniente dispensatione, quia quoties impedimentum est dispensabile, toties impedimentum censetur conditio, non turpis, sed honesta, *Riccius decis.* 248. licet contrarium dixerit *Rota Rom.* apud *Gregor.* 15. *dec.* 410. ubi habetur, sponsalia inter consanguineos contracta sub conditione futuræ dispensationis, esse ipso jure nulla, & licere, ab eis recedere, & dispensatione impetrata requiri novum consensum; qua de re multa cumulat *Oliverius Beltraminus in addit. ad Gregorium 15. ubi supra.* Mihi tamen opinio contraria placet, esse valida, quando Summus Pontifex solitus est dispensare. Sicut etiam legatum relictum puellæ cum conditione de contrahendo matrimonio cum tali consanguineo, inter quos matrimonium esse non potest sine dispensatione validum est, & ipsum debet habere legatarius, etiam si petierit dispensationem; & eam non obtinuerit, quia per eum non stetit, quin haberetur, ità latè *Petrus Fontanella de pactis nuptialibus, tom. 2. claus. 6. gloss. 3. pun. 4. num. 54. & 57.* qui etiam in sequenti *Gloss.* ait, quod si legatum esset factum puellæ ea conditione, quod nubat de consensu, aut licentia talis, tunc talis conditio est rejicienda, & debetur legatum puellæ, etiam si nubat sine tali consensu, vel licentia, quia esset talis conditio impeditiva libertatis matrimonii, etiam si pia causa esset instituta in casu contrario, quo puella non nubat sine tali consensu, & licentia, nam adhuc non nubes cum tali consensu debetur legatum, & *nu.* 56. idem *Fontanella* limitat hoc, quando testator mandasset, ut filia cum tali persona non nuberet, hoc enim casu talis particularis prohibitio valeret, *l. hoc modo 63. cum lege præcedenti, & l. hoc genus 166. ff. de condit. & demonstr. Stephanus Gratian. discept. for. c. 5. n. 9.* Ratio est, quia quoad alia matrimonii libertas non impeditur.

Idem etiam *Fontanella loc. cit. num.* 83. limitat hoc dicens, non procedere quando pater diceret, ut non possit nubere, nisi cum consilio talis, nam tunc si legatarius conditionem non adimpleverit, non debet habere legatum, quia conditio hæc non est impeditiva matrimonii, cum consilium licet legatarius petere, debeat tamen sequi non cogitur, *Marescottus var. resol. lib. 1. c. 73. nu. 3. & Fontan. ubi sup.*

Dico quinto, matrimonium contractum sub conditione impertinenti de futuro non est validum, antequam verificetur conditio, ea verò verificata valet *Sanchez lib. 5. disp. 18. Filliuccius tract. 10. cap 4. q. 16. nu. 156.* quia contrahentes solum intendunt contrahere dependenter ab eventu illius conditionis, ergo ante conditionem non validè contrahunt; alioquin contractus obligaret ultra intentionem contrahentium. Ideò si quis dicat. Duco te in uxorem, si cognovero te benè morigeratam esse, vel pulchram haberi, non est ipso jure validum, sed fieri validum verificata conditione; modo contrahentes non revocaverint consensum.

Dico sexto, matrimonium, vel sponsalia contrahi possunt cum pacto, quod vir perpetuò habitet in domicilio uxoris: ità communiter DD. apud *Sanch de matrim. tom. 1. lib. 1. disp. 40. Layman in Theolog. moral. lib. 5. tract. 10. pun. 2. cap. 2. num. 3. &*

Basil.

Google

Basil. Pontio de matrim. lib. 12. cap. 20. num. 8. qui etiam addunt posse in tali casu exigi pœnam, neq; hoc repugnare libertati, conjugii, nisi tamen nova causa emergat mutandi domicilii, tunc enim licet pactum sit juramento confirmatum, licebit resilire, & mulier tenebitur virum sequi.

Confirmatur à simili, quia valet pactum, ne quis possit ingredi in aliquam Civitatem, quod solet fieri in remissionibus injuriarum, nam hoc pactum non tollit hominis libertatem, nedùm si fieret temporale, sed etiam perpetuum, ut latè *Pont. ubi sup.* contra *Ancharan. cons.* 75. *num.* 3. & *Alciatum cons.* 34. *num.* 3. *lib.* 5.

Dico septimò, in contractu sponsalium, non potest apponi pœna persolvenda ab eo, qui injustè recedit ab eis, ità ut etiam injustè resiliens, non teneatur pœnam persolvere, ità communiter DD. quos sequitur *Sanchez lib. 1. de matr. disp.* 30. *Guttierez de matrim. cap.* 27. *Coninck de Sacram. disp.* 22. *dub.* 5. *concl.* 2. *nu.* 29. *Layman. tract.* 10. *par.* 1. *cap.* 10. *num.* 8. sic colligitur ex *cap. gemma, de sponsalib.* & *ex l. Titia, ff. de verb. oblig.* & *ex l. mulier, C. de sponsalib.* ubi habetur, tales promissiones non obligare, quia matrimonia debeot esse libera, Immò addit *Sanch. disput.* 33. contra *Lessium lib* 2. *cap.* 17. *dub* 7. *nu.* 56. id procedere, etiam si juramento sponsalia firmentur, quia juramentum hoc casu esset contra libertatem matrimonii. Non ignoro tamen doctissimum *Basilium Pont. de matrim. lib.* 12. *cap.* 19. *num.* 8. & *Coninck. ubi supra.* in sponsalibus licitè apponi posse pœnam iojustè resilenti, tàm jure civili, quàm canonico, ut latè probat idem *Pont.* quæ sententia in puncto juris verior est, in praxi tamen est sequenda communis nostra sententia.

Limitatur, quando promissio pœnæ fieret ab extraneo, non à sponsis, propinquis, vel amicis ipsorum, tunc enim valeret, nam tales conventiones sponsos non compellerent ad contrahendum, cum nihil ad sponsos pertineat, quod extraneus aliquis pœnam solvat, *DD. ubi supra.*

Dices primo, qui contraxit sponsalia cum juramento, vel etiam sine juramento, potest per censuras cogi stare sponsalibus, *cap. ex litteris, de sponsalibus,* & *cap. sicut,* & *cap. requisivit de sponsalibus, Rota decis.* 497. *num.* 1. *Riccius decis.* 231. *Card. Seraphinus Decis. Rota Romana* 1112. *Gregorius* 15. *decis.* 376. nec potest quis allegare pro justa causa, quia parentes non consentiunt, cum de jure canonico consensus parentum non requiratur in matrimonio; habetur tamen pro justa causa timor ex hæredatione paternæ, *Card. Seraphin. dec.* 1258. sic pro justa causa enumeratur odium capitale, timor scandali, & inimicitiarum, & homicidiorum, de quibus, cum casus evenerit, recurras ad *Cardin. Manticam de tacitis, & ambig. convent. lib.* 3. *tit.* 17. *per totum,* & *ad Guttierez de sponsalib. cap.* 15. sed excommunicatio non est minor pœna, quam sit alia quævis pœna pecuniaria, & temporalia, ergo potest in sponsalibus apponi pœna solvenda ab injuste dirimente sponsalia,

Respondeo, quod licet possit aliquando auctoritate Judicis cogi quis per censuras, stare sponsalibus juratis ad evitandum perjurium, & injuriam proximi, tamen non sequitur, aliquas conventiones permittendas esse pœnales, præter permissas à jure, quia sic postulat matrimonii libertas, *Genuensis in praxi, cap.* 13. *Riccius in praxi, res.* 231. Immò quando subest aliqua justa causa; Ecclesia abstinet tali coactione, quia nuptiæ coactæ solent habere malos exitus, *Cardin. Seraphinus decis.* 1258. *Rota decis.* 497. & *in novis decis.* 207. *par.* 1. Idem *Card. Seraphinus dec.* 893. & *dec.* 1112. ad quos recurras in hac materia.

Dices secundo, in sponsalibus licitum est contrahentibus tradere arrhas, scilicet anulum, &c. ea conditione, ut tradens eas amittat, si fregerit fidem sponsaliorem, ergo poterit apponi pœna solvenda à frangente fidem sponsaliorum.

Respondeo, negando consequentiam, quia arrhæ majori consilio traduntur, cum statim ipso facto tradantur, pœnæ verò non statim solvuntur, sed promittuntur solvendæ in futurum, & ideò jus aliter disposoit in arrhis, quàm in pœnis, eo quia quilibet proclivior est ad verba de ore, quàm ad pecuniam ex crumena depromendam. Non tamen omittas notare, quod arrhæ non sunt solvendæ, quando sponsalia dissolvuntur auctoritate Judicis, aut per ingressum in Religionem, quia hic casus judicio prudentis viri censetur exceptus in promissione arrharum, ergo ubi abest culpa, debet etiam abesse pœna, *Sanch. disp.* 35. *num.* 9. ex quibus

Infertur primò, esse peccatum mortale apponere has pœnas in sponsalibus, quia apponentes faciunt contra legem in materia gravi, scilicet libertatis matrimonii, sed qui facit contra legem in materia gravi, peccat mortaliter, ergo non desunt tamen aliqui, qui putant: peccare solum venialiter, ità *Sanchez disp.* 30. *num.* 2. *Guttierez de matrim. cap.* 27. *Coninck. disput.* 22. *dub.* 5. *num.* 23.

Infertur secundò, non valere promissionem, qua promittit, quis se non contracturum matrimonium cum Titio, quia aufert libertatem matrimonii contrahendi, sicut nec valet promissio, qua quis dicit, promitto me non dissoluturum matrimonium per ingressum Religionis, vel ob aliam justam causam.

Infertur tertiò, non posse peti interesse damni emergentis virtute conventionis pœnalis, seù promissionis illius pœnæ per eum, qui vult stare sponsalibus, eom illa promissio, & constitutio pœnæ sit invalida; petitamen poterit sub nomine injustitiæ, commissæ ab injustè violante fidem sponsaliorum, nam injustus violator sponsaliorum tenetur ad reparandum damnum, seù interesse damni emergentis, etiam si nulla præcessisset conventio ergo poterit conveniri, coram Judice, ad solvendum dictum ioteresse, si absque causa justa recessit à sponsalibus, ut docent communiter DD.

In §. Non tamen, cum sequenti.

Agitur in his §§. de ætate requisita ad contrahenda sponsalia. Ad cujus intelligentiam,

Sciendum est primò, quod ætas septem annorum requiritur, tàm in masculo, quàm in fœmina ad celebranda sponsalia, *cap. litteris, cap. accessit, de desponsat. impuberum.* Ratio est, quia sponsalia sunt mutua promissio, sed ad promissionem requiritur usus rationis, qui ferè semper, tàm in fœminis, quàm in viris adesse solet in septennio, ergo, & licet positante septennium usus ratio-

nis advenire, tamen regulariter in ſeptennio accidit, & ad hoc, quod regulariter accidit leges adaptantur, *l. jura, ff. de legib.* Quod ſi ſponſalia celebrentur multo ante ſepicnnium, & malitia ſuppleat ætatem, valent in foro conſcientiæ, *S. Thom. 3. par. q. 42. ar. 2. Sanch. lib. 1. diſput. 16. Coninch. de matrim. diſp. 21. dub. 5.* ſicut matrimonium ante 14. annum poterit contrahi à maſculo, ſi hic habeat ſufficientem diſcretionem, & prudentiam, *cap. juvenis, de ſponſalibus, cap. unica, de deſponſ. impuberum; in 6.*

Dices, idem judicari debet in foro exteriori canonico, ac in foro interiori conſcientiæ, ſed in foro exteriori ſponſalia celebrata ante ſeptennium, malitia ſupplente ætatem, ſunt invalida, ergò etiam in foro conſcientiæ, conſequentia patet; minor etiam conſtat ex ſupradictis ex communi DD. ſchola, de qua ſuprà. Major propoſito, quod in foro externo canonico judicari debeat, idem quod in foro conſcientiæ; Probatur, quia, ut communiter docent *Canoniſtæ*, relati per *Ioannem Valerum in differ. utriuſque fori in verb. lex differ. 11. & in præludiis, num. 6.* quæ enim non ſunt licita in foro canonico externo, nec ſunt licita in foro conſcientiæ.

Reſpondetur, quod major iſta propoſitio intelligitur, quando jus canonicum ſe fundat ſuper certo, & ſuper veritate, at in caſu noſtro fundat ſe ſuper præſumptione, præſumendo ante ſeptennium deeſſe uſum rationis: ergo ſi conſtat adeſſe uſum rationis, præſumptio ceſſat & cedit veritati, & ſunt judicanda valida ſponſalia in foro interno, ut benè *Valerus d. differ. 11. cum ſeq.*

An verò ſponſalia celebrata paulò antè ſeptennium valeant, nedùm in foro conſcientiæ, ſed etiam in foro externo; quæſtio eſt, etenim non valere dixerunt *Sanch. lib. 1. diſp. 16. nu. 4. & lib. 7. diſp. 204.* & alii apud *Riccium dec. 656.* qui docent, ſponſalia facta octo, vel decem dies ante ſeptennium completum, eſſe invalida: affirmant verò valere *Sotus, Henriquez*, & alii, quos ſequitur *Guttier. de matrim. cap. 2. n. 7.* quæ ſententia vera eſt, & ſequenda.

Dices profeſſio, facta in Religione ante 16. annum completum, non valet *Triden. ſeſſ. 25. cap. 15.* ità ut profeſſus uno die ante 16. annum ſit invalidè profeſſus; ſic teſtamentum factum ante 14. annum ab eo, qui eſt ſui juris, non valet, *l. qua ætate, ff. qui teſtam fac. poſſunt*, ubi requiritur, ut ſit inchoatus ultimus dies, idem dic de teſtamento facto à fœmina ante annum 12. ergo etiam ſponſalia celebrata ante inchoatum ultimum diem anni ſeptimi, ſunt invalida, etiam ſi adſit malitia.

Reſpondeo, diſparitatem eſſe inter caſum noſtrum, & caſus propoſitos in argumento, quia matrimonium, & ſponſalia ſunt magis favorabilia, quam ſit profeſſio, & teſtamentum, cum magis inclinet natura ad nuptias, quam ad alios actus politicos. & ideò jus expreſſè annullat teſtamentum, & profeſſionem, non ſic matrimonium, vel ſponſalia facta paulò ante legitimam ætatem. Ex quibus

Infertur primò, non majorem uſum rationis requiri ad ſponſalia contrahenda, quàm ad peccatum mortale faciendum, ut contra *Bonacinam de matrim. q. 1. pun. 5. num. 4.* docent *Sanchez lib. 1. diſp. 16. Baſilius Pontius de matrim. lib. 4. cap. 1.* & alii cum ipſis, nam ſi futurorum illa providentia, quam requirit *Bonacina*, deſideraretur in contrahendis ſponſalibus, in cautè reſcriptum eſſet à jure tempus ſeptem annorum ad ſponſalia contrahenda; quod falſum eſt, ut patet ex *l. 2. ff. de ſponſalibus. ex cap. litteris cap. acceſſit, cap. ad diſſolvendum, de deſponſatione impuberum.*

Infertur ſecundo, ſponſalia, contracta poſt ſeptennium, eſſe invalida, quando uterque ſponſus, vel alter illorum, nondùm pervenerit ad uſum rationis tempore ſponſaliorum, quia ad validè contrahendum requirunt uſum rationis DD. ubi ſuprà: poterunt tamen talia ſponſalia ratificari, & fieri valida, ſi poſt legitimam ætatem, & uſum rationis expreſsè, vel tacitè ratificentur à ſponſis, quod fit conſentiendo de novo, vel ſimul habitando, vel ſibi oſcula, tanquam ſponſis impingendo, vel mittendo munera, quæ à ſponſis mitti conſueverunt, modo ſponſi ſciant ſponſalia invalida, quia ſi neſciunt ſponſalia fuiſſe invalida, non fiunt, valida per ratificationem, quia nihil eſt magis contrarium conſenſui, quam ignorantia, *l. ſi per errorem, ff. de juriſd. omn. jud.*

Infertur tertio, contrahentem ſponſalia ante legitimam ætatem non peccare mortaliter, ità *Sanch.* qui de communi teſtatur opinione *lib. 1. diſp. 17.* probatur, quia nulla irrogatur injuria tertiæ perſonæ, nec Sacramento, ſponſalia Sacramentum non ſint.

Dices adeſt *text. in cap. 2. de deſponſat. impub.* ubi dicitur diſtrictius inhibemus, nec aliqui, quorum uterque vel alter ad ætatem ſacris canonibus determinatam non pervenerit, conjungantur, niſi fortè aliqua urgeat neceſſitas, ergo adeſt *text.* prohibens, ergo peccatum mortale facit, contrarium faciens.

Reſpondetur, quod *text.* hic per verba illa *conjungantur*, intelligitur de matrimonio, non de ſponſalibus, ergo cum ſimus in pœnalibus, extenſionem facere non poſſumus, qua de re benè *Sanch. ubi ſupra*, & ſi putet *Bonacina de ſponſalibus, pun. 4. nu. 6.* intelligi de ſponſalibus, quem *text.* rogo videri, quia de matrimonio loquitur. Recedo tamen à *Sanch.* qui dicit, neque peccare mortaliter facientem matrimonium ante legitimam ætatem, quia re vera peccat mortaliter, cum faciat contra prædictum *text.* prohibentem, ut benè ex communi DD. ſententia docet *Pont. de matrim. lib. 7. cap. 65. num. 3.* quod tamen limitatur, quando cum Epiſcopi licentia, & juſta interveniente cauſa matrimonium ante legitimam ætatem celebraretur, *ex d. cap. 2. ubi ſuprà*, ſic docet *Filiucc. tom. 1. tract. 10. p. 1. c. 7. num. 259.*

Infertur quarto, parentes poſſe contrahere ſponſalia pro filiis, qui nondùm pervenerunt ad ſeptimum annum; immò nedùm parentes, ſed etiam uxores curatores, & conſanguineos, curam gerentes infantium, poſſe ex gravi neceſſitate pro dictis filiis contrahere, docet *textus in cap. infantes. de deſponſat. impub in 6.* quæ ſponſalia, ut valeant poſteà, requiritur conſenſus pupillorum deindè; non tamen tenetur filius conſentire in ſponſalia contracta pro ſe à patre, vel à curatore, niſi ex quodam debito honeſtatis, non verò neceſſitatis, & ſic intelligitur *text. in cap. 1. de deſponſ. impub.* ut benè ibi docet *Gloſſa*.

Sciendum ſecundo eſt, ad validitatem matrimonii jure Eccleſiaſtico requiri in maſculo ætatem quatuordecim annorum, & in fœmina duodecim, *cap. fin. de deſponſ. impuber. cap. 2. eod. titulo*, ubi requiritur pubertas ad contrahendum matrimonium, quæ in maſculo eſt ætas 14. annorum, & in fœmina 12. Quod ſi malitia ſuppleat ætatem, tunc illa ætas ſufficit, quæ requiritur ad generandum, *Barb. in collect. tom. 2. lib. 4. tit. 20. cap. 9. n. 12.* cenſetur verò moraliter completa ætas, etiam ſi deficiant quatuor, aut ſex dies, aut decem, ut docet *Guttierez de matrim. cap. 2. nu. 20.* quia non requiritur, ut metaphyſicè compleatur ætas.

Rogabis, an ſponſalia impuberum, ità firmentur jura-

juramento, ut nemini liceat post pubertatem resilire?

Respondeo cum *Sanchez lib. 1. disput. 51. q. 3. nu. 22. Coninck. disput. 23. dub. 2. concl. 3. n. 9.* & aliis contra *Basilium Pont. de matrim. lib. 12. cap. 9. nu.* dicentem non posse resilire adveniente pubertate, & colligi videtur *ex textu in cap. ex litteris, il. 2. de sponsalibus*, & sic docent *Antonius Naldus in summa in verbo sponsalia, num. 2. ex cap. de illis de desponsatione impuberum*, verum contrarium dicendum est, posse factum puberem resilire à sponsalibus non expectata alterius pubertate, ità *Sanchez tom. 1. lib. 1. disput. 51. nu. 9. Pontius lib. 12. cap. 9. Barb. in collect. tom. 1. tit. 2. cap. 7.* quia frustra expectatur eventus cujus nullus est effectus, *cap. cum contingit, de officio delegati*, ergo si ille, qui prius est factus pubes, potest altero pubertatem adepto reclamare, poterit etiam statim. Ad *text.* verò *in cap. de illis vers. si verò.* Respondetur, quod loquitur, quando quis tempore sponsalium erat pubes, & reclamat altero impubere existente, hoc n. casu est expectanda pubertas alterius.

In §. Initiatum, cum sex sequentibus.

AD intelligentiam horum §§. sciendum est primo, quod si duo sponsalia contraxerunt, & deindè amborum consensu velint illa dissolvere, poterunt, quia nihil tàm naturale est, quàm ut res per easdem causas dissolvi possit, per quas producuntur, *l. nihil tam naturale, ff. de regulis juris*, sed sponsalia solo consensu contrahi possunt, ergo eod. dissolvi poterunt.

Sciendum est secundo, quod si voluerint dissolvere sponsalia, antequam fiant puberes, non sunt audiendi, & si unus sit factus pubes, debet expectare, ut alter pubescat, nam majus animi judicium requiritur in dissolvendo, quam in contrahendo matrimonium, contractus est favorabilis, dissolutio verò est odiosa, *cap. nobis, de sponsalib.*

In §. Dissolvuntur cum tribus sequentibus.

AGitur in his juribus de modis, quibus Sponsalia dissolvuntur. Ad quorum intelligentiam Sciendum est, primo, quod sponsalia dirimuntur duobus modis principalibus, scilicet ipso jure, & facto hominis: in his tribus juribus agitur de modis, quibus solvuntur ipso jure, infra de modis, quibus solvuntur facto hominis.

Primo modo dissolvuntur sponsalia ipso jure per matrimonium subsequens cum alia persona, *cap. sicut ex litteris, cap. si inter virum, cap. adolescens de sponsalibus.* Ratio est, quia res tradita uni per contractum indissolubilem, non potest amplius tradi alteri, cui tantummodò promissa est, *Menoch.* qui concordantes adducit *de arbitr. Judic. lib. 3. cent. casu 455. Coninck. disp. 23. dub. 4. num. 28.*

Ampliatur etiam, si in matrimonio non sit sequuta copula, & in sponsalibus copula intervenerit *cap. 1.* ubi *Canonistæ de sponsa duorum*, peccat tamen mortaliter, qui matrimonium hoc casu contraheret; eo quia sponsam decepit, *cap. de illis, cap. sicut eodem titulo*, & nota signanter, quod licet olim sponsalia per copulam subsequentem transirent in matrimonium, *c. is, qui de sponsalibus*; tamen hodie nonquam per copulam sponsalia transeunt in matrimonium, nam in matrimonio requiruntur solemnitates, *Concil. Trid. sess. 24. cap. 1. de matrim. Navarrus, cap. 22. nu. 28.*

Ampliatur secundò conclusio, ut si postea dissolvatur posterius matrimonium non teneatur sponsus observare priora sponsalia, quia obligatio semel extincta, non reviviscit, *l. qui res, §. aream, ff. de solutionib. Coninck. disp. 23 dub. 4. num. 32.*

Ampliatur tertio, ut si post sponsalia cum prima sequantur Sponsalia cum secunda una cum copula, adhuc dissolvantur prima, ità contra *Sanch. lib. 1. disput. 49.* docet *Basilius, Potius lib. 12. cap. 14. nu. 4.* quia quando duo agunt, unus de lucro acquirendo, alter de damno evitando, huic potius favendum est, quam primo, sed secunda fœmina damnum patitur, & agit, ut damnum evitet, prior verò, ut lucrum acquirat, ergo huic potius faciendum est. Notant vero DD. citati, quod factus pubes, si vult potest reclamare, alias censebitur statim sponsalia confirmare, dicitur verò statim, si infra triduum fiat, *l. fin. C. de errore Advocatorum, l. fin. C. de Judiciis.*

Limitatur verò, quando matrimonium subsequens non esset validè celebratum, quia non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, *cap. non præstat, de regul. juris, in 6.* sed matrimonium invalidum non sortitur effectum, ergo non præstat impedimentum, ergo non sufficit ad dissolvenda sponsalia, *Guttierez de matrim. cap. 27. num. 1.*

An verò dissolvantur sponsalia per subsequens matrimonium facta cum juramento, ità ut sponsus dissoluto matrimonio per mortem conjugis, teneatur adimplere prima sponsalia, cum juramento facta, quæstio est? & verior est sententia, ita dissolvi per matrimonium ut amplius non reviviscant, & non teneatur amplius ad priora sponsalia, nisi fortè teneatur ratione damni, ut si defloravit Sponsam bonæ famæ, nec illi antea satisfecit. Ratio autem quare jurata sponsalia, ita se habeant, ea est, quia per matrimonium jam extincta sunt, ut supra, & juramentum firmat promissionem homini factam, sed obligatio extinguitur per subsequens matrimonium, ut non teneatur sponsus stare promissioni, seu sponsalibus, ergo etiam obligatio juramenti, ità *Sanchez lib. 1. disp. 48. Fillucc. tract. 10. c. 8. q. 1. nu. 272.*

Dices, qui vovit religionem, & postea uxorem duxit, tenetur mortua uxore Religionem ingredi, ut de communi docet *Sanch. lib. 1. disp. 48. cit.* ergo ità in casu nostro.

Respondetur, nego consequentiam, & disparitas est, quia sponsalia, & matrimonium sunt obligationes ejusdem rationis, & sic benè una per aliam tollitur, sicut votum religionis laxioris per votum religionis strictioris tollitur, at verò votum religionis, & matrimonium causant obligationes diversæ rationis nam una obligatur, quis Deo, altera homini, & sic merito una per aliam non tollitur, sed suspenditur, & sic non est in hoc audiendus *Bonac.* contrarium docens *de matrim. q. 1. pun. 2. nu. 3.*

Secundo modo dissolvuntur, sponsalia ipso jure per impedimentum superveniens quod dirimat matrimonium, ut est error personæ, affinitas superveniens, &c. nam non adest obligatio ad id, quod fieri non potest, & sic solvuntur sponsalia, quando quis contraxit sponsalia, & postea copulam habet cum consanguinea sponsæ in primo, vel secundo gradu, nam per talem copulam fit affinis sponsæ. Immò nedùm impedimentum, dirimens matrimonium, est causa sufficiens ad dissolvenda sponsalia, sed etiam fama publica de impedimento, aut scandalum, *cap. super eo, de consanguinitate, & affinitate.* Ideò si quis copulam habuit cum Berta Virgine, eam deflorando, cum mutua promissione futuri matrimonii, & postea cognoscit se consan-

guine-

guinem in quarto gradu, potest à matrimonio resilire, etiam invita Berta, quia promissio non obligat ad rem illicitam, sponsalia etiam jurata ob impedimentum superniena dissolvuntur. Quod si adesset scandalum, obligaretur à petendam dispensationem à Sede Apostolica.

Tertio modo dissolvuntur sponsalia ipso jure per ingressum religionis, tàm ex parte ingredientis, quam manentis in sæculo, etiam si esset jurata, *cap. veniens; qui clerici, vel voventes, cap. pervenit 2. de jure jurando, cap. 2. de voto.* Ratio est, quia promissio censetur facta sub hac conditione tacita, nisi melior status eligatur, sed melior status eligitur per ingressum religionis, ergo cessat obligatio promissionis matrimonij per ingressum religionis, *Sanch. lib. 1. disput. 42.*

An verò solvantur sponsalia per solum ingressum religionis, an sit expectanda professio? maxima est controversia; putat enim primo, *Covarr. de matrim. part. 1. cap. 5. num. 15. Navarr. in manuali, cap. 22. num.* 26. requiri professionem *Gabriel* verò, & alij, quos sequitur *Rebellius lib. 4. de obligat. justitiæ q. 8. sect. 6.* putant, distolvi quo ad eum, qui remanet in sæculo per solum ingressum religionis, quoad eum verò, qui ingreditur religionem requiri professionem, *Sanch.* tandem cum aliis *lib. 1. disp.* 41. docet solo ingressu religionis dissolvi quod utrunque, quæ opinio probabibilior est, ut benè *Pontius lib. 12. c. 10 n. 9.*

Ampliatur, ut neque teneatur stare sponsalibus, si deindè exeat de religione, quia obligatio semel extincta non reviviscit, nisi tamen ingressus fuerit in religionem, ut sponsam deciperet, quia tunc fraus ei non prodest, argumento *cap. ex tenore, de rescriptis*, hoc enim casu non eligitur melior status, sed fingitur eligi; ex parte autem sponsæ manentis in sæculo etiam cessat obligatio, quia ingrediens Religionem renunciavit sponsalibus quantum est ex parte sua; tùm quia promissio censetur facta; dummodò non superveniat notabilis mutatio. Legas *Sanch. ubi sup. disp.* 43.

Limitatur hoc in eo, qui factis sponsalibus, copulam virtute sponsalium extorsit à fæmina, quia hic non potest religionem ingredi, quam vovit post copulam extortam, nam hoc casu fit injuria alteri, ratione cujus injuriæ ingressus religionis est illicitus, *Sanch. ubi sup.* qui etiam addit, quod votum religionis, quod sponsus emisit hoc casu, non irritum, & invalidum, sed validum, & obligare post dissolutionem matrimonij, quia est de re licita, & habet tractum successivum.

Limitatur secundo in eo, qui facto voto religionis, vel castitatis, virginem defloravit cum promissione matrimonij, quia hic tenetur potius ad matrimonium contrahendum, quam ad votum implendum, *Sanchez lib. 1. disput.* 45. *Coninch. disput. 23. dub.* 3. & alij cum eis. Ratio est, quia si fæmina ignorabat votum ipsius, tenetur sponsus ex justitia, ergo potest suspendere votum religionis. Antecedens patet, consequentia probatur, quia majus est vinculum justitiæ, quam charitatis, sed ob vinculum charitatis potest, quis suspendere votum religionis, ergo à fortiori ob vinculum justitiæ. Major, & consequentia patent. Minor probatur, quia si filius habeat parentes egenos: potest ex vinculo charitatis suspendere votum religionis, ergo ex vinculo charitatis potest quis votum suspendere, ergo à fortiori ex vinculo justitiæ. Notandum etiam est, quod *Basilius de matrim. lib. 6. cap.* 12. *n.* 9. docet probabiliter, quod si talis tenebatur voto religionis, tenetur quidem contrahere sed ante consummationem debet ad religionem transire; quia sic utrique obligationi commodè satisfaceret, justitiæ scilicet contrahendo, voto verò transeundo ad religionem, quæ opinio, & si sit probabilis, tamen nostra est probabilior.

Dices promissio facta Deo est prior, & gravior promissione facta fæminæ, ergo est potior jure, & irritat posteriorem promissionem.

Respondetur, quod promissio prima facta Deo, cedit secundæ posteriori propter notabilem rerum mutationem, & justissimæ gravissimum vinculum superveniens.

An verò peccet mortaliter ille, qui facto voto simplici religionis, vult contrahere matrimonium animo ingrediendæ religionis, antea quam consumet matrimonium? quæstio est, nam negant *Cajetanus in summa verb. matrimonium*, & alij apud *Sanchez disput.* 43. *n.* 7. affirmant verò alij, quos sequitur *Sanchez ubi supra, & Filliuccius tract. 10. cap. 8. q. 5. n.* 282. Ratio est, quia facit gravem injuriam alteri conjugi, quæ cogeretur expectare alterius professionem, antequam posset cum alio contrahere, vel saltem cogeretur manere cum desertore religionis, si postea ille egrederetur de religione, nec Ecclesia concedit duos menses ad deliberandum, intendens, ut hoc fiat cum præjudicio, & deceptione tertij.

Quarto dissolvuntur sponsalia ipse jure per votum simplex castitatis, factum post ipsa sponsalia, nam semper in sponsalibus intelligitur illa conditio (nisi perfectior vitæ status eligatur) sed per votum castitatis eligitur profectior status ergo per votum castitatis sponsalia prima dirimuntur, legas *textum in cap. rursus extra, qui clerici, vel voventis. Sanchez lib. 1. disp. 46. Fill ucc. ubi sup. c. 8. q.* 16.

Ampliatur primo, etiamsi votum fiat prius quam contrahantur sponsalia, nam deindè sponsalia sunt invalida: nam si sponsalia, facta ante votum, irritantur per votum, ergo à fortiori sunt invalida, si fiant post votum DD. cit.

Ampliatur secundo, ut neque peccet mortaliter ille, qui contraxit sponsalia, si suscipiat Sacros ordines, quia semper quando contrahuntur sponsalia, intelligitur condisio illa melioris, status, & licet propositum celibatus sit melioris boni, tamen quia non est status melior, ideò non videtur subintellecta conditio Celibatus; at clericalis ordo est status immobilis, & ideò ex ipsa natura rei subintelligitur ea constitio in sponsalibus, & ideò nullum peccatum committit, qui, contractis sponsalibus, curat promoveri ad Sacros ordines, *Basilius Pont. de matrim. lib. 12. cap. 11. num.* 3. cum aliis, quos citat.

Quinto distolvuntur sponsalia ipso jure per votum suscipiendi ordines Sacros, quia per votum suscipiendi ordines Sacros, censetur eligi perfectior status, sed sponsalia habent hanc tacitam conditionem, nisi profectior status eligatur, ergo DD. cit.

Limitatur, quando quis voveret suscipere ordines minores, nam tunc sponsalia non dissolvuntur, sicut non dirimuntur per coram realem susceptionem, quia minores ordines non repugnant statui matrimonij, miuores verò repugnant.

Ex quo nota obiter, quod qui vovit sacros ordines, non tenetur ex eo tempore, quo vovit ad castitatem, sed quando eos suscipit, quia castitas est, quid annexum majoribus ordinibus, sicut qui vovit religionem, non tenetur ex eo tempore, quo vovit ad onera religionis, puta ad jejunia obedientiam, &c. DD. ubi sup.

Secũdo nota, quod licet pro ordinationem sacram dissolvantur sponsalia, *cap. unico, de voto, in 6.* sicut, & matrimonium, tamen id intelligitur, quando ordo sacer est præcedens, nam si sit subsequens, non solvit matrimonium præcedens, sed remanet matrimonium, & illicitè ordo suscipitur, ut in extra-

vaganti *Joan.* 22. incipiente, *Antiqua sub tit. de voto.*

Sexto sponsalia dissolvuntur ipso jure advenienta die assignato ad contrahendum matrimonium *cap. sicut de sponsalib.* promisio fuit facta pro tali tempore, *cap. à nobis de despons. impub.* quod si nullus terminus sit præfixus ad contrahendum tunc potarit ab uno requiri, ut perficiat sponsalia, *Menoch de arbitr. jud. lib.* 2. *cent.* 5. *casu* 455. *cap. de illis*, *c. per tuas de cond. appositis*, & poterit etiam Episcopus illud determinare, *Coninch. de Sacram. disp.* 22. *dub.* 1.

In §. facto hominis, cum sequentib.

AGitur in his juribus de modis, quibus solvuntur sponsalia facto hominis; quorum.

Primus est pro consensum amborum contrabentium etiamsi sponsalia facta fuerint, cum juramento, nisi fortè sint contrahentas impuberes nam juramentum non tollit facultatem remittendi, & ille, in cujus favorem factum est juramentum, potest juri suo cedera, *Lessius lib.* 2. *c.* 42. *dub.* 12. *n.* 57. *Sanch. lib.* 1. *disp.* 52. *n.* 8.

An verò si sponsalia communi consensu dissolvantur, oriatur hoc non obstante impedimentum publicæ honastatis magna est altercatio: affirmat n. *Sanch. tom.* 2 *lib.* 7. *dub.* 65. *n.* 21. Negant verò *Eman Sa in verb. matrimonium*, *n.* 12. *Basil. Pont lib.* 7. *cap.* 36. *n.* 9. *Gutter. de matrim. cap.* 103. qui docent sic declarasse Sac. Congreg.

Neque dicas ex *Sanch.* quod si sponselia morte unius dissolvantur, durat impedimentum publicæ honestatis, ergo etiam si mutuo consensu dissolvantur. Respondetur. n. disparem esse rationem, quia in morte, qui contraxit sponsalia, censetur in eadem voluntate decessisse, vel saltem debuisse decedere, quandiù altar non dissentit, quod non est in casu nostro, nam adest expressa voluntas dissolutionis sponsaliorum. Ex quo infertur in praxi, quod si quis contraxit sponsalia cum filia, & postea illa ax communi consensu dissolvit, contrahere poterit cum matre sine Summi Pontif. dispansatione, quia non durat impedimentum publicæ honestatis, DD. ubi sup.

Secundus modus est, fornicatio alterius conjugis, etiamsi jurata essent, *cap. quem admod. de jure juran.* quia eo ipso, quod fornicatur quis, fit suspectus de fide conjugii in futurum servanda, ergo alter non tanetur stare sponsalibus, ergo sponsalia dissolvuntur per fornicationem ipsius edvanientem *Sanch. lib.* 1. *disp.* 55. *Coninch. disp.* 23. *dub.* 7.

Ampliatur primo, sive fornicetur, sponsa, sive sponsus, nem eadem militat ratio in utroque DD. ubi sup.

Ampliatur sacundo, atiam si fæmina, non fornicetur, sed solùm patiatur sa tangi per amplexus, oscula, &c. quia hæc censetur notabilis mutatio ex parte sponsi, vergens in magnum viri dedecus, que mutatione prævisa, si sponsus non promisisset: non idem ast dicendum de sponso, qui hos actus patitur alia, nam nullum sequitur dedecus sponsæ, nisi tales actus assent frequentes, ità ut indicarent propensum animi sponsi in aliam, ut merito timeri possit, nè ipse minus sit sponsam amaturus aut fidem ai non servaturus *Coninch. de Sacram. disp.* 23. *dub.* 7. *Laynan. lib.* 5. *tract.* 10. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 15.

Amplietur tertio, etiamsi fæmina per vim cogita fuit carnaliter, nam hæc censetur notabilis mutatio ex parte sponsæ ex qua vir potest grave dedecus pati; quod si vir carnaliter aliam cognoverit, omninò invitus, tunc sponsalia probabila ast non dissolvi, quia fæmina nullam incurrit infamia notam, nec aliud damnum patitur ducendo sponsum, qui omninò invitus, & sine culpa fornicetionem passus est, ità contra *Gloss. nec sic quippe* 27. *q.* 2. docet *Sanch. ubi sup. lib.* 1. *disput.* 55.

Ampliatur quarto, in fornicatione spirituali, ideò si quis post contracta sponsalia, incidit in hæresim, poterit repudiari à Catholico, *cap. non possit*, *cap. adulator, jam nunc.* 28. *q.* 2. *Sanch. & Fillincc. ubi sup.* nam talis fornicatio censetur notabilis mutatio: immò tenetur Catholicus eo casu resilire à sponsalibus, quia contrahere matrimonium cum hæretico est p. m. ut dicemus infra.

Ampliatur quinto, quando ambo fornicati sunt, quia tunc licebit solum viro à sponsalibus relisire, non fæminæ, ità *Coninch. disp.* 23. *dub.* 7. *concl.* 6. *n.* 63. *Sanch. lib.* 1. *disp.* 55. *Basil. Pont. lib.* 12 *c.* 17. *Layn. lib.* 5. *tract.* 10. *p.* 1. *c.* 2. *Bonac. de matrim. q.* 1. *p.* 8.

Limitatur, ut dissolvantur sponsalia ex parte innocentis, non varò ex parte fornicantis, qui non debet ex sua culpa commodum reportare; & ideò si innocens vellet stare sponsalibus, tenetur fornicarius stare, quia quod est in favorem alterius introductum, non potest in ejus odium retorqueri, *l. quod favore*, *C. de legib.*

Tertius modus, quo dissolvuntur sponsalia facto hominis, est discessus alterius sponsi in longinquum, absque alterius licentia, *cap. illis extra de sponsal.* quod si discesserit de consensu alterius, expectandum est tempus conventum inter ipsos. Regulariter varò quando est in provincia, est expectandus per biennium, *l.* 2. *C. de sponsal.* quando veiò est sponsus expectari debet per triennium, *l.* 1. *C. de repud. Menoch. de arbitr. judic. cent.* 5. *casu* 455.

Quartus modus, quo dissolvuntur sponsalia, est notabilis mutatio, seù causa de novo superveniens sponsalibus, qua cognita, non contraxissent contrahentes, ideo non tenetur sponsus contrahere cum sponsa, quæ post sponsalia incidit in lepram, vel paralysim, vel in morbum gallicum, vel aliam gravem infirmitatem, vel quando oculos, aut nasum amisit, sicut ob easdem causas non tenetur sponsa ducere sponsum *Sanch. lib.* 1. *disp.* 57. *Ricc. decis.* 232. sicut nec tenetur sponsus contrahere cum sponsa, quæ ax pulchra evasit notabiliter turpis, idem dic, si os sponsæ malè oleat, nec fætor medicinæ arte auferri possit, sic poterunt solvi sponsalia ob notabilem paupertatem supervenientem, sicut nec tenetur sponsa stare sponsalibus, quando sponsus damnatus est de aliquo crimine turpi, puta de furto, & similibus, quæ omnia deducuntur, ex *cap. quemadmodum*, *de jure juran.*

Ex quo infertur, quod si utarque sponsus in paupertatem incidit post sponsalia, non poterunt dissolvi, quia paupertas unius, compensatur cum paupertate alterius: quod si unus efficiatur veldè dives post sponsalia, tunc non dissolvuntur, quia notabilis mutatio, non est ex sua propria parsona, in quam non potuit ferri consensus. An vero nulla dotis promissione prævia, possint dissolvi sponsalia ob paupartatem sponsæ supervenientem? quæstio est, & negativè respondent multi, apud *Sanchez tom.* 1. *lib.* 1. *disp.* 59. *num* 3. quia sibi sponsus imputare debet, quod nullum de dote tradenda pactum fecerit: affirmativè vero respondent alii, apud *Basil. Pont lib.* 12, *cap.* 17. *num.* 7. *Villalob. in summ. tom.* 1. *tract. diffic.* 12. *num.* 19. ratio est, quia hæc notabilis mutatio, quæ si à principio existeret, sponsalia non contraharentur, regulariter enim promissio facta intelligitur, rebus sic stantibus, *d. cap. quemadmodum.*

Infertur secundo, superveniente gravi inimicitia

initer

inter ſponſos, diſſolvuntur ſponſalia, quia hæc cenſetur gravis, & notabilis mutatio ſuperveniens. Idem dic quando putabatur ſponſa virgo, vel dices fed poſtea fuit inventa ab alio defloata: idem dic, ſi ſuperveniat morom aſperitas, & ſævitia de novo cognita. *Sanch. lib. 1. diſp. 58.*

Quod ſi aliquia, ità eſſet affectus, ut etiam ſi vitium, ſeu mutationem cognoviſſet adhuc ſponſalia contraxiſſet, tunc non poterit ex vitio ſupervenien. te reſilere à ſponſalibus, communiter DD. apud *Bonacinam*, ubi ſupra, quia illa mutatio ſufficit ad diſſolvenda ſponſalia, quæ cenſentur ſaltem tacitè contra voluntatem promittentis, ſed non ità ſe habet res in caſu noſtro, ergo.

Quintus modus, quo diſſolvuntur ſponſalia eſt, quando fuerunt contra, per mætum levem, incuſſum ad illa extorquenda, tunc enim in foro conſcientiæ ſolvi poterunt, quia alioquin ille, qui damnum infert, reportaret commodum ex ſuo delicto: quod ſi eſſent per metum gravem facta tunc ſunt ipſo jure irrita, ut infrà. In foro tamen externo non dator actio ad diſſolvenda ſponſalia facta pro metum levem, *l. nec timorem, ff. de eo, quod metus cauſa*; alioquin præberetur occaſio multis litibus, *Sanch. diſput. 4.*

Sponſalia verò celebrata dolo, dante cauſam contractui, ſunt ipſo jure, irrita, quia cum ſint contractus bonæ fidei, conſequenter per dolum, dantem cauſam contractui, irrita ſunt ſponſalia, *l. & eleganter, ff. de dolo*, celebrata verò per dolum incidentem in contractu, ſunt valida. *Filliucc.* qui concordantea adducit *tract. 7. c. 8. q. 11. n. 297.*

Sextus modus enumeratus, quo poſſunt diſſolvi ſponſalia eſt, quando conditiones, ſub quibus celebrata fuerunt ſponſalia, non fuerunt adimpletæ, quia non obligant ſponſalia ultra intentionem promittentium, ſed promittentes non habent intentionem ſe obligandi, niſi ſub talibus conditionibus, ergo.

Rogabis, an ſit neceſſaria auctoritas Judicis diſſolventis ſponſalia, dum occurrunt cauſæ diſſolvendi ſup. enumer.

Reſpondetur, *Innocent. in cap. de illis, de deſponſat. impub.* docere, nunquam poſſe propria auctoritate diſſolvi, & probat ex *c. duo pueri, in fine, de deſponſ. impub.* ubi imponitur pænitentia cuidam, qui judicio Eccleſiæ irrequiſito, ſponſam dimiſerat, & ex *c. de illis, il 1. eod. tit. & c. ſeculares 23. q. 2.* ubi puniuntur, qui abſque auctorit. Eccl. ſeparantur.

Verum pro perfecta hujus rei reſolutione diſtinguendi ſunt tres caſus: quorum.

Primus eſt, quando cauſa diſſolvendi ſponſalia eſt publica, & certa, tam de jure, quam de facto, quia eſt certum, talem cauſam adeſſe, tunc licet ſponſalia ſint poblica, poſſunt propria auctorit. diſſolvi, quia tunc ſcandalum ceſſat, cum diſſolutionis cauſa publica ſit, *Sanch. lib. 1. diſp. 69.*

Secundus eſt caſus, quando cauſa eſt certa de jure, & de facto, in eſt occulta, & ſponſalia publica, & hoc caſu requiritur auctoritas Judicis, ad ea diſſolvenda, non tamen eſſet culpa lethalis, ſed ſolum venialis, ea propria auctoritate diſſolvere, niſi inde grave ſcandalum oriatur, *Sanch. ubi ſup. n. 6.*

Tertius eſt caſus, quando cauſa eſt dubia de jure; quia non eſt certum, eſſe ſufficientem, vel de facto, quia alter non eſt certus, eam adeſſe, & tunc p. m. propria auctorit. ſolvere ſponſalia, quia eſt probabile periculum injuſtitiæ, dùm ſociatur alter in dubio jure ſibi acquiſito, ut impleatur fides data, *Sanch. ubi ſup. num. 8.*

Rogabis ſecundo, quis ſit Judex competens diſſolutionis, quando requiritur?

Reſp. Eccleſiaſticum ordinarium, vel delegatum, ut Epiſcopum, vel Delegatum, ab eo, quia ſumus in materia ſpirituali, quæ pertinent ad Judicem Eccleſiaſticum *Ricc. dec. 245.*

Rogabis ultimo, an ſponſalia incertà, ſint verà ſponſalia.

Reſpond. negativè, quia ex veris ſponſalibus oritur impedimentum publicæ honeſtatis, ut ſup. ſed ex ſponſalibus incertis non oritur, *c. 1. de ſponſal. in 6.* ergo; dicuntur verò ſponſalia incerta, quando Caius promittit tribus, vel quatuor Filiabus Titii, ſe unam illarum ducturum, & ipſæ ſimiliter repromittunt.

Hæc autem ſponſalia incerta redduntur certa per determinationem, & electionem promiſſoris, qua poſita ſtatim inducitur impedimentum publicæ honeſtatis, *Trid. ſeſſ. 24. c. 1*, quod ſi cum una habeat copulam, cenſetur ſufficienter determinata, cum per copulam ſiat affinia reliquis ſororibus, ita ut non poſſit unam aliarum ducere.

Ex quibus ſponſalibus incertis oritur obligatio adimplendi ea. Quòd ſi pater unam ex quatuor filiabus promiſerit Titio in uxorem, & Titius rem habuerit cum alia, non tenetur pater aliam tradere, eo quod per copulam habitam cum una ortum ſit impedimentum affinitatis cum aliis, neque tenetur tradere eam, cum qua habuit copulam, quia liberum erat patri, tradere quam vellet, nec pater debet privari jure, & libertate ſua ob copulam Titii delinquentis DD. cit.

TITULUS XI.

DE NUPTIIS.

VISUM eſt ſupra de ſponſalibus, quia verò poſt ſponſalia ſiunt ſolemnitates nuptiarum, puta tranſportatur oxor in domum viri contracto matrimonio, merito ponitur hic titulus de Nuptiis, ad cujus intelligentiam.

Sciendum eſt primo, quod habemus in Jure noſtro plures terminos, ſcilicet conjugium, connubium, conturbenium, nuptiæ, ſponſalia, & matrimonium Conjugium matrimonium ſignificat, ut titulo extrà de conjugio leproſorum; propriè verò loquendo denotat concordiam, & maritalem fidem, & dicitur conjugium à communi jugo, *c. conjuges 27. q. 2.*

Connubium metrimonium conſummatum denotat, ut notatur in *l. 2. & 3. C. de inceſtis nuptiis.*

Contubernium cadit inter ſervos, qui de Jure Civili matrimonium contrahere non poſſunt, *l. cum ancillis, C. de inceſtis nuptiis.* Sed de Jure Canonico contrahere poſſunt, ut in *tit. extrà conjugio ſervorum.*

Nuptiæ ſumuntur in Jure noſtro tribus modis, primo pro matrimonio contracto per verba de præſenti, ſecundo pro matrimonio conſummato, tertio pro feſtivitate, & ſolemnitate nuptiarum, ut notatur in *cap. de ſponſalib. & in rubrica, ff. de ritu nuptiarum*: Dicuntur autem nuptiæ à quadam nubendi cæremonia, apud Romanos uſitata; illæ enim matronæ, quæ in domum viri ducendæ erant, certo velaminis genere obnubebantur, & faciem in ſimbolum pudoris, & ſubjectionis, velabant, quem ritum antiquiſſimum eſſe colligitur ex hiſtoria *Rebecch. Geneſ. cap. 24. con. hac imago, & can. mulierem 25. q. 1.*

Sponſalia ſunt promiſſio futurarum nuptiarum, de quibus in titulo præcedenti.

Matrimonium est Maris, & fœminæ conjunctio individuam vita consuetudinem continens, divini, & humani Juris, communicatio.

Sciendum secundo est, quod aliæ nuptiæ sunt legitimæ, aliæ nefariæ, aliæ ingestuosæ nuptiæ legitimæ sunt, quæ secundum præcepte canonum celebrantur; nuptiæ nefariæ sunt illæ, de quibus non est fas homini, ut loquatur, putà cum quis rem habet cum matre avia, vel alia ascendente, aut si rem habet cum filia, nepte, vel alia descendente, qui tenentur per septem annos pænitentiam agere in excommunicatione persistentes, *cap. hoc ipsum. §. 1. 33. quæst. 2.* Nuptiæ incestuosæ dicuntur illæ, quæ patiantur cum consanguineis, vel affinibus, usque ad quartum gradum computandum de jure canonico: & filij nati in figura matrimonij ex quo mulier habebat alium virum secundo ignorante dicuntur legitimi, & succedunt ei, ut legitimi, qui id ignorabat *Glos. in l. 4. C. de incestis nuptiis, Francus dec. 130.*

Sciendum est tertio, nuptias, aut esse primas, aut secundas, secundæ dicuntur omnes post primas, & non benedicuntur, *cap. 1. & 3. de 2. nuptiis*, cujus rei ratio multiplex à DD. assignatur, primo enim dicit *Gloss.* id esse ad exhortationem continentiæ: quæ ratio non est vera, nam jure nostro nè dum permittuntur secundæ nuptiæ sed etiam multo majores, *cap. aperiant 31. quæst. 1.* ubi cum quidam æmuli S. Hieronymi eum reprehenderent dicentes, quod damnabat secundas nuptias, Sanctus Hieronymus respondit libera voce proclamo quod nec etiam octavas nuptias condemno, & ipse idem refert quandam mulierem duxisse 22. maritos, & deinde mortuo ultimo cum alio nupsit, qui etiam ipse 20. uxores sepelierat, ut ex *S. Hieronymo lib. 3. Epistolarum tract. 7. Epist. 26.* recenset *Boer. quæst. 180.* ergo non bene dixit *Glossa*: quod secundæ nuptiæ non benedicuntur ad exhortationem continentiæ.

Alij secundo dicunt, ideò secundas nuptias non benedici, quia sacramentum reiterari non debet, ità *Gloss. in d cap. 1.* verum hæc ratio non valet, quia talis benedictio non est sacramentum, & dato, quod esset Sacramentum, tamen enumeratur inter Sacramenta, quæ reiterari possunt, ut potè non imprimentia characterem, ut benè *Ancharan. in d. cap. 1. de 2. nuptiis. S. Thom. in 4. dist. 42. q. 3. ar. 2.*

Tertia igitur ratio, quare secundæ nuptiæ non benedicuntur ea est, quia benedictio semel habita durat, & qui transit ad secundas nuptias communicat socio, vel sociæ eam benedictionem, semel est consecutus, sicut aqua non benedicta si miscetur benedictæ censetur etiam ipsa benedicta, *cap. quod in dubiis, de consecr. Eccles. vel altaris*, & vir infidelis per mulierem fidelem sanctificatur, *cap. 1. 28. dist.*

Cum autem in *Concil. Trid. sess. 24. cap. 1. de reformat. matrim.* dicit nuptias esse benedicendas, intelligitur de primis, non de secundis, qua de re, legas *Menoch. de arbitr. Judic. lib. 2. cent. 5. casu 417.*

Quà autem pœna puniendus sit sacerdos, benedicens secundas nuptias quæstio fuit inter DD. & magis recepta est DD. sententia, puniendum esse pœna arbitraria, ità post *Abbatem*, & alios docet *Diaz. in praxi criminali canonica cap. 74. num. 3.* & licet *text. in cap. 1. de 2. nuptiis*, videatur imponere pœnam suspensionis ab officio, & cum testimonio litterarum proprij Episcopi destinandos est ad Sedem Apostolicam, tamen textus prædictus, loquitur de sacerdote, qui benedixit, secundas nuptias vivente prima, ut benè *Menoch. ubi supra*, qui etiam addit, quod prædicta pœna arbitraria cessat quando bigamus contraxit, cum virgine, nam nuptiæ istæ possunt benedici.

Sciendum est quarto, quod ad nuptias contrahendas plura requiruntur.

Primo mutuus consensus explicatus per verba de præsenti, *l. nuptias, ff. de regul. Juris, cap. per tuas de sponsa duorum, cap. 1. & cap. tuæ de sponsalibus*, non enim concubitus, seù copula carnalis, sed consensus nuptias & matrimonium facit.

Nec sufficit consensus ipsorum contrahentium, sed requiritur consensus parentum de jure Civili, *l. 2. C. de nuptiis §. 1. Institut. de nuptiis*, & hic parentum consensus, adeò necessarius erat de jure civili, ut in ipso negotio interponi deberet, nec sufficiebat, ut posteà sequeretur, ratum habendo, ut ibi probatur, & ad *text. in l. licet proponis, C. eodem*, ubi videtur probari matrimonium à principio sine patris consensu contractum haberi pro legitimo si pater postea consentiat; Respondetur, verum esse haberi pro legitmo, sed non ab eo tempore, quo matrimonium fuit contractum, sed à tempore, quo Pater consensit.

De Jure tamen Canonico, non requiritur consensus parentum, quando filius contrahit de necessitate matrimonij, sed solum de honestate, *Trid. sess. 24. cap. 1. de reformat.* Immò neque valeret lex municipalis, quæ disponeret aliquod, contra filios contrahentes sine consensu parentum, ut contra multos, quos refert, & sequitur *Basilius Pont de matrim. lib. 2. cap. 1.* tenet *Sanch. de matrim, tom. 1. lib. 4. disp. 25.* ob eam rationem, quia tolleretur libertas matrimonij.

Neque per hoc, quod filia nubat sine consensu parentum poterit jure canonico attento exhæredari, sed esset dotanda, ut cæteræ, ut latè docet *Facchineus lib. 3. controv. Juris, cap. 45.* quia per indirectum tolleretur libertas matrimonij.

Dices primo obstat *textus in cap. aliter 30. quæst. 5.* ubi *Evarista Papa*, scribens Africæ Episcopis, ait, *Petendas esse filias à parentibus, alioquin matrimonia esse invalida.*

Respondetur enim, antiquiores canones in hoc correctos fuisse, ut benè *Sotus de institut. Sacerdotali de Sacram. matrimonij section. 1. fol. 316. & l. 3. fol. 325.*

Dices secundos, ex hæreticis, ergo nos docemus filios parentibus obedientiam denegare.

Respondetur, ex *Soto, ubi supra*, docere nos filios, juxtà parentum consilia, quæ à meliori non retrahunt, sequi oportere, & peccare eos, qui hæc spræverint, non tamen matrimonia esse irritanda, in quibus filiorum voluntas tantum adsit.

Quæ quidem doctrina, adeò vera est, ut possit filia nubere attento jure S. C. *Trid.* & consequi legatum majus relictum, si cum consensu nupserint, v. g. disposuit quis, ut si Titia nuberet sinè consensu Parentum, deberet habere sexcenta, si verò nuberet cum consensu, debeat habere mille, adhuc nubens sine consensu, debet habere mille, quia alioquin impediretur libertas matrimonij, ut docet *Vivia in Sylva communium opinionum, opin. 327. Antonius Gama in Decis. Lusitanæ 314.* qui sic decisum refert in *Senatu Lusitano.* Idem decet *Joannes Valerus in differentiis, utriusque fori in verb. testamentum, diff. 10.*

Rogabis, an possit pater filiam exhæredare, vel filium, si contra suam voluntatem nupserit indigno?

Respondetur, quod de jure, *Digestorum civili poterat id Pater facere, l. 2. §. emancipatur, C. de honor. poss. contra tabul.* sed de jure novissimo *Authen*, non potest, sed tria concurrere debent adhoc, ut pater possit filiam exhæredare primo, ut pater intendat filiam nuptui tradere, &

& eam congruenter dotare; secundo ut filia repugnet matrimonio, & statim vitam luxuriosam eligat, tertio, ut filia non excedat annum 25. §. *aliud, quoque capitulum Authen. ut cum de appellat. cognoscitur*; quod à fortiori procedit de jure Canonico, & in conscientia, quo jure matrimonia debent esse libera, *cap. Gemma de sponsalibus*. In foro, ergo conscientiæ non potest Pater filiam exhæredare etiam si nubat viro ignobili, & indigno contra suam voluntatem, *Covarr. de sponsalib. par. 2. cap. 3. §. 8.* quamvis enim filia peccet mortaliter, quia facit contra præceptum de honorandis parentibus in re gravi, ut post multos concludit *Barb. in l. 1. par. 4. nu. 36. ff. sol. matrim.* tamen non per hoc exhæredari potest in foro conscientiæ, *Valer. in diff. utriusque fori in verb. matrim. diff. 1.*

Secundo requiritur in nuptiis contrahendis, ut scilicet contrahantur secundum jur s præcepta, ut hic, & in *l. unica, C. de raptu Virginum*; ratio est, quia, quod contra legem fit pro non facto habetur; *l. non dubium, C. de legib.*

Tertiò requiritur, ut masculi sint puberes, idest ut excedant annum 14. & fœminæ viri potentes, idest, ut excedant annum 12. ut in principio tituli de nuptiis: de jure verò Canonico, hoc non requiritur, sed sola potentia coeundi attenditur, *cap. sufficit 27. quæst. 2. cap. impuberes, de despons. impub.* & licet olim judicaretur pubertas ex inspectione pudendorum, ut docent *Gl. & DD. in cap. puberes, & cap. de illis, de despons. impub.* tamen honestius putavit legislator, non inspiciendo corpus in pudendis, sed ex numero annorum judicari pubertatem, vel viri potentiam. De jure tamen Canonico sola potentia coeundi attenditur, ut *in d. cap. impuberes.*

Si verò quæras rationem quare fæmina pubescit in 12. anno, vir verò in 14. & sic citius fæmina, quam vir; Respondetur, quod ea est, quia mala herba cito crescit, & ratio rationis est; quæ desumitur ex philosophico principio, quia quo res est perfectior, eo tardius venit ad sui maturitatem, ob multa, quæ requirit adminicula, sed homo est fæmina perfectior, ergo tardius ad sui maturitatem venit.

Potest tamen Summus Pontifex justa existente causa dispensare, ut fit matrimonium antequam pubescat, quis, ut in nostro textu habetur, *argum. text. in c. 2. de despons. impub. c. p. hoc quippè 3. q. 6. & 29. dist. per tot.*

In §. Licet autem cum sequenti.

Conclusio horum jurium est, quod in nuptiis contrahendis consensus requisitus exprimi debet per verba indicantia eum de præsenti, v. g. accipio te in uxorem, vel tractabo te, ut uxorem, *Abbas in cap. Juravit de probationibus.* Illi verò qui loqui non possunt, sat est, ut per signa, vel nutus consensum ostendant, pota caput inclinando, & alia similia faciendo, *cap. cum apud: cap. tua nos, de sponsalibus.* An verò peccet venialiter quis potens loqui, contraheret matrimonium per signa, si nutus, quæstio est, & licet affirmativè respondent, *Sanchez de matrimon. lib. 3. disp. 31. n. 10* tamen nullam adesse culpam, docet *Basilius Pontius de matrimon. lib. 2. cap. 7. n. 14.* quia nullum hujus rei adest præceptum, & Summus Pontifex, in *cap. tuæ fraternitati, & cap. licet de sponsa duorum*, non tradit præceptum, nec intendit excludere alia signa sensibilia expressiva consensus, ideò à fortiori recedas à *Ledesma, Rodriquez*, & aliis quos sequ tur *Sylvius 3. par. quæst. 44. art. 2.* qui docent, peccare mortaliter hos

talea potentes loqui, & non loquentes, sed per signa, & nutus consensum exprimentes, quia nullibi adest præceptum, ergo, nullum peccatum dari potest, ubi nullum adest præceptum.

Rogabis etiam, quis debeat prius interrogari, de consensu fæmina, an vir?

Respondetur nihil importare, quod vir prius, vel fæmina interrogetur, honestius tamen est, ac multis de causis justius, ut fæminæ prius, quam viri requirantur, cum fæmina sit inconstans; & imbecillis, & ideò prius debet ejus consensus explorari; ne interrogato viro ipsa posteà interrogata dissentiat in ignorantiam viri, & sic ipsam prius interrogari solet de consuetudine; quod si actu externo consentiat, & animo dissentiat in foro interiori, in foro exteriori habetur pro matrimonio, sed in foro interiori non est matrimonium, *c. sufficit. 27. q. 2. Covarr. de sponsal. p. 2. c. 4.*

Rogabis tandem, an si Parochus intellecto consensu contrahentium, non dicat (Ego vos conjungo in nomine Patris, &c.) peccet mortaliter?

Respondetur secundum, *Rebellum par. 2. de obligat. instit. lib. 2. quæst. 7. Genedum in quæstion. Canonicis, quæst. 30. num. 38.* Esse peccatum mortale, quia *Tridentin sess. 24. cap. 1.* utitur verbis præceptivis, ibi, *Præcepit S. Synodus, ut Parochus virum, & mulierem interrogans, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat ego*, vos conjungo in matrimonium, in nomine, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vel aliis utatur verbis, juxtà receptum unius cujusque provinciæ ritum. Alij verò, & melius putant, Parochum solum peccare venialiter, ità docet *Gutierez de matrimonio, cap. 69. n. 16. Sanch. 1. tom. lib. 3. disp. 38. n. 7. Coninch. de Sacrament. disp. 27. dub. 4. n. 45. Villalobos in summa tom. 1. tractat. 13. diff. 6. n. 3.* Probatur, quia materia non est gravis, cum ea verba non sint requisita de forma Sacramenti, nec pertineant ad solemnitatem magni momenti, nec includant aliquod mysterium magnæ significationis, nec ex verbis concilij aliquid colligitur, nam iisdem verbis præcipit ibi concilium, ut Parochus interroget contrahentes de mutuo consensu, & tamen omisso hujus interrogationis non est peccatum mortale, ergo, nec omissio verborum. Quod verò Parochus non teneatur sub peccato mortali interrogare sponsos de mutuo consensu, quando aliàs Parocho constat, eos mutuo consentire, docet *Coninch. de Sacram. disp. 27 dub. 8. conclus. 4. n. 74. Sanchez lib. 3. disp. 38. Guttierrez cap. 69. n. 17.* Sicut nec tenetur Parochus inter rogare contrahentes, an habeant aliquod impedimentum, nec contrahere possint. ut docent, DD. cit.

In §. Illud quodque.

Conclusio hujus textus est, quod licet de jure Civili non dicatur matrimonium inter servos, sed contubernium, *l. cum ancillis, Cod. de incestis nuptiis, l. servi, ff. ad leg. Juliam, de adulteriis.* tamen de jure canonico verum est matrimonium inter servos; quod matrimonium erit sacramentum, si servi sint Christiani, secus si Christiani non sint *cap. 1. & toto titulo de conjugio servorum.*

Ampliatur conclusio, ut possit servus invito domino validè contrahere matrimonium cum serva, vel cum libera, modo servitus sit nota personæ liberæ, *Sanchez lib. 7. disp. 22. Guttierez de matrimon. cap. 92. Filliucc. tractat. 10. par. 2. cap. 2. quæst. 6.* Ratio est, quia matrimonium concessum fuit à Jure naturali, & divino in remedium concupiscentiæ, & ad propagationem naturæ humanæ,

ſed hoc jus non poteſt à dominis auferri ipſis ſervis, ergo, immò peccant mortaliter Domini impediendo ſervos, nè matrimonium faciant, aut impediendo eorum maritale commercium poſt contractum matrimonium, quia facerent contra Jus tributum illis à natura. Non tenetur tamen dominus conſentire, nè ſibi afferat præjudicium *Rebellius lib. 3. quæſt. 3. Sanchez lib. 7. diſput.* 21. Quia verò ſervua per matrimonium non liberatur ab obligatione ſervitij erga dominum, ideò cavere debet, ne dominum privet debitis obſequiis, quod ſi detur caſus, quod dominus petat ſervitium, & mulier petat debitum, tenebitur potius uxori, quam domino, nam matrimonium eſt favorabile, DD. citati; licet *Abbas in diſt. cap.* 1. *de conjugio ſervorum*; ità diſtinguat, aut matrimonium eſt celebratum cum conſenſu Domini, & tenebitur potius uxori, quia talis domini conſenſus cenſetur datus ad omnia ſubſequentia: aut verò matrimonium, ſinè tali conſenſu domini fuit celebratum, & hoc caſu tenetur potius Domino, quia qui prior eſt in tempore, eſt potior in jure: *l. aſſiduis*, *C. qui pot. in pign. hab.*

Ampliatur ſecundo, ut Domini non poſſint, abſque peccato mortali vendere ſervos in locis diſtantibus, in quibus ſervi non poterunt ſibi debitum reddere, quando matrimonium eſt contractum de eorum licentia, ratio eſt, quia ſicut Domini non poſſunt poſitivè impedire, ne ſervi matrimonium contrahant, ità non poſſunt facere, nè utantur matrimonio contracto, DD. citati.

An verò poſſint Domini ſine peccato mortali vendere ſervos in partibus diſtantibus, quando ſervi ſine ipſorum licentia matrimonium extraxerunt quæſtio eſt? etenim communiter Civiliſtæ docent; non peccare mortaliter dominum hoc caſu, quia ſicut poterat dominus antè contractum matrimonium ſervos in locos diſtantes vendere, ità poſt contractum matrimonium, quia per matrimonium Dominus non amittit Jus ſuum in ſervos, nec fit deterioris conditionis, ea eo, quod ſervus Domino, ignorante matrimonium contraxit. Theologi autem cum *S. Thom. in addit. ad 3. par. quæſt.* 52. *art.* 2. *Soto in* 4. *diſt.* 35. *art.* 4. *Sanchez lib.* 7. *diſput.* 21. *&* 23. *num.* 11. ducunt, dominum hoc caſu peccare mortaliter, quando alter conjux non poteſt ſequi commodè alterum, ratio eſt, quia Domini peccant impediendo matrimonium ſervorum ergo multò magis peccant impediendo perpetuo matrimonij uſum, & ideò ſi dominus vendat ſervos in locis, ità diſtantibus, ut nihilominus poſſint ſibi debitum reddere, non peccat mortaliter, *DD. cit.*

In §. Si quis tamen.

COnclusio hujus textus eſt, quod ſi quis contraxerit cum ancilla, non valet matrimonium, quia eſt error perſonæ, *cap.* 2. *de conjugio ſervorum*, quod ſi quis intendat contrahere cum ingenua, & contraxit cum libertina, valet matrimonium, quia illa libera eſt, ſed.

Rogabis primo, an valeat matrimonium quando liber contrahit cum ſerva neſciens illam eſſe ſervam, ſed ità eſt affectua, ut ſi cognoſceret eſſe ſervam, ad huc contraheret?

Reſpondetur, non valere matrimonium ſecundum *Sotum in* 4. *diſt.* 35. *Henriquez lib.* 11. *cap.* 10. quia ad validitatem matrimonij requiritur conſenſus poſitivus, & non ſufficit negativus conjunctus, cum errore comitanti. Secundum *Navarrum verò*, *cap.* 22. *nu.* 23. *Sylveſtr. in verb. matrimonium*, §. 1. *q.* 3. valet matrimonium, quæ ſententia ſatis probabilis eſt.

Rogabis ſecundo, utrum matrimonium, quod liber contraxit cum ſerva neſciens eſſe ſervam, ſiat validum quando liber poſt cognitam ſervitutam habet copulam cum ea?

Reſpondetur, fieri validum ſi novus, & mutuus adſit conſenſus, & copula animo maritali habeatur, quia matrimonium anteà invalidum ſit validum per mutuum conſenſum ſigno externo expreſſum, ut ſupra diximus, ubi etiam vidimus, an coram Parocho, & teſtibus de novo celebrari debeat, legas textum noſtorum hic.

In §. Liberi.

COnclusio hujus textus eſt, quod illi ſilij liberi dicuntur, qui ex libero ventre nati ſunt, nam partus quoad ſervitutem, vel libertatem ſequitur ventrem, *l. partum*, *C. de reivendic.* quoad honores verò, dignitates partus non ſequitur matrem, ſed Patrem, *l. cum legitimè*, *ff. de ſtatu hominum.*

Ea quo infertur primo, quod ſi mater in aliquo momento temporis, quo filium geſtabat, fuit libera, partus, qui naſcitur non ſervus, ſed liber eſt, *§. ſed ſi quis inſtit. de ingenuis*, quia tunc fingitur partus natus, *l. qui in utero*, *ff. de ſtatu hominum.*

Infertur ſecundo, quod quando ſerva gravida ſe vendit, partus, qui conceptus erat ante venditionem, liber eſt, non ſervus; ratio eſt: tum quia mater tempore conceptionis erat libera: tum quia filius non potuit vendi, cum non dum eſſet, in patris poteſtate, *Sanchez ubi ſupra diſp.* 24.

Infertur tertio, filium naturalem habitum ea Ancilla, & viro nobili, non eſſe nobilem, primo, quia eſt ſervus ratione ſervitutis maternæ, & ſic incapax dignitatis: & honoris: tum quia nobilitas traditur à ſanguine, & tunc temporis, quo conceptus fuit, erat incapax ratione ſtatus ſervilis, ità Communis, *DD.* ſchola apud *Sanchez lib.* 7. *diſp.* 24. qui addit, hunc talem comparare deindè notabilitatem, cum poſteà manumittitur, quia nobilitas eſt quoddam Jus ſanguinis incommutabile, *l. Jus agnationis*, *ff. de pactis. Tiraquellus de nobilitate*, *cap.* 26. *num.* 9. undè ſanguini dicitur inhærere, Jura verò ſanguinis nullo jure civili dirimi poſſunt, *l. jura ſanguinis*, *ff. de regulis juris*, licet ergo jus civile poſſit impedire jura ſanguinis, ea tamen tollere non poteſt, & ſic redit libertas, & nobilitas per manumiſſionem, *Sanchez ubi ſupra*, obſerva tamen, quod licet filius naturalis de Jure communi non gaudeat Patris nobilitate, tamen de conſuetudine gaudet *Tiraq. de nobilitate cap.* 25. *num.* 10.

In §. Penult & finali.

COnclusio horum jurium eſt, quod ſi quis intendit contrahere matrimonium ad finem libidinis, non autem ad finem prolis, matrimonium valet, cum adſit conſenſus per verba de præſenti in matrimonium, *cap. manet* 22. *quæſt.* 2. quod ſi omninò non conſentiat in matrimonium, ſed in libidinem, non valet matrimonium, *cap. tua eod. titulo.*

Dices, plus valet, quod agitur, quam quod ſimulatà concipitur, ut in *tit. C. plus valere*, *quod agitur*, ergo cum hic agatur matrimonium, licet adſit conſenſus tantum ad libidinem, erit verum matrimonium.

Confirmatur, quia ſimulatio, & dolus matrimonium ſpirituale non impedit, *cap. quod interrogaſti* 26. *diſt.* ergo neque matrimonium carnale.

Reſpond.

Respond. quod argumentum cum sua confirmatione procedit in foro externo, & judiciali, non verò in foro conscientiæ, & pænitentiario, prout loquitur textus noster, & in foro exteriori loquitur *textus in nostro*, *§. fin. & text. in cap. tuas nos*, *eodem tit.* quod si quis coram pluribus protestetur, quod omnia, quæ facit, vel dicit, non facit animo contrahendi matrimonium, & posteà in publico dicat, consentio in te, erit validum matrimonium, quod à fortiori procedit si intercesserit copula, legas *Gloss. hic.*

TITULUS XII.

QUÆ MATRIMONIUM IMPEDIRE POSSUNT.

VIsum est supra de his, quæ requiruntur essentialiter ad nuptias contrahendas, reliquum erat videre de impedimentis ipsarum. Meritò ponitur hic titulus. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quod impedimenta matrimonij sunt in duplici genere alia enim impediunt, & dirimunt matrimonium jam factum, alia verò impediunt quidem matrimonium faciendum, sed si fiat, validum est, de quibus omnibus agemus in hoc nostro titulo.

Sciendum secundum est, posse Ecclesiam statuere impedimenta non solum impedientia, sed etiam dirimentia matrimonium *Trid. sess. 24. can.* 4. ratio est, quia potest Ecclesia irritare contractus, quando non fiunt sub certis conditionibus, sed matrimonium est contractus, ergo. Potest enim Ecclesia irritare contractus dupliciter, primo mediate reddendo personas inhabiles ad contrahendum matrimonium, secundo immediatè, irritando contractum matrimonij, nec solum matrimonia fidelium, sed infidelium etiam irritare potest, dummodò ea non irritet, tanquam princeps Ecclesiasticus, cum nullam, habeat potestatem Ecclesia super infideles, juxtà illud: *Quid mihi de illis, qui foris sunt*, sed irritare potest ea, tanquam Princeps sæcularis in suos subditos, *Sanch. lib. 7. disp. 1. Filiucc. tract. 10. cap. 5. q. 4. num. 169.*

Sciendum est tertio, posse Episcopos impedimenta statuere in sua Diæcesi, licet non servetur hoc de consuetudine, *Coninch disp. 30. dub. 1.* Immò Principes sæculares possunt, seclusa, prohibitione Ecclesiæ constituere impedimenta matrimonij, quatenus matrimonium est quidam contractus; puto tamen hanc potestatem non habere hodie Principes sæculares, tanquam eis ablatam, per *textum in cap. tuam de ordine cognitionum*, *cap. 1. de sponsalibus*, *& cap. Ecclesia S. Mariæ de Constitut.* quia matrimonium non est solum contractus, sed sacramentum, supra quod potestas sæcularis non se extendit, *Trid. 25. can. 12.* super matrimonia verò infidelium, cum non sint sacramenta, habent Principes sæculares potestatem.

De impedimentis impedientibus, & dirimentibus Matrimonium.

ENumerabantur antè *Concil. Trid.* duodecim impedimenta, quæ impediebant, & dirimebant matrimonium, at secundum *Concil. Trid.* decreta quatuordecim enumerantur, quæ his versibus continentur.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen.
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.
Si sis affinis, si fortè coire nequibis.
Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis.
Raptavè sit mulier, nec parti reddita tuta.
Hæc facienda vetant, connubia facta retractant.

De quibus impedimentis agunt Theologi in 4. *sentent. dist. 39. Sanct. Tom. in supplement. 3. par. quæst. 50. Toletus lib. 7. cap. 3. per totum. Filiuccius tract. 10. Coninch. disput. 31. de matrimon. dub. 1.* & novissimè *Basilius Pontius in suo peculiori volumine de impedimentis matrimonij per totum*, ea quibus aliqua breviter collegi, monendo tamen illa duo impedimenta, scilicet præsentia testium, & Parochi, & impedimenti raptus esse de jure novissimo, *S. C. Triden.* undè *S. Thom.* & alij Theologi, qui antè concilium scripserunt, de eis mentionem non fecerunt. A primo ergo impedimento incipiendo sit.

Error ad intelligentiam hujus impedimenti sciendum est, quod error triplex est, scilicet circa substantiam, seù personam, ut si quis ducat Bertam credens esse Catherinam, quam ipse intendit. Secundus dicitur error conditionis, nomine autem conditionis non intelligitur illa, quæ suspendit, & modificat actum sed status servilis, aut liber, ut accidit quando liber ducit servam, quam putabat esse liberam. Tertius dicitur error qualitatis, quando scilicet erratur circa qualitatem personæ, ut accidit quando quis ducit Bertam credens esse divitem, nobilem, virginem, &c. & posteà invenit illam pauperem, vel ignobilem, aut defloratam, hoc posito.

Dico primò, matrimonium contractum cum errore circa substantiam personæ est invalidum non solum jure humano, sed etiam jure naturali. Prima pars, quod sit invalidum jure humano, patet ex *cap. unico 29. quæst. 1. & cap. tua nos de sponsalibus.* Secunda pars, quod scilicet sit invalidum jure naturæ probatur quia matrimonium jure naturæ non subsistit, nisi adsit consensus circa personam, cum qua contrahitur, sed quando error versatur circa substantiam personæ non adest consensus circa illam personam, sed circa aliam, quæ mente concipitur, nihil enim est magis contrarium consensui, quàm error, *l. qui per errorem, ff. de jurisdict. om. jud.* & errantis nullus est consensus, ergo matrimonium celebratum cum errore circa substantiam est invalidum.

Ex quo infertur primò, etiam inter infideles tale matrimonium non valere, quia est jure naturæ invalidum cui non solum fideles, sed etiam infideles subditi sunt DD. ubi supra.

Infertur secundo, matrimonium contractum cum errore comitante, puta si ducam Bertam; quam puto Catherinam, & ità sum dispositus in voluntate, ut si scirem illam esse Bertam, adhuc illam acciperem libenter, non esse validum, quia in matrimonio requirtur voluntarium, sed in hoc casu non adest voluntarium, ergo, quia talis error minuit voluntarium, & consensum, *Sanchez lib. 2. disput. 34. & lib. 7. & disput. 18.*

Dico secundo, matrimonium contractum cum errore qualitatis non est invalidum.

Probatur, quia matrimonium cum tali errore celebratum est simpliciter voluntarium, quoad substantiam rei, quamvis, quoad accidentia non sit voluntarium, ergo tale matrimonium est validum.

Limitatur conclusio, quando qualitas, circa quam erratur sit per motum conditionis, ut si quis dicat, duco te in uxorem si es dives, vel nobilis, hoc enim casu non valet matrimonium, si ipsa non est dives, vel nobilis, deest enim qualitas, quæ apposita fuit

tanquam conditio, cujus defectu contractus est invalidus, quia contractus vim recipit à voluntate contrahentium, sed contrahentes non habent voluntatem contrahendi, nisi posita tali qualitate, ergo non subsistente tali qualitate invalidus est contractus, validus vero est ea subsistente *Sanch. ubi sup. disput.* 18. *cap.* 89. *nu.* 6.

Dico tertiò, matrimonium contractum cum errore conditionis non est invalidum; quando persona, cum qua contrahitur est æqualis, aut melioris conditionis, ità communiter DD. quos refert, & sequitur *Sanchez lib.* 7. *disp.* 19. *num.* 23. *Filliucc. tract.* 10. *quæst.* 2. *cap.* 2. *nu.* 40. Ideò servus contrahens cum serva, quam putabat esse liberam, aut contrahens cum libera, quam putabat servam validè contrahit *cap. si quis ad nostram, de conjugio servorum*: ratio est, quia Ecclesia apposuit hoc impedimentum, ut tollatur inæqualitas, vel injuria, ergo quando persona, cumqua contrahitur est æqualis, vel melioris conditionis, ut accidit in casu nostro, validum erit matrimonium.

Votum, ad intelligentiem hujus impedimenti suppono, votum aliud esse solemne, aliud simplex, & quidem simplex impedit, sed non dirimit matrimonium, ut infra. Solemne verò aliud est expressum; aliud tacitum, expressum ast illud, quod fit in religione approbata, tacitum verò illud, quod est annexum ordini sacro, *cap. rursus, cap. veniens in titulo, extra qui Clerici, vel voventes, c. unico de voto, in* 6. His positis.

Dico primò, votum castitatis emissum in professione valida religionis approbatæ dirimit matrimonium etiam consummatum, factum post ipsam professionem, ideo religiosus professus invalidè contrahit matrimonium, est de fide hoc definitum in Concilio Viennensi, *Clemen. unica de consanguinitate, & affinitate, & in Triden. sess.* 24. *c.* 9. Idem dic de voto simplici, quod emittunt Patres Societatis Jesu peracto biennii, ut patet ex motu proprio Gregorio XIII. incipiente. *Ascendente Domino*, qua de re, *Sanchez lib.* 7. *disp.* 26. *num.* 1.

Dico secundo, professio facta in approbata religione dirimit matrimonium celebratum ante ipsam professionem, dummodo matrimonium sit tantum ratum, & non consummatum *Trid. sess.* 24. *c.* 4. est enim hoc de jure divino concessum professioni, ut ostendit, *Less. lib.* 4. *cap.* 41. *dub.* 8. *nu.* 69.

Ut autem hoc facilius intelligatis. Sciendum est, utrique conjugi post contractum matrimonium, sed non dum consummatum concessum fuisse spatium duorum mensium ad deliberandum de ingressu religionis, quo tempore uterque conjux potest alteri petenti negare debitum, & licitè potest religionem ingredi, etiam altero invito, elapso vero bimestri, peccat non reddendo debitum petenti, nihilominus si elapso bimestri antè consummatum matrimonium religionem ingrediatur, validè profitetur, & matrimonium antecedens per solemnem professionem dissolvitur, *cap. ex publico, de convers. conjugat.* ubi Canonistæ, quod bimestre currit à die contracti matrimonii, & currit de momento ad momentum, undè si matrimonium fuit contractum die 30. Decembris hora 20. complebitur bimestra die 30. Februarii eadem hora 20. ut latè declarat. *P. Franciscus Merolla in Theolog. morali, tom.* 2. *disp.* 4. *cap.* 6. *dub.* 35. *coroll.* 1. *cum pluribus sequentib.*

Rogabis primò, utrum uterque conjux post consummatum matrimonium possit de communi consensu religionem ingredi, & profiteri, aut continentiam vovere?

Respondetur posse, ut constat ex *cap. quidam vero* 33. *quæst.* 5. & ex multis aliis juribus, relatis per *Sanchez lib.* 7. *disp.* tum quia uterque potest cedere juri suo, quod habet circa matrimonium; neque opus est, ut uterque simul ingrediatur, sed potest unus prior ingredi, & validè profiteri post cujus professionem tenetur alter profiteri, immò compellendus est ad ingressum religionis, cum non possit licitè in sæculo manere post validam professionem alterius, *Sanchez ubi supra*.

Poterit tamen dari casus, in quo alter conjugum possit licitè, & validè religionem ingredi post consummatum matrimonium, altero remanente in sæculo tribus, conditionibus concurrentibus.

Prima est, ut manens in sæculo sit provectus ætatis, v.g. sexagenarius, vel ætatem habeat, quæ ex prava valetudine respondeat illi ætati, ità ut à periculo incontinentiæ credatur ratione ætatis abesse: dicu ratione ætatis quia non sufficit si credatur à periculo incontinentiæ abesse ob virtutam *cap. cum sis. cap. uxoratus, de convers. conjugat.* & etiam si esset quinquagenaria diceretur senex quoad hunc effectum. *Sanchez lib.* 7. *disput.* 32. *Barb. in collect. tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 32. *cap.* 4. *num.* 4. *Riccius verò decis.* 131. & 135. *par.* 2. putat debere esse sexagenariam legas casum practicatum apud *Ripollam cap.* 8. *n.* 16.

Secunda conditio est, ut manens in sæculo emittat votum continentiæ si sit senex, si verò juvenis requiritur, ut pariter religionem ingrediatur, ut habetur in *dict. cap. cum sis, & cap. uxoratus de convers. conjug.* quod si remanens in sæculo assumat habitum Sancti Jacobi, vel Sancti Joannis, sa isfaciet suæ obligationi, ut contra *Sanchez de matrim. tom.* 2. *lib.* 7. *disp.* 32. *nu.* 4. docet *Pontius de matrimon. lib.* 9. *cap.* 12. *num.* 3. quia isti sunt verè religiosi, ut alibi diximus.

Tertia conditio est, ut adsit licentia Episcopi, non quidem de necessitate professionis, sed de præcepto, obligante sub peccato mortali, cum agatur de re gravi, non ignoro tamen *Sanchez, & Guttierez*, apud *Filiuccium ubi supra num* 132. negare licentiam Episcopi de præcepto requiri, sed satis probabile est.

Rogabis secundò, utrum non obstante copula violenter extorta intra bimestre possit fæmina, quæ vim passa est contradicente viro ad religionem ingredi?

Respond. posse religionem ingredi, ità docet *Sanchez lib.* 5. *disput.* 18. *num* 6. *Emanuel Sa in verbo matrimonium nu.* 17. Ratio est, quia sponsus gravem intulit injuriam cum non haberet jus copulam extorquendi ante bimestre concessum, ex *cap. ad nostram de empt. & vendit argumento, textus in cap. tua de clericis non residentibus, cap. sedes de rescriptis*, cum multis similibus, de quibus *Tiraqu. de retractu lignagier*, 3. *gl.* 9 *nu.* 68.

Dices ex *Basilio Pontio de matrimonio, lib.* 9. *cap.* 10. quia jura absolutè loquuntur, matrimonio consummato non licere sponsis religionem ingredi, sed hic matrimonium est consummatum, ergo ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debemus, ergo talis fæmina non poterit invito viro ad religionem transire.

Respondetur, quod ea jura intelligi debent quando matrimonium sine injuria consummatum est, & licet id expresse non dicant, tamen id colligitur, quia dolus nemini patrocinari debet, nec viri culpa alterius bonum impedire debet, nè culpæ reus indè commodum reportet, *cap. ad nostram de empt. & vendit. c. tuæ de clericis non residentibus, &c.*

Dices secundo, ad hoc, ut quis dicatur irregularis sat est, ut quis sit oculo privatus, vel alio membro etiam si id violenter factum sit, *cap. fin.* 55. *dist.* ergo ità in casu nostro.

Respondetur, negando consequentiam, quia irregularitas ex membri defectu, & deformitate consurgit, & ideò non voluntatem, sed factum respicit, at in casu nostro non ità se habet res,

Ex

Ex quibus colligitur primò, quod vir violans non potest religionem ingredi, quia ex parte sua voluntariè consummatum est. DD. ubi sup.

Colligitur secundò, fœminam per vim oppressam sponso intrà bimestre, posse semen expellere, si id incontinenti faciat, sicut etiam posset quocumque tempore fœmina illa membrum virile extrahere si posset quamvis semen effundendum esset, non enim tenetur id pati: ergo incontinenti, ac effusum est potest illud expellere, quia cum non dum semen habeat pacificam vasi, possessionem, censetur, adhuc quasi in fieri, & reputatur esse in ipsa effusione, quod tamen ego puto dicendum de fœmina, quæ cognita fuit per vim non à sponso, sed ab alio: cæterum si à sponso de præsenti cognita fuerit, puto id fieri non posse, quia injuria est multo levior, nec infamiam patitur, & damnum non est adeò grave: sic enim id dici potest de fœmina per mætum cognita, quia copula fuit involuntaria, & cum peccato admissa, videas *Sanchez ubi sup.* & *Layman. lib. 5. tract. 10. par. 3. cap. 6. num. 2.*

Cognatio, Ad intelligentiam hujus impedimenti. Suppono, cognationem triplicem esse, ut latè infrà dicemus in suo peculiari titulo. Prima enim dicitur cognatio carnalis, secunda legalis, tertia spiritualis, carnalis dicitur, quæ ex copula carnalis oritur: legalis oritur ex adoptione, cujus tres sunt species prima in linea recta inter adoptantum, & adoptatum, secunda à latere inter adoptantum, & filios carnales adoptantis, tertia per modum affinitatis inter adoptatum, & uxorem adoptantis, vel inter adoptantem, & uxorem adoptati. Hoc posito.

Dico primò, matrimonium contractum, inter personas, consanguineas in linea recta ascendentium, & descendentium est invalidum juræ naturæ, & Ecclesiastico, loquendo solum in primo gradu, *Sanch. lib. 7. disput. 51.*

Probatur, quia actus matrimonialis habet conjunctam quandam turpitudinem, & irriverentiam alterius ad alterum, oppositam reverentiæ parentibus debitæ, juxtà illud *Levit. 8. Turpitudinem Patris tui, vel matris tuæ, nè discooperias, mater enim tua est*: tum quia etiam ipsæ belluæ consueverunt tales conjunctiones aufugere, & ab illis aborrere, ut constat ex multis exemplis, de quibus *Sanch. & alij, ubi sup.*

Ex quo patet, quod cum ascendentes non habeant rationem principij per se cum omnibus descendentibus, sed tantum cum primo gradu, cum aliis verò omninò per accidens, meritò inter avum & nepotem cognatio non impedit matrimonium de jure nuturali.

Infertur secundo, matrimonium contractum ab infidelibus in 2. 3. & 4. gradu lineæ rectæ validum esse, quia infideles non afficiuntur impedimentis, jure Ecclesiastico inductis: tùm quia matrimonium contractum in 2. 3. & 4. gradu non est irritum Jure naturæ.

Dico secundo, matrimonium in primo gradu lineæ transversæ, ut inter fratrem, & sororem, est jure naturæ invalidum, est multorum, apud *Gutierrez de matrimon. cap. 98.* Aliorum apud *Sanchez disput. 52. citato Filiucc. tract. 10. part. 2. cap. 50. quæst. 4. num. 182. Bellarm. lib. 1. de matrimon. cap. 28. Pererij in Genesim tom. 2. lib. 12. num. 221. contra Cajetanum, Scotum*, & alios, quos refert, sequitur *Basilius Pont. de matrim. lib. 7. cap. 42. nu. 3.*

Probatur, tum quia inter fratrem, & sororem est maximus pudor naturalis, cui adversatur maximè actus conjugalis, tum quia Summus Pontif. requisitus ad dispensandum, in primo gradu, nunquam voluit dispensare, ergo signum est ipsum non posse dispensare, ut benè arguunt DD. cit.

Confirmatur, quia *Innocentius III. in cap. Gaudemus de divortiis*, ait conversos ad fidem, qui anteà in secundo gradu, & ulterioribus gradibus contraxerunt, non esse separandos, undè videtur supponere separandos esse, qui in primo gradu contraxerunt, ac proinde eorum matrimonium fuisse nullum, & jure naturali, quia ante baptismum non tenebantur jure Ecclesiastico, & hoc argumentum, ità visum est *Sot.* firmum *.n 4. dist. 40. qu. unica, ar. 4.* & contrariam sententiam damnavit, ut temerariam; & erroneam.

Dices fratres initio Mundi contrahebant matrimonia cum sororibus, nec constat cum illis fuisse à Deo dipensatum, ergo signum est matrimonium in primo gradu lineæ transversæ non esse invalidum juræ naturæ.

Respond. matrimonium eo, tunc fuisse validum propter necessitatem conservandæ naturæ humanæ, sicut enim necessitas facit, ut licitum sit accipere rem alienam, ità etiam facere potest, ut matrimonium sit validum, quamobrem in casu extremæ necessitatis, nè dum posset frater contrahere cum sorore ad conservandam speciem humanam, sed etiam Pater cum filia, vel mater cum filia, vel mater cum filio, nam hoc casu malum privatum cedit bono publico; undè SS. Patres à culpa excusant filias *Loth.* carnaliter cogitas à Patre, quia nullum alium superstitem esse arbitrabantur, ità *S. Chrysostomus, & S. Ambrosius*, apud *Sanchez.*

Dico tertio, cognatio spiritualis dirimit matrimonium de jure Ecclesiastico celebratum inter baptizantem, & baptizatum, secundo inter susceptores, & baptizatum, tertio inter baptizantem, & Patrem, ac matrem naturalem baptizati, & inter susceptores, & Patrem, ac matrem baptizati, *Trid. sess. 24. de refor. matrim. c. 20.*

Ratio autem, quare Ecclesia constituit, ut per talem cognitionem dirimatur matrimonium ea est; quia sicut in generatione carnali contrahitur impedimentum dirimens matrimonium, propter reverentiam debitam consanguineis, ità æquum fuit, ut in cognatione spirituali impedimentum, aliquod induceretur propter reverentiam debitam congnatis spiritualibus, *Sanchez lib. 7. disp. 54.* & alij cum eo communiter.

Dico quarto, cognatio legalis est propinquitas quarundam personarum, & consurgit ex adoptione, *Canonistæ communiter in cap. 1. extrà de cognitione legali*, legalis verò appellatur, quia à lege est introducta, & contrahitur primo inter adoptantem, & adoptatum, & adoptari discendentes, usque ad quartum gradum, *cap. per adoptionem 3. quæst. 3. cap. unico de cognat. legali*; secundo est etiam invalidum matrimonium inter uxorem adoptantis: & adoptatum & inter uxorem adoptanti, & adoptantem; tertio invalidum est inter filios, seù filias adoptantis, & adoptatum, seù adoptantem, ea quo.

Infertur primo validum esse matrimonium contractum ab infidelibus cum cognatione legali, nam infideles non subjiciuntur Jurisdictioni Ecclesiæ, qua inductum est impedimentum cognitionis legalis. Ideò si infidelis post contractum matrimonium cum adoptata converteretur ad fidem non esset separandus.

Infertur secundo, cum *Fillucc. tractat. 10. cap. 50.* tunc ex adoptione oriri impedimentum dirimens, cum adoptio est perfecta, idest per quam transit quis in potestatem adoptantis; cæterum si est imperfecta, per quam, scilicet non transit in potestatem adoptan-

adoptantis: probabilius est non dirimere, sed solum impedire.

Infertur tertio, quod si filij adoptati emancipentur, vel si pater eorum moriatur, poterunt contrahere cum adoptata, *l. fin. ubi DD. ff. de adoptione.*

Crimen, ad intelligentiam suppono crimen, impediens matrimonium, duplex esse, scilicet homicidium, & adulterium, quæ quidem matrimonium impediunt de jure Ecclesiastico, ut constat ex *cap. 1. de convers. infidelium*, & *ex cap. si quis vivente* 31. *quæst.* 1. & *ex cap.* 1. 2. 3. 4. cum pluribus aliis extrà, *de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium.*

Ratio hujus impedimenti est, ut evitentur adulteria inter conjuges, quæ vitari possunt, sublata spe contrahendi delinquentibus, & quia hoc impedimentum est de Jure Ecclesiastico. Ideò infideles, qui crimen homicidij, vel adulterij commiserunt, possent validè contrahere matrimonium, quia talis prohibitio non est de jure naturæ, vel divino. Hoc posito.

Dico primò, ad hoc, ut crimen impediat, & dirimat matrimonium. Primò requiritur realis conjugis occisio, scilicet, ut maritus occidat uxorem, vel uxor maritum sivè per se, sivè per alium. Secundo requiritur, ut vir, & fœmina, qui matrimonium contrahunt conspiraverint in mortem conjugis occisi, undè si unus tantum mortem sit machinatus, impedimentum non contrahit. Tertio requiritur, ut talis machinatio facta sit ad hunc finem, ut mortuo conjuge, possent inter se matrimonium contrahere, *cap. si quis* 31. *quæst.* 1. undè qui conventionem fecit cum Berta occidendi illius virum, ex odio, seù vindicta, & non ex intentione contrahendi matrimonium inter se, non contrahit impedimentum dirimens matrimonium, & sic poterit cum Berta valide contrahere, ex *dict. cap. si quis.*

Dico secundo, adulterium impedit, & dirimit matrimonium cum fide data, nam etiam mortua, prima Conjuge adest impedimentum dirimens contrahendi cum ista, cui in actu adulterij fides data fuit, ut si Caius adulteretur cum Berta uxore Titij, promittens se, cum ea contracturum matrimonium mortuo Titio, eo mortuo non poterit matrimonium contrahere, & hoc verum est, sivè promissio facta sit ante matrimonium, sivè post, sivè cum juramento, sivè non; quod si promissio facta sit animo decipiendi, in foro conscientiæ non inducit impedimentum, nam promissio ficta non est promissio, *Henriquez lib.* 12. *cap.* 14. *Layman. lib.* 5. *tract.* 10. *par.* 4. *cap.* 10. *num.* 4. *contra Sanchez lib.* 6. *disput.* 79. *Coninch. disput.* 21. *dub.* 5. *num.* 17.

Cultus disparitas, Aliud impedimentum dirimens matrimonium est cultus disparitas, qui consideratur inter illum, qui est baptizatus, & illam, quæ non est baptizata, & è contra inter fidelem verò, & hæreticum, vel apostatum, aut excommunicatum, validum est, cum nullo Jure irritetur: cum enim omnes sint baptizati, non intercedit cultus disparitas, & ideò valet matrimonium *Can. cavæ* 28. *quæst.* 1. nec valet etiam si contrahatur cum cathecumeno proximè baptizando. *S. Thom.* 3. *p. q.* 59. *art.* 1.

Rogabis tamen primò, an peccet mortaliter contraheos cum excommunicato?

Respondet *Guttierez de matrimonio, capit.* 83. *nu.* 7. non esse peccatum mortale contrahere scienter cum excommunicato excommunicatione majori, denunciatus sit, vel publicus clerici percussor, ait *Basilius Pontius de matrimonio lib.* 6. *cap.* 10. *nu.* 3. putat contrahere matrimonium cum excommunicato, qui absolvi non potest, quia non habet copiam absolventis, esse peccatum mortale, quia petitur ab eo actus, qui non potest ab eo fieri benè, sed necessariò malè: contrahere verò cum excommunicato, qui potest absolvi, quia copiam haber, non est peccatum mortale, ait *Pontius*, quia petitur ab eo actus, quem posset benè facere, & sine peccato, & sua culpa malè facit.

Mihi tamen vera videtur opinio docens esse peccatum mortale, quia tale matrimonio interdici, videtur in *Can. non oportet.* 28. *q.* 1. & *Can. Cave eadem causa, & quæstione.* Adde non esse improbabile duo peccata committere eum, qui contrahit cum excommunicato excommunicatione majori; Primum, quia ipse communicat cum illo. Secundum, quia inducit illum ad indignè ministrandum, & recipiendum: Legas *Sanchez lib.* 7. *disput.* 32. *num.* 4. *S. Thom. in* 4. *dist.* 39. *qu. unica, art.* 5. *lib.* 7. *cap.* 7.

Rogabis secundò, an contrahens matrimonium cum hæretico, cum periculo perversionis fidei, peccet mortaliter quando ex aliqua magna causa illud contrahit?

Respondetur, non peccare mortaliter hunc talem, ità *Basilius Pontius de matrimonio, in appendice, cap.* 6. Probatur quia licet exponere se periculo amittendæ salutis spiritualis sit peccatum non tamen est tale peccatum, ut non possit aliqua circumstantia reddi licitum, undè talis expositio periculi non erit peccatum, quando fiet ex magna, & urgenti causa, quia tunc non est amare periculum, sed est amare illud ingens bonum, ad quod fine tali periculo perveniri non potest, & ideò periculum adit invitus, non amans, sed hoc totum est in casu nostro, ergo; causa autem cohonestans tale matrimonium posset esse argumentum, & propagatio Ecclesiæ, vel tranquilli ejus status, vel libertatis Catholicorum, qui sub aliquo hæretico Principe oppressi tenentur.

Confirmatur totum, quod diximus, quia exponere se periculo salutis spiritualis ex causa necessitatis, & urgenti non est peccatum mortale, ut docere videtur. *Sanctus Thomas* 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 9. *in corpore. Armilla in verbo periculum. Sanchez in summa tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 8. *Henriquez lib.* 4. *cap.* 25. *numer.* 3. Hinc dixit *Cajetanus in summa in verb. periculum*, eum, qui accedit ad locum ubi est periculum peccandi mortaliter propter aspectum, persuasiones commoditates, &c. ea suo genere non peccare mortaliter, quia in suæ libertatis arbitrio restat peccare mortaliter, etiam præsentibus talibus occasionibus peccandi, & ideò subdit *Emanuel Sà in verb. absolutio, num.* 12. eum posse absolvi, qui ex rationabili, & justa causa non vult omittere occasionem peccandi, modo proponat firmiter non peccare, etiam si aliquoties sit relapsus, & tandem ad hoc propositum docet doctiss. *Vasquez de restit. cap.* 3. §. 2. *dub.* 6. *num.* 23. posse hominem aliquod medicamentum sumere ad assequendam salutem, quamvis probabiliter putet, ex eo futuram seminis effusionem.

Rogabis tertiò, quid si duò infideles contrahant matrimonium, & deinde Deo inspirante unus convertitur ad fidem, an dissolvatur matrimonium?

Respondetur, remanere matrimonium quantum ad contractum, & posse inter eos habitare, & petere, & reddere, quia hoc permittit Ecclesia, cum jam reperiatur matrimonium factum, & potest esse, quod infidelis sanctificetur per fidelem, ut ait *Paulus* 1. *ad Corinth. c.* 4. quod si adesset periculum perversionis, & nulla urgens causa, essent separandi, & filij suscepti tradendi fideli, *cap. si quanto*, §. *si verò de divortiis.*

Verùm licèt hæc responsio, & opinio sit multorum

torum Doctorum, ut *Sanct. Thom.* & *Bonavent.* & aliorum, quos refert, & sequitur *Rebellius par. 2. lib. 3. quaest.* 10. *num.* 10. ut tamen contrarium probabilius dicas, putà conjugem ex infidelitate ad catholicam fidem conversam, posse transire ad alias nuptias, quamvis alter conjux in infidelitate persistens pacificè, & sine injuria Creatoris cohabitare vellet, ità docet *Sanchez lib. 7. disput.* 74. *num.* 9. qui multos refert. Ratio est, quia hodiè illicitum est fideli habitare cum conjuge infideli in infidelitate pertinaci, etiam si velit sine contumelia habitare, ut latè probat idem *Sanchez ubi supra disput.* 73. *nu.* 12.

Nec obstat *textus in cap. Gaudemus de divortiis*, quia ut benè respondent *Coninch. de Sacrament. disput.* 26. *dub.* 50. *nu.* 61. quod ibi Summus Pontif. aequiparat duos casus, scilicet ponit tanquam membra, adaequatè ganus dividentia infidelem velle se convertere, & nolle cohabitare cum fideli fine injuria Creatoris, aut ab ea discedere, sed velle in infidelitate permanere, Dei contumelia est, praesertim, quia talis vel exemplo filios ad infidelitatem facilè pertrahit, vel saltem erit turpè infidelem, & hostem Dei fidelibus liberis dominari.

Paulus verò Laymann. lib. 5. tract. 10. *par. 2. cap.* 3. putat longè tutius esse in hoc casu Summum Pontificem consulere, atque dispensationem petere, vel si hoc quis efficere noluerit, tenetur alterum conjugem monere, & invitare ad fidem, & sic si infidelis petat certum tempus ad deliberandum de conversione, id ei concedi debet, quia hoc rationabile est legas *Coninch. ubi sup.* qui etiam docet non opus esse, ut constet eum esse pertinacem.

Rogabis quartò, an conjux infidelis, qui fidelem conjugem sequi noluit, possit novum sibi conjugem eligere?

Respondetur affirmativè, ità contra *Basilium Pontium lib.* 7. *cap.* 48 *n.* 25. docet *Sanchez lib.* 7. *disput.* 77. *n.* 6. quia nullo jure interdicitur infidali hic talis transitus; non enim interdicitur jure Ecclesiastico, cum Ecclesia careat jurisdictione in infideles, non interdicitur jure civili laicali, quia hoc nullibi reperitur, nec jure divino naturali interdicitur, quia licet peccet violans jus divinum naturale legis prioris matrimonij, quo adstringebatur sequi priorem conjugem ad fidem conversum, tamen primo illo matrimonio penitus dissoluto, nulla lex divina naturalis prioris matrimonij, quod jam nullum est, superest, qua infidelis arceatur ab alio matrimonio contrahendo, legas *Barbos. in collect. tom.* 4. *par* 2. *decreti causa* 28. *quaest.* 2. *capit.* 2. *n.* 8. & *Coninch disput.* 26. *dub.* 5. *conclus.* 2. *n.* 66.

Rogabis quintò, an conjux infidelis volens post baptismum contrahere matrimonium, teneatur requirere consensum alterius conjugis infidelis habitantis in remotissimis partibus?

Pro responsione suppono id, quod suprà dixi, scilicet, quod conjux infidelis post baptismum, ad hoc, ut possit contrahere aliud matrimonium cum fideli, tenetur requirere conjugem infidelem, & monere, an velit converti, seù cohabitare sine scandalo, & injuria Creatoris cum ipso, & illo renuente hoc facere, potest postea liberè aliud facere matrimonium, Hoc posito.

Respondetur, quod non tenetur consensum alterius conjugis petere, quando ille est in remotissimis partibus habitans, ità *Sanchez tom.* 2. *lib.* 7. *disput.* 74. *n.* 14. *contra Basilium Pontium lib.* 7. *cap.* 48. *nu.* 22. quod docet *Sanchez* docet etiam *Riccius in praxi par.* 1. *resolut.* 140. *Coninch. de Sacramen. disp.* 26. *dub.* 5. *concl.* 2. *n.* 62.

Probatur, quia cum infidelis, ideò distat, ut commodè requiri, nequeat non est opus monitione, quia moraliter certum est, quod nolit sponsus converti, & relinquere suo, ut legitimè habitet, atque requisitio est moraliter impossibilis.

Ultimo loco advertendum est, quod si paganus convertitur ad fidem, & habeat plures uxores, non potest omnes retinere, sed unicam tantùm re inebit, cum qua primo legitimè contraxit, idest secundus leges patriae, etiam si cum illa contraxerit in gradu prohibito de Jure Ecclesiastico; nam adhùc valet matrimonium, quia inter infideles non habet locum prohibitio de Jure Ecclesiastico, sed solum de jure Divino, & naturali, *Covarr. de sponsalib. p.* 2. *cap.* 7. §. 3. *Sanct. Thom.* 3. *par. q.* 69. & colligi videtur ex *tex. in c. gaudemus, de divortiis.*

Vn, aliud impedimentum est coactio, quae est justus violentiae metus. Ad cujus intelligentiam suppono, coationem aliam esse absolutam, aliam conditionalem, absoluta dicitur, quando quis contra voluntatem corpo, aliter cogitur facere aliquam actum, exemplum est in eo, qui ligatur manibus, & pedibus, ut aliquid faciat, de qua coactione habes *textum in cap. praesbyteros* 50. *distin.* Coactio verò conditionalis dicitur, quando quis ex duobus malis cogitur eligere unum, de qua habemus, *textum in can. lectores* 32. *dist.* His positis.

Dico primò, matrimonium contractum per coactionem absolutam est nullum: ratio est, quia, qui contrahit, plena securitate gaudere debet, *cap. cum loco extra de sponsalib.* sed in hoc casu deficit consensus ergo.

Dico secundò, quando quis metu inducitur ad matrimonium contrahendum, sed metus est talis, ut cadat in constantem virum, tunc impaditur matrimonium contrahendum, & dirimitur contractum, *cap. veniens, il secondo, cap. cum locum de sponsalibus, cap. significavit, de eo, qui duxit in matrimonium, quàm polluit, per adulterium*; matrimonium verò contractum metu levi, non cadente in constantem virum, non est nullum *Covarr. de matrimonio, p.* 2. *cap.* 32. *num.* 50.

Exemplum verò metus non cadentis in constantem virum est, si quis erat dives, & illi fuit illatus metus amittendi centum, si non contraxerit matrimonium cum Betta, hoc enim casu, si matrimonium contraxerit tenet, quia metus fuit levis, quia leve malum timetur.

Exemplum verò metus cadentis in virum constantem est, si quis metu mortis, vel infamiae, vel ob cruciatum corporis fuit impulsum ad contrahendum matrimonium, & eligit minus malum, ut effugeret majus, hic dicitur vir constans, & prudens, & matrimonium à se contractum non valet DD. cit.

Requiruntur ergo in metu cadente in constantem virum duae conditiones. Prima, ut malum, quod timetur sit grave, veluti mortis, mutilationis, gravis cruciatus corporis, metus servitutis, infamiae, amissionis majoris partis bonorum, ut latè *Sanch. lib:* 4. *de matrim. disp.* 5. *per tot.*

Secunda conditio est, ut timens rationabiliter credat illud malum sibi imminere, & quod minans solitus sit tales minas exequi, & quod possit eas executioni mandari, nec possit timens facilè occurrere malis, quae timentur, implorando alicuius auxilium, ut latè *Sanchez lib.* 4. *disput.* 1. *per totam*, qui licet enumeret quinque conditiones ad hoc, ut metus dicatur cadens in constantem virum, tamen rectius docet *P. Franciscus Merolla tom.* 1. *disput.* 1. *de volunt. & invol. dub.* 1. *num.* 20. hac conditionas duas esse, & sub secunda caeteras contineri.

Ex quo infertur primo, quod si quis fuit obsessus à suis inimicis, & rogavit aliquam mulierem, ut liberet eum ab illa obsessione, & promisit illam ducere in uxorem, si cum illa muliere contrahat matrimonium tenet, quia sponte se obtulit illa mulieri.

Infertur secundo, quod si existens in periculo maris, vel ferarum bestiarum, si promisit ducere aliquam

aliqnam pauperculam mulierem in uxorem, si liberaretur ab illo naufragio maris, vel ferarum, si ob talem timorem contraxit matrimonium tenet. Illud idem dicas de voto facto tempore naufragij, quia ipsum tenetur quia adimplere, dato quod votum post naufragium non ratificaverit *Covarru. de matrimon. cap. 3. §. 4. nu. 16.*

Infertur tertiò, quod si quis ducebatur ad patibulum, & ut liberaretur à pœna mortis, duxit meretricem in uxorem, matrimonium valet, quia sua sponte se obtulit ad matrimonium contrahendum, cæterum si quis ducebatur ad patibulum, quia nolebat ducere talem mulierem in uxorem, tunc matrimonium non tenet.

Infertur quarto, quod si quis fuit inventus de nocte in domo alicujus puellæ, cujus parentes, & consanguinei armis volebant illum occidere, si non contraheret matrimonium cum illa; matrimonium non tenet, sed si illi juvenis sponte se obtulit, velle contrahere matrimonium cum illa puella, absque eo, quod metus illi inferatur, si contrahit, tenet matrimonium.

Infertur quinto, quod si filia minis patris, ac verberibus, & aliis supplicijs fuit inducta ad contrahendum matrimonium cum aliquo, cum quo alias non esset contractura, matrimonium non tenet. Idem dic de professione facta in religione per mætum, & de ordinibus sacris susceptis per timorem.

Infertur sexto, quod si quis contrahat matrimonium, medicis dicentibus se moriturum nisi uxorem ducat propter humorum abbundantiam, valet matrimonium, quod dixerunt medici Sancto Regi Casimiro, qui tamen noluit suam amittere castitatem, sed mori.

Infertur septimo, si capto pro aliquo delicto, timenti mortem, vitam condonet Judex, si ducat in uxorem Judicis ipsius filiam, matrimonium est validum.

Infertur octavo, quod si homicidæ damnando ad mortem remittant consanguinei occisi crimen si filiam occisi in uxorem ducat, matrimonium tenet.

Infertur nono, quod si Princeps obsessus offerat obsidenti filiam in uxorem si obsidionem solvat, si tale matrimonium contrahatur, tenere verum si obsidens, adhuc finem obsidisset, ut filiam obsessi haberet in uxorem, tunc matrimonium non valeret, quia esset mætus primario incussus ad extorquendum matrimonium.

Infertur ultimo, valere matrimonium ægri, læthali morbo oppressi initum cum filia medici nolentis aliter ei mederi, quia non est medicus, qui miratur mortem, sed morbus, & medicus matrimonium petit, tanquam stipendium: De his omnibus, legas *Sanch. lib. 3. de matrim. disp. 12.*

Rogabis primo, an matrimonium mætu Contractum (jam quod certum est esse invalidum ex parte utriusque) ità sit invalidum, ut nullam prorsus pariat obligationem, denuò ratificandi illud, vel an mætum causans possit resilire antequam mætum passus ratificet pristinum consensum?

Respondetur distinguendo duos casus. Primus est cum alter contrahens fuit immunis culpæ, quia ignoravit alteri mætum incussum, & hoc casu poterit ille, cujus gratia mætus incussus fuit resilire, non expectata ratificatione per coactum facienda, quia non se obligavit, nisi altero se illi obligante, sed in hoc casu coactus non se obligavit ergo. Accidit *text. in cap. 1. de eo, qui duxit in matrimon.* ubi redditur ratio cur decipiens cogendus sit ad matrimonium, & dicitur ne ea dolo commodum reportet, sed in hoc casu ab fuit dolus, ergo non est cur cogendus sit.

Secundus est casus, quando alter metum incurrit, & hoc casu putat *Basiliu. Pontiu lib. 4. cap. 15.* non posse cum qui mætum incutit, resilire, sed debere expectare voluntatem alterius, qui vim passus est, *Sanchez vero lib. 4. disp. 15.* putat, non teneri cogentem in foro conscientiæ perficere tale matrimonium, donec Judicem condemnetur, sed liberè altero invito posse resilire, nisi aliud damnum sequutum sit, hanc *Sanchez* sententiam multis argumentis probatam, quæ videre poteris apud, decet *P. Villalob. in summa tom. 4. tract. 13. diff. 37. nu. 5.*

Rogabis secundo, an matrimonium contractum ex mætu levi valeat Jure naturali, & positivo?

Resp. affirmativè secundum communem Theologorum sententiam, & Canonistarum, quos videre est, apud *Sanchez lib. 5. disp. 17. nu 2. Pontium de matrim lib. 4. cap. 18. nu. 2. Villalobos in summ. tom. 1. tract. 13. diff. 37. nu. 50.* contra multos alios.

Probatur, tum quia quando quis operatur, ex mætu levi, non dicitur, neque vi, neque mætu operari, nam habet in sua potestate sufficiens principium, quod debet mætum repellere cum operetur imprudenter, quia cum quis, adeò facilè ex mætu liberari potest, & non se liberat, censetur liberè operari.

Confirmatur, quia licet non sit textus expressus id decidens; tamen colligitur à contrario sensu, ex *text. in cap. consultationi, & cap. veniens, il secondo, de sponsalibus*, ubi habetur allegantem mætum cadentem in virum constantem esse audiendum, matrimoniumque tali mætu initum esse nullum, ergo à contrario sensu diversum est dicendum, quando mætus non cadit in virum constantem, & in professionis, quæ matrimonio similis est, ex eodem mætu non cassatur, idem expresè habetur in *cap. penul. extrà de his, qua vi metuſvè fiunt, & cap. 1. eod. tit.*

Ordo, Aliud impedimentum est ordo, quapropter.

Dico primo, ordines majores validè, & sinè mætu gravi suscepti, dirimunt jure Ecclesiastico matrimonium subsequens. Probatur ex *Trident. sess. 24. & cap. unico, de voto, in 6.* Dixi ordines majores, quia minores ordines matrimonium non impediunt. Dixi validè suscepti, quia ordines suscepti invalide, propter aliquem essentialem defectum, matrimonium non invalidant est, ut accidit quando ordo est collatus ab eo, qui se finxit Episcopum, cum non esset, vel quando suscipiens ordines habuit intentionem non suscipiendi, *Sanch. disp. 27.* ratio est, quia corrupto principali, corruit accessorium, sed votum castitatis, per quod dirimitur matrimonium est accessorium ordinibus sacris ex præcepto Ecclesiæ, ergo destructo ordine invalidè suscepto, destruitur etiam, & corruit votum, & consequenter nullum est impedimentum dirimens matrimonium.

Si verò, quis accederet ad ordines sacros suscipiendos, cum animo non se obligandi ad Castitatem, adhuc obligaretur ad eam, & inhabilis redderetur ad matrimonium, non quidem ex vi voti, quia votum non subsistit, cum sit promissio deliberata, & voluntaria, sed tenetur ad castitatem ex statuto Ecclesiæ, quæ præcipit observantiam castitatis illi, qui nol uit vovere, illumque inhabilem facit ad matrimonium; ità *Sanchez in summ. cap. 1. nu 29.* Sicut etiam suscipies ordines sacros cum animo non se obligandi ad horas Canonicas, adhuc obligatur ad eas tenetur, nam Ecclesia potest sponte ordinato obligare etiam nolentes ad onera annexa ordinibus: in foro etiam externo asserenti, se ordines suscepisse cum animo non vovendi, non præstabitur fides, quia præsumptio stat pro voto.

Dices, Græcis Sacerdotibus licitũ est habere uxores,

res, ergo votum non impedit, & dirimit matrimonium.

Respondetur nunquam Græcis licuisse, aut permissum esse matrimonium contrahere, ut ostendit, *Azorius par. 1. lib. 13. capit. 12.* cum pluribus sequentibus, *Sanchez lib. 7. disp. 28.* quapropter si Græcus aliquis sacerdos contraheret matrimonium, invalidè contraheret, & esset casus pertinens ad Dominos inquisitores; permissum tamen est Græcis, jam conjugatis suscipere ordines sacros, & matrimonio antè sacros ordines celebrato uti, patet ex *cap. alter 31. dist.*

Ligamen, variant DD. nostri in hujus impedimenti explicatione: etenim aliqui explicant ligamen pro ligamine ex maleficio, alij verò explicant, ut Theologi communiter, pro impedimento impotentiæ coeundi, & hoc dicunt importare ligamen alterius matrimonij, quo costante, secundum est irritum. Hoc posito.

Dico, ligamen prioris matrimonij dirimit posterius matrimonium non solum jure Ecclesiastico, sed etiam Jure naturali, & divino.

Prima pars, quod scilicet dirimat, Jure Ecclesiastico, patet ex *cap. 1. 3. & ultimo, de sponsalibus*, ex *cap. Gaudemus, de divortiis*, & contrahens cum pluribus simul viventibus, præsumitur malè de fide sentire contra Sacramenta, ut ait *Simancas de catholicis instit. cap. 40.* & ex *S. C. Trid sess. 24. cap. 2.* excommunicantur, qui dixerint, licere Christianis habere simul plures uxores.

Secunda pars, quod scilicet dirimat Jure naturæ, & divino. Probatur, quia res uni tradita non potest alteri tradi, sed corpus viri primo traditum uxori, ergo non potest alteri tradi vivent prima uxore.

Ex quo sequitur, non posse Summum Pontificem dispensare in pluralitate uxorum, cum non possit dispensare in jure naturæ, vel divino.

Sequitur secundo, infideles contrahentes matrimonium cum multis fæminis, invalidè contrahere, & illorum matrimonium validum esse tantummodò cum prima, non verò cum aliis, & ideò si convertitur infidelis, cum prima permanere debet, si ipsa voluerit permanere se convertendo, ut sup. diximus.

Rogabis, quomodò constare debeat de alterius conjugis morte, ut alter superstes matrimonium facere possit?

Respondetur, quod de jure Civili satis erit, si mulier quinquennio virum absentem expectet, quando de illius vita dubitatur, ad hoc, ut possit cum alio nubere, *l. uxores, ff. de divortiis*: quod tempus postea ad quatriennium est restrictum, *l. uxor, C. de repudiis*, quod postea correctum est, per *textum in Auth. Hodie, C. de repudiis; & in cap. in præsentia de sponsalib.* ubi statuitur ob nullam absentiam, nisi alia mortis certitudo adsit, licere alteri conjugi aliud matrimonium facere, quæ certitudo per Nuncium haberi debet, vel per testes ex *dict. cap. in præsentia*, & quidem unicus testis non sufficit regulariter, qua de re latè *Sanchez lib. 2. de matrimonio disput. 46. quæst. 1. 2. & 3. Barb. in collect. 2. lib. 5. tit. 21. cap. 2. Pontius de matrimon. lib. 7. disp. 52.* per totum, & addit *Sanchez* sufficere famam de morte mariti, probatam per duos testes, quia generale est in omni negotio, ut non minus; quam duos testes plenè probent, *cap. in omni negotio, cap. licet de testib. & attestat. Mascardus de probat. conclus. 749. Julius Clarus in §. fin. quæst 6.* Secundo requirunt isti DD. testes deponentes de fama, sint omni exceptione majores, Tertiò, ut concurrat causa rationabilis, ex qua fama orta est, ut si is, de cujus morte agitur, navigaverit, &c. Quartò, ut testes deponant se audivisse publicè à majori parte populi. Quintò, ut deponant testes à quibus personis id ipsi audierint. Legas *Sanch. ubi supra.*

Et *Paulus Layman. lib. 5. tract. 10. par. 3. cap. 3.* putat mulierem, secundo nubentem cum persuasione valdè probabili de morte mariti, atque justa credendi causa, quod maritus primus mortuus sit, non peccare mortaliter, si bona fide contrahens, nemo illi se opponat, & sic poterit Confessarius in conscientia id ei permittere, & Judex in foro externo si post celebratas nuptias causam intelligeret, nec mulierem punire, neque à secundo viro separare deberet, donec cognitum esse priorem maritum, ad hùc vivere, quod colligitur ex *cap. per Bellicam 33. qu. 1.* ratio est, quia in moralibus quando major certitudo haberi non potest sufficit probabilissima.

Honestas, diximus aliqua supra cum de sponsalibus de hoc impedimento: nunc ut clarius innotescat supponas, hoc impedimentum publicæ honestatis, ità appellari, eo quod æquum sit propter publicam honestatem, & decentiam, ut matrimonium impediatur inter aliquas personas, quæ factæ sunt sibi propinquæ ob sponsalia, vel ob matrimonium, ut supra diximus cum de sponsalibus.

Si sis affinis. Aliud impedimentum est, quod consurgit ex affinitate. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quod affinitas est vinculum, seu propinquitas quarundam personarum ex copula proveniens licita, vel illicita; unde si Caius copulam habet cum Berta, fit affinis cum consanguineis Bertæ in eo gradu, in quo sunt ipsi consanguinei Bertæ cum ipsa Berta, & ideò si sunt consanguinei in primo gradu cum Berta, erunt affines cum Caio in primo gradu; consanguinei verò Caij, qui copulam habuit cum Berta, non fiunt affines cum consanguineis Bertæ, *cap. quod super hic, de consanguin. & affinit.* & ideò cum non sit affinitas inter consanguineos Bertæ, & consanguineos Caij, poterunt duo fratres accipere duas sorores, & filius potest ducere illam, cujus matrem pater ejus duxit, *dict. cap. super his, Coninch. de matrim. disp. 32. dub. 4. n. 56.* sic etiam poterit Titius, qui Bertam duxit in uxorem, ea mortua, ducere illam, quæ fuit uxor fratris Bertæ mortuo fratre Bertæ, quia Titius per copulam, habitam cum Berta, factus est affinis consanguineis Bertæ, non verò affinibus Bertæ, sed uxor fratris Bertæ non est consanguinea, sed affinis Bertæ, ergo poterit eam ducere Titius mortua Berta, quia affinitas non generat affinitatem, *dict. cap. quod super his de affinit. & consanguin.*

Sciendum secundò est, quod affinitas alia dicitur in linea recta, alia in linea transversa; in linea recta sunt ascendentes, vel descendentes illius personæ, cum qua copula habita fuit, ideò si Titius rem habet cum Berta, est affinis in linea recta cum socero, cum victrico, & cum Noverca Bertæ; descendentes, cum quibus est affinis, sunt Gener, Nurus privignus, privigna. Affines in linea transversa sunt consanguinei, ideò frater, & soror Bertæ sunt affines Titij in linea transversa, pater, & mater Bertæ sunt affines in linea recta. Legas *Sylvestrum in verb. matrimonium, qu 115.*

Sciendum est tertiò, quod illæ duæ personæ, quæ se carnaliter cognoverunt, non dicuntur affines, sed principium affinitatis, Ideò Titius, & Berta se cognoscentes carnaliter non sunt affines, sed stipes affinitatis. Legas *Filiuccium tractat. 10. part. capit. 6. quæst. 1. numer. 210.* His positis.

Dico primò; Affinitas dirimit matrimonium in primo gradu lineæ rectæ de jure naturæ, quando

do affinitas oritur ex matrimonio, undè patet, filium non posse propriam uxorem patris ducere, cum omnes nationes ab hoc matrimonio abhorreant. Putant tamen multi DD. posse Summum Pontificem dispensare, ut socer sumat in uxorem nurum suam, & sic dicunt affinitatem in primo gradu lineæ rectæ non dirimere matrimonium jure naturæ, quæ opinio vera est, & probabilior, & ultrà DD. quos citat, & sequitur, *Sanchez lib. 7. disput. 66* eam docet *Pontius de matrimon. lib. 7. cap. 34. Joannes de la Crux in direct. conscientiæ, par. 2. de matrim. art. 1. dub. 9. concl. 1.*

Probatur, tum quia non apud omnes gentes id matrimonium censetur interdictum undè *Valerius Maximus in lib. 5. cap. 7.* refert Selevchum tradidisse filio suo Antiocho in matrimonio Stratonicem propriam uxorem, & tale factum laudat *Ipse Valerius Maximus*, *&* 3. *Reg.* 2. Adonias filius David, petit Abisae Sunamitidem in uxorem, & illa fuerat uxor David, ut constat 2. *Reg. cap. ultimo*, ergò tale matrimonium inter privignum, & novercam socerum, & socrum, & generum non est prohibitum de jure naturæ, & ratio à priori est, quia nulla datur relatio natura is inter sic affines, quæ debito conjunctionis ordini opponatur; cujus oppositum est in matrimonio inter parentes, & filios, quia relatio naturalis superioritatis solùm fundatur inter eas personas, quæ dant, & accipiunt esse naturale per naturalem generationem, quales sunt parentes, non autem affines in primo gradu lineæ rectæ.

Dices obstat auctoritas *Sancti Pauli* 1. *Corinth.* 5. ubi ait. Auditur inter vos fornicatio, qualis, nec inter gentes, ità ut uxorem patris sui aliquis habeat.

Respondetur, quod *Sanctus Paulus* reprehendit ingestuosum quendam Corinthum, qui Novercam carnaliter cognoverat vivente patre, id quod clarè colligitur ex talibus verbis, nam aliàs non dixisset *D. Paulus*, tale peccatum non esse auditum inter gentes, cum certum sit ex historiis, apud quasdam nationes fuisse usitata conjugia cum novercis patre mortuo *DD. ubi supra*.

Urgebis, quia *Sanctus Thomas*, exponens dicta verba Sancti Pauli, ait, quod uxor patris repellitur à matrimonio, sicut ipse pater, vel mater, sed isti repelluntur de jure naturæ, ergo ità in casu nostro.

Respondetur ad hanc Sancti Doctoris auctoritatem, standum esse ejus ultimo testamento; quod est summa, ubi in 2. 2. *qu.* 154. *art.* 3. clarè videtur dicere, inter solos parentes, & filios jure naturæ prohiberi matrimonium, ubi latè Cajetanus.

Dico secundò quod affinitas, quæ oritur ex fornicatione non dirimit matrimonium juræ naturæ, quia nulla sufficienti ratione probari potest. Ideò valet matrimonium jure naturali attento, contractum à filio cum concubina sui patris, quamvis tale matrimonium illicitè contrahatur propter naturalem quendam indecentiam, & turpitudinem *DD. ubi supra*, & nota signanter quod cum affinitas non sit impedimentum de jure naturæ, non contrahitur ab infidelibus, ideò si quis in infidelitate fornicatus fuit cum Titia, & postea baptizetur, non prohibetur accipere eam in uxorem, vel sororem ejusdem Titiæ, quia cum tale impedimentum non contrahatur tempore infidelitatis, nullo pacto impedit post baptismum matrimonium inter infidelem, & consanguineam mulieris ante baptismum fornicariæ cognitæ: ita contra *Coninch. de Sacrament. disp.* 32. *dub.* 4. *Layn. lib.* 5. *tract.* 10. *par.* 4. *cap.* 6. & alios apud eos docet *Sanch. tom.* 2. *lib.* 7. *disp.* 65. *num.* 10. qui multos cumulat.

Dico tertiò, affinitas in primo gradu lineæ transversæ non dirimit matrimonium jure naturæ, vel divo, undè potest uxor mortuo viro ducere fratrem viri mortui, interveniente Summi Pontificis dispensatione, quæ fuit magna controversia nata tempore *Herrici VIII. Angliæ Regis*, qui repudiavit Catherinam uxorem fratris mortui, quam cum dispensatione Summi Pontificis duxerat, eam verò repudiavit sub prætextu, quod Summus Pontifex non potisset dispensare, quod tamen ab eo fieri potuisse sentiunt omnes Theologi & Canonistæ, apud *Ledesmam de matrim. quæst.* 55. *art.* 6. & apud *Sanch. ubi supra*.

Probatur, tum quia *Job* vir magnæ sanctitatis duxit duas uxores *Genes.* 29. ergo signum est affinitatem in linea transversa non dirimere matrimonium de jure naturæ, vel divino: tum quia multi Summi Pontif. in hoc dispensarunt, ut Alexander VI. cum Rege Lusitaniæ, & Julius II. cum Herrico VII. ut docent *DD. cit.*

Dices hoc matrimonium in primo gradu affinitatis fuit prohibitum in *Levit. cap.* 8. Item repræhensum fuit a Joanne Baptista, *Matth.* 14. *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*, ergo signum est, hanc affinitatem dirimere matrimonium jure divino, vel naturæ.

Respond. ad illud Levitici, legem illam cessasse per novam legem in morte Christi, ut docent communiter DD. ad illud verò Joannis Baptistæ. Respondetur primò, tale matrimonium ab eo reprehensum fuisse, quia Hærodes duxerat uxorem fratris sui vivente fratre ut benè *Sanct. Thom.* & alij, apud *Sanchez loc. cit. disp.* 66. *num.* 2. vel secundo; secundo responderi potest, reprehensum fuisse tale matrimonium, quia non dum sublata erat lex vetus, qua prohibebantur talia matrimonia: lex enim vetus cessavit in morte Christi, qui non dum mortuus erat quando Joennes nuptias Hærodis reprehendebat.

Si fortè coire nequibit. Aliud impedimentum est impotentia coeundi, ad cujus intelligentiam suppono, duplicem esse impotentiam coeundi, unam perpetuam quæ non potest renovari arte humana vel absque probabili vitæ periculo, *cap. fraternitatis de frigidis*, *& maleficiatis*, alia est ad tempus, puta per ligaturam factam, ex qua inhabilis fit ad coeundum. Hoc posito.

Suppono secundò, impotentiam coeundi posse oriri primo ex improportione naturali, ut quando fæmina ità est arcta, ut non possit à viro carnaliter cognosci; & potest intardum fæmina esse arcta uni, & non alteri, & si nullum est remedium, ut reddatur apta, erit invalidum matrimonium cum eo, cum quo coire non potest. Talis autem impotentia poterit constare Ecclesiæ per testimonium hominum honestorum, qui virum inspexerint, & per testimonium honestarum mulierum, quæ fæminam exploraverint, latè *Sanch. lib. 7. disput.* 109. *Filuccius tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 3. *quæst.* 3. *n.*66. Secundo potest impotentia coeundi oriri ex frigiditate, *cap. 2. de frigidis, & maleficiatis.* Tertio ex maleficio perpetuo, & dicitur perpeutum maleficium, quádo conjuges post experientiam triennalem non potuerunt copulam habere; præmissis præcibus, & aliis remediis pro maleficio amovendo, *cap. laudabilem de frigidis*, *& maleficiatis.* His positis.

Dico, quod impotentia coeundi perpetua antecedens matrimoniũ illud dirimit de jure Ecclesiastico, *cap. quod sedem de frigidis*, *& maleficiatis*: ratio est, quia de ratione matrimonij est, ut reddatur corpus habile ad actum conjugalem. Quod si talis in habilitas superveniat, non dirimit matrimonium; sicut nec illud dirimit, quando est temporalis inha-

inhabilitas, & non perpetua, & perpetua etiam dicitur, quæ non potest auferri, absque arte magica, vel absque peccato, putà sine copula cum aliis viris: ideò etiam est invalidum matrimonium, quod fit ab aliquo, qui erat impotens, impotentià perpetua, sed postea miraculosè evasit potens, *DD. citati.*

An verò fœmina, quæ contraxit matrimonium cum viro improportionato, quia fortè ipsa est arcta, & potest marito fieri apta per incisionem, teneatur eam pati, quæstio est, & affirmant communiter DD. quos videre est, apud *Sanchez lib. 7. disput. 93. num. 2.* & ex ea ratione, quia cum verum sit matrimonium, transtulit mulier jus sui coporis in virum, ergò si commodè potest sinè magno incommodo, & dolore aptam se reddere viro, tenetur id facere, & ità hanc sententiam docuit *Sanch. Thom. in 4. dist. 44. quæst. 1. art. 2. ad 5.* & novissimè *Marcellus Megala in Theologia promptuario, tom. 1. versic. corruptio virginis, num. 5.* Negant verò debere fœminam talem incisionem pati. *Ledesma de matrimonio, quæst. 58. art. 1. Gaspar. Hurtadus de matrimon. disput. 12. diff. 8. n. 25. Basil. Pont. de matrim. lib. 7. cap. 62.* ultrà *Durandum, Paludanum, Gabrielem*, & alios, quos referunt, & ità dicunt *Salmanticæ*, fuisse responsum in causa matrimonij D. Francisci de Fonseca, & D. Joannæ de Azevedo.

Probatur, quia ex duplici capite defectus naturalis in muliere oriri potest, vel enim oritur ob extraordinariam arctitudinem, vel ex parte mariti, quia membrum habet (parcant quæso pudicæ aures) nimis improportionatum, vel non ità firmiter erigit: si defectus oriatur ex parte uxoris, tunc non solum potest mulier, sed etiam tenetur incisionem pati, quia in tales angustias mulier se conjecit sua culpa, debebat enim sibi prospicere ante nuptias: si verò defectus ex viro oritur, ut est in casu nostro & hoc casu non tenetur mulier incisio pati, etiam si fine periculo, vel apertione sigilli id fieri possit, quia fœminæ voluntas fuit suum corpus tradere marito apto, non inepto, ergo in non aptum nullum transtulit jus, ut putat *Sanch.* cum suis, ex quo.

Sequitur, quod si vir trium annorum congressu, atque conatu claustra non violaverit, matrimonium dissolvi poterit quia corpus traditur ab uxore marito apto, ut utatur eo, ergo vir ex se non aptus, nullum potest in eo habere jus. *DD. cit ubi sup.*

Dices ex *Megala loco citato*, hæc sententia adversatur sacris Canonibus, præsertim textui in *cap. ex litteris, & in cap. fraternitati de frigidis, & maleficiatis*, ubi habetur, quod tunc matrimonium est dissolvendum, quando impedimentum est perpetuum, putà si absque corporali periculo arte Medicorum removeri non potest, fed in casu nostro tale impedimentum opera humana potest removeri, ut suponimus, ergo.

Respondetur, quod jura adducta loquuntur, quando mulier ex se habet vitium, quia tunc si fœmina, ità est arcta, ut membrum virile intrà os vulvæ non reciperet, tunc non esset dissolvendum: at quando impedimentum est ex parte viri, adhibeantur medicamenta viro defectuoso, & non mulieri sanæ, & si non adsunt medicamenta, revertatur unusquisque per aliam viam ad regionem suam, facti ergo Canones loquuntur, quando defectus provenit ex muliere non autem ex viro, ut est in casu nostro, quo supponimus fœminam arctam, ut cæteras, virum verò improportionatam habere, trabem, vel languidam, & femimortuam.

Sequitur secundò, validum esse matrimonium contractum cum fœmina, quæ potest semen recipere, quamvis ipsa sit impotens ad seminandum, vel ad retinendum semen susceptum, quia tale matrimonium non censetur celebratum cum impotente, quia semen fœmineum non est necessarium ad generationem, juxta veriorem sententiam, *Sanch. disp. 92. num 9.*

Sequitur tertiò, valere matrimonium contractum cum leprosis, quia adest potentia congrediendi, licet adsit periculum ægritudinis contrahendæ in congrediendo, *cap. 2. de conjugiis leprosorum.*

Sequitur quartò, valere matrimonium contractum inter steriles, nam inter istos intercedit vera copula, apta ex sua natura ad generationem *DD. ubi supra.*

Sequitur quintò, invalidum esse matrimonium contractum cum eunucho perfecto, vel spadone, qui scilicet caret semine, quia isti censentur impotentes, undè Sixtus Quintus declaravit, invalidum esse matrimonium eunuchorum etiam scienter contractum, cum careant utroque teste, & sic non possunt emittere verum semen intrà vas fœmineum, quamvis illud ingrediantur. Illi verò eunuchi, qui habent unum testem, validè contrahunt cum sint apti ad generationem, *Sanch ubi supra.*

Sequitur sextò, Hermaphroditum, in quo prævalet unus sexus, posse contrahere matrimonium, juxtà sexum, qui in ipso prævalet sexus virilis potest contrahere cum fœmina, si verò sexus fœmineus, potest contrahere cum viro, quia censetur esse illius sexus in quo prævalet, *Bald. in l. quæritur, ff. de statu hominum*, quod si sit æqualis in sexu, potest eligere, quem voluerit, & secundum illum contrahere, *Coninch. disput. 31. dub. 7. num. 89.* quod si elegerit velle contrahere, ut vir, & hoc protestaverit cum juramento coràm Judice Ecclesiastico, non poterit postea mortua uxore contrahere, ut fœmina, cum sit valdè indecens uti modo uno sexu, modo alio, si tamen contraheret, validè contraheret, *Sanch.* loc. cit.

Parochi si desit, &c. hoc impedimentum est ex *Concilio Tridentino sess. 24. de reformat. matrimon.* quarè ante Triden. validum erat matrimonium clandestinum, & hodiè etiam est validum in terris in quibus Tridentinum receptum non est, ut in Gallia: ubi verò Tridentini decreta recepta sunt, invalidum est, nisi adsit Parochus & testes, qua de re dicemus in suo titulo infrà *de clandestina desponsatione.*

Raptavè sit mulier, nec parti reddita tuta. Raptus propriè dicitur, quando persona aliqua invita adducitur ad matrimonium contrahendum. Undè hoc impedimentum tria requirit. Primo violentiam. Secundo abductionem. Tertio, ut fiat causa contrahendi matrimonii. Jure civili hoc impedimentum erat dirimens, jure Canonico solum impediens, jure verò novo S. C. Triden. est impediens, & dirimens pro tempore, quo rapta existit in potestate raptoris nec parti reddita est tutæ.

Ex quo infertur, quod si quis causa libidinis rapuit virginem, & adhùc in sua potestate existente cum illa contraxit matrimonium, validè contraxit, ut contra *Emanuel Sà in verbo matrimonium, num. 9.* docet *Sanchez lib. 7. disput 13.* quia ex *Trident decreto sess. 24. cap. 6. de reformat.* solum comprehenditur raptus, qui fit causa contrahendi matrimonii, non item ad exercendum libidinem, Legas *Coninch. de sacrament. disp. 31. dub. 4.* immò in *dict. S. C. Trident.* solum ea raptus species punitur per quam vir infertur puellæ, non autem parentibus, ideò si illa consentiat, etiam si raptatur parentibus vim inferendo, validum est matrimonium, nam intentio Concilij fuit, per illud decre-

decretum succurrere libertati matrimonij, nè mulier invita contrahere cogatur, sed hoc non occidit, quando illa consentit, ergo, legas *Filiucc. tom. 1. tract. 10. p. 2. c. 8 num. 265.*

De impedimentis non dirimentibus.

Egimus latè supra de impedimentis impedientibus & dirimentibus matrimonium, remanebat videre de illis, quæ impediunt tantum, sed non dirimunt matrimonium, quæ impedimenta explicantur per DD. in iisdem laicis, in quibus diximus supra explicari impedimenta dirimentia, & continentur his versibus.

Incestus, raptus sponsatæ, mors mulieris,
Susceptio propriæ sobolis, mors præsbyteralis.
Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriarum,
Atque catechismus, sponsalia, jungito votum.
Vel si pœniteat solemniter, aut monialem,
Accipiat, prohibent hæc, conjugium sociandum.

Incestus, Definitur incestus, ut sit congressus cum persona cognita, intrà gradus, in quibus non potest celebrari matrimonium, ità communiter DD. qui quidem incestus duos parit effectus: primus est, ut ille, qui commisit incestum scilicet rem habuit cum consanguinea uxoris, usque ad quartum gradum (idem dic de uxore, habente copulam cum consanguineis viri, usque ad quartum gradum) non possit petere debitum à sua conjuge, nam qui copulam habet cum consanguinea uxoris fit affinis uxori in eo gradu, in quo fœmina carnaliter cognita, est consanguinea uxoris, secundus effectus est, ut post mortem uxoris non possit aliam ducere, id quod procedit etiam si incestus sit occultus, quia *textus in cap. transmissa de eo, qui cognovit consang. uxoris suæ*, generaliter loquitur.

Quod si quis rem haberet cum affine, quam ignorabat esse talem, nullum nascitur impedimentum, *cap. 1. de eo, qui cognovit consang. uxoris suæ*, ratio est, quia sicut ignorantia excusat à culpa, ità etiam à pœna, *Sanchez lib. 7. disput. 15. & lib. 10. disput. 32. Guttierez cap. 87.*

Raptus sponsatæ, secundum impedimentum est raptus alienæ sponsæ, nam qui rapit alienam sponsam, sivè sit de præsenti, sivè de futuro contrahit impedimentum, ità ut non possit non solum contrahere cum rapta, sed neque cum alia, *cap. statutum 27. quæst. 2.* & sponsa etiam, quæ consensum præbuit raptori, impeditur nè possit cum alio contrahere, ut in *dict. cap. statutum, Sanch.* verò putat impedimentum hoc non oriri ex raptu sponsæ de futuro, quia cum simus in materia pœnali, non debemus facere extensionem, *Sanchez lib. 7. disput. 12.*

Mors mulieris, tertium impedimentum est homicidium uxoris, ità ut qui propriam uxorem occidit, non possit matrimonium facere, cum alia, *cap. quicunque 33. q. 2.*

An verò uxori cidium (cum scilicet uxor maritum occidit) matrimonium impediat, quæstio est? & licet affirmet, *Navarrus in summa cap. 22. num. 74. Henriquez, Rebellius*, & alij; quos sequitur *Guttierez cap. 88. num. 4.* tamen contrarium dicendum est, cum *Sanch. lib. 7. disput. 16. Filiuccio, ubi supra*, Ratio est, quia nullus textus loquitur de homicidio viri patrato ab uxore, sed solum de homicidio uxoris patrato à viro.

Susceptio propriæ sobolis, quartum impedimentum contingit, quando quis suscepit proprium filium in Baptismo, vel confirmatione, quia contrahit impedimentum, ut mortua uxore non possit cum alia matrimonium facere, *cap. de eo 39. q. 1.*

Mors præsbyteralis, Quintum impedimentum est homicidium sacerdotis, modo homicida fuerit de crimine convictus in judicio, *cap. qui præsbyterum, de pænit. & remiss.*

Ecclesiæ vetitum, Sextum impedimentum est prohibitio Ecclesiæ, à qua certo anni tempore interdicitur matrimonium, *cap. non licet, cap. nec uxorem 33. quæst. 1. Cap. Cappellanus, de feriis.* Est autem hoc tempus, quo vetitum est celebrare matrimonium à prima die Adventus Domini, usque ad Epiphaniam, & à quarta feria cinerum, usque ad octavam Paschatis inclusivè ex *Trid. sess. 24. cap. 10.* antè verò *Trident.* nuptiæ non poterant celebrari à septuagesima, usque ad octavam Paschatis, & per hebdomadam ante Nativitatem S. Joanais Baptistæ ut habetur in *d. cap. Cappellanus, & can. non oportet, & seqq. 24. quæst. 4.*

Adverte tamen primo, quod in his temporibus prohibetur solum nè dicatur missa solemnis, & benedicantur sponsi, sed non impeditur contractus matrimonij, *Sanchez lib. 7. disputat. 7.* & ideò traducens sponsam in domum sponsi his temporibus, & faciens convivia moderata in signum lætitiæ non peccat mortaliter, nisi nimius esset excessus, ità ut sanctitati prædictorum temporum notabiliter detraherentur, & scandalum animis spectantium triberetur, quicquid oppositum dixerit *Pontius lib. 6. cap. 8.* qui putat esse peccatum mortale, ideòque cavendum est à *Sylvestro in verb. matrim. 7. q. 2. & ab Emanuele Sà in verb. impedimenta matrimonij non dirimentia, n. 2.* asserentibus, omnem traductionem sponsi in domum sponsæ etiam, absque solemnitate interdictam esse tempore feriarum, cavendum etiam est à *Cajetano in summa in verbo matrimonium, cap. ultimo. §. in publico, autem loco Armilla in verb. matrimonium, num. 64. Rosella in verbo impedimentum impedim. 17. Angelo in verb. debitum nu. 1. Tabiena in verb. impedimentum, impedim. 14. quæst. 2. dicentibus.* non licere hoc tempore matrimonium, ratio est, quia nullibi prohibetur consummatio matrimonij his diebus, sivè de prima, sivè de sequenti consummatione sermo sit, *DD. ubi sup.*

Adverte secundo, quod in his diebus prohibetur etiam nè Parochus ministret orationes, & cærimonias, quæ pro secundis nuptiis destinatæ sunt, quia Jura absolutè loquuntur prohibendo solemnitatem nuptialem, & non solum benedictionem nuptialem, sed illæ cæremoniæ licet non sint nuptialis benedictio: sunt tamen pars solemnitatis nuptialis: ità docet *Basilius Pont. lib. 6. cap. 8. num. 13.* contra multos, quos refert, dicentes, tales cæremonias posse ministrari his temporibus, quia non sunt benedictio nuptialis, & nota signanter, quod si alicubi receptum sit, secundas nuptias benedici de consuetudine quando alter conjux benedictionem non suscepit, talis consuetudo non obligat sub mortali, *Filiuccius tract. 10. p. 2. c. 4. n. 169. qui nu. 165.* docet benedictionis omissionem secluso scandalo, & contemptu, non esse peccatum mortale, quia est solum omissio cujusdam Sacramentalis, non tanti momenti.

Advertè tertio, quod in Civitate nostra Neapolitana, & tota Diœcesi ex præcepto Domini Archiepiscopi, in his temporibus, neque potest celebrari contractus matrimonij, nisi necessitate urgente, & cum licentia ejusdem Archiepiscopi.

Avertè quartò, quæstionem esse inter DD. an nuptiæ sint probibitæ in die Sabbati antè adventum à primis vesperis? & affirmativè respondent *Sanch.*

Sanch. lib. 7. disp. 7. Barbosa de potestate Parochi, cap. 21. nu. 13 contrarium tamen docent *Cavalcantis par. 2. decision. 58. Filiuccius tract. 10. par. 2. cap. 9. num. 178. Bonacina de matrimonio, quaest. 3. punct. 14. num. 4. Pontius lib. 6. cap. 8. num. 50.* qui omnes docent, prohibitionem in his temporibus incipere à media nocte primi diei cinerum, & primae Dominicae Adventus, undè in integro Sabbato ante primam Dominicam Adventus nuptias celebrare poteris, sicut, & toto die martis antè feriam quartam cinerum nuptias celebrare licebit, quia à media nocte incipit die subsequens, non verò à primis vesperis.

Atque Cathechismus, Septimum impedimentum matrimonij est cathechismus, qui dicitur à cathechizo, ideft instruo cathechismus enim est instructio fidei quae fit solemniter antè Januam Ecclesiae; quae instructio impedit matrimonium cum eadem persona, quam instruxit *cap. Cathechismum de cognatione, in 6.*

Sponsalia. Octavum impedimentum impediens matrimonium contrahendum sunt sponsalia prius celebrata cum alia persona per verba de futuro, *Coninch. disput. 3. dub. 3. Sanchez lib. 1. disput. 27.* ratio est, quia, qui contraxit sponsalia cum una persona, contrahit gravem obligationem standi sponsalibus.

Jungito votum, Nonum impedimentum est votum simplex castitatis, ingrediendae religionis, vel non nubendi, *cap. unico, de voto, in 6. cap. consuluit. cap. si quis votum 27. quaest. 1. cap. qui sunt 17. qu. 4. cap. voventibus 17. quaest. 2. cap. rursus & cap. veniens extra, qui Clerici, vel voventes.*

Dices hoc votum est praejudiciale Reipublicae, nam privatur Respublica legitimis filiis contra *tex. in l. 1. ff. soluto matrim.* Respondetur majus bonum esse castitatis, quam matrimonij, *cap. nuptiae 27. quaest 1.* nam licet matrimonium impleat terram liberorum; tamen castitas implet caelum.

Vel si paeniteat, Decimum impedimentum est paenitentia publica, nam quamdiù quis facit publicam paenitentiam, impeditur, nè matrimonium contrahat *cam. de his 33 q. 2.*

Aut monialem, Ultimum impedimentum est crimen, quoquis matrimonium contraxit sciente cum moniali professa, in hoc enim casu contrahens non solum invalidè matrimonium cum moniali, verum etiam impeditur, nè possit aliud contrahere, *can. hi, ergo 17. q. 1.*

Advertè tamen singulariter doctrinam, omnibus incognitam, omnia impedimenta criminum per desuetudinem esse sublata, undè uxoricidium, de quo in *cap. admonere 33. q. 2.* sublatum est per contrariam consuetudinem.

Secundo praeshytericidium, de quo in *cap. qui presbyterum, de paenit. & remiss.* Tertio matrimonium cum moniali scienter initum, de quo in *d. cap. hi, ergo 27. quaest. 1.* Quarto si quis propriam prolem de sacro fonte suscepit, de quo in *can. de eo 30. quaest. 1.* Quintò qui ob peccatum publicum paenitentiam paragere debet *dict. can. de his 33. quaest. 2.* Sexto raptus sponsae alienae, de quo in *can. statutum 27. quaest. 2.* Septimò incestus cum consanguineis conjugis, aut sponsae, adhuc viventis, *can. 1. & 2. cap. transmissa, de eo, qui cognovit, &c.* & saltem intra secundum gradum post *Triden. sess. 24. cap. 4. de reformat. matrimon.* sunt omnia sublata per contrariam consuetudinem, ità *Coninch. disputat. 30. dub. 3. nu. 25. & Navarr. capit. 22. num. 75.* qui cum centesimum suae vitae annum compleret, ac undique circa conscientiae quaestiones consultus, testatur se in tanta aetate, nec vidisse, nec audivisse peti dispensationem a talibus impedimentis: quod verò Doctori excellenti, testanti consuetudinem, credi debeat, non paenitendi Auctores affirmant, ut *Bart. in l. de quibus, num. 21. ff. de legibus*, de communi testatur testatur *Mascbardus de probat. conclus. 426.* quod verò docet *Navarr. ultrà Coninch. ubi supra.* testatur *Sanchez lib. 7. disp. 17. num. 8. & Basilius Pont. lib. 6. cap. 14* quicquid in contrarium afferat, *Rebellius de obligat. Justitiae, par. 2. lib. 3. quaest. 18. num. 23.*

Ex quo doctus Confessarius paenitentibus incestuosis, uxoricidis, & similibus non debet imponere onus, ut si contrahere volunt, dispensationem obtineant, quia, ut diximus talia impedimenta per desuetudinem sublata sunt, quod si aliquis scrupulosus, hoc non obstante dispensationem super his petere velit, eam Episcopus conferre poterit, est communis DD. sententia, notat *Navarrus cons. 9. lib. 4. de consanguinitate, & affinit.*

Rogabis quis possit dispensare in impedimentis matrimonij?

Respondetur, distinguendo duos casus. Primus est, si loquamur de impedimentis dirimentibus, & hoc casu si dirimunt de jure naturali, nullus potest dispensare, neque Summus Pontifex, ut colligitur *ex cap. litteras, §. sanè extrà de restitutione spoliatorum*, si verò dirimunt de jure Ecclesiastico, potest Summus Pontifex dispensare. Immò interdum Episcopus, quando scilicet impedimentum est occultum, & matrimonium publicum, nec possunt conjuges separi absque magno scandalo, nec ad Summum Pontificem, vel ad ejus Nuntium pateat recursus propter paupertatem, aut locorum distantiam, vel alia legitima impedimenta, *Guttierez cap. 49. Sanchez lib. 2. disput. 40. & lib. 8. disp. 5.* Ratio est, quia non est credibile, Summum Pontificem velle reservare sibi dispensationem, in casu tantae necessitatis, & consequenter praesumitur Episcopo concessa tacita facultas dispensandi in foro conscientiae modo matrimonium fuerit contractum cùm bona fide, si verò matrimonium fit contractum cum mala fide, praesumitur Summum Pontificem reservasse sibi in eo facultatem dispensandi, & nolle favere iniquitati contrahentium, ut docent *DD. ubi supra.*

Secundus est casus, si loquamur de impedimentis impedientibus tantum, & tunc, ut supra diximus in impedimentis criminum nulla opus est dispensatione, in voto verò castitatis requiritur dispensatio Summi Pontificia, sicut, & in voto religionis peregrinationis ad sepulchrum, & ad Sanctum Jacobum de Compostella, ac de visitando limina Apostolorum, ut per Summistas omnes, & signanter per *Angelum, in verb. votum il 4. §. 6 Sylvestrum eodem. verb. qu 3.* & alios apud *Barbos. de potestate Episcopi, par. 2. allegat. 37.* quod si esset votum castitatis, vel ad tempus, puta per aliquot annos, posset Episcopus dispensare nisi forsan, tàm magnus esset annorum numerus, ut vovens nequeat ultrà vivere. *Azorius Suarez*, &alij, quos refert, & sequitur *Sanchez de matrimonio, lib. 2. disput. 46. & in Summa lib. 4. cap. 40. num. 48. & sequenti*, sicu à fortiori potest Episcopus dispensare in voto non contrahendi matrimonium, vel abstinendi à certo actu venereo, aut non fornicandi, quia nullum ipsorum est votum perfectae castitatis, *Molfes. in summa tractat 11 de praeceptis Decalogi, cap. 15. num. 149.*

Et singulariter scies doctrinam novam, quod licet solus Summus Pontifex dispensare possit in illis quinque votis, purà religionis, castitatis, peregrinationis ad Sanctum Sepulchrum, & ad Sanctum Jacobum de Compostella, & ad limina Apostolorum, tamen huc non procedit quando

quanto vota prædicta essent facta in pœnam quia Episcopus dispensare poterit in eis, puta dicit, quis, voveo me non lusurum tali ludo, vel tali peccato, & si secus fecero, ingrediar religionem, vel ibo in Terram sanctam; hoc casu docet, & optimè ex multorum DD. auctoritate *Barb. ubi supra*, Episcopum posse dispensare, ex ea ratione, quia solùm ea vota sunt reservata Summo Pontifici, quæ simpliciter, & absolutè sunt religionis, peregrinationis, castitatis, ut ex multis ibi docet.

Nec prætermittas scire, quod totum id, quod diximus de Episcopo, ut possit dispensare super talibus impedimentis, & votis, procedit etiam in Abbate Ecclesiæ nullius Diœcesi, ut docet *Tamburinus in tract. de Jure Abbatum tom. 2. disp. 18. q. 2.*

Rogabis secundò, an validum sit matrimonium contractum cum falso errore alicujus impedimenti, puta si quis certo scit matrimonium contractum vivo altero conjuge non valere, & falso existimans conjugem mortuum, esse vivum, contrahit matrimonium, quæro an valeat?

Respondetur, contra *Coninch. disputat. 24. dub. 6. nu. 53.* cum *Sanchez lib. 2. disp. 33. Guttierez de matrimonio, capit 47.* valere matrimonium, tum quis contrahentes intendunt quantum est in se ipsis consentire, quia hæ personæ sunt re vera habiles ad contrahendum, & intendunt quatenus possunt contrahere, tum quis hæreticus licet credat baptismum esse rem irrisoriam, & nihil valere; verè baptizat si verè intendat facere, quod potest, & intendit Ecclesia, ergo.

Rogabis tertio, an contrahens bona fidè matrimonium, & dubitans posteà de valore ipsius, adhibeat diligentiam, & veritas non constet, possit ne dum reddere, sed etiam petere debitum.

Respondetur affirmativè, ità contra *Guttierez de matrimonio, cap. 49. & Rebellium part. 2. libr. 2. quæst 16.* docent *Sanchez lib 2. disput. 41. num 46. Coninch. disput. 34. dub. 10. conclus. 4. Filiuccius tract. 10. par. 1. cap. 9. num. 343.* cum aliis, ratio est, quia possessor bonæ fidei, si dubitet rem esse alienam, & facto sufficienti examine nequit dubium vincere, potest ne dum rem retinere, sed ea uti, ergo conjux licet dubitet, tamen quia præmisit sufficiens examen, poterit adhùc dubitans uti matrimonio reddendo, & petendo debitum.

Tandem adverte, quod contrahentes matrimonium cum aliquo impedimento dirimente, non duplex, sed unicum peccatum faciunt, ut docent *Sanchez lib. 7. disputat. 5. & Filliuccius tractat. 10. par. 2. cap. 1. num. 21.* quia illud jus Ecclesiasticum, quod statuit impedimentum irritat matrimonium, & ideò contra idem jus fit, non verò contra duplex ut putat *Ledesma de matrimon. quæst. 50. ar. 1. diff. 3. concl. 2.* qui ob hoc putat, tales duplex facere peccatum.

TITULUS XIII.

DE TRIPLICI COGNATIONE.

Titulus hic ad præcedentes tali ordine continuatur. Visum est supra de impedimento cognationis, verum quia hæc cognatio triplex est carnalis scilicet spiritualis, & legalis; meritò Paulus, nunc de omnibus his titulum generalem ponit ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, quod cognatio est nomen generis, & comprehendit omnes conjunctos, & propinquos: in specie verò, significat cognationem parentelæ inter aliquem, & ejus parentes ex parte matris, in materia tamen nostra cognatio sumitur pro quadam conjunctione impediente, & dirimente matrimonium, proveniente ex sanguine, vel ex copula, quæ quidem cognatio, in specie accepta, sic definitur.

Est vinculum personarum ab eodem proximo stipite descendentium, carnali propagatione contractum *Sanch. lib. 7. disp. 50.*

Dicitur vinculum, quia cum consanguinei ab eodem sanguine oriantur, connectuntur affectu quodam, & nexu.

Dicitur vinculum personarum, id est hominum non animalium, homines enim sunt capaces veri amoris, & amicitiæ, cujus non sunt, capacia cætera animantia, *Arist. 8. ethic. cap. 11.*

Dicitur ab eodem stipite proximo, idest propinquo, quia si consideraretur stipes remotus, omnes essent consanguinei, quia omnes ab Adamo tanquam à remoto stipite descendemus, ut benè *Sanch. lib. 7. disput. 51.*

Dicitur carnali propagatione, quia consanguinitas non contrahitur per quamcumque dependentiam ab alio, sed per copulam carnalem, unde Angeli non sunt Deo consanguinei, quia processerunt à Deo per creationem, non per carnalem propagationem, & ideò Adam cognationem, non habet cum Eva, licet ex ejus osse formata esset. Christus Dominus verò fuit consanguineus B.M.V. quia ex purissimo ejus sanguine, quoad naturam humanam conceptus fuerit, & acceperit, quod cæteræ matres ex parte sua communicare solent.

Sciendum secundò est, quod consanguinitas per lineas, & gradus distinguitur. Dicitur verò linea collectio personarum, tum ascendentium, tum descendentium. Gradus verò dicitur distantia major, vel minor unius personæ ab alia secundum lineam consanguinitatis, & sic Cajus, ejus filii, nepotes, pronepotes, abnepotes, & alii dicuntur constituere lineam, & quidem linea duplex est, recta scilicet, & collateralis: linea recta est illa, secundum quas plures personæ, ità descendunt ab uno stipite immediatè, vel mediatè, ut una sit genita ab altera v. g. filius à patre, nepos à filio, pronepos à nepote, & similibus: linea collateralis est illa secundum quam multæ personæ ab uno stipite immediatè, vel mediatè procedunt, ipsæ tamen personæ à se invicem non descendunt, ut filii Caii, qui sunt fratres inter se, constituunt lineam collateralem, eo, quod unus frater ab altero non descendat. Idem dic de filiis duorum fratrum inter se: qui mediatè descendunt ab uno stipite, scilicet ab Avo, Avus enim, qui stipes dicitur, fecit duos fratres, & isti filios.

Sciendum est tertiò, gradus computandos esse hoc modo, ut cognoscere possimus, in quo gradu unus consanguineus existat cum alio.

Prima enim regula est, quod in linea recta ascendentium, & descendentium tot sunt gradus, quot sunt personæ, dempta una persona scilicet stipite. Ideò cum pater, & filius sint duæ personæ si demas stipitem, nempè patrem erunt pater, & filius in primo gradu eo, quia dempto stipite, remanet una persona, sic pater, & nepos sunt in secundo gradu, eo quia dempto patre sunt duæ personæ, & sic de cæteris.

Secunda regula in transversalibus est, quod eo gradu distant inter se, quo gradu distent à communi stipite, & ideò, quia duos fratres uno solum gradu distant à communi ipsorum patre, etiam uno solum gradu distant inter se, filius verò unius fratris, quia duobus gradibus distat à

com.

communi ſtipite, duobus etiam gradibus diſtat à filiis alterius fratris.

De jure verò civili tot gradus conſtituuntur, quot ſunt perſonæ, ideò duo fratres de jure civili ſunt in ſecundo gradu, quia dempto ſtipite ſunt duæ perſonæ, & ſic de cæteris, in computatione verò graduum in linea recta jus Canonicum convenit cum civili Leges arborem conſanguinitatis, apud *Sylveſtrum in verb. matrimon. q. 7.*

Sciendum eſt quartò, quod ſpeciali nomine frater patris appellatur patruus: frater Avi paterni dicitur patruus magnus, & omnes alii deſuper dicuntur patrui magni, frater matris dicitur Avunculus frater aviæ maternæ dicitur Avunculus magnus, & ſic deſuper ſoror patris dicitur Amita, ſoror Avi paterni dicitur Amita magna. Soror matris dicitur matertera, ſoror aviæ maternæ dicitur matertera magna.

Super principium textus.

DIviditur hic cognatio, quod triplex ſit carnalis, ſpiritualis, & legalis.

Cognatio carnalis eſt illa, quæ oritur ex copula carnali, de qua ſuper in rubrica diximus.

Cognatio ſpiritualis eſt, quæ contrahitur in Baptiſmo inter baptizantem, & baptizatum, inter ſuſceptores, & baptizatum, inter baptizantem, & patrem, ac matrem naturalem baptizati, & inter ſuſceptores, & patrem, ac matrem baptizati, *Trid, ſeſſ. 24. cap. 2.*

Et ideò patrinus poteſt matrimonium cum ea contrahere, cum qua ſimul ſuſcepit alienum filium, ut declaravit Pius V. in Bulla, quæ incipit, *Cum illius vicem*, quia inter ipſos ſuſceptores nulla contrahitur cognatio, *Sanch. lib. 7. diſp. 15. Bonacina de matrim. qu. 3. pun. 5. §. 2. num. 7.*

Ut autem contrahatur cognatio ſpiritualis in Baptiſmo, vel confirmatione, requiruntur plura.

Primò, requiritur, ut infans teneatur in Baptiſmo, & ideò ſi puer ſit domi baptizatus, & in Eccleſia ſupplentur ſolemnitates, non contrahit cognatio ab eo, qui illum ſuſcepit in Eccleſia, quia non dicitur ſuſceptor in baptiſmo.

Secundò requiritur, ut puer ſuſcipiatur cum primo baptizatur, ideò ſi puer rebaptizatur; non contrahitur cognatio, quia ſecundus baptiſmus non eſt verus baptiſmus, ergo non affert impedimentum, quia non præſtat impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum, *cap. non præſtat. de regul. jur. in 6. Sanch. lib. 7. diſp. 62.*

Tertiò requiritur, ut ſuſcipiens puerum in baptiſmo, illum ſuſcipiat quando baptiſmus ſolemniter adminiſtratur, quod ſi ſuſcipiat dum privatim adminiſtratur non contrahitur cognatio ſpiritualis, quia Eccleſia inſtituit ſuſceptores ſolùm in baptiſmo ſolemni, non verò in privato, ut conſtat ex *Trid. ſeſſ. 24. cap. 1.*

Quartò requiritur, ut compater, & commater ſuſcipiant puerum de manibus baptizantis ſtatim, ac baptizatus eſt, alioquin non dicerentur ſuſcipere, ſeù levare puerum de ſacro fonte, ſeù de baptiſmo, ut patet ex *cap. poſt ſuſceptum 30. quæſt. 3. cap. omnes 30. quæſt. 1. cap. ſi quis unius 30. quæſt. 3. DD. ubi ſup.* & ideò commater, ſuſcipiens puerum de manibus compatris, non contrahit cognationem, eò quia, non dicitur ſuſcipere de baptiſmo, ſeù de ſacro fonte *Bonacina ubi ſup. nu. 13.*

Quintò requiritur contactus, ità ut ſuſcipiens ſeù tenens verè dicatur ſuſcipere, ſeù tenere, & ideò ille, qui ſolum aſſiſtit baptizato, & ipſum non tangit, vel ipſum ſolum tangit extremitate digiti, cognationem non contrahit, eo quod verè non dicatur tenere, vel ſuſcipere, ſic declaravit Sacra Congregatio teſte *Bonacina loco citato, num. 14.*

Sexto requiritur expreſſa vel tacita intentio præſtandi munus patrini, ſeù ſuſcipiendi de ſacro fonte, *DD. ubi ſupra.*

Septimo requiritur, ut non adſit error perſonæ, ideò, qui putat ſuſcipere filiam Caii, & ſuſcipit filium Franciſci, cognationem non contrahit cum parentibus Franciſci, *DD. cit.*

Octavo requiritur, ut baptizans, ſeù ſuſcipiens ſit baptizatus, alioquin non contrahit cognationem ſpiritualem, & ideò fidelis baptizans filium infidelis, cognationem non contrahit, cum infideli, quia infidelis pater illam non contrahit ergo, neque baptizans, ſicut ille, qui non eſt confirmatus, non contrahit cognationem ſpiritualem ſuſcipiendo puerum in Sacramento confirmationis, *cap. in baptiſmate de conſecrat. diſt. 4.* Religioſi vero ſi ſuſcipiant aliquos, contrahunt cognationem, quia ſunt ejus capaces, quamvis ſit prohibitum illis ſuſcipere, *cap. non licet, de conſecr. dis. 4. Bonac. ubi ſup. nu. 22.*

In §. de eo quoque.

COncluſio hujus textus eſt, quod ſi plures ſint, qui tangunt puerum in baptiſmo, & nullus eorum eſt deſignatus, omnes contrahunt cognationem, *cap. fin. de cognat. ſpirit. in 6. Trident. ſeſſ. 24. cap. 2.* ubi licet dicat, nullum contrahere ſi accedat, & tangat poſt alios deſignatos, tamen nihil loquitur de iis, qui non deſignantur, & omnes tangunt, *Navarr. cap. 22. nu. 39.*

Si vero plures tangant, ſed non omnes ſimul, ſed ſucceſſivè, ſolum primus vir, vel prima mulier tangens contrahit cognationem, quia primus fungitur munere patrini, *Bonac. quæſt. 3. pun. 5. §. 2. nu. 24.* alii vero putant neminem contrahere cognationem, ſive ſimul, ſivè ſucceſſivè tangat.

Si vero plures deſignati à parentibus tangant; omnes contrahunt cognationem modo ſimul tangant, quia *Triden.* non irritat talem actum, ſed ſolum imponit pœnam arbitrio ordinarii, ergo. Quod ſi plures fuerint deſignati à parentibus, & Parochus unum ſolum admiſerit, tunc una eſt cognatio, quæ contrahitur *DD. citati:* quod ſi parentes deſignarunt ſolum duos ex. gr. ſed parochus plures admiſit ad ſuſcipiendum baptizatum, cognatio ſolum contrahitur à deſignatis per parentes, non verò à cæteris, qui fuerunt admiſſi à Parocho, quia non pertinet ad Parochum deſignare, quando parentes deſignatunt; quando verò nullus deſignatur à parentibus, tunc ſi quis deſignetur à Parocho hic contrahit cognitionem. *DD. cit.*

Advertè tamen, quod totum id, quod dicitur de cognatione ſpirituali orta ex baptiſmo, dicitur etiam de cognatione ſpirituali orta ex confirmatione; *Tridentinum*, enim ſicut reſtrinxit cognationem ortam ex baptiſmo, ità etiam reſtrinxit cognationem ortam ex confirmatione: verum tamen eſt, quod in confirmatione unus ſolum patrinus adhiberi poteſt, *cap. fin. de cognat. ſpirit.* in baptiſmo verò duo adhiberi poſſunt, modo unus ſit maſculus, alter fœmina *DD. ubi ſup.*

In §. Legalis cognatio.

AGitur hic de' cognatione legali, ad cujus intelligentiam.

Sciendum eſt primò, quod cognatio legalis eſt propinquitas quorundam perſonarum, con-

surgens ex adoptione, ut in *cap. 1. extra de cognatione legali*: & appellatur legalis cognatio, quia a lege introducta est.

Sciendum secundo est, quod adoptio est assumptio legitima extraneæ, personæ in filium, nepotem, filiam, vel neptem. Dicitur legitima, idest secundum formam legum. Dicitur assumptio idest electio, dicitur extraneæ personæ, quia illæ adoptari potest, qui est extranea persona, dicitur in filium, vel nepotem quia nemo potest adoptari in fratrem, vel parentem, *l. nec apud*, *C. de hæred. instituen.*

Sciendum est tertio, quod adoptio ad hoc ut fieri possit plura requiruntur.

Primò, ut adoptans sit sui juris, & major 25. annis, in Regno verò nostro major 18. annis, quia major efficitur quis in 18. anno in nostro Regno, ut in *Constit. Regni minorum Jura.*

Secundo requiritur, ut adoptans non sit femina, quia fæmina, absque speciali privilegio adoptare non potest, *§. fæminæ instit. de adoptionib.*

Tertiò requiritur, ut adoptans habeat potentiam naturalem, ad generandum, quia adoptio fuit instituta ad supplendum defectum naturale filiorum, & ideò cum hanc potentiam habeant secti gladio, vel eunuchi per morbum, qui sunt tantum impotentes ex accidensi, non ex defectu naturali, benè poterunt adoptare, frigidi verò sunt impotantes ex natura, *l. 2. C. de adoptionibus.*

Quartò requiritur, ut adoptans excedat adoptatum decem, & octo annis, quibus conditionibus positis potest quilibet adoptare etiam si sit Sacerdos, & quilibet potest adoptari, modo sit præsens, nam absens non potest adoptare, neque adoptari, *l. neque*, *& l. post mortem. §. fin. ff. de adoptionibus*, ubi etiam dicitur adoptionem non posse fieri per Procuratorum, *Sanchez lib. 7. disputat. 63*, ubi assignat plures modos, quibus solvitur adoptio perfecta, & imperfecta.

Advertè tamen, quod quando ille, qui sedat in filium alterius, est sui juris, tunc dicitur arrogatio talis actus, quando verò est filius famil. dicitur adoptio, *DD. cit.*

In §. Affinitas,

AGitur hic de affinitate, ad cujus intelligentiam sciendum est primo, quod affinitas est proximitas personarum ex copula proveniens, omni carens parentela, ut supra diximus consanguinei verò Caij, qui copulam habuit cum Betta, non efficiuntur affines cum consanguineis Bertæ, *cap. quod super his*, *de consanguinitate*, *& affinit.* quia licet Berta fiat affinis cum consanguineis Caij, & Cajus cum consanguineis Bertæ, tamen consanguinei ipsi non afficiuntur affines inter se, undè duo fratres possunt ducere duas sorores, & filius potest eam ducere, cujus matrem pater ejus duxit, *cap. super his*, *Sanch. lib. 7. disp. 87.*

Sciendum secundo est, quod affinitas duplex est, alia scilicet in linea recta & æquali, alia in linea transversa: in linea recta sunt ascendentes, vel descendentes illius personæ, cum qua copula fuit habita, & ascendentes sunt socer, victricus, Noverca: Descendentes vero gener, Nurus privignus, & privigna. In linea transversa sunt consanguinei illius, cum qua copula habita fuit, undè si quis rem habuit cum Berta, habente Patrem, & matrem, fratres, & sorores Pater, & mater sunt affines in linea recta frater, verò, & soror Bertæ fiunt affines Titij in linea transversa.

Sciendum est tertio, quod ad hoc ut contrahatur affinitas, plura requiruntur. Primo requiritur copula cum seminis effusione *cap. fraternitatis 35. quæst. 1. cap. lex divina 27. quæst. 2.* & ideò non oritur affinitas, quando fæmina sola semen emittit, quia illius semen ad generationem non est sufficiens, *Bonacina quæst. 3. de matrimon. par. 13. nu. 13.*

An verò oriatur affinitas si solum vir semen emittit fæmina verò non, quæstio est? & probabilior est opinio, solum semen viri sufficere; ità *Comitulus in responsis moralibus, libr. 1. quæst. 30. Sanchez de matrimon. tom. 2. lib. 7. disp. 64. num. 31.* Ratio est, quia copula sine emissione seminis fæminæ est perfecta, & sufficiens ad generationem, ergo per illam contrahitur affinitas, Antecedens, patet ex *Arist. lib. 2. de generat cap. 2. S. Thom. 3. par. quæst. 31. art. 50. ad 3.*

Secunda verò opinio probabilis est, quod ad affinitatem non sufficit seminatio viri in matricem fæminæ, in qua est sanguis menstruus, ad generationem paratur, sed etiam requiritur fæminatio fæminæ, ut indicatur in *Can. lex divina constitut. 27. quæst. 2.* dum in eo requiritur sanguinis, idest seminis commixtio, quia ut benè *Galenus*, etiam seminatio fæminæ est necessaria ad generationem & tale semen fæminæ non videtur ad aliud à natura institutum, ità docent *Innocentius*, *Archidiaconus*, *Bellamera*, & alij panes *Sanchez ubi supra*, *Grassius par. 1. libr. 2. cap. 80. num. 8. Hurtadus de matrimon. disput. 20. difficul. 1. num. 50. Diana par. 4. tract. 2. resolut. 43.* quia non dicitur matrimonium consummatum, si solus vir intra vas seminet naturale, fæmina verò non seminet. Idem sequitur *Diana part. 5. tract. 13. resolut. 54.* undè possent ingredi religionem, &c.

Eo quo primo infertur, quod si vir seminnante mulier non seminaverit, & id constet partibus, possunt religionem ingredi, & ideò per professionem solvitur matrimonium, & pars in sæculo relicta, aliud matrimonium facere potest.

Infertur secundò, quod si vir emisit semen intrà vas mulieris, mulier verò illud non emisit, tunc si mortua uxore aliam accipiat, cum qua consummet matrimonium, postea secunda mortua, si vult suscipere sacros ordines poterit, quia non est bigamus.

Infertur tertiò, quod si quis habuit rem cum consanguinea, vel affine uxoris, si illa non seminavit, non contraxit ullum impedimentum, & ideò potest sine alia dispensatione petere debitum, quæ de relatè *Dian. p. 3. addit. resol. 21. per tot. & p. 4. tract. 2. resolut. 43*

Sciendum est quartò, ex copula fornicaria non oriri affinitatem de jure naturali, ut contra *Coninch. de Sacrament. disput. 22. nu. 49.* docet *Sanchez*, *de matrimon. tom. 2. disput. 67. Basilius Pontius de matrimon. lib. 7. cap. 33. Henriquez lib. 12. cap. 1.* quia nulla sunt nomina, quibus nominemus sic affines ex fornicatione. Confirmatur, quia in *l. non facile, §. affines*, *& §. sciendum ff. de gradibus affinitatis dicitur*. Neque cognitionem, neque affinitatem esse posse, nisi nuptiæ non sint interdictæ; ex quo benè infertur infidelem, qui illicitè cognoscit mulierem aliquam, posse cum ad fidem pervenerit nubere cum filia illius, cum qua ipsa rem habuit, quia nulla nata fuit affinitas, & sic nullum impedimentum *DD. citati.*

Sciendum est quintò, quod si quis extraordinariè polluat fæminam aliquam emittens semen post extractum è vase naturali membrum, licet casu post modum illabatur semen in naturale vas, nulla resultat affinitas: ita *Pontius de matrimonio lib. 7. cap. 33. num. 6.* licet contrarium videatur docere

Floreum de casibus reservatis, par. 2. casu 6. num. 8. citans Graffium, & alios, & addit etiam Pontius, quod si femen alicujus viri ope dæmonis deferatur in uterum fœmineum, non contrahitur affinitas, quia illi non sunt facti una caro, nec sibi adhærefunt; putat verò Bonacina, ubi supra, num. 14. in tali casu contrahi affinitatem, sive recipiatur semen intra vas arte humana, sive diabolica, sive cum violatione claustri, sive absque claustri violatione, sivè sponte, sivè casu. Tu verò ne discedas à nostra sententia.

Ex quo benè sequitur primò, non oriri affinitatem ex congressu spadonum, quia spadones non emittunt semen aptum ad generationem, neque oritur affinitas ex actu præpostero extrà vas debitum, sicut neque ex pollutione extra vas fœmineum; orietur verò affinitas ex copula habita cum fœmina omninò in vita, vel ignorante, vel dormiente, vel insana, vel ebria, quia ex tali copula oriri potest generatio, & commixtio sanguinis, cap. discretionis de eo, qui cognovio consang. uxoris suæ. DD. ubi supra.

Sequitur secundò, ex matrimonio rato, sed non consummato non oriri affinitatem, sed impedimentum publicæ honestatis, quia ad inducendam affinitatem requiritur feminis emissio intrà vas fœmineum. DD. ubi supra.

In §. Constitutum.

Conclusio hujus textus est, quod licet olim matrimonium contractum in quarto gradu consanguinitatis, & affinitatis tenebat; solum enim prohibebatur, usque ad tertium gradum inclusivè, cap. de propinquis 35. quæst. 5. & in c. 1. & in c. nullum constitutum sit, ut usque ad septimum gradum celebrari posset, tamen hodiè, usque ad quartum gradum contrahi non potest, cap. non debet de consang. & affin.

Computantur verò gradus, hoc modo, quia omnes consanguinei viri in eo gradu consanguinitatis, quo sunt viro, ità sunt fœminæ in gradu affinitatis, & è contra in eodem gradu consanguinitatis, quo sunt consanguinei fœminæ ipsi fœminæ, in eodem gradu sunt affines ipsi viro at consanguinei fœminæ cum consanguinei viri nullo modo sunt affines inter se, & possunt simul contrahere, ut supra diximus.

In §. Vir igitur.

Conclusio hujus textus est, non excusari matrimonium invalidum propter diuturnitatem temporis, quia matrimonium prohibitum nulla præscriptione roboratur, cap. quod de eo 33. quæst. 5. cap. sicut de regularibus, sed temporis diuturnitas auget peccatum, & pœnam, cap. quanto, & cap. ultimo, de consuetudine, sed debent petere dispensatione, quæ dispensatio justa existente causa sità Papa, Causæ vero, ob quas potest dispensari in matrimonio sunt, maxima v. g. dos, vel defectus ipsius, secunda verò causa esse potest litium extinctio, tertia, causa ad reconciliandas inimicitias, quarta ratione angustiæ loci, in quo omnes sunt consanguinei, vel affines: & quælibet causa apud Summum Pontificem allegari potest; sine causa enim dispensare non poterit; si est impedimentum Juris naturalis, cap. proposuit, ubi Canonista de concessione prabendæ, eo vero casu, quo matrimonium est publicum, impedimentum verò occultum, Episcopus dispensare poterit, si deinde eveniat scandalum ex separatione, & de facili non possit ad Summum Pontificem pervenire ob causas, de quibus supra diximus.

Adverte etiam quod pœnæ adversus contrahentes matrimonium sine dispensatione introductæ sunt hæc, matrimonium enim est nullum, Trident. sess. 24. cap. 50. de reformat. matrimon. filij sunt illegitimi, & ipsi contrahentes scienter sunt excommunicati, Clem. unica de consang. & affinit. alias panas legas in text. in §. si adversus infitius. de nuptiis.

Alios §§. hujus nostri tituli explicavimus in superioribus, quando de impedimentis matrimonij latè egimus.

TITULUS XIV.

De Clandestina desponsatione.

Quia inter cætera matrimonij impedimenta, unum est, quando scilicet contrahitur sine Parocho, & testibus, meritò ponitur hic titulus de Clandestina desponsatione. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quod Clandestina desponsatio dupliciter dici potest; primo quod fit sine Parocho, & testibus, secundo quando celebratur omissis denunciationibus, & sic quando fit sine solemnitate à jure requisita, desponsatio tunc Clandestina dicitur, cap. aliter 3. qu. 5. cap. ultimo, eodem, titul. solemnitas verò requisita, jam præscripta est in Trident. sess. 24. cap. 1. de reform. matrimon.

Sciendum secundo est; quod matrimonium clandestinum primo modo, scilicet, quod contrahitur sine Parocho, & testibus duobus, vel tribus est invalidum, quamvis alias validum fuerit, Triden. sess. 24. cap. 1. de reform. & ideò peccat mortaliter contrahens matrimonium sine Parocho, & testibus, tum quia invalidè contrahit, & facit irritum Sacramentum, tum etiam, quia facit contra prohibitionem Ecclesiæ in re gravi, cum Ecclesia prohibeat talia matrimonia, clandestina, tanquam causas multorum malorum, Sanchez lib. 3. disput. 5. Coninch. disputat. 30. dub. 2. Filiuccius tract. 10. cap. 50. Bonaciquæst. 2. par. 6. num. 3. addunt etiam DD. citati, teneri Parochum sub peccato mortali habere librum, in quo vigore, Trident. sess. 14. cap. 1. referat nomina testium, & contrahentium præterea scribat locum, & tempus contractus matrimonij, quia Trident. ibi dat præceptum de re gravi, & eo, quod ordinetur ad cavendas lites, & ut matrimonium sit notum Ecclesiæ; sicut etiam sub præcepto tenentur Parochi habere librum baptizatorum, DD. citati, & legas Barbos. in remissionibus ad Trident. sess. 24. cap. 1. de reform. matrimon. numer. 74.

Sciendum est tertio, matrimonium clandestinum, secundo modo celebratum, scilicet non præmissis denunciationibus validum esse, Riccius in praxi dec. 257. peccat tamen mortaliter contrahens matrimonium sine publicationibus, nulla justa causa

sa excusatus, quia violatur præceptum in re gravissima, ex omissione enim denunciationum sequi possunt gravissima mala, quibus Parochi diligentia supplere non solet, & peccat etiam mortaliter Parochus assistens matrimonio, non præmissis denunciationibus; quod si Parochus unam tantum præmitteret denunciationem, & mortaliter certus est, nullum subesse impedimentum, excusatur a peccato mortali, ratione parvitatis materiæ, *Bonacina ubi supra*, cum aliis, immò absolutè, putat *Sanchez*, omissionem unius denunciationis non esse peccatum mortale, quia non est materia gravis, sed levis, ità etiam docet *Barb. de potestate Episc. par. 2. alleg. 32. num. 5. Guttier de matrim. cap. 57. num. 1. cum aliis.*

Immò putat *Pont. lib. 5. c. 2. num. 3.* publicationes non posse fieri, etiam extrà Ecclesiam si locus sit aptus, ut ad multorum notitiam perveniant, alij verò putant posse fieri in loco extrà Ecclesiam opto, ad hoc, *Layman. lib. 5. Theolog. moral. tract. 19. p. 2. c. 4. num. 10.*

An verò possit Ordinarius dispensare, ut omittantur denunciationes, quæstio est? & Respondetur, quod licet id fieri per Parochum nòn possit, tamen per Ordinarium fieri potest justa existente causa, esset verò legitima causa dispensandi, quando periculum est in mora, vel si aliquod damnum publicum nasceretur; quam potestatem Ordinarius poterit alteri delegare, *Bonacina ubi supra num. 7. Pontius de matrimon. lib. 5. tract. 10. par. 2. cap. 4.* Nomine verò Ordinarij, potens dispensare in hoc casu, quis veniat quæstio est? nam putant multi venire Episcopum, vel alium habentem jurisdictionem Episcopalem, ut Abbatem, &c. ità *Sanchez tom. 1. de matrimon. lib 3. disputat. 3. Coninch. de Sacrament. disputat. 27. dub. 6. num. 54. Barb. de potestate Episcopi, par. 2. alleg. 32. num. 30.* contrarium verò docent *Pontius lib. 5 cap. 31.* ubi docet hanc potestatem dispensandi in denunciationibus solis Episcopis Jure *Trident.* concessam esse, non vero his, qui quasi jurisdictionem Episcopalem habent, ut Abbatibus, vel Vicariis Sancti Joannis, & similibus, ità declaratum per Sacram Congregationem, docet *Diana par. 3. tract. 4. resol. 237.*

Vicarius vero Episcopi, an possit dispensare, ut ex justa causa denunciationes non fiant, quærunt DD. & negat *Basilius Pontius lib. 5. cap. 31. & Henriquez lib. 11. cap. 5.* testatur sic declarasse Sacram Congregationem, quod scilicet sub nomine ordinarij non veniat Vicarius Episcopi. *Thom verò Sanchez lib. 1. de matrim. lib. 3. disputat. 7. num. 11. Riccius in praxi tom. 1. resolut. 226 Coninch. de Sacram. disputat. 27. dub. 6.* & alij docent, posse id Vicarium generalem facere, quia Vicarius est Judex ordinarius, ergo si Episcopus eas sibi non reservat, poterit Vicarius id dispensare, ut scilicet fiat matrimonium non factis publicationibus justa existente causa: *Barb. de potestate Episcopi, par. 2. alleg. 32. num 29.* Id tamen non procedit in Vicariis foraneis, *Guttierez Canonic. quæst. lib. 1. cap. 19. num. 16.*

Quod si contrahentes sint diversæ Diœcesis, & ordinarius unius dispensat in denunciationibus, tunc hoc sufficere, ut non fiant in Parochia alterius, docet *Sanchez de matrimon. tom. 1. lib 7. disputat. 7. num. 7.* quia in hac re conjuges censentur una persona, & ratione connexionis causæ uterque alterius prælato censetur subjectus: & sententiam hanc *Sanchez* docuit *Guttierez de matrimon. cap. 46. nu. 10. Coninch. de Sacram. disp. 27. dub. 6.* & alij *Pontius verò de matrimon. lib. 5. cap. 31. num. 9.* docet id falsum esse, quia contingere potest, ut impedimentum, quod non est notum, in una Diœcesi, sit in alia notum, ergo ex dispensatione denunciationum, in una Diœcesi, non sequitur dispensatio in alia.

Rogabis primò, ubi sint faciendæ denunciationes? Respondetur in propria Parochia; quod si sponsi sint diversarum Parochiarum sunt faciendæ in utraque Parochia, quia illi, qui sunt de Parochia mulieris fortasse ne scient impedimentum viri, sic declaravit sacra Congregatio, *DD. citati*, quod si habitent in pluribus Parochiis, sunt faciendæ in ea, in qua diutius habitant, quia ibi facilius possunt detegi impedimenta; vel fieri debent, in ea Parochia, ubi verisimiliter sciri possunt impedimenta, ut in Parochia, ubi fuit antiqua parentum habitatio, quia ibi melius, sciri possunt impedimenta.

Nota tamen, quod si antè nuptias denunciationes factæ non fuerint, erunt faciendæ post nuptias antè consummationem matrimonij, ex *Trident.* ut v. g. si impedimentum dirimens adsit antè copulam fornicariam detegatur, nisi Episcopo videatur eas omninò intermitti. Parochus sola sua auctoritate prætermittere non potest, quia hoc spectat ad Episcopum quando facilè adiri potest. *Candelabrum tamen aurium par. 1. de matrimon num. 243.* docet id posse Parochum facere, à quo recedas, quia contrarium declaravit Sacra Congregatio, *Sanchez lib. 3. disput. 7.* Poterit verò Parochus, quando contrahens esset morti vicinus, & vellet concubinam ducere, omittere denunciationes, ità *Franciscus Sarmientus lib. 1. selectorum, cap. 16. num. 7 Genedus Canonic. quæstionum. q. 30. num. 18. Layman. lib. 5. Theolog. morales tract 10. par. 2. cap. 4. num. 11.* in quo tamen casu Parochus requiritur, quia nullus datur casus, in quo sinè Parocho possit celebrari matrimonium, ut falso putat *Pater Grassius lib. 2. decisionum, cap. 86. num. 9.*

Rogabis secundo, quibus diebus fieri debeant denunciationes?

Respondetur, faciendas esse tribus festis. *Trident. sess. 24. de reformat matrimon. cap. 1.* quod si Parrochus eas non fecerit tribus diebus festis continuis non peccat mortaliter, si uno, vel altero die festo omittat, quia videtur parvitas materiæ, quando vero de licentia ordinarij una tantum denunciatio præmittitur, non statim ea facta est contrahendum matrimonium, sed per aliquod tempus arbitrio prudentis viri differendum est, ut deferri possint impedimenta, si quæ extant inter contrahentes *DD citati Trident.* etiam præscribit, ut fiant denunciationes in Ecclesia inter missarum solemnia, & fieri poterunt etiam, docet *Bonacina ubi supra num. 18.* in alio die, quam festo, eo scilicet die, quo ingens hominum multitudo ad Ecclesiam accedit, ut accidit quando insignis concionator concionem habiturus est, ratio est, quia finis Concilij Tridentini præscribentis denunciationes fieri in die festo, fuit, ut multi scirent matrimonium contrahendum, & facilius detegant impedimenta, quæ faciunt; sed huic fini optimè satisfit, quando fiunt denunciationes extra Ecclesiam, in loco, ad quem confluit magna populi copia, aut quando magna hominum multitudo ad Ecclesiam accedit, etiam si non sit dies festus, ergo.

Explica-

Explicatur quis Parochus debeat intervenire in matrimonio.

UT matrimonium fieri validè possit, requiritur proprij Parochi præsentia vel alterius Sacerdotis de licentia Parochi, *Triden. sess.* 24. *cap.* 1. *de reform.* dicitur verò proprius Parochus ille, in cujus Parochia contrahena habitat pro majori parte anni; undè judicarunt peritissimi DD. valere matrimonium quoddam, contractum à concubina, quæ se transtulit ad domum Amasij intensione ibi morandi pro majori parte anni, & postea contraxit matrimonium non cum Amasio, sed cum alio, *Sanchez lib.* 1. *disput.* 23. *Bonacina pun.* 8. *num.* 3. & docent *DD.* perdicti, quod si aliqua contraxerit matrimonium invalidum coràm Parocho, & postea transtulit se ad domum sponsi in alia Parochia commorantis cum intentione ibi perpetuo manendi, non poterit posteà coràm eodem Parocho matrimonium celebrare, quia ille primus Parochus non dicitur amplius proprius, nam per translationem domicilij, quod jam amisit sponsa statim, quod incæpit habitare in Parochia sponsi, cum intentione ibi perpetuo manendi, *Sanchez lib.* 3. *disput.* 25. *num.* 15. Ex quo.

Infertur primo, quod si sponsi rus proficiscantur recreationis causa, non poterunt ibi matrimonium contrahere, quia tale matrimonium non contraheretur, coràm Parocho sponsi, neque sponsæ, neque de Parochi licentia, ergo esset nullum, ità DD. communiter, quos sequitur, *Genedus Canonic. quæstionum, quæst* 30. *num.* 60. *Barbos. de potestate Episcopi, par.* 2. *alleg.* 32. *num.* 66. *Riccius in praxi tom.* 1. *resolut.* 215. *numer.* 2. *& Menochius volum.* 4. *cons.* 378. qui pro hac opinione adducit quatuor Rotæ Decisiones: contrarium tamen docet *Pontius de matrimonio, lib.* 5. *cap.* 31. *&.* 1. *num.* 4. *Emanuel Sà in verb. matrimonium, num.* 2. docet sufficere ad contrahendum matrimonium in aliqua Parochia, ut illi habitent, dum contrahunt, & affert *Pontius*, plures declarationes *Cardin.* qui communiter dixerunt, quod proprius Parochus dicitur ille, in cujus Parochia contrahentes habitant tempore, quo matrimonium contrahitur, & sic pro prima opinione adsunt Rotæ decisiones; pro secunda verò, quæ dicit valere, adsunt declarationes *Cardin.* verum quia de istis authenticè non constat, à prima sententia non recedas.

Infertur secundo, ad quæstionem, an si Parochus unius contrahentis assistat in Parochia alterius sibi non subditi valeat matrimonium, v. g. si Parochus Petri contrahentis assistat in parochia Mariæ contrahentis, cujus non est parochus? & *Sanchez lib.* 3. *tom.* 1. *disput.* 19. docet valere matrimonium prædictum *Layman. lib.* 5. *Theolog. moral. tractat.* 10. *p.* 2. *cap.* 50. docet non valere matrimonium, qui etiam docet, puniendum esse talem parochum, & peccare mortaliter; ergo vero cum *Sanch.* dico validum esse matrimonium, nec peccare mortaliter, nec puniendum quia parochus exercet jurisdictionem voluntariam, quæ extra territorum exerceri potest.

Infertur tertio eos, qui duplicem habent Parochiam, posse matrimonium contrahere coram quolibet Parocho illarum, si quis ergo in hyeme habitet in uno loco, & in æstate in alio poterit coram unoquoque Parrocho contrahere: sicut qui habens duas Parrochias eligit sepulturam in diverso loco, Canonica portio dividi debet inter utrumque, licitè tamen in tali casu adhibitur ille parochus, qui est loci, ubi matrimonium contrahitur *DD. cit.* Matrimonium verò vagorum à quolibet Parocho contrahi poterit, sive viri, sivè fœminæ, quando vir est unius Parochiæ, & fœmina alterius, ut sic declaravit Sacra Congregatio, & sic docet *Rcc. decis.* 244.

Infertur quartò, ad matrimonij validitatem sufficere præsentiam alterius, qui non sit Parochus, dummodò sit Sacerdos, & habuit licentiam à Parocho, vel ejus Vicario, hæc tamen licentia non sufficit si sit tacita, quæ habetur per solam tolerantiam, sed requiritur expressa, qualis est licentia ad assistendum specialiter matrimonio, vel ad exercenda omnia Parochi officia, vel administranda omnia Sacramenta: sic declaravit Sacra Congregatio. *Bonacina ubi supra, num.* 11. nec opus est, ut talis facultas detur in scriptis, quia scriptura non est de essentia privilegij, & docet *Decius in rubr. de cretalium, de constitut.*

Ille verò sacerdos, qui audet conjugere non sibi subditos sine Ordinarij, vel Parochi licentia, incurrit ipso jure suspensionem, donec absolvatur ab Ordinario illius Parochi, *Triden. sess.* 24. *cap.* 1. *Sanch. lib.* 3. *disp.* 52. jure verò antiquo incurrebat excommunicationem, *Clem.* 1. *de privil.* quam sublatam esse docent *DD. cit.*

Infertur quintò, Parochum (idem dic de ordinario) posse facultatem concedere alteri Sacerdoti conjungendi sponsos in matrimonium non solum in propria, verum extrà propriam Parochiam, immò extra propriam Diœcesim poterit ipse Parrochus conjugere in matrimonium suos subditos; quia hæc non est jurisdictio contentiosa, sed voluntaria, & potest parochus suis ovibus administrare sacramenta ubicumque existant *DD. citati.* Archiepiscopus verò non poterit dare licentiam alteri, ut conjugat, vel ipse conjungere subditos suorum suffraganeorum, nisi in causa appellationis: *Bonac. ubi sup. num.* 5. *Sanch. lib.* 3. *disputat.* 27.

Infertur sextò, valere matrimonium contractum coràm Parocho, qui non sit Sacerdos, quia *Trident.* requirit solum præsentiam Parochi, sed potest aliquis esse Parochus, etiam si non sit Sacerdos, ergo; ille verò, qui de licentia Parrochi assistit, debet esse Sacerdos, quia ità dicit *Triden. ubi sup.* (qui aliter, quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote, &c. *DD ubi sup*

Infertur septimò, validum esse matrimonium, coram parocho interdicto, excommunicato, seù prohibito ab Episcopo assistere matrimonio, etiam si talis parochus sit excommunicatus vitandus, quia ut benè docent, *DD. citati*, hæc assistentia auctoritativa, non est propriè actus jurisdictionis, qui exerceri non possit; immò nè dum potest talis Parochus matrimonio assistere, verum etiam concedere poterit licentiam alteri Sacerdoti ad assistendum, nam talis licentia non est propriè actus Jurisdictionis, & ob eadem rationem poterit Parochus dare talem licentiam Sacerdoti suspenso, excommunicato, vel irregulari, immò putat *Sayrus lib.* 5. *de censuris, cap.* 22. valere matrimonium contractum, coràm Sacerdote degradato, assistente de licentia Parochi.

Difficultas verò est, an talis Parochus prædicto matrimonio assistens peccet mortaliter? & respondet *Vasquez* 3. *part. tom.* 4. *tract. excommunicatione, dub.* 7. *& Basilius Pontius lib.* 5. *cap.* 17. *dubio unico*, esse peccatum mortale, quia est communicare in

n re gravi, & sacra, *Sanchez autem tom 1. lib. 3. disputat. 2. numer. 8.* peccare venialiter solum, quando esset excommunicatus vitandus, quando verò esset tolleratus, nullo modo peccat, tum quia spectat ad suum munus, tum quia nulli affert præjudicium, & res est parvi momenti.

Infertur octavo, valere matrimonium contractum; coràm eo Parocho, qui habet injustè beneficium putà si aliud incompatibile haberet, vel si delictum fecerit ob quod ipso jure privatus esset beneficio: ratio est, quia adhuc est parochus, cum titulo colorato, quousque non fuerit spoliatus, sed quæ fiunt ab aliquo cùm errore communi, & titulo colorato validè fiunt. *l. Barbar. ff. de officio Prætoris*, ergo, *Bonacin. q. 2. pun. 8. num. 24.*

Ut autem gesta ab aliquo Judice, qui talis non sit, valeant requiruntur tria.

Primò requiritur, ut adsit titulus coloratus seù putativus, qui titulus adesse censetur, quando legitimus superior confert alicui dignitatem, vel beneficium, sed collatio est invalida ob occultum aliquod impedimentum, unde non valent gesta ab eo, qui sine legitima auctoritate intrusit se in officium Judicis, Parrochi, vel confessarij, quia intrusus non habet, nec verum, nec coloratum titulum, sic etiam si parochus constitueretur, quia à laicis, invalidè assisteret matrimonio, nam laici cum non habeant talem potestatem, consequenter parrochus, nec verum, nec coloratum habet titulum *Sanchez lib. 3. disputat. 22. Coninch. disputat. 8. dub. 3. & de matrim. disput. 27. dub. 2.*

Requiritur secundo error communis, quo scilicet habeatur quis communiter pro verò titulari, beneficiario, prætore, &c. non verò sufficit unius, vel duorum error, nec sufficit omnis error communis, sed debet esse probabilis, non verò crassus, vel supinus, quia talis error æquiparatur scientiæ, *cap. 2. de constit. in 6.*

Tertiò requiritur, ut non adsit impedimentum juris divini, vel naturalis, quia quando adest tale impedimentum, non potest Ecclesia, vel Prælatus supplere, sicut potest supplere defectum juris positivi, undè valet absolutio data ab eo Sacerdote, cui verè est data potestas, sed collatio fuit invalida ob occultum aliquod impedimentum; sicut etiam valet matrimonium contractum, coràm laico, cui parochus concessit facultatem assistendi, si communi errore haberetur, ut sacerdos, quia adest titulus coloratus error communis, & non intervenit impedimentum juris naturalis, vel divini, sed est defectus, qui suppleri potest ab Ecclesia, quæ sicut statuit, invalidum esse matrimonium, sine parocho, vel alio Sacerdote, ità potest facere, ut valeat matrimonium celebratum, coràm laico, qui communi errore, & titulo colorato reputatur parochus.

Requiritur etiam, ut validè contrahatur matrimonium ultrà parochi præsentiam, duorum, vel trium testium præsentia. *Trident. ubi supra*, & talis præsentia esse debet humano modo scilicet, ut advertant testes, & intelligat id; quod agitur *text. coram Titio, ff. de verb. signif.* undè dormientes, amentes, ebrij, & similes non sunt testes idonei ad matrimonium, quia non possunt esse præsentes humano modo, tales vero testes possunt esse omnes personæ doli capaces usum rationis habentes, etiam impuberes, nec excluduntur fæminæ, parentes, familiares, & similes, neque excommunicati, immò etiam si testes essent præsentes, per vim matrimonio, adhùc valeret, dummodò advertant quid agant *DD. cit.*

In §. Quicunque.

Agitur hìc de pœnis, quibus punitur ille, qui contrahit matrimonium in gradu prohibito, ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, quod contrahens in gradu prohibito ignoranter non peccat, & filij sunt legitimi, matrimonium verò dicitur putativum, & dos gaudet privilegio veræ dotis, *l. si cum dotem ubi DD. ff. solut. matrim.* quando verò matrimonium contrahitur scienter, tunc contrahentes peccant mortaliter, & filij non dicuntur legitimi: *Sylvestr. in verb. matrimonium, numer. 20. cap. cum inhibitio, §. si quis eodem. titul. Navar. cap. 22.*

Illi verò, qui contraxerunt matrimonium clandestinum, & illud consummarunt eum solemnitatibus requisitis, posteà non extante alio impedimento, sine alia dispensatione matrimonium contrahere in facie Ecclesiæ poterunt; sic declaravit Sacra Congregatio in *Concilium Trident. loco citato*, possunt tamen isti contrahentes arbitrio Episcopi puniri: *Trident. sess. 14. cap. 1. de reform.* quod idem dic de testibus, assistentibus matrimonio clandestino *Covar. de matrim. p. 2. cap. 6.* Judex laicus in hoc modo se intromittet. *Card. Bellarm. tom. 3. controverſ. cap. 32. de matrim.*

Sacerdos verò sæcularis, vel regularis assistens matrimonio clandestino ligatur suspensione, donec absolvatur ab ordinario illius parochi, ad quem pertinebat assistere, ut supra dixi. Illi verò qui non assistit matrimonio clandestino, sed facultatem dedit assistendi, aut sciens tale matrimonium, non prohibuit, suspendendus est per triennum ab officio, *cap. fin. de clandestina desponsatione.*

Filius verò, qui nascitur ex matrimonio clandestino est illegitimus, ut post susceptus ex conjuge non sua, *Sanch. de matrim. lib. 3. disput. 43. & 44.*

Rogabis primò, utrum Neapolitanus, accedens ad eum locum, ubi Tridentinum receptum non est, ad finem contrahendi matrimonium clandestinum validè contrahat sine parocho, & testibus?

Respondetur affirmativè, quia leges obligant personas subditas pro ea differentia temporis, quo existunt in loco ubi leges receptæ sunt, sed hæ personæ non existunt in loco, ubi receptum est *Trident.* ergo, ex quo vulgo dicitur: si fueris Romæ romano vivito more, ità *Sanchez libr. 3. disputat. 18. Coninch. disputation. 27. dub. 1. Guttierez de matrimon. caput. 65. num. 12.*

Ex quo, si mercator existeret apud Turchas, posset ibi contrahere matrimonium sine parocho, & testibus, etiam si non habeat animum ibi permanendi perpetuò, sic extraneus, qui reperitur in Græcia, posset ibi contrahere matrimonium sine parocho, & testibus.

Quod si incola illius loci, ubi *Trident.* non est receptum venire, apud nos, non posset contrahere matrimonium, nisi cum parocho, & testibus, ratio est, quia ut benè docent *Sanchez*, & alij citati, licet extraneus non teneatur legibus loci, ad

quem

quem diverti, absque intentione ibi manendi pro majori parte anni tamen ab hac regula excipitur lex generalis, qualis est lex *Trident.* legas *Bonacinam ubi supra*, *par. 7. num. 5.* Hodiè verò declaravit Sacra Congregatio de anno 1628. matrimonium non esse legitimum si contrahatur ab aliquo in fraudem Tridentini, ubi scilicet non est receptum, si adhuc finem contrahentes eant, legas *Barbos. part. 2. de potestate Parochi, cap. 21. num. 93.*

Rogabis secundo, quid requiratur ad faciendum validum matrimonium, quod invalidum fuit ex defectu consensus? Respondetur, quod sufficit si de novo præstetur consensus, dummodo tamen alter sponsus, qui re vera consenserat, non revocaverit suum consensum, quia id, quod requiritur, est id, quod non fuit præstitum, sed consensus non præstitos fuit ex parte unius tantum, ergo, nec opus est, ut aliquid dicatur sponso, qui verè consensit, quia ex parte ipsius non requiritur novus consensus nec opus est, ut talis consensus sit externus, sed sufficit internus.

Limitatur veró hoc, quando matrimonium est invalidum ex parte utriusque quia deficiebat consensus, in utroque tunc enim requiritur consensus ex parte utriusque, & debet esse externo signo explicatus, qoia erat matrimonium omninò irritum, ergo sicut ad ipsius validitatem prima vice requirebatur consensus externus, ita hic *DD suprà* non tamen est necesse, ut contrahatur de novo coràm Parocho, & testibus, quia horum præsensia requiritur, quando matrimonium contrahitur secundum omnes partes, non verò quando suppletur aliquis defectus, *DD. ubi sup.*

Talis verò consensus præstari debet secundum aliquos infrà biennium, secundum alios verò, sufficit quodlibet intervallum temporis, donec alter non revocaverit suum consensum. *Bonac. ubi sup. p. 9. num. 50.*

Rogabis tertiò, quid requiratur ad validandum matrimonium, quando fuit contractum cum aliquo impedimento dirimente? Respondetur, quod opus est ut post impetratam dispensationem impedimenti, aut post illius cessationem accedat novus, utriusque consensus signo externo expressus, nec sufficit consensus ejus, qui novit impedimentum, quia consensus anteà præstitus, fuit omninò irritus ex parte, utriusque contrahentis, nam versabatur circa materiam illegitimam, & invalidam, ergo.

Limitatur, ut non requiratur hoc casu, quod contrahatur matrimonium coram Parocho, & testibus, modo impedimentum sit occultum; nec requiritur, ut contrahentes recipiant benedictiones, quæ non sunt de substantia matrimonij, & antea fuerunt receptæ. *DD. ubi supra.*

TITULUS XV.

Qui Matrimonia accusare possint.

Titulus hic ad præcedentes tali ordine continuatur, visum est de requisitis in matrimonio præsertim de denunciationibus, quæ fieri solent; at quia factis denunciationibus solent proponi, impedimenta ab accusatoribus, merito ponitur hic titulus; Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, quod in materia nostra differt verbum accusare, à verbo denunciare, & conqueri: accusare enim verificatur, quando fit ad vindictam, denunciare quando fit ad emendationem, ut notant, *DD. in cap. Inquisitores, de accusat.* Conqueri verò verificatur, & consideratur, quando alicui est facta impietas, & injustitia: ideò filius injuste exhæredatus à Patre dicitur conqueri per quærelam inofficiosi testamenti, facit enim Pater contra pietatis officium, non relinquendo filia legitimam, ut benè dicitur in toto titulo, *ff. & Cod. de inoffic. testament.*

Sciendum secundo est, teneri eum, qui scit aliquod impedimentum matrimonij, illud detegere; & denunciare modo id facere possit, absque gravi suo incommodo, etiam si impedimentum sit occultum, nec probari possit, quamobrem, qui novit aliquos velle matrimonium contrahere cum aliquo impedimento, tenetur denunciare, præmissa tamen prius correctione, si ex illa speratur fructus: quia agitur de vitando damno spirituali contrahentium, & eorum filiorum, qui alioquin illegitimè nascerentur, at quando agitur de damno vitando alterius, denunciandum est delictum, etiam si sit occultum, & probari non possit, & hoc verum est licet impedimentum sit acceptum ab alio sub secreto, modo sit auditum à persona fide digna, quæ non dum detulerit illud impedimentum, quia dictum hominis fide digni facit fidem, & veram notitiam, secus si audivit à persona nihil certum sciente, vel si non meminit, à qua persona audiverit, *Sanchez lib 3. disput. 13. Guttierez de matrimon. cap. 59. Genuensis in praxi Neapolit. cap 2. Barb. de potestate Episcopi, alleg 96.* Ratio autem quare teneatur quis denunciare impedimentum, etiam si sit occultum, & probari non possit, ea est, quia in *cap. præterea de sponsalib* unus testis sufficit ad imped e idum matrimonium contrahendum, quod ampliat *Barb. in collect. tom 2 lib. 4. distin. 1. cap. 12.* cum aliis etiam si testis non fuerit citatus, sed per partem oblatus. *Basilius verò*, *Pontius de matrimon. lib. 5. cap. 34.* tenet non teneri aliquem detegere impedimentum matrimonij, si illud est omninò occultum, & ipse solus novit, ità ut probari nullo modo possit, quod latè ipse probat, qui *cap. 36.* subdit, quod si sit unus tantum testis accusans matrimonium, non poterit ipsum interdici; idem docet *Diana p. 3. tract. 4. resol. 221.*

Fit autem talis denunciatio factis publicationibus, & assignato termino, quod si elapso termino comparuerit, quis ad denunciandum, debet ei dari juramentum, quod sit dicturus veritatem, *cap, tuæ, §. aliqua, eodem titulo*, & interrogandi sunt, quarè anteà non venerint, *cap. ex parte, il 2. de convers. conjugation.* Neapoli verò practicatur, quod qui tempore denunciationum non denunciavit, & silvit impedimenta matrimonij (id quod de facili potest contingere, cum homines non soleant frequenter in diebus festivis accedere ad audienda divina in parochiis) admittitur ad denunciandum, & potest esse alia ratio, quia propter amplitudinem Civitatis, & multitudinem Parochiarum potest esse ignorantia, ut benè advertit *Ricc. in præsenti.*

Ex quo benè sequitur à fortiori, quod si quia tempore denunciationum non erat præsens in Diæcesi, & posteà veniat ad denunciandum, debet admitti; dummodò juret, de hoc, quod scilicet impeditus non venit, ut in nostro §. 2. *habetur.*

In §. Sed nec omnes cum quicunque sequentibus.

COnclusio generalis horum Jurium est, quod ad denunciandum impedimenta matrimonij, quæ oriuntur ex delicto omnes admittuntur, putà si adsit impedimentum ex causa consanguinitatis, vel affinitatis, quando verò impedimenta, quæ denunciantur, oriuntur non ex delicto, sed impotentia, puta frigiditate, &c. & tunc solum admittuntur conjuges, adhoc denunciandum, cum ipsi solum id sciant.

Advertunt etiam DD. quod si vir dicat, quod potest coire, & mulier dicat, quod non potest, standum est viro, quia nunquam mulier saturatur venere, & mulier probare id debet, alioquin maritus manutenebitur in sua possessione: sic si maritus dicat, quod non potest, & mulier, quod potest, statur dicto mulieris, nam regulariter ejus depositioni statur, qui pro validitate matrimonij, vel ut valeat agit: legas *Menochium latè de hoc agentem, de arbitr. Judic. casu* 103. *& Riccium in praxi decisio num.* 263.

Advertunt secundo, quod licet omnes admittantur ad denunciandum impedimenta matrimonii, quando agitur de delicto, tamen admittuntur cum aliquo ordine, primo enim admittuntur parentes, *cap. videtur* 35. *quæst.* 6. secundo alij propinquiores, semper ab antiquioribus, & honestioribus incipiendo, quod si tota progenies defecerit, admittuntur vicini, & testes seniores præferuntur junioribus, **DD.** *in l. vinum, ff. si certum petatur*, **Abbas** *in cap. quoties de testamentis*, quod si quis defecerit in probando potest alius assumi, *cap. ultimo, de clandestina*, qua de re, *Farinaccius de testibus quæst.* 55. *nu.* 191. *qui etiam quæst.* 55. ponens regulam, quod domestici à testimonio repellantur, *l. etiam, C. de testibus, cap. si testes*, §. *testes* 4. *quæst.* 3. *cap. in litteris, ubi DD. de testibus, cap. super prudentia* 14 *quæst.* 2. eam tamen limitat *num.* 26. in casu matrimonij, quando scilicet accusarent matrimonium propter consanguinitatem, ex *text. in cap.* 1. 36. *qu.* 6. *sup. cit.*

Advertunt tertio, ex nostro, *§. ubi tamen*, quod si aliter conjugum divitiis; honore, nobilitate, vel potentia est altero potentior, tunc testimonium suspectum est ejus, qui est inferior, & nullatenus admittendum, quia ob inæqualitatem præsumitur falsa dicere, *cap. super eo de testibus*.

Ex quo benè colligitur primo, magis esse credendum testi nobili, quam ignobili, *Menochius de præsumpt. lib.* 6. *de præsumpt.* 59. *Tirquellus de nobilitate cap.* 20. *num.* 33. nisi tamen nobiles deponerent pro actore ignobiles verò pro reo, quia tunc potius ignobilibus, quam nobilibus credendum esset, argumento ejus, quod in simili dicit, *Glos. in cap. Cleric.* 81. *dist.*

Colligitur secundo, testem pauperem non esse idoneum, *l* 3 *ff. de testibus, cap. si testes*, §. *testium fides* 4. *quæst.* 3. *capit. in primis* 2. *quæst.* 1. quia lucri causa facilè posset corrumpi, & dicere mendacium. Docet tamen communis, Schola apud *Farinaceum de testibus, quæst.* 57. *num.* 14. pauperem ob solam paupertatem non repelli à testimonio ferendo in causis civilibus, sed solum ei de fide diminui, in criminalibus verò putat *Farinac.* nullo modo pauperes admittendos esse.

In §. quoties cum sequentibus.

COnclusio horum jurium est, quod quando agitur de probando impedimento matrimonii, duo, vel tres testes sufficiunt, quia in ore duorum, vel trium stat omne verbum, *cap. quoties de testibus*, *cap. novit de Judiciis*, debet tamen dari juramentum de odio, inimicitia, vel similibus; immò unus testis juratus sufficit ad impediendum matrimonium, & est plena probatio ad hunc effectum, *capit. præterea de sponsalibus. Joannes Guttierez lib.* 1. *Canonic. quæst cap.* 11. *n.* 28. *Lazarius Canonic. quæst. sect.* 21. *quæst.* 11. *n.* 23.

Tandem advertè, quod quando est probatum impedimentum cum juramento testium, & est facta publicatio parti, si non opponitur aliquid, secundum quod habetur in *cap. juravit, de probat.* pervenitur ad divortium, ut in titulo sequenti dicemus.

TITULUS XVI.

DE DIVORTIIS.

VIsum est supra de impedimentis matrimonij; verum quia ipsis probatis, fieri solent divortia, merito ponitur hic titulus ad cujus generalem intelligentiam.

Sciendum est primò, quod divortium est legitima separatio viri, & uxoris, appellatur verò separatio, non dissolutio, quia dissolutio fit per mortem, ut in *titul. ff. solut. matrimon.* divortium verò fit in vita, utriusque conjugis, & tandem dicitur divortium à divertendo, vel à diversitate mentium, ut docet *Abbas in rubrica, eodem titulo.*

Sciendum est secundo, quod divortium potest tripliciter accipi, primò pro dissolutione matrimonii, quoad Thorum idest, quoad carnalem copulam, secundo pro dissolutione matrimonij, quo ad Thorum, & habitationem, tertio pro repudio, & dissolutione matrimonii, quoad vinculum, ac si nullum esset: hic verò non loquimur de divortio, quoad vinculum, quia jam supra probavimus, matrimonium esse indissolubile, latè *Farinacc. tom* 4. *quæst.* 143. *separatio. Sanch. lib.* 10. *disput.* 2. matrimonium verò ratum dissolvitur interdum per professionem in religione, aut etiam aliquando per dispensationem Summi Pontificis. Neque loquor de divortio, quoad Thorum solum, quia ex sup. traditis constat, quod fieri possit, sed loquimur solùm de divortio, quoad Thorum, & habitationem perpetuo, vel ad tempus.

In §. si tamen cum tribus sequentibus.

PRima conclusio horum jurium est, quod matrimonium ratum, & non consummatum dissolvitur per professionem factam ab altero conjuge. Congruæ rationes hujus conclusionis multæ assignantur. Prima enim ea est, quia per copulam carnalem conjunguntur conjuges, ita ut unus habeat possessionem alterius, ergo unus invito altero non potest religionem ingredi, *cap. cum sis de convers. conjugat. cap. ad Apostolicam, eodem titul.* Secunda ratio est, quia res non est integra. Tertia ratio est, quia cum sint effecti una caro, dividi non potest, ità ut pars sit in Religionem, & pars in Mundo, *Cap. Agatosa* 17. *quæst.* 2. In matrimonio verò rato nulla harum rationum procedit, *cap. verum, capit. ex publico, de convers. conjugatorum.*

Secun-

Secunda conclusio est, quod si quis antè consummatum matrimonium ingreditur religionem, & profitetur, posteà verò se penitet volens ad conjugem revertere, dicens ingressum fuisse religionem, quia credebat, conjugem leprosam, quam mundo videt non habere lepram, non est audiendus, sed actus professionis valet antè consummatum matrimonium, *cap. ex parte, de convers. conjugat.* quia lepra non est causa finalis, sed impulsiva, finalis enim est Dei servitium, & ideò etiam sine lepra poterat maritus religionem ingredi.

Tertia conclusio est, quod si quis post matrimonium ratum jactet, se velle ingredi religionem, & differt consummare matrimonium, debet ei præfigi terminus arbitrio Judicis Ecclesiastici, infrà quem vel ingrediatur religionem, vel consummet matrimonium, qui terminus non potest esse major duorum mensium, *c. ex publico, de convers. conjugat. cap. per tuas, de convers. conjugat. cap. per tuas, de donat. inter virum, & uxorem.*

Ex quibus benè sequitur primò licitum esse Bertæ in sæculo manenti contrahere matrimonium, cum alio, si conjux, cum quo prius matrimonium contraxerat ingressus est religionem, & fecit professionem antè consummationem matrimonii. Verum tamen est, manentem in sæculo, non posse cum alio matrimonium contrahere antè professionem coojngis: ideò si conjux, qui religionem ingreditur, est 14. annorum, tenetur conjux manens in sæculo expectare, donec ille compleat 16. annum, quod est tempus ad validitatem professionis requisitum, ex *Tridentin. sess. 25. capit. 15. de regularibus, Sanchez lib. 2. disputat. 24.*

Sequitur secundò, matrimonium ratum, & non consummatum dissolvi per solemnem professionem equitum militantium, ut sunt equites Sancti Joannis, etiam si non vivant in communi. Ratio est, tum quia sunt verè religiosi, tum quia neque dirimeretur matrimonium contrahendum. *Sanchez lib. 2. disput. 18.*

Sequitur tertio, matrimonium consummatum celebratum antè professionem non dirimi per sequentem professionem. *Canon. si quis conjugatus 27. quæstion. 2,* quod si sponsa intra bimestre sit cognita per vim, tunc adhùc poterit religionem ingredi, quia par non est, ut sponsa damnum patiatur ex culpa alterius conjugis, *Sanch. lib. 3. disp. 21.* quod sup. dixi.

Sequitur quartò, quod si quis credens bona fide, conjugem periisse, professus est, debet ad illum revertere, quando cognoscit eum esse superstitem, & illi tenetur reddere debitum, nam invalidè professus est, non tamen poterit petere debitum, *Sanch.* & alij, quos sequitur *Bonacina de matrim. quæst. 8. par. 4. num. 10. ex cap. placet. de convers. conjugat.* Ratio est, quia votum castitatis factum in dicta professione, licet sit invalidum secundum solemnitates ab Ecclesia institutas habet, nihilominus vim voti simplicis; nec non obligare ad non potendum debitum, ergo non potest petere debitum.

In §. Diversum.

Conclusio hujus textus est, quod matrimonium ratum, & non consummatum, per subsequens ordinem sacrum remanet etiam si Episcopus fiat, quia tenetur stare cum uxore, ut in *extravagan. antiquæ de voto. Abbas in capit. ex parte, & in cap. placet de convers. conjugat.* quia hoc privilegium non constat fuisse concessum ordini sacro, vel consecrationi Episcopi, ut benè docent DD. ubi *Bonacina ubi sup.* & forsitan ratio congrua est, quam tradit *Sylvester in verbo ordo*, quia scilicet servanda est æqualitas inter virum, & uxorem, sed tam vir, quam uxor potest religionem ingredi ante consummatum matrimonium ratum, non tamen potest ordo sacer ab uxore, sed solùm à marito suscipi, mulier enim ordinari non potest, undè meritò ordo sacer non solvit matrimonium ratum, sicut professio.

In §. Sed si.

Conclusio hujus textus est, quod ob lapsum unius conjugis in infidelitatem, vel hæresim fieri potest divortium, quoad Thorum, & habitationem, quia talis lapsus est quædam spiritualis fornicatio, ob quam licet facere divortium, sicut est licitum ob fornicationem carnalem, *cap. idolatria, cap. quanto, de divortiis.* Jus enim naturale confert jus vitandi proprium animæ periculum, *DD. ubi sup.*

In §. Item si quis, cum sequenti.

Conclusio hujus textus est, ob impotentiam coeundi fieri divortium matrimonij, etiam quoad vinculum, quod intellige quando impotentia erat ante matrimonium, non verò si superveniat post ipsum factum, *cap laudabilem de frigidis, & maleficiatis, ubi glos.* quando verò fœmina cognita est ab uno, sit etiam cognoscibilis ab alio, nam quando, erat arcta, si posteà fiat uni apta, dicetur semper apta, *Abbas in cap. fraternitatis de frigidis, & maleficiatis*, nisi impedimentum esset frigiditatis ex parte viri.

Quandò verò quis scit, aliquam esse inhabilem ad coeundum, & hoc non obstante vellent stare simul, debent permanere sicut frater, & soror, *cap. consultationi. de frigidis. & malefic.* idest non debent libidinem incitare; quod si motu naturali veniret alteratio, ut probabiliter coirent, tunc possunt coire, quia scirent verisimiliter esse aptos, quod totum eorum conscientiæ relinquitur *DD. in dict. cap. consultationi, de frigid. & malefic.* quia sicut veri conjuges possunt promittere continentiam simul morando, *cap. quod Deo 33 q. 5.* ità, & isti morari poterunt simul in continentia, *cap. omnino 31. dist.* ubi conjuges, cum quibus Apostoli non exercebant carnale commercium, appellantur sorores.

In §. Sæpius.

Agitur hic de causis, ex quibus fit separatio matrimonij, quoad Thorum. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est, quod prima causa, ob quam fit talis separatio est adulterium, *cap. gaudemus, cap. ex litteris, de divortiis*, & patet *Matth. cap. 5. Qui dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis facit eam mœchari*, & id optimè constitutum est, quia per adulterium, ut fornicationem violatur fides data in matrimonio. Ex quo notant DD. apud *Filiuccium tract. cap. 10. quæstion, 2.* quod cum per sodomiam, bestialitatem, & similia vitia dividatur caro conjugum, sufficienter fieri poterit divortium etiam per hæc crimina.

Dantur verò multi casus, in quibus non licet facere divortium ob conjugis adulterium, &

Primus est, in *cap. fin. de adulteriis*, quando uter-

que conjux commisit adulterium, nam paria delicta mutua compensatione tolluntur *Sanchez lib. 10. disput. 6.*

Secundus casus est, quando vir dedit uxori causam proximam adulterandi, quod si fuerit solùm causa remota, ut si iratus expulerit eam de domo, vel necessaria alimenta negaverit, vel debitum recusaverit, tunc non fit divortium. *Coninch. de Sacram. disput. 35. Sanch. lib. 10. disp. 5.*

Tertius casus est, quando commisit adulterium solùm materialiter, putà, quia cr edebat illum, cum quo commisit adulterium, esse proprium virum, vel credit, esse mortuum proprium virum. *DD. ubi sup.*

Quartus est casus, quando uxor fuit carnaliter cognita per violentiam, vel si invincibiliter ignoraverit quis, eum, cum quo peccavit esse proprium conjugem, *DD. ubi sup.*

Secunda causa, ob quam fieri potest divortium, quoad Thorum, est sævitia mariti, seù periculum magni damni, seù male tractationis, nisi ab ipso sufficiens cautio exhibeatur de non offendeda conjuge *cap. litteras, de restitut. spoliatorum, Riccius in praxi matrim. decis. 235.* Immò nè dum sævitia præterita, sed etiam timor futuræ sævitiæ sufficit ad divortium *Sanchez ubi supra disp. 18.* & præsumitur sævitia, quando vir retineret domini concubinam, vel etiam extra domum, *Riccius decis. 254.* ubi tradit qualis cautio sit à viro præstanda, ut uxor cogi possit ad cohabitandum cum eo, & quidem dico requiri cautionem fidejussoriam, vel pignoratitiam, ratio est, quia in *cap. litteras, & in cap. transmissa, de restit. spoliat.* dicitur, quod talis cautio debent esse sufficiens, sed cautio sufficiens est pignoratitia, vel fidejussoria, ergo.

Interdum verò sufficit cautio juratoria, veluti si vir maximopere timeat juramenti transgressionem, vel si vir, adeò est pauper, & non possit præstare pignorariam, vel fidejussoriam cautionem. *d. cap. litteras DD. ubi sup.*

Tertia causa, ob quam fieri potest divortium est furor alterius conjugis, quando furor est, ità vehemens, ut alter conjux periculum habeat cohabitando, quo casu potest ab uxore peti restitutio dotis, & antephati, stante furore ejus viri, *l. si cum dotem, §. si maritus, ff. solut. matrim.* quem textum non esse correptum, per alium textum in *l. consensu, C. de repudiis*, dicit *Gloss. in dict. §. si maritus*, & profertur sententia de separatione matrimonij, ob furorem coràm Judice Ecclesiastico, qua prolata, profertur sententia super restitutione dotis, & antephati à Judice laico. *Francus dec. 312. & decis. 36.* probabitor vero furor per actus, & ejus signa externa. *Farinaceus de pœnis temperandis, quæst. 94. Maceratensis decis. 43. Navarrus de variar. & elect. fori. q. 24. sect. 1.* qui dicit, quod interdum ad probandum furorem pro separatione matrimonii, opus fuit exhiberi personam, furiosi in Curia Archiep. Neap.

Quarta causa separationis Thori est, ut tollantur gravia dissidia orta inter conjuges, vel si unus tentaverit alterum occidere, vel si unus alterum instigat ad peccata gravia, *Grat. disceptat for. tom. 5. cap. 959. Riccius dec. 236. Sanch. loc. cit. disp. 18.*

Quinta causa est, lapsus unius in infidelitatem, vel hæresim, ut sup.

Sexta causa divortij, est votum communi consenso emissum, quia tunc poterunt separari, quo ad Thorum, si remiserint sibi obligationem petendi debitum, *DD. ubi sup.*

Adverte tamen, quod quando divortium fit quoad Thorum, filij sequuntur conditionem patris innocentis loqendo de jure civili; quia potior videtur conditio innocentis, *Sanch. ubi supra disp. 21.* & dum uxor recedit à marito ob adulterium commissum non est ab eo alenda, ut latè tradit. *Surd. de alimentis tit. 7. q. 16.* ubi latè de hac re discurrit, & *tit. 1. q. 118.*

Adverte secundò, quod exceptio adulterij circa retentionem dotis transit ad hæredes mariti, quando maritus de adulterio fuit conquestus cum aliis, secus si non fuisset conquestus, quia videtur remisisse, *Franc. dec. 184.*

In §. Hit exceptà.

Conclusio hujus textus est, quod exceptis casibus supra enumeratis, non possunt regulariter vir, & uxor separari, nec ut alter sumat sacros ordines, vel ut in monasterion profiteatur, nisi fortè, quæ remanet in sæculo sit nimis senex, quia tunc de licentia uxoris poterit maritus ingredi religionem, & profiteri, tribus conditionibus concurrentibus: prima est, ut consentiat uxor, cum qua habuit copulam. Secundo, quod voveat castitatem, vel ingrediatur monasterium, *cap. significasti, & cap ad Apostolicam, de convers. coniugat.* quod si hoc non fiat, licet de uxoris, licentia quis monasterium ingressus fuerit, & professionem fecerit, tamen tenetur ad conjugem revertere, nisi conjux illa post ingressum mariti in monasterium, fornicata fuerit, tam tunc non tenetur ad eam revertere maritus ante factam professionem, sed post factam professionem, sed post factam professionem, etiam si velit non potest revertere, *cap. veniens, de convers. conjugat.*

In §. quæsitum cum quatuor sequentib.

Agitur hic de potestate, quam habet maritus erga uxorem, ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, quod mulier maritata de jure consuetudinario hujus Civitatis solvitur à potestate patris, licet de jure communi, & Regni non liberetur à potestate patris, ut in *Consuetudine Civitatis nostræ, prima sub titulo de filia famil. nubente*, ubi adverte, quod si posteà moriatur maritus, & mulier haberet mores non optimos, vel servantes familiæ decorem, vel si esset minoris ætatis, tunc reincideret in potestatem Patris, & sic procedit Decisio Grammatici in S. C. facta 54. in ordine: & opinio *Neapodini*, in sup. dicta consuetudine, qui docet, quod filia vidua reincidit in potestatem Patris: si verò filia esset prudens, & potens genere suam familiam, ut masculus, & sunt quam plurimæ nostri temporis, & hoc casu non revertitur in potestatem patris, ut benè docent *Afflictus, & Camillus Salernus in dicta Consuetudine.*

Ego verò indistinctè dicerem cum *Aff.* non reincidere filiam famil. sub potestate Patris, quia causa, quarè mulier fit sui juris non est maritus, sed favor matrimonij, qui adhuc dicitur durare in vidua, ergo semel extincta patria potestas non reviviscit. Quod confirmari potest exemplo matris privatæ tutela filij propter secundas nuptias, quibus posteà dissolutis, tutelam non recuperat, & latè docent *Tiraquellus in regula cessante causa limitat. 11. & Afflict. ubi sup.*

Non tamen amittit Pater usumfructum in bonis filiæ maritate secundum terminos, *tex. in l. cum oportet, C. de bonis, quæ liberis*, quia alius modus exeundi à patria potestate est hic per matrimonium alius, ibi videlicet

dicet per emancipationem, & sic per actum Patris. *Neapodanus in d. consuetud. in verbo, jus Juris.*

Sciendum secundo est, quod uxor quantum ad carnis potestatem transit in potestatem viri, & è contrà vir in potestatem uxoris, *cap. non debet de consanguin. & affinit. cap. 2. de conjugio leprosorum. Camerota de bonis matrimonii, cap. 4. dub. 40.* ex quo non potest maritos volente uxore, consummato jam matrimonio religionem ingredi, quod si id fecerit, & conjux cum petierit, etiam professione facta ad eam redire tenetur, & stare cum uxore, eique reddere debitum: mortua tamen uxore, non tenetur redire ad monasterium neque potest aliam ducere, quia quantum ad votum castitatis est ex se obligatus, neque peterit potere debitum vivente conjuge, quia hoc Jure sua libertate privatus ait *Abbas in cap. 3. conversione conjugat.*

Sciendum est tertiò, quod ratione hujus potestatis mariti in uxorem oritur, ut possit maritus irritare omnia vota ab uxore facta, quæ tendunt in præjudicium ipsius, sive facta sint antè matrimonium contractum: sic potest irritare votum uxoris abstinentiæ, peregrinationis: reliqua verò vota pota orationis, non mentiendi, non pejerandi; votum alicujus parvæ eleemosynæ, & similia, non possunt irritari, quia non censentur talia vota marito præjudicialia, *DD.* communiter, quos sequitur *Bonac. tom. 2. disputat. 4. quæst. 2. part. 7. §. 2. num. 12.*

Alij verò probabile asserunt, omnia vota uxoris facta saltem constante matrimonio posse irritari à marito, non minus, quam vota religiosi à Prælato, & vota impuberis à patre, ità docent *Sanchez in summa tom. 1. lib. 4. cap. 34. Joannes de la Crux par. 1. directorij, art. 2. dub. 10. conclus. 3. Diana par. 3. tract. 4. resol. 220.* Probabile putat etiam *Bonacina ubi supra*: Ratio est quia talis facultas expedit viris, ut occurrant mulieribus, levissima causa voventibus omnes tamen, *DD.* excipiunt votum continentiæ emissum communi consensu, quod à nullo conjugum irritari potest, cum uterque cedat juri suo, quod ad omnem actum conjugalem, & videtur renunciare Juri revocandi votum, *DD ubi sup. ex quo.*

Infertur primo, posse virum irritare votum uxoris ab ea factum non petendi, nec exigendi debitum; sic poterit maritus irritare votum, quod fac t uxor de opere faciendo tempore soluti matrimonij, si maritus moriatur: & ideò potest irritare votum uxoris, factum ab ea de ingredienda religione postmortem mariti; item potest irritare vota uxoris emissa antè matrimonium; sic maritus secundi matrimonij potest irritare vota uxoris, quæ fecit tempore primi matrimonij, *Sanch. loc. cit.* licet contrarium putet *Pont. de matrim. lib. 10. c. 17. num. 50.*

Infertur secundo, posse à marito irritari vota uxoris emissa etiam cum ejus licentia, ratio est, quia non per hoc, quod maritus dat uxori licentiam ad faciendum, votum amisit potestatem irritandi vota, quæ viro competit ob potestatem, quam habet in uxorem. Id ipsum habet locum in votis factis à servis cum licentia Domini, à religioso cum licentia prælati, & à filio cum licentia Patris; *DD cit.*

Infertur tertio posse ab uxore irritari vota mariti, præsertim si ei afferant præjudicium, ut votum peregrinationis, magnæ abstinentiæ, quo vires debilitentur ad reddendum debitum, legas *Sanchez loco cit. cap. 34.* ubi latè de hac materia, & nota quod vota irritata semel à marito in persona uxoris, non reviviscunt si ab ejus potestate liberetur, quia obligatio semel extincta non reviviscit, *l. fin. Cod. de remiss. pigneris.* Peccat tamen maritus venialiter irritans vota uxoris sine causa, quia sine causa impedire opus alterius malum est; valet tamen irritatio facta sine causa, *Less. lib. 2. cap. 40. Bonacb. & Sanch. loc. cit.*

Sciendum est quartò, quod licet maritus non possit aliquod votum emittere in præjudicium uxoris, neque è contra, *cap. noluit, cap. nobis, cap. manifestum 35, quæst. 5.* tamen votum Peregrinationis terræ sanctæ fieri potest à marito in præjudicium uxoris, *cap. multa, §. in tanta, de voto,* Hodiè verò, quia ad terram sanctam proficiscendum requiritur licentia Summi Pontificis, nam cum sit pœnæa infideles, periculum est nè fiat infidelis. Ideò cessat hæc ratio. *Rebuffus in praxi beneficiati, in titulo de Brevi Apostolico, num. 35.* & iu regularibus ultra licentiam supradictam requiritur licentia superioris, *cap ultimo, de voto, ubi Abbas.* in Clericia verò requiruntur litteræ dimissoriales sui Episcopi, *cap. primatus 70. dist. Navarr. cons. 1. de Clerici peregrinantibus.*

In §. & quamvis.

Conclusio hujus textus est, quod quando maritus est absens cogitur uxor expectare per totum tempus, nec unquam nubere poterit, nisi certificata fuerit de ejus morte, *cap. in præsentia de sponsalibus, cap. Dominus de secundis nuptiis*: certificabitur verò mors per aliquas conjecturas, vel probationes de quibus, *Abbas in dict. cap. in præsentia*, puta si maritus iverit in longinquum, & fama est, quod sit mortuus, vel si ivit per mare, & navis, in qua portabatur versa est, quia tunc præsumitur mortuus, vel probatur per testes de visu, quod si postea revertatur maritus, recuperabit uxorem suam.

In §. Ergo cum sequentibus.

Conclusio hujus textus est: quod si maritus agat, petendo uxorem sibi restitui, statim est restituenda; quod si ei objiciatur exceptio legitima, puta, quod non sit conjux, tunc supersedendum est in causa possessionis, & non est restituenda, nisi detur occasio peccati, & est primo loco discutiendum, an sit verè conjux, sicut denegatur etiam restitutio, quando objicitur de conjuge fornicario, *cap. significasti, de divortiis, Sylvester in verb. matrimonium, il 4 num. 2.*

Multos §§. hic existentes habes explicatos supra, *de his, quæ matrimonium impedire possunt.*

TITULUS XVII.

De rebus Sacris, Sanctis, et Religiosis.

Titulus hic tali ordine continuatur, Visum est supra de sacramentis, videndum erat de rebus sacris, & sanctis meritò ponitur hic titulus; Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quod res sacræ sunt illæ, quæ ritè per Pontifices sunt Deo consecratæ, *l. sacra 9. §. 3. ff. de rer. divis.* antiquitus consecratio fiebat etiam per Principes laicos, hodiè verò non nisi per Pontifices, *cap. unicuique de consecr. distinc. 1. & est titulus infrà de consecrat. Ecclesiæ, vel altaris.* Dicitur verò consecratio à sacrando, seù ædificando, & nihil aliud significat, quam simul sacrare,

crare, ideſt cùm interventu plurium perſonarum, *Gloſ. in cap. Epiſcopus* 23. *diſt.* & à facrando non ſolum res ſacra, ſed ſacramentum, ſacraficium; ſacrilegium, & per conſequens execratio derivatur, quæ eſt rei ſacræ in profanam converſio, undè exacrabile, dicitur, quicquid abhominabile, & nefandum videtur; duxit originem conſecratio etiam in ipſa lege naturæ, ubi Sancti Patres, altaria, &c. Deo conſecrarunt: quorum primus videtur fuiſſe Noè, qui poſt diluvii aquas altare Domino conſecravit, & ſuper illud obtullit holocauſta. *Geneſ.* 8. & idem de Jacob legitur; *Geneſ.* 28. & 31. Poſt Chriſti aſcenſum conſecrari cæperunt ab Apoſtolis Epiſcopi, & facerdotes, *cap. porrò* 69. *diſt.* Templa verò, & Altaria primum à Beato Sylvaſtro Pontifice conſecrata, fuerunt *DD. in cap.* 1. *de conſecrat. diſt.* 1. *Barb. lib.* 2. *de Jure Eccleſ. cap.* 3.

Sciendum ſecundò eſt, quod res ſacræ ſunt alia ſimpliciter, & immediatè, ut calices, veſtes, &c. quædam dicuntur ſacræ mediatè, quia immediatè ſunt deputatæ in ordine ad ſervienter Deo pro eorum ſubſtentatione, ut ſunt Eccleſiæ, prædia, annui redditus, &c. Calices debent eſſe ex auro, vel argento, aut ſaltem ex ſtanno, *cap. calix de conſecrat. diſtin.* 1. & *in cap. vaſa, eodem diſt.* permittebatur fieri de vitro, ſed poſteà Urbanus Primus omnia vaſa fecit aurea, vel argentea ex quo cæpit prædia retinere, *cap. videntes* 12. *quæſt.* 1. *dict. cap. vaſa. Covarr. lib.* 4. *variar. cap.* 12. *Sanct. Thom. in* 3. *par. quæſt.* 83. *artic.* 5. *ad* 6. *Fagundez de præceptis, lib.* 3. *cap.* 21. *num.* 11. ex ære verò, vel aurichalco, aliaque ſimili materia calix fieri prohibetur, quæ producit eruginem, & in vomitum, provocat. *dict. cap. calix*, quod etiam prohibet in ligneo, vel vitreo calice celebrari, quia unum repugnat vino, alterum eſt fragilis materiæ: *Azorius par.* 1. *lib.* 10. *cap.* 28. *quæſt.* 3. & contra eum, qui utitur calice ligneo eſt conſtituta pæna depoſitionis ab officio, & beneficio, *cap. ultim de celeb. Sanct. Thom. ubi ſupra, artic.* 3. *Sylveſter. in verb.* Calix, *Frater Joannes Serranus Epiſcopus Acernenſis, in expoſitione miſſæ prælud.* 2. *num.* 12. *Bonacina de Sacram. diſput. quæſt ultima, punct.* 9. *num.* 16. Patena verò licet videatur eſſe ejuſdem materiæ cum calice, ex dictis juribus, tamen non eſt, adeò neceſſarium, ceſſante ratione in ea, ut in *dict. cap. ut calix*, & ſic hodiè plerumque fieri ſolent ex ære, ſicut, & vas ad cuſtodiam Euchariſtiæ in locis, ubi penuria adeſt.

Sciendum eſt tertio, quod hæc omnia vaſa debent eſſe ab Epiſcopo conſecrata, priuſquam adhibeantur ad ſacros uſus; *cap. unico in fine, de Sacra unctione*, & *Azorius ubi ſupra*, hoc enim eſt ordinis Epiſcopalis. *Sbrozius de poteſtate Vicarij, lib.* 2. *quæſt.* 9. *num.* 8. & ſic non poterit fieri per ſimplicem Sacerdotem, niſi quibus Papa conceſſerit: Abbates verò potentes ordinare in ordinibus minoribus, poterunt etiam conſecrare vaſa prædicta, quia plus eſt perſonas, quam res Eccleſiaſticas conſecrare, ſecundum *Gloſſam* ſic intelligendam: in *cap. Abbates de privil. in* 6. *in verb. tonſuram Tamburrinus tom.* 1. *diſputat.* 23. *quæſt.* 1. *Portellius in verb. Abbas*: Exacratur verò calix, aliud vas ſacrum duobus modis. Primò, ſi emittat formam ſuam, & enormiter lædatur, *argumento textus in cap. de conſecr. Eccleſ. vel altaris.* Secundò, quando ſuperficies, aurea, vel argentea omninò præterquàm per uſum continuum auferatur, quia tali pacto videtur formam amittere, quæ tamen per uſum continuum non videtur amitti, per *Gloſſ. in cap. Eccleſiis de conſecrat. diſt.* 1. Verùm ſi talia vaſa etiam aurum amittant, & iterùm deaurentur, quo ad illam ſuperficiem, quæ tangit corpus, & ſanguinem Chriſti eget nova conſecratione. *Fagundez ubi ſupra, num.* 21. *Suarez*, & alij apud *Dianam tractat.* 1. *miſcell. reſolut.* 3. qui tamen cum aliis probabile putat non egere nova conſecratione: Pollutum verò vas ſacrum fortè ſanguinis, vel ſeminis criminoſa effuſione, præſertim notoria, erit purgandum, & ſacerdotali benedictione reconciliandum, *argum. cap. ſi motum cum ſequenti, de conſecr. diſt.* 1.

Sciendum eſt quartò pallas, & corporalia diverſimodè accipi. Interdum palla ſumitur pro ſuperiori linteo altaris: ſuper quo extenditur corporale, ſecundum *Gloſſam in cap. altaris palla, de conſecrat diſt.* 1. *ex cap. nemo, il ſecondo, eadem diſt.* Alij interpetrantur pallas, ideſt corporalia, *Gloſſ. in dict. cap. altaris*, & *in dict. cap. ſacratas* 23. *diſt. gloſſa verò in dict. cap. nemo*; accipit pallam pro panno, quo poſt conſecrationem ſacerdos manus abſtergit, & calicem, & in *dict. cap. nemo*, videtur ſumi pro utroque, ſcilicet, tam pro mappis, ſeù linteis altaris, quam pro corporalibus, corporalia vocantur ſacratæ pallæ, *dict. cap. Sacratas*; linteamina verò non conſecrata dicebantur *dict. cap. altaris palla, cap. omnis de conſecr. diſtin.* 4. *cap. fin. de cuſtodia Euchariſt.* hodiè palla dicitur, quæ ſuper calicem ponitur, à quodam pallio, quod palla vocabatur: ego dico pallam dici, quia palliat, vel abſcondit ſacrificij myſterium. Corporalia, & pallæ prædictæ fieri debent ex puro panno lineo, ſicuti Domini corpus fuit in munda Syndone involutum, *Suarez in* 3. *par tom.* 3. *diſput.* 81. *ſect.* 6. *Fagundez dict. cap.* 21. *num* 25. & ſunt ab Epiſcopo conſecranda, *cap. conſulto de conſecr. diſt.* 1. vel ab Abbatibus, de quibus ſupra, linteamina, quoque benedicuntur à ſolis conſtitutis in ſacris, *cap. non oportet, cap. non liceat* 23. *diſtin. cap.* 1. 24. *diſt. cap. in Sancta de conſecrat. diſtin.* 1. *Bellermin. de conſecr. ordinis, lib.* 1. *cap.* 7. à fæminis verò etiam ſacratis tangi, vel lavari non debent, *cap. omnis præsbyter, de conſecrat. diſt.* 4. poſt verò primam lotionem, quæ fit à Sacerdotibus licitum eſt laicis, & fæminis lavare corporalia, & ſimilia: lota verò corporalia non opus eſt iterum conſecrari, cum lintei forma non mutetur, *Ragucius de voce Canonic. in Eccleſia quæſt.* 31. & 32. *Sylveſter in verb. miſſa, il* 1. *qu.* 2. *§.* 2.

Sciendum eſt quintò, etiam veſtes Sacerdotales benedici, quarum fit mentio in Sacris Canonibus, & primo de ſtola, qua utuntur Sacerdotes fit mentio ſub nomine orarij, in *cap. miniſtrum cum ſequenti* 23. *diſt. cap. unum orarium, cum præcedenti* 25. *diſt. cap. Epiſcopus præsbyter.* 11. *quæſt.* 3. *Barb. in cap. Monacho* 27. *quæſt.* 1. De planeta, & caſula *fit* mentio, in *dict. cap. Epiſcopus præsbyter*, & *in cap. degradatio de pænis, in* 6. De Diaconorum dalmaticis fit mentio, in *cap. de jejunio* 67. *diſt.* & *in cap. communis* 23. *diſt.* ſic de mitra, Baculo, atque anulo paſtorali, & de pallio Archiepiſcopali, aliiſque ornatis fit mentio, in *cap pervenit, il ſecondo* 9. *diſtin.* & *in cap. præſbyter* 11. *quæſt.* 3. & *in cap. unico de ſacra unctione*, & *in cap. fin. de auctoritate*, & *uſu pallij, cap Abbates*, & *in cap. ut Apoſtolica de privileg. in* 6. Baculi, & mitræ uſus ſunt correlativa, & cui uſum conceditur alterum etiam conceſſum videtur, ut dixit Sacra Congregatio rituum, apud *Barb. de jure Eccleſiaſt. lib.* 3. *cap.* 2. *nu.* 27.

Sciendū eſt ſextò, quod omnia iſta ornamenta ſunt per Epiſcopum benedicenda, *cap. veſtimenta de conſecrat. diſt.* 1. Simplices Sacerdotes, neque ex delegatione Epiſcopi poſſunt ea benedicare, *Ugolinus*

de

de potestate Episcopi, *cap.* 36. *num.* 6. Verum personis constitutis in dignitate potest à Sede Apostolica delegari benedictio, dummodò non sit adhibendum oleum sanctum, & consecratio. Prælati verò religiosorum, Generales, Provinciales, Guardiania ex privilegio Leonis X. de quo *Rodriquez tom.* 1. *quæstionum regularium quæst.* 19. *art.* 2. *Hieronymus Rodriquez in Compendio quæstionum Regularium resolut.* 13. *Barb. alleg.* 27. *num.* 44. qui etiam notat, tales superiores regularium posse solum pro usu suorum fratrum ea benedicere, non pro aliis. *Portell. in dub. regular. in verb. benedicere.* Non est prohibitum sacras vestes, & alia ornamenta Ecclesiæ ex profane materia fieri, vel etiam ex molioris veste; quamvis aliqui per *Gloss. sam in cap. ad nuptiarum, de consecrat. distin.* 1. *& in cap. ad hæc*, de religiosis domibus contrarium dicant, quia per consecrationem Episcopi sanctificantur, sicuti templa Idolorum, quæ in Ecclesias convartuntur. Tales verò vestes amictunr benedictionem, quando ità franguntur, ut non sint eptæ ad usum, ad quem fueruut destinatæ, vel non retinent amplius priorem figuram, unde si ab alba abscindatur manica amittitur figura, & indiget nova benedictione licet iterum apponatur manica: *Armilla in verb. benedicero. Angelus in verb. benedictio*, *num* 3. & ex eo fit, quod si fiat stola de planeta benedicta, iterum debet benedici, quia ad ipsam est data particularis benedictio, & est mutata forma, quæ dabat esse rei. *Ugolinus de potestatt Episcopi*, *cap.* 32. *§.* 1. *num.* 6. qui etiam dicit, quod si tales vestes fiant breviores, dummodò non mutetur forma, non sunt iterum benedicendæ.

Sciendum est septimò, alias res mobiles Ecclesiasticas, veluti imagines, Cruces candelabra, &c. per Pontifices benedici, ut in Pontificali. Campanæ etiam per eos benedicuntur, & solemni consecratione ab Episcopo unguntur, ac baptizautur, & fideles convocant ad res divinas, æreos, quoque spiritus fugant, & grandines, procellarumque turbines; *Frangunt. Guglielmus Duardus lib.* 1. *in rationali divinorum officiorum capit.* 4. *Stephanus Durantus de ritibus Ecclesiæ lib.* 1. *capit.* 22. *Martinus de Rio disquisit. magicar. lib.* 6. *cap.* 3. *quæst.* 33. *& nota textum in cap. altaris palla de consecr. dist.* 1. ubi si vestes & ornamenta, de quibus supra, fuunt consumpta, incendio dari debent: secundo nota *tex. in cap. relinqui de custodia Ecclesiæ*, ubi tales res mundæ conservari debent, & si à ministris indignis tractetur, non ideò polluntur, *cap. à nobis*, *de Sacramen. non iterandis*, *& non possunt pignorari*, *vel alienari*, *cap.* 1. *de pignoribus*: Immò si quis debet ab aliqua Ecclesia consequi aliquid, Calices non potest capere vi pignoris, *Clem.* 2. *de decimis*, *nec sunt ad usus profanos convertendæ ex cap. quæ semel.* 18. *quæst.* 3. *cap. semel*, *ubi gloss. de regular. Juris*, *in* 6. nec ad alios usus, quam ad eos, quibus fuerunt destinata, *cap. vestimenta* 23. *dist. dict. cap. ad nuptiarum de consecr. dist.* 1. *Galganettus lib.* 3. *de jure publico*, *tit.* 67. *num.* 2. *Fagundez d. cap.* 21. *num.* 18. Si verò vendantur vasa sacra Laicis ex justis causis, prius drbent esse confracta, *cap. aurum cum ibi notatis* 12. *quæst.* 2. *Galltus in margharita casuum conscientiæ in verb. Ecclesiæ vasa sacra*, *& in verb. sacrum il* a.

Sciendum est octavo, quod res sanctæ dicuntur illæ, quæ ab injuria hominum defendi debent, *l. Sanctum*, *ff. de rerum divisione*, Sanctæ verò attento Jure civili dicuntur, & portæ Civitatis; dicuntur etiam sancti legati, seu ambasciatores, sivè sint amicorum, sivè hostium, *l. fin ff. de legationibus*, durante tamen tempore legationis; unde dicunt DD. quod legato capto in itinere, & deglubato, fuut ei damne resarcienda, cum officium suum nemini esse debeet damnosum, *l. si servus communis*, *§. quod vero*, *ff. de furtis*; nisi tamen legatio, esset affectata, & procurata, vel nisi secum attulisset res non necessarias, nam tunc talia damna non sunt resarcienda à mittentibus, cum sit, quod legatis imputari possit, *Francus decis.* 146. Sic Victorio spoliato latronibus sunt damnaresarcianda, quando per Episcopum mittebatur ad aliquam locum, legas *Francum*, *& Amendolam in additionib.*

Sciendum est ultimò, quod res religiosæ dicuntur illæ, ubi hominum reliquiæ antiquitus ponebantur, attento enim jure civili unicuique licitum erat locum facere religiosum per humationem corporis, *l.* 2. *§. religiosum*, *ff. de relig. & sumpt funer.* non enim poterant corpora defunctorum in Civitate sepelliri, immò sepelientes pœna 40. ducatorum puniebantur, *Divus*, *ff. de sepulchro violato.* Sepeliebantur ergo in Villis extrà Civitatem, & locus, ubi erat præcipua pars, dicebatur religiosus, *l. cum in diversis*, *ff. de relig. & sumptib. funerum.* Hodiè verò de jure canonico nullus locus efficitur religiosus, nisi de auctoritate Episcopi, *cap.* 1. *de sepulturis*, *in* 6. *DD.* communicar in *cap. ad hæc de religiosis domibus.*

TITULUS XVIII.

De Construendis, Consecrandis, et reparandis Ecclesiis, et Altaribus.

QUia inter res sacras, religiosas, & sanctas enumerentur Ecclesiæ, meritò ponitur hic titulus. Ad cujus intelligentiam,

Sciendum est primo, quod Ecclesia dicitur à verbo græco, quod significat evocare unde spiritualiter sumpta significat evocatrum cætum, & hanc enim omnes, qui veniunt Dei vocatione veniunt, & ideò idem significat, ac congregatio fidelium, *Astor capit. Eccl. de consecr dist.* 1 *glossa* 2. *in cap. cum Clerici* 19. *de verb. significat. glos. ultima*, *in cap. fin. ne Prælati vices suas*, *Valentia tom.* 3. *disputat.* 1. *quæst.* 4. *Bellarminus tom.* 1. *controv contr.* 4 *lib.* 3. *cap.* 2. *Isidorus Mosconius de majestate milit. Ecclesiæ in prælud. fol.* 4. & est Ecclesia corpus quodam morale, cujus membra sunt homines, & Angeli, caput Christus, qui sanguine suo fecit utramque unam, triumphantem, scilicet, & militantem. illam invisibilem, hanc visibilem, *Suarez de fide disp.* 9. *sect.* 1. Interdum Ecclesia sumi ur pro prælatura, seù beneficio Ecclesiastico, præcipuè curato, ut in *Rubrica*, *& in cap.* 3. *ne prælati vices suo non ignores de jure patronatus Glossa ultima*, *in d. cap. fin. ne prælati vices suas*, sed frequentissimè accipitur pro ædefacta, ut *in toto titulo de Ecclesi. ædific & in cap. non oportet* 42. *distin. Paulus* 1. *ad Corinth. cap* 2. *nunquid domos non habetis ad manducandum*, *&c. Stephanus Durandus de ritibus Eccles. lib.* 1. *cap.* 1. Definitur verò Ecclesia per *Azorium tom.* 2. *lib.* 9. *cap.* 3. ut si locus publicus auctoritate Episcopi fundatus, in quem Christiani conveniunt ad rem divinam audiendam, & Sacramenta suscipienda, ea verò Ecclesia, quæ major est Basilica appellatur, ut esset cathedralis, licet *Glossa in cap.* 1. *de relig. domib.*

domib. & *Abbas in rubrica de consecr. Eccles. dicant.* Basilicam dici Ecclesiam non consecratam, sed usus comprobat primam significationem, ut Basilica sit Ecclesia major, ut Romæ Basilica Apostolorum. Est etiam in Ecclesia locus, quem appellamus sanctuarium, scilicet locus templi abditissimus, ubi sancta ponuntur, & servantur, alias talis locus sumitur pro altari, ut in *cap. fabrica juncta gloss. in fin. de consecr. distin.* 1. Datur sacrarium etiam in Ecclesia, scilicet locus, ubi aliæ res sacræ conduntur; *cap. super negligentiam, de consecr. distin.* 2.

Sciendum est secundo, quod usus Ecclesiæ cæpit in prima mundi origine, *Enoch.* enim cæpit nomen Domini invocare *Genes. cap.* 4. ubi *Abulensis.* In secunda Mundi restaurasione primum altare fuit erectum à Noè, *Genes. cap.* 2. *post. Christum*, apud nos 1. Ecclesia Catholica fuit cujus fundamentum est Christus Petra autem, & ædificium Petrus, *cap. in novo* 21. *distin. cap. omnibus* 24. *quæst.* 1. *cap.* 1. *de Immunitat. Eccles. in* 6. Secunda verò fuit Ecclesia Constantinopolitana, *cap. Constantinopolitana, cap. sacrosancta, cap. quamvis* 22. *dist.* deindè S. Marcus fecit Ecclesiam Alexandrinam; *cap. cum Beatissimis* 24. *quæst.* 1. posteà aliæ Ecclesiæ constructæ fuerunt, latè *Ludovicus Correa in cap. inter alia de immunit. Eccles. par.* 1, *num.* 12. & 13. Appellatione verò Ecclesiæ veniunt indistinctè Septa Ecclesiæ, tanquam portiones ipsius, argumento, *cap. id constituimus* 17. *quæst.* 4. *Abbas in cap. Ecclesia, num.* 10. *de immunitat. Ecclesia*, *Gratianus cap.* 167.

Sciendum est tertiò, quod Ecclesia alia est Episcopalis, seù cathedralis, alia collegiata, alia matrix, alia baptismalis, & alia parochialis, *Gloss. DD. in cap. plures* 10. *quæst.* 1. & *in cap. cum contingat. de decimis*, & *in cap. cum Clericis*, & *in cap. venerabili de verb. signific.* & *in toto titul. de Eccles. ædificandis*, Ecclesia Cathedralis est sede Episcopi, & Parocchia totius Civitati, & Diæcesi dicitur, & non potest per alium, quam per Papam erigi, dividi, vel mutari, *Barbos. lib.* 1. *de jure Eccles. cap.* 2. Appellatione Ecclesiæ non facta expressione alicujus Sancti per Antonomasiam venit Ecclesia Cathedralis, *Abbas in cap. cum super num.* 6. *de sepulturis*, *Gratianus cap.* 893. *num.* 32. *Rota decis.* 233. *par.* 1. *divers.* & dicitur Cathedralis, quia in ipsa est Cathedra, qua de re, *Abulensis super Matthæum, cap.* 1. *quæst.* 7. Ad probandum, Ecclesiam Cathedralem esse sufficiens est argumentum ritus celebrandi festum dedicationis, qui sanè ritus non poterat alter salvari, nisi admissa Cathedralitate, *Gregorius* 15. *decis.* 493. *Rota decis.* 615. *pars.* 1. *in recentioribus*, sic facultas exigendi decimas in territorio soli Cathedrali competit, *cap. quoniam cap. cum contingat. de decimis*, ubi *Gloss.* & *DD.* multa alia signa, quibus probatur esse Ecclesiam Cathedralem; legas apud *Barb. lib.* 2. *de jure Eccles. cap.* 5. *in fin.*

Ecclesia Collegiata dicitur, ubi adsunt plures beneficiati: & Canonici collegialiter viventes, quam collegiatam non potest Episcopus constituere, pertinet enim ad Summum Pontificem, *Rebuffus in praxi de excet. in collegiatam. Fuscus de visitatione lib.* 2, *cap.* 1. dixit Sacra Congregatio, teste *Portellio de beneficiis lib.* 1. *quæstion.* 14. *num.* 49. Potest collegiata in publicis processionibus deferre propriam Crucem etiam præsenti Capitulo Cathedralis, dummodò locos dignior relinquatur Cathedrali, ut dixit Sacra Congregatio, teste *Barb. lib.* 2. *de jure Ecclesiast. cap.* 5. *n.* 4. & debet præcedere omnibus simplicibus Ecclesiis, vel quæ tantum parochialis sunt Sacra Congregatio, ubi supra, Collegialitas ubi non constat de fundationis initio, ex conjecturis, & indiciis probatur. *Decianus cons.* 6. *lib.* 2. *Card. Mantica dec.* 215. & 637. *par.* 1. Sunt verò conjecturæ Collegiatæ primo, quod Canonici consueverunt congregari ad libitum principalis dignitatis, & quod haberent commune sigillum, & communem arcam, & quod fructus communiter dividerentur, *cap.* 9. *loco de probationibus*, *cap. cum Ecclesia Sutrina de causa professionis*, & *proprietatis*, *cap. significavit de appell. cap. dilecta de excess. prælat.* tradunt *DD. in cap. nobis de jure patron.* ubi *Abbas num.* 28. *Rota decis.* 175. & 215. & apud *Gregorium XV. decis.* 482. *Mascard. decis.* 584. Ad constituendam verò collegiatam numerus sufficit trium Canonicorum, *Innocentius in cap. postulasti, de patron. Rota* apud *Cavalerium decis.* 649. *Rota* apud *Coccinum decis.* 296 *Mascardus ubi supra*, & præcipua conjectura est, si adsit in Ecclesia aliquis uti caput, & Clerici, vel Canonici, uti membra, *Mantica decis.* 215. & 175. non tamen requiritur, ut omnes tales conjecturæ simul concurrant, sed sufficit aliquas adesse, ex quibus id argui possit, & verisimile creditur, *Rota decis.* 584. *par.* 4. *divers.* non tamen est sufficiens actus congregandi se ad sonum campanæ, nisi alia signa concurrant, ad faciendum collegium necessaria, *Verallus decis.* 295. *Gonzalez regul.* 8. *glossa* 19. *Bellarminus in addit. ad Gregorium XV. decis.* 982. *litt. C.* est tamen quæstio, quæ sit collegiata insignia? & prima opinio dicit, ex multitudine Canonicorum, magnis redditibus, & similibus probari collegiatam esse insignem, *Cardin. Mantica decis.* 175. *Menochius casu* 158. Alij verò universaliter dicunt dici insignum ad arbitrium Episcopi; undè dicit *Rota*, esse insignem quadam collegiatam, quæ erat in oppido focularioum 800. *Massobrius de Synodo Episcopi*, *cap.* 4. *dub.* 14. *Barb. in cap. ultimo, de verb. signif.* & locum insignem quem esse, dicit, *Navarrus cons.* 1. *alias* 30. *de verb. signific.* præcedit verò collegiata insignis aliis antiquioribus, ut dixit Sacra Rituum Congregatio, *Barb.* 2. *cap.* 6. *in fine.*

Matrix autem Ecclesia licet propriè dicatur Ecclesia Cathedralis, *cap. venerabili, de verb. signif.* dicitur etiam Ecclesia, quæ habet alias Ecclesias sibi subjecta, quasi aliarum Ecclesiarum mater, quæ cognosci debet secundum subjectam materiam, *Abbas in dict. cap. venerabili, num.* 2. *Rota dec.* 272.

Baptismalis verò Ecclesia dicitur etiam matrix, secundum *Glossam in Clemen. unica de Baptismo in verb. matrimon.* & *in Clementina* 1. *de sentent. excommunic.* quia sicut mater generat, sic illa regerat per Baptismum

Parochialis Ecclesia illa dicitur, in qua populus eidem deputatus, sub certis locorum finibus constitus degit; enumerat verò quatuor requisita, *Rota par.* 2. *decis.* 52. *Zerola in praxi par.* 1. *in verbo parochia*, §. 1. *Mascardus de probationibus, conclus.* 469. *Gonzalez in regula* 8. *Glossa* 6. *num.* 34 qui latè tradunt, quando Ecclesia probetur parochialis. Qui verò asserit, Ecclesiam esse parochialem, tenetur id probare, eo, quia beneficia præsumuntur simplicia, non curata. *Gabriel cons.* 191. *lib.* 1. quando verò beneficium habet populum, vel Clerum, præsumuntur Ecclesia curata, *Seraphinus decis.* 2127. Quando verò Episcopus possit constituere novam parochiam. Legas *Ugolinum de potestat. Episcopi*, *cap.* 53. qui Episcopus poterit certos terminos, & confinea statuere parochiis, *Ugolinus c.* 2. *caput.* 54. *Tridentin. sess.* 24. *de reformat. cap.* 13. & posse Episcopum profanare Ecclesias parochiales ad

præscrip-

Google

præſcriptum, *Concilij Trid. ſeſſ. 21. cap. 7. de reform.* cenſuit Sacra Congregatio de anno 1631. de qua *Barb. lib. 2. de jure Eccleſ. cap. 1. in fin.*

In &c. Conſtruuntur cum ſequenti.

AD intelligentiam ſciendom eſt primo, quod conſtituere Eccleſias dicitur opus neceſſarium, & religioſum, *Spivo in ſpeculo teſtam. gloſſ. 3. num. 5.* undè Hærodes Agrippa volens haberi pro Pio, templum juſſit conſtrui. Nullus verò poteſt Eccleſiarum ædificationem impedire, quia derogabit Eccleſiaſticæ immunitati, *cap ultimo, de Eccleſ. ædific.* ſic defendunt Collegium Bononienſe pro libertate Eccleſiæ contra Venetos, *n. 43.* Patres Theologi religionis ſervitorum in defenſione cenſurarum Pauli V. *Philippus Maynardus de privil. Eccleſ. contra Venetos par. 2. art. 24. Antonius Bovius, Ferdinandus de Paſtidia, Jognamus, Comitulus, Valenzueli*, & alij contra Venetos, & licetè Valente, & Theodoſio Archadio Imperatoribus fuerit prohibitum Eccleſias ædificari ſine Principis licentia, *l. nemo, C. de religioſis, & ſumpt. ſun.* hoc tamen fecerunt de facto, & ideò poſteà fuit revocatum à Juſtinano ex *l. Sancimus, §. ſi quidem, C. de Epiſcopis, & Clericis.*

Sciendum ſecundo eſt quod novsm Eccleſiam conſtruere quilibet poteſt duabus conditionibus obſervatis, ſcilicet ot alteri Eccleſiæ non inferst præjudicium, & ut ſuperioris adſit auctoritas, abſque ea enim nequit Eccleſia ædificari, *cap. nemo, c. placuit de conſecr. diſt. 1. c. ad hæc de religioſ. domib. cap. cum de privil. §. ſi quis autem. Authen. de Eccleſ. titulis, Barb. allegat. 26.* quæ licentia ſufficit tacita, veluti ſi ſciat Eccleſiam conſtrui, & non impediverit, nec contraxerit, cum tamen potuiſſet, *Barb. nu. 2.* & ſufficit ſi accedst Epiſcopi conſenſus poſt Eccleſiam conſtructam, & poteſt Epiſcopus dare licentiam ædificandi novam Eccleſiam, etiam ſi in alterius præjudicium id fiat *cap. ad audientiam 3. de Eccleſ. ædific. Bonius conſ. 184. volum. 2. Menochius conſ. 477.* & colligitur ex *Triden ſeſſ. 21. cap. 4 de reform. Piaſeceus in praxi, par. 1. cap. 5. Riccius in reſolut. 467. par. 2. in magnis. Rota par. 1. dec. 484.* ubi habetur, licentiam faciendi novas parochias eſſe concedendam, quoniam incommoditas populi adeſt, ex *d. c. 3.* quando verò ſolus curatus eodem tempore plurimis infirmis producere non poteſt, tunc non datur juſta cauſa dividendi Parochism, ſed datur conductor, *Rota dicta deciſ. 484.* Leges textum *in cap. præcipimus 16. quæſt. 1. & cap temporis eadem cauſa, & quæſt.* ſicut ex multis cauſis duæ uniri poſſunt, *cap. temporis, cap. unico, §. fin. 10. quæſt. 3.* quod ſi ſine cauſa, & auctoritste Pontificis in alterius præjudicium Eccleſia ſit conſtructa, eſt deſtruenda, ſi præſertim præceſſit nova operis nunciatio, *cap. 1. & toto tit. de novi operis nunciatione.*

Sciendum eſt 3. quod ſuperior, qui dare debet licentiam ædificandi, eſt Epiſcopus Diœceſanos, niſi ſit locus exemptus ubi fundatur, quis in illo non poteſt ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ, *cap. de locorum cum ſequenti*, ubi *Gloſſa, & DD. de conſecr. diſt. 1. cap. auctoritate de privileg. in 6.* aliàs totum acquiritur Epiſcopo, cum fructibus, *Barb. allegat. 26. num. 3.* ſed in locis non exemptis requiritur Epiſcopi auctoritas, etism ſi perſona ædificans ſit exempta, *dict. cap. auctoritate, DD. d. cap. cum olim,* quod ſi quis fundat Eccleſiam in alieno ſolo inſcio Domino laico, debet Dominus ſervari indemnis ab eo, qui fundavit, & Eccleſia remanet libera, nec fiet laico cenſualis, ſed ſolum erat alterius Eccleſiæ, vel perſonæ, eccleſiaſticæ, eccleſia conſtructa erit ei jurepatronatus ſubjecta, *cap. Apoſtolicos. in fine 12. quæſt. 2. cap. ſi quis 16. q. 5. cap. quæſti ſunt 17. quæſt 4.* nec ſolum tenetur ædificans in alieno ſolo, ſed etiam ille Epiſcopus, qui fuit negligens in veritste indsganda, *Arg. cap. comperimus 14 quæſt. 6.* Quod ſi ſciente Domino, nec contradicente factum fuerit, eccleſia remanebit libera, *arg. cap. ſi ſervus 54. diſt.*

Sciendum eſt quartò, quod in eccleſia ædificanda debet Epiſcopus Civitstis, vel alius de ſua licentia accedere ad locum, *cap. piæ mentis, cum ſequent. 16 quæſt. 7.* & arrium publicè deſignare, ibique Crucis ſignum effigere, & ponere primum lapidem, *dict. cap. Nemo ubi gloſſa de conſecr. diſt. 1. Authent de Eccleſ titulis, §. ſi quis autem voluerit, &c. illud igitur, Authent. ut nullus ædificet Oratorij domos, cap. de monachis 18 quæſt. 2 cap. verè 16. quæſt. 1. cap. quidam 18. quæſt. 2. Azorius par. 2. lib. 9. cap. 3. quæſt 4.* qui etiam dicit poſſe Epiſcopum compelli, ſi noluerit per ſe, vel per alium primarium lapidem ponere ſequitur, *Barb. d. allegat. 26.* & debet ſemper eccleſiæ caput Septemtrionem reſpicere, *Nazianzenus Epiſt 66.* & cæpit talis origo ab Apoſtolis, *Toſtatus ſuper Matthæum, cap. 6. quæſt, 91. Turrianus lib. 2. in Epiſtolis Pontificiis, cap. 19.*

Tenetur Epiſcopus à conſtruente habere dotem pro neceſſariis eccleſiæ, *dicto cap nemo, cap. 1. de cenſibus, Gloſſa in cap ſecundum Canonicam 23. q. 8 Azorius & Barboſ ubi ſupra*, alioquin ſi Epiſcopus permittat, Eccleſiam fundari ſine dote, teneretur de proprio dotare, *cap cum ſicut juncta Gloſſa de conſecrat. Eccleſiæ, vel altaris, Barboſa allegat. 64.* quæ dos appellatus manſus *dict. cap. 1. de cenſibus*, ideſt tanta pars agri fertilis, quantam par bovum colere poteſt, & in *dicto cap. 1.* accipitur pro titulo, qui conſtituitur in præbendis, vel poſſeſſionibus, quibus dotata eſt Eccleſis, *DD citati*, Eccleſiæ regularium poſſunt ſinè dote ædificari, *DD citati.* Ritus verò conſecrandi eccleſias à Beato Sylveſtro Papa, fuit habitus, *DD citati*, hæc tamen conſecratio non requiritur, ut divins celebrentur in eccleſia quia tamen in eccleſia benedicta poſſunt celebrari, *DD. citati.* Hanc conſecrationem non poteſt ſimplici Sacerdoti demandare, *cap. aqua de conſecrat. Eccleſ vel Altaris, Ugolinus num. 28* & olim non poteſt conſecratio fieri ſinè licentia Sedis Apoſtolicæ, *cap. de locorum, cum ſequenti, de conſecrat. diſt. 1.* quod ſi nolit Epiſcopus accedere ad Eccleſias regularium conſecrandas, poterunt ipſi Regulares per quemlibet Epiſcopum id facere *Portellus in verb. benedicere.* In conſecratione prædicta præſcribitur, ut dicatur miſſa, *cap. omnes Baſilica de conſecrat. diſtin. 1.* & ſi aliter fiat licet non careat culpa factum, tenet *Barboſ. alleg. 27 num. 10.* Neque debet aliquid recipere pro conſecratione: ſponté tamen à non indigentibus poterit recipere, *cap. cum ſit Romana*, ubi *DD. de ſimonia cap. ſtatuimus, il 1. quæſt. 1.* docet ut fiat die feſtivo conſecratio, licet poſſit fieri omni tempore, *cap. tua de conſecrat. Eccleſ. vel altaris, Piaceſius in praxi, par. 1. cap. 5. Barboſ. allegat. 27.*

Sciendum eſt quintò, quod Eccleſia conſecrata non eſt iterum conſecranda *cap. Eccleſiis 63. diſt. cap. Eccleſiis de conſecrat. diſt. 1. cap. propoſuiſti, juncta Gloſſa cap. ligneis de conſecr. Eccleſ. vel altaris, Barb. allegat. 27. numer. 12.* exceptis quibuſdam caſibus.

Primus eſt, quando nullo modo conſtat de conſecratione, *cap. ſolemnitates, il 2. cap. Eccleſia, de conſecrat. diſt. 1.* quia in dubio eſt conſecranda,

ſi id

si id non probetur, vel nullum appareat consecrationis indicium, *Gloss in cap. proposuisti, de consecrat. Eccles. vel altaris, Azorius, par. 1. lib. 10.* Ecclesia enim consecrata non præsumitur, nisi probetur, *Costa de remediis subsidiarij, remed. 116. Mascardus concl. 582.* præsumitur verò consecrata, quando aliquo modo apparet, aut in libris Ecclesiæ, aut in lapide aliquo, *cap. fin. 24. quæst. 2.* vel si adsit testis aliquis etiam de auditu, *Mascard. concl. 415.* nisi adsit alterius interesse *Barb. alleg. 27.*

Secundus casus est, si parietes sint combusti, & exterius diruti, non verò si pavimentum, aut tectum destruatur, *cap. ligneis de consecr. Eccles.* Ideò si parietes ipsi igne decrustentur intus, & exterius, ecclesia censetur execreta, *Gloss. in dicto c. Ecclesiis, in verb. exusta, Piacesius in praxi par. 1. cap. 5. Miranda tom. 2. in manuali Prælatorum quæstion. 39. art. 4. concl. 1. Ugolinus de potestate Episcopi, cap. 28.* quia consecratio, & linitio fit in parietibus, *Glossa in d. cap. Ecclesiis, de consecr. dist. 1.* & externus est Ecclesia, quatenus est lapidum dispositio, ergo si totum tectum corruat integris remanentibus parietibus vel in totum, vel pro parte majori, ecclesia non censebitur execrata, *d. cap. ligneis. Azorius por. 1. lib. 10. cap. 26. quæst. 12.*

Tertius casus est, quando tota Ecclesia corruit, licet aliis lapidibus, vel eisdem refecta sit, quia non est eadem omninò, hinc extinguitur usus fructus navis vel domus si tota navis dissoluta, sit, & domus tota corruit, esto navis eisdem trabibus sit restaurata, & domus eisdem cementis sit restituta, *l. quod tamen, §. si autem dissoluta sit, ff. quibus modis usufructus amittatur.* Demum consecratio ecclesiæ est quædam qualitas, & accidens quoddam, ergo sublata substantia ecclesiæ, censetur sublatum accidens consecrationis, argumento, *l. 1. 2. & 3. ff. de usufructu; Ugolin. cap. 28.*

Quartus casus est, ubi ecclesia per partes fuit refecta, quia licet eadem sit tamen est fictione, non rei veritate, sed in spiritualibus fictio non considaratur, tum quia consecratio fit per unctionem Chrismatis in parietibus, ergo illis sublatis, tolluntur unctiones, ergo non potest dici consecrata, neque obstat id, quod dicitur de oleo non consecrato, addito ad oleum consecratum, quo casu fit consecratum, *c. quod in dubiis de consecr. Eccles. &c.* quia illud procedit in illis rebus, quæ per commixtionem fiunt unum, quod hic fieri non potest, *Fagund. præcepto 1, lib. 3. cap. 15, num. 59. Ugol. cap. 28.*

Quod si casus accidat, quod Episcopus consecrando Ecclesiam moriatur, est quæstio, an ab alio Episcopo sit supplendum? Et Responsio est, quod si moriatur Episcopus unctis jam duodecim crucibus sacro chrismate, tunc, quia perfecta est consecratio, non opus est alio supplemento, stat enim essentia consecrationis Ecclesiæ, in illis verbis, *Sanctificetur, & consecretur hoc templum, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; Et in benedicendis sacro chrismate duodecim crucibus: si ergo jam hoc facto moriatur Episcopus, non est iterum consecranda, vel aliquid supplendum; Secus verò si nihil tale perfectum sit; & sic accidente casu in Civitate Ulisbonensi ad religionem *Card. Bellarmin. decidit Sacra Congregatio, teste Barb. lib. 2. de jure Eccles. cap. 2. in fine.*

De Reparatione Ecclesiarum.

QUando Ecclesia minatur ruinam quocumque modo, tenetur eam reparare primo ille, qui percipit fructus ipsius, *cap. decernimus*, ubi *glos.* 10. *quæst. 1. cap. unico 10. quæst. 3. cap. 1. ubi glossa de Eccles. ædificandis, ubi Abbas, Hostiensis, & alij. Bellectus par. 1. de Clerico debitore, §. 13. n. 11.* & sic beneficiati, Rectores, & similes *cap. ultimo de his, qui fiunt à majori parte capituli*, etiam si sint beneficiati simplices tenentur contribuere, quos beneficiatores teneri etiam ad pluvialia, Calices, & alia ornamenta tradit, *Surdus decis. 62. num. 5. Cavalcanus dec. 24. par. 2. Campanilis rubrica 12. cap. 13. num. 19. Bellectus ubi supra, §. 14. Salgadus de regia protectione to. 1. par. 3. cap. 5.* Intellige, quando non est consuetudo, quod populus teneatur ædificare, & reparare, attenditur enim in hac materia principaliter consuetudo, ut rescripsit Sacra Congregatio Civitati Cavæ, non teneri populum, sed Episcopum *Maranta cons. 58. Campanilis, Salgadus, & alij*, Ecclesias parochiales tenentur reædificare Rectores ipsorum, *cap. de his de Eccles. ædific* ad quod possunt cogi, *Trident. sess. 21. cap. 7. de reform. Riccius decis. 255. par. 2. Bellectus in tit. de bonis Clericorum, §. 14. Salgadus ubi supra cap. 5. Comitolus lib. 1. quæst. 82. concl. 3. & 5.* quod si Ecclesiæ Rector non habeat tot redditus, quibus præstare possit talem reparationem, tunc tenentur parochiani in tali Ecclesia Sacramenta suscipientes, *Abbas cons. 70. par. 1. Bovadilla in Politica lib. 3. cap. 5. Guttierez allegat. 10. Campanilis ubi supra, & Salgadus*, & quando non superfunt, potest deveniri ad pecuniam universitatis, & ea deficiente, debet deveniri ad collectam inter vicinos.

Cathedralem tenentur Episcopi reficere ex suis redditibus, ad quod compelli possunt, *cap. decernimus 10 quæst. 1. Rota decis. 627. par. 1. in Recensiorib.* & si redditus non sufficiunt, compelli possunt canonici, *cap. fin. de his, quæ fiunt à majore parte capituli*, & si simul juncti non sufficiant, alij inferiores Clerici cogi poterunt, & posset Episcopus deputare fructus beneficiorum vacantium, *Rota ubi supra*, vel distributiones quotidianas deficientium *Rota par. 2. dec. 325.*

Locus sacer non est in usus profanos convertendus, *cap. quæ semel, cap. quoniam 19. quæst. 3. cap. adhuc de religiosis domibus*, & si contingat Ecclesiam, aut monasterium destrui, ligna, & lapides ejus loci non debent ad aliud opus converti, quam ad aliam Ecclesiam, vel monasterium, *cap. ligna de consecr. dist. 1. glossa in d cap. quæ semel*, & dicitur ibi, esse in conquina monachorum comburenda, quod si in usus profanos convertatur, non est peccatum mortale, *Diana par. 5. tract. 12. resol. 76.* De cura reparandarum Ecclesiarum, legas *Trident. sess. 21. cap. 8. de reform.* De pollutione Ecclesiæ, agam in 4. *libro tit. 5. de sacrilegio* in fine.

TITULUS XIX.

De Unionibus Ecclesiarum.

POst quam Ecclesiæ sunt constructæ contingit interdum uniri inter se, justa existente causa, merito ponitur hic titulus. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quod unio, de qua hic, est duarum, vel plurium Ecclesiarum, aut beneficiorum ab Episcopo, vel alio superiore facta annexio: dicitur unio, quia ex duobus, vel pluribus, fit unum, *Joannes Baptista Caccialupus de unionibus art. 1. Rebuff. de unione beneficiorum in principio, Garsia par. 12. cap. 2. Ugol. de potestate Episcopi par. 2. cap. 52. Azorius lib. 6. cap. 39. Sanchez tom. 2. in summa lib. 7. cap. 29. num.*

num. 145. ubi nomine Ecclesiarum intelligitur Episcopatus, nomine autem beneficiorum intelliguntur quæcumque alia beneficia majora, vel minora, regularia, vel sæcularia, & dignitates, fit verò vel ad tempus, vel in perpetuum, dicitur perpetua quando duæ Ecclesiæ ità uniuntur, ut perpetuò fint tales, *cap. expoſuiſti de præbendis*, *Rebuffus ubi ſupra n. 7. Hoiſda de incompatibilitate beneficiorum par. 2. cap.* 3. vel quando dicitur ad perpetuam rei memoriam, vel ad beneplacitum Sedis Apostolicæ, *cap. ſi gratioſè de reſcriptis in* 6. & dicit *Sanchez ubi ſupra*, eſſe perpetuam, quando dicitur (in perpetuum unimus) temporalis unio eſt, quæ ad tempus eſt facta, & eſt illa, quæ fit contemplatione perſonæ non autem Ecclesiæ, vel beneficij, mortua enim perſona unio expirat, *cap. novit verſ. ne plus carruiſſet, ne ſede vacante, cap. quoniam de officio delegati. Rebuffus de union. beneficiorum num.* 9. & 10. in dubio vero cenſetur unio perpetua, facta ſcilicet favore, Ecclesiæ, ejuſque contemplatione, *cap. requiſiſti de teſtam.*

Sciendum ſecundo eſt, quod tribus modis fit unio *gloſſa in cap. & temporis* 16. *quæſt.* 1 *in verbo unire, & in cap.* 1. *ne ſede vacante*, *Rebuffus de unionibus nu.* 11. *Garzia par.* 11. *cap.* 21. *de beneficiis*, *Sanchez ubi ſupra*. Primo modo fit, quando ex duobus beneficiis unum fit, *cap. decimas* 16. *quæſt.* 1. quæ unio operatur, ut privilegia uni conceſſa, competant altari, & ſi ſunt contraria, meliora, & favorabiliora conſervabuntur, *Garzia cap.* 2. *n.* 10. & Canonici, qui ſunt in una eccleſia cenſentur eſſe in alia, & faciunt unum corpus, *Garzia dict. cap.* 1. *num.* 11. beneficia unius Ecclesiæ, cenſentur eſſe alterius, *Card. Puteus deciſ.* 433. lib. 1.

Secundo modo fit unio, ut una Eccleſia alteri ſubjiciatur, ſeù unum beneficium alteri acceſſoriè, & tunc unum eſt principale, & unum eſt acceſſorium, quod manſit extinctum *DD. in cap. cum acceſſerint de conſtit. gloſſa in clementina per litteras de præben. Garzia par.* 3. *cap.* 2. *num.* 510. quo caſu ad plura nnrabilia inferunt *DD. primo ad textum in cap.* 1. *de filiis presbyterorum in* 6. ubi prohibetur Epiſcopo facta cum illegitimis diſpenſandi, non ad parochiales Eccleſias, aliaque beneficia curata, non intelligitur de connexis acceſſoriè, *Gratianus cap.* 273. *num* 43. *Campanilis rubric.* 11. *cap.* 13. *nu.* 83. *Barb. allegat.* 45. *num.* 24. qui dicit licere Epiſcopo ſpurium ad beneficium ſimplex promovere, cui acceſſoriè eſt annexa Parochialis, vel alterum beneficium curatum conjunctum, quia Parochialis per conneaionem cum beneficio non curato amiſit titulum, & nomen, ac conditionem, *Garſia par.* 11. *cap.* 5. *num.* 195. *Navarrus conſil.* 10. *de major. & obedien.* ea illa juris regula, quod acceſſorium ſequitur naturam principalis quod procedit etiam ſi ipſum acceſſorium ſit magis dignum, & pretioſum, quàm ipſum principale, cui annectitur, *Card. litt. A. concl.* 76. *num.* 26. Secundò inferunt *DD. ad textum in cap. licet de elect. in* 6. ubi habetur obtinentes parochiales Eccleſias debere attingere 25. annum, & infrà annum ordinari, quæ diſpoſitio non procedit in parochialibus unitis acceſſoriè, *gloſſa ibi in verb. parochialis*, quia id quod accedit ad alterum, ſequitur naturam ejus, cui accedit. Ideò decidit Sacra Congregatio, ſufficere proviſum habere eam ætatem, quæ requiritur ad obtinendum beneficium, in quo fuit proviſus, & cui acceſſoriè parochialis accedit *Gallectus in margarita caſuum conſcientia in verb. canonicus il quinto, & in verb. Parochus Gonzales in regul.* 8. *Cancell gloſſa* 9. *Garſia par.* 12 *cap.* 2. *num.* 26. *Riccius in praxi reſolut.* 512. *in magnis*. Tertio inferunt *ad textum in cap. ſi motu proprio de præbend. in* 6. dum dicitur quod quando alicui confertur à Papa beneficium fieri debet mentio de alio, ſi quod habeat, alias gratia eſt ſubreptitia, quod non procedit in beneficio unito acceſſoriè, quia ſufficit ſi ſolum in impetratione fiat mentio de principali, *Rota deciſ.* 786. *par.* 1. *diverſ. gloſſa in cap. Gratia de reſcriptis in* 6. *in verbo de jure*, *Garſia dicta par.* 12. *cap.* 2. *num.* 20. & *par.* 5. *cap.* 1. *nu.* 170. nec in unitis acceſſoriè requiritur concurſus, licet ſint Parochiales, *Gallectus in verb. beneficium Barb. de poteſtate Epiſcopo alleg.* 6. *num.* 25.

Tertio modo fit unio duorum beneficiorum, vel Eccleſiarum æquè principaliter utraque manente; ut prius erant, & tunc utraque erit principalis, & ſuis gaudebit privilegiis, *gloſſa in dict. cap. & temporis* 16. *quæſt.* 1. *in verbo unire*, & *in dicto cap.* 1. *ne ſede vacante in verbo uniendo*, *Gratianus cap.* 655. ubi diſputat an pro Epiſcopatibus duobus unitis, unus ſit conſtituendus Vicarius generalis, & multas obſervationes in Epiſcopatibus unitis refert *Auguſtinus Barb. lib.* 3. *de jure eccleſiaſt. cap.* 16. *in fin.*

Sciendum eſt tertio, quod Epiſcopus poteſt facere quaſcunque uniones, etiam ſi illæ ſint reſervatæ à Pontifice, expectato præjudicio, ſcilicet ut non ſtatim habeat effectum, ſed poſtquam illud dimiſerint, poſt alios, *Garſia p.* 12. *cap.* 2. *num.* 91. præterquam ſi reſervatio beneficij eſſet perpetua reſpectu collationis illius, à Romano Pontifice ſemper faciendæ, ut in prima dignitate Eccleſiæ Cathedralis, quæ ſemper remanet reſervata per regulam Cancellariæ, *DD. ubi ſupra*, ideò non poteſt uniri per Epiſcopum, *Garſia ubi ſupra num.* 92. Poſſunt tamen uniri per Epiſcopum omnia beneficia ſimplicia, etiam antequam vacent ſinè tamen præjudicio illorum, qui ea obtinent, & poteſt ea unire ſeminario, etiam ſi ſint reſervata, vel affecta *Trident. ſeſſ.* 23 *de reform. cap.* 18. *Riccius in prax. par.* 1. *in magnis deciſ.* 383. & 610. *Barboſa alleg.* 77. *num.* 29. ea verò, quæ ſpectant ad collationem inferiorum, vel canonicatus, vel beneficia juris patronatus etiam Eccleſiaſtici, vel reſervata Sedi Apoſtolicæ, poſt ipſorum vacationem uniri non poſſunt per Epiſcopum ſeminario, *Molſeſius tract.* 6. *cap.* 14. *à nu.* 62. *Garſia dict. par.* 11. *cap.* 2. *num.* 102. neque poteſt unire Epiſcopus beneficia litigioſa ſeminario, *Garſia par.* 1. *cap.* 5. *num.* 155 Parochiales Eccleſias nequit Epiſcopus unire monaſteriis, Abbatiis, ſeù aliis præbendis, *Trident. ſeſſ* 24. *de reform. cap.* 13. *Riccius in praxi par.* 1. *reſol.* 383. benè tamen poterit Epiſcopus beneficium ſuæ Diœceſis alicui beneficio unire, dummodò beneficium non ſit extrà diœceſim, ubi eſt monaſterium, *Trident. ſeſſ.* 14. *de reform. cap.* 9. ſecundo dummodo beneficium illud, uniendum, non ſit curatum, *Trident. dict. ſeſſ.* 24. *de reformat. cap.* 13.

Ea quo colige ſolum Summum Pontificem poſſe unire Epiſcopatus, *cap. ſicut unire de exceſſibus prælatorum*, qui etiam poteſt unire omnia alia beneficia, *Garſia par.* 12. *cap.* 2 *num* 60. Epiſcopus poteſt unire beneficia, & Eccleſias ſuæ Diœceſis, *d. cap. ſicut. Garſia ubi ſupra*, exempta non poteſt unire, nec ad tempus licitum eſt Epiſcopo unire, *Garſia num.* 84. Vicarius generalis Epiſcopi non poteſt unire, niſi ſpecialiter ab Epiſcopo ſibi committatur. Capitularis Vicarius poteſt ea unire, quæ Epiſcopus poterat, ad quem tranſeunt omnia jura Epiſcopalia *cap. unico de majorit. & obedien. in* 6. unio verè prædicta eſt juriſdictionis. Archiepiſcopus verò poteſt unire beneficia in ſua Diœceſi, ſed nequit unire beneficia in Diœceſi ſuffraganeorum, ex *dict. cap. ſicut unire*, quia nullam habet juriſdictionem ibi, niſi in aliquibus caſibus à jure expreſ-

expressis, *Abbas in dict. cap. sicut unire num. 4. Sanchez ubi supra cap. 29. num.* 156. Abbates, atque alij Prælati Episcopo inferiores, licet habeant facultatem conferendi beneficia, non possunt tamen uniones, facere, nisi hoc eis competeret ex Privilegio, vel præscriptione immemorabili, aut quatragenaria cum titulo, *glossa in Clem.* 1. *§. adhæc de statu monachorum in verb. ordinarios. Garsia dict. par.* 12. *cap* 2. *num.* 71. Sed si tales Abbates, seù Prælati Regulares haberent Jurisdictionem quasi Episcopalem in Diæcesi, tunc possent id facere: quia verò unio est quid facti, ideò probari debet ab eo, qui factam esse, asserit: *Menoch. lib.* 6. *præsumpt.* 80. Sed probatur unio per instrumentum, seu litteras unionis? *Mascardus conclus.* 587. *Zerola in verb. unio, §.* 8. *Garsia par.* 12. *cap.* 2. *à num.* 226. Probatur ex testibus de publica voce, & fama; *Rota decis.* 626. *par.* 1. *&* 724. *par.* 4. *in recensioribus*, Ille verò potest unionem dissolvere, qui eam fecit, *Garsia par.* 12. *cap.* 2. *à num.* 310.

Sciendum est quarto, unionem fieri posse ex causa, aut necessaria, vel utilitatis Ecclesiæ, *cap. exposuisti de præbend. Garsia par.* 12. *cap.* 2. *nu.* 108. *Sanch. in Summa tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 29. *nu.* 161. est necessitas faciendi uniones, quando duæ Ecclesiæ, vel præbendæ sunt adeò tenues, ut ad victum duorum Rectorum non sufficiant: hoc enim casu potest earum unio fieri, nisi aliud obstet, *cap. unio* 10 *quæst.* 3. *cap. postquam* 16. *quæst.* 1. *Clem ne in agro, §. adhæc de statu Monachorum, Trid. sess.* 21. *de reform. cap.* 1. quando autem, & quæ Ecclesia dicatur pauper, & tenuis, relinquitur arbitrio Judicis, *gloss in authen. præterea, C. undè vir, & uxor*, Si Ecclesia sit ab hostibus destructa, poterit alteri uniri, *cap.* 2. *de religios. domibus.* Denique Ecclesiarum vicinitas, aut populi decrementum, vel incommodum, religionis quoque deformitas, & mutatio temporum necessitatem plerumque tribuit uniendi, *cap.* 1. *cap. fin. §. hostilitatis* 25. *quæst.* 2. Dicitur utilitas quando propter fructuum tenuitatem non inveniuntur Clerici idonei ad deserv endum, *d. cap. exposuisti, cap.* 1. *nè Sede vacante Ugolinus cap.* 52. vel ut divinus cultus augeatur *cap ex parte de constitut.* Ideò requiritur in unione causæ cognitio ab ordinario, ex quo.

Infertur, requiri in unione facienda per Episcopum, ut citentur illi omnes, quorum interest *Clemen.* 1. *§. adhæc de statu monachorum* non tamen est vocanda plebs, licet videatur quodam modo interesse pati, quia interd um laborat contra sua propria commoda, *Garsia ubi supra num.* 219. si verò justam causam habuerit, eamque allegaverit, audiri debet; neque est vocandus possessor beneficij, aut si vacet, de sensor illius; sed eis non citatis, poterit Episcopus facere unionem, *Clem.* 2. *de reb. Eccles.* non alienando *Garsia par.* 12. *cap.* 2. *num.* 214. *& sequenti*, quia nullum infertur damnum possessori, donec ipse morte, vel alio modo amiserit beneficium, *cap. consultationibus de donat.* Neque dicas, præjudicium sibi generari, quia impeditur, nè cum alio permutari valeat, vel nè in gratiam alterius illi renunciet: Respondetur enim tale præjudicium non esse considerabile, & quod illa permutatio, & resignatio pendeat à voluntate superioris, & sint modi extraordinarij acquirendi beneficia, ergo tale beneficium debet cedere utilitati communi.

Secundo requiritur in tali unione facienda per Episcopum contensus Capituli Ecclesiæ Cathredadalis, *d Clem.* 2. *de rebus Eccles. non alien.* Sed de consuetudine non requiritur, *Garsia par.* 12. *cap.* 2. *num.* 52. *cum sequentibus.*

Tertio requiritur, consensos patroni sivè Ecclesiastici, sivè laici *Clem. unica, §. adhæc de statu monachorum Trid. sess.* 24. *de reform. cap.* 15. ibi *cum patronorum consensu*, sequitur *Boerius decis.* 345. *ubi supra num.* 202.

Ultimo nota, quod defectu harum solemnitatum sit ipso jure unio irrita in tribus casibus, quorum primus est, quando non citantur illi, quorum interest, quos necessario citandos esse diximus supra, secundo quando sit unio non præmissa cognitione causæ; quod si Ordinarius dicat, adhibuisse causæ cognitionem, & solemnitates requisitas, & reperiisse esse veras, standum est ejus assertioni, & præsumendum est pro unione, donec contrarium probetur, etiam si processerit, parte non citata, & non vocata, quia nullus aderat, qui debebat vocari, *Garsia dict. cap* 2. *num.* 126. quod intellige quando causæ, & solemnitates requisitæ in specie exprimuntur, secus si in genere, tertius casus est, quando non exprimitur verus valor beneficij uniendi, ut in *regul.* 22. *Cancellaria de unionibus.*

Sed est quæstio, quid si in cæteris sit servata debita forma, sed ex falsa causa sit impetrata?

Respondeo; quod aut est impetrata unio à Papa ex falsa causa & est ipso jure irrita, quia in rescriptis Pontificis intelligitur causa (si præces veritate nitantur) *cap.* 2. *de rescriptis, Bellamera decis.* 677. *in fine, Cassadorus decis.* 1. *cap.* 2. *num.* 115. qui ampliat etiam si unio sit facta motu proprio, sic si unio fiat per Episcopum, vel alium inferiorem Prælatum, est irrita, quia cum fiat unio ex causa necessaria, magis concernit justitiam, quam gratiam, sed inter rescripta gratiæ, & justitiæ hæc est differentia, quod Justitiæ per subreptionem obtenta, sunt ipso jure irrita, sed gratiæ sunt validæ, donec ope exceptionis ejiciantur, ideò non potest beneficium illud, ut vacans impetrari donec unio illa irritetur, *Azorius lib.* 6. *cap.* 8. *quæst.* 14. licet etiam facta per ordinarium esse ipso jure nulla dixerint plures, de quibus *Garsia d. cap.* 2. *num.* 113.

TITULUS XX.

De Immunitate Ecclesiarum.

Titulus hic ad præcendentes tali ordine continuatur, visum est supra de multis pertinentibus ad Ecclesiam, verum, quia gaudet Ecclesia immunitate, merito ponitur hic titulus, qui concordat cum titulo decretalium sexti, *Extravagantium, & Clementinorum de immunit. Eccles.* & concordat cum *Trident. sess.* 25. *de reform. cap.* 2. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quod immunitas Ecclesiastica differt à libertate Ecclesiastica, eo quod immunitas ad Ecclesias, res, & templa pertineat, libertas verò Ecclesiastica ad personas pertinet, ità *Cajetanus in verb. immunit. §.* 1. *Gambacurta de immunit. lib.* 8. *cap.* 2. aliqui verò nullam faciunt differentiam inter unam, & aliam, ità *Covarr. lib.* 2. *var. cap.* 2. *Suarez de defensione fides lib.* 4. *cap.* 1. *per textum in cap. adversus*, ibi Ecclesias, & Ecclesiasticos ritus, & in *cap. non minus de immunit. Eccles.* ubi fit mentio immunitatis, quæ tam personis, quam rebus dicitur competere.

Scien-

Sciendum secundo est, quod immunitas Ecclesiastica est privilegium, vel beneficium pluribus ecclesiis venerabilibus locis, & ecclesiasticis rebus à Jure concessum. Dicitur privilegium, qoia interdum datur contra Jus commune, dicitur beneficium, quia interdum datur secundum leges, & appellatur immunitas, quasi carens munere *cap. Ecclesia eodem tit.* est immunitas triplex alia personalis, alia reslis, alia localis, & quidem personalis, ut dicunt molti, de quibus in titulo infrà de indiciis, est de jure divino, immunitas realis conceditur bonis clericorum. Immunitas localis, est, quæ conceditur Ecclesiæ.

In §. sæculares cum tribus sequentibus.

COnclusio horum jurium est, quod quædam sunt, quæ non possunt fieri nisi in Ecclesia, quædam verò, quæ in ea fieri noo possunt: primi generis sunt sacramenta, sacrificium missæ, &c. qoæ non in privatis campis, domibusque privatis, sed in Ecclesiis fieri debent, *cap. non oportet de consecr. dist.* 1. *Trident. sess.* 22. *de observ. & evitandis in celebratione Missarum, Valerius in verb. Missa, Barb alleg.* 25. *cap. sicut de consecr. dist.* 1. sic prædicatio verbi Dei non nisi in Ecclesiis fieri consuevit, *cap. Sacerdotes cap. Episcopus nullum de consecr. dist.* 1.

E contra omnia negotia sæcularia, ut placita, & contractus in Ecclesiis non possunt fieri, *cap. cum Ecclesia hoc titulo*, & sic judicium sæculare etiam civile, non poterit fieri in Ecclesia, & per consequens nec citatio, quia est actus judicialis, *cap. quoniam contra de probat.* præsertim citatio personalis, vel realis, per capturam personæ, secus si sit citatio verbalis. *De Martinis cap.* 44. nec sententia in Ecclesia valet est enim ipso jure nulla, *cap. decet*, *§. fin. de immunit. Eccles. in* 6. & si criminalem dederit Judex, fit excommunicatus, *cap cum Ecclesiæ hoc titulo, Suarez de relig. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 4. Sed in causia voluntariæ jurisdictionis, valeret sententia, *Abbas in dict. cap. cum Ecclesia*, & à fortiori actus Ecclesiastici pertinentes ad voluntariam jurisdictionem possunt in Ecclesiis, celebrari, ut sunt promoveri aliquem ad doctoratum, & similia, *Sylvest in verb. immunitas Armilla eodem verb.* quæ verò spectant ad contentiosam jurisdictionem, licet fiant per personas Ecclesiasticas, strepitum tamen juris habent, quod in Ecclesiis, prohibetur, *cap. qua frante de appellat. cap decet hoc tit. in* 6.

Sed petas, an actus facti jam in Ecclesia valeant?

Respondetur, distinguendo tres casus.

Primus est, quando sunt facti ibi actus judiciales sæculares, & non valent., *dicti cap. decet*, *§. ordinarii*, ibi *communi omni carent robore firmitatis*, ubi annullantur solum processus judiciales.

Secundus casus est, quando sunt actus extrajudiciales sæculares, & tunc valent, quia constitutio solum loquitur de Judicialibus, & cum sit pœnalis non extenditur ad extrajudiciales, *cap. in pænis de pænis in* 6. undè omnes contractos celebrati in Ecclesia, cum sint actus extrajudiciales valent, *glossa in dict. §. ordinarii in verbo processus, Armilla in verb. immunitas num.* 4.

Tertius casus est, quando sumus in jodicialibus Ecclesiasticis, & tunc habent suam firmitatem, licet sint contentiosi, prohibiti, ex eo enim quod sint Ecclesiastici, videntur esse condecentes ipsi Ecclesiæ, *Ludovicus Correa in d. cap. inter alia p.* 2. *numer.* 27.

Ex quibus omnibus infertur primo, in Ecclesia non posse fieri conclamationes, seditiones, aut impetus, & publica parlamenta, seù universitatum concilia, *dict. cap. decet de immunit. Eccles. in* 6. nisi fieret pro opere pio facienda, *Abbas in dicto cap. cum Ecclesia*, puta pro faciendo aliquo festo, instituendo aliquam confraternitatem, vel nisi tractarentur Ecclesiastica negotia, ut Synodum facere, tractare de libertate Ecclesiæ; nec possunt fieri ludi theatrales, *cap. cantantes*, 92. *dist. cap. cum decorem de vita, & honest. cleric. Paulus Tuschus de visitatione lib.* 1 *cap* 26. ubi monet Episcopos, ne permittant fieri in Ecclesiis theatra, & ludos, *Zirola in praxi in verb. repræsentationes*, cantus non debet fieri lascivus, *Trident. sess.* 22. *de observ. & vitandis in celebr. missar.* neque fieri possunt salutationes, & dum id facerent in Saxonia guidam in Ecclesia Sancti Magni, in pænam per totum annum saltarunt sine cibo, & potu, *Pineda in Monarchia Eccles. par.* 3. *lib.* 19. *cap.* 17. §. 1. honestæ repræsentationes fieri permittuntur in Ecclesia, *argument. cap. semel Christus de consecr dist.* 2. *Sanchez de præceptis tom* 1 *lib.* 2. *cap.* 37. est legendus *Augustinus serm.* 215. *de tempore*, *& Chrysostomus homil.* 38. *ad populum Antiochenum.* Convivia cum irreverentia loci sacri non sunt permittenda, nisi in aliquo angulo, vel loco Ecclesiæ, ubi id fieri potest sine scandalo, & supponendo quod non possint alibi, *Suarez lib.* 3. *de religione de reverentia debita locis sacris cap.* 6. & vigilias illas, quas solitas fieri in Ecclesia dixit *Barantus in annotat. ad Martyrologium* 15. *Januarii cap.* 15. justis de causis sublatas referunt, *Covar. lib.* 4. *variar. cap.* 9. *num* 10. *Roerius decis.* 212. *num.* 13. *Francolinus de horis canonicis par.* 1 *cap.* 1. *num.* 8 *Tuschus lib.* 1. *de visitat. cap.* 28. *num.* 8. & nota *glossam in cap odi* 24. *quæst.* 1. quæ invehit adversus scholares qui vadunt ad templa videndarum fæminarum; cuius glossæ dictum extollunt plures relati per *Genedum in collect. ad sextum collect.* 11.

Infertur secundo, in Ecclesia non debere suppellentilia, seù utensilia domus reponi, nisi ob hostiles incursus, & repentina incendia, aliamque similem necessitatem, *cap. relinqui de custodia eucharistiæ, Fagundez præcepto* 2. *lib.* 4. *cap.* 4 *num.* 10. nec in ea debent sterni accubitus, *cap. non oportet cum sequenti* 42. *dist.* Imagines inhonestæ ibi adesse prohibentur, ot in sexta Synodo Constantinopolitana *can.* 200. nec debent fieri propugnacula pro bello, nisi maxima posita oecessitate, *cap. Sanctorum* 10. *quæst.* 1. *Abbas, & DD. in dict. cap Ecclesia de immunitat.* est dafendenda armis amore castrorum, *cap. conventor, vers. horrebam* 23. *quæst.* 8. ubi *Archidiaconus*, & antiquitus neque sepelliebantur mortui, *cap. præcipiendum* 13. *quæst.* 2. Est pro immunitate Ecclesiæ legenda bulla Pij V. incipiente, *cum primum*, ubi præcipitur sub pæna 25 ducatorum eum puniri, qui strepitum aliquem in Ecclesia facit, dum Missæ vel conciones fiunt, & etiam vult Pius V. ut expellantur mendici, qui dum dicuntur officia eunt mendicando; sed dicit reponi in januis Ecclesiæ, & regularibus sub virtute obedientiæ præcipit, ut teneant ad hoc deputatos aliquos, pro expellendis pauperibus, qui tempore Missarum, & Concionum eunt per Ecclesias mendicando.

In §. Sacrorum locorum usque ad §. personalis.

AGitur de immunitate locali. Ad cujus intelligentiam sciendum est, quod immunitas fuit in Ecclesiis eodem tempore inchoata, quo tempore cæperunt constitui templa solemni dedicatione,

-est tempore Constantini, *Suarez de religione lib. 3. cap. 9. num.* 12. fuit verò innovatum hoc privilegium, scilicet quod ad Ecclesias conjugientes, non possent capi ab eis in *Concilio Toletano 12 anno Christi* 682. *Ludovicus Correa in dict. cap. inter alia par.* 1. *num.* 13. concordat *titulus C. de his, qui ad Ecclesias confugiunt*, & in *titulo Decretalium de immunitate Eccles.* & in Bulla Gregorii XIV. quæ incipit *cum aliàs nonnulli*, quæ bulla corrigit, jus commune, & consuetudines, ut patet ibi (omnia ad unam formam redigentes) sic dicunt *Riccius par.* 1. *decis.* 140. *& collect.* 1790. *Genuensis in praxi cap.* 17. *num.* 11. *Diana par.* 1. *tract. resolut.* ex his ergo dispositionibus colligitur, confugientes ad Ecclesias in casibus non exceptuatis per bullam, gaudere, ut extrahi non possint, & extrahentes varias pœnas incurrunt, de quibus *Farinaceus de immunit. num.* 311. *Decianus lib.* 6. *cap.* 28. *Ambrosinus de immunit. lib.* 15. *Suarez de relig. lib.* 3. *Correa in cap. inter alia num.* 7. prima pœna erat de jure civili pœna mortis, *l. fideli*, *l. præsenti*, *C. de his qui ad Eccles. confugiunt*, *Guide Pancirolla variar. lectionum lib.* 2. *cap.* 181. quam pœnam sacri Canones approbarunt, *cap. definivit.* 17. *quæst.* 4. sed hodiè non est in usu, secunda pœna est pæcuniaria scilicet nongentorum solidroum pro immunitate violata, *cap. si quis contumax* 17. *quæst.* 4. *ubi glossa concordat cum textu in cap. si quis in atrio eadem causa & quæst.* circa personam, cui dare debent, & dicit, Prælato. Tertia pœna per sacros Canones imposita contra extrahentes ab Ecclesia est, quia si ad Ecclesiam confugiat, ea non gaudent, *cap. frater juncta glossa* ibi *ab omnibus*, & *cap. Episcopus* 27. *quæst.* 4. Quarta pœna est publica pænitentia, *cap. minor*, *& dict. cap. si quis contumax* 17. *quæst.* 4. arbitrio Episcopi taxanda quæ hodiè non est in usu, sicuti neque illa prima, & in *dict. cap. mirror.* dicitur ut non recipiantur oblationes de domo illius, qui de ecclesia hominem extraxit. Pœnam pecuniariam in extractione fuisse impositam pro pænitentia, ut in terminis, *textu dict. si quis contumax*, invenio in Curia Archiepiscopali Mediolanensi per *Fulvium Chartarium decis* 64. & cum de hoc mirarentur ministri Regij, ipse se defendit doctè, & sic consulvi ego cuidam maximo viro. Sexta pœna est excommunicato, à qua non possunt absolvi nisi extractum restituant, *cap. quisquis*, *cap. sicut antiquitus* 17. *quæst* 4. quæ excommunicatio de jure communi non incurrebatur ipso jure *Farinaceus de immunit. num.* 312. sed hodiè ex bulla Gregori XIV. in §. 10 ipso jure incurritur, & sic est probabilior sententia, incurri per Bullam prædictam excommunicationem latæ sententiæ, non ferendæ, *Gambacurta lib.* 8. *cap.* 4. *Correa in dict. cap. inter alia par.* 4. *Fulvius Cartharius decis.* 64. *per totam*, ubi dicit, esse latæ sententiæ. Absolutio hujus excommunicationis est quæstio, à quo sit habenda, prima opinio dicit, posse ab Episcopo, *Barb. allegat.* 51. *casu* 4. *num.* 72. *Genuensis cap.* 17. *nu.* 4. *Bonacina disp.* 3. *de legibus q.* 7. §. 6. *num.* 8. *Riccius in praxi par.* 2. *resolut.* 333. *Graffius lib.* 3. *conf. unica num.* 29. *de immunitat. Eccles.* qui respondent ad, id quod dicitur, esse talem excommunicationem reservatam in Bulla Cœnæ, nam ibi tantum excommunicantur illi, qui statuunt aliquid contra libertatem Ecclesiæ. Secunda opinio est, esse habendam à Pontifice tantùm, ità *Duardus in Bulla Cana lib.* 2. *can.* 15. *quæst.* 16. *Farinaceus de nummunit. cap.* 2. *num.* 315. qui sic dicunt declarasse Clementem VIII. sequitur *Carolus Maranta par.* 2. *consiliorum cons.* 35. qui pluries suisse decisum refert per Sacram Congregationem, esse casum Papalem, & latè probant, *Maranta responsi.* 37. *Bordon. p.* 1. *resol.* 1. *nu.* 16. qui aiunt, non posse laicos spoliare hos confugientes ad Ecclesias armis, quæ deferunt, sed verum excommunicantur & tantum spoliantur ad evitandum evitanda ut vidi pluries practicari. Hanc immunitatem est quæstio, an liceat clericis defendere manibus, & pugnis? & dico id posse fieri absque ullo peccato, ut post multos defendit, *Michael Manriquez par.* 1. *resolutionum moral. resol.* 14. contra *Farinaceum cap.* 3. *numer.* 47.

Quæres primo, qui gaudeant immunitate Ecclesiastica.

Respondetur primò gaudere confugientes (exceptis casibus, de quibus infrà) etiam si sint Monachi, vel clerici, qui non poterunt à suo Judice extrahi pro delictis non exceptuatis, tum quia jura concedentia immunitatem, simpliciter loquuntur; non enim distinguunt inter laicum, & Clerium, ergo, tum quia Ecclesia, est propria domus clericorum, tum quia hæc immunitas non conceditur personæ, sed loco, ergo, & sic pluries contra Abbatem in *cap. inter alia de immunit. eccles.* referunt fuisse decisum per Sacram Congregationem *Diana par.* 1. *resol.* 24. *tract.* 1. *par.* 3. *de immunit. eccles. resol.* 35. & latè *Maranta par.* 2. *respons. responso* 51. latissimè *Augustin. Barb. lib.* 2. *de jure eccles. cap.* 3. *à nu.* 35. qui ad partes disputat, & hodiè non est amplius dubitandum stantibus pluribus declarationibus Sacræ Congregationis, de quibus supra citati, sequitur, *Borden. variar. resolut. resolut.* 1. *numer.* 18. sed Neapoli & mediolani multisque aliis locis contrarium practicari dicit *Fulvius Carthar. decis.* 82.

Secundo gaudet immunitate confugiens ad sacerdotem, portantem Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, *Abbas*, & alij in *cap. sanè de celebr. missar. Tusch. in verb. ecclesia conclus.* 9. *Marius Italia cap.* 4. §. 4. contrà *Bonacinam disputat.* 7. *de legibus quæst.* 7. *part.* 4. nobiscum tenet *Diana par.* 1. *tract.* 1. *resolut.* 28. *Barb. ubi supra num.* 69. post alios, quos referunt, quia hic talis conjugit ad auctorem veræ sanctitatis, ergo gaudere debet, *argumento textus in authentic. multo magis*, *C. de sacros. eccles.* & addit *Diana cum suis*. quod si quis à satellitibus fugiens, intraret in cubiculum, ubi esset sacerdos cum Sanctissimo pro communicando infirmo, gauderet immunitate, immò si per plateas Corpus Christi portaretur, & fugiens à satellitibus, se poneret inter illas personas quæ associarent, gaudet immunitate, etiam si non tangeret sacerdotem, vel hastam baldachini, quia omnes illæ personæ cum sacerdote representant unam Ecclesiam, *Peregrinus de immunitate cap.* 4 *num.* 19. *Marius Italia lib.* 1. *cap.* 4. §. 10. *num.* 8. quod si quis conjugeret ad sacerdotem portantem oleum sanctum infirmis, non gauderet immunitate, *Riccius par.* 3. *dec.* 88. Sicut neque gaudet carceratus confugiens ad Sacerdotem portantem Eucharistiam in carceribus, *glossa in cap. quæsitum* 13. *quæst.* 2. *Riccius disputat.* 3. *dec.* 88. qui verò confugit ad reliquias sanctorum, vel ad eorum imagines, quæ processionaliter per plateas ducuntur, gaudet immunitate, ità *Ludovic. Correa in actio cap. inter alia num.* 24. *par.* 2. quia ratio concedendo-

concedendi immunitatem est reverentia Deo debita, sed eadem reverentia debetur reliquiis sanctorum vel eorum imaginibus (per participationem tamen) ergo, sequitur *Diana par. 4. de immunit. resol.* 48. unde infero; quod si quis vulneraret aliquem in actu processionis, sinè tamen membri mutilatione, non potest extrahi à processione per Judicem laicum, sed est in Ecclesia reponendus, quia extractus à processione dicitur extractus ab Ecclesia, & sic fuit repositus quidam, qui taliter fuerat extractus à processione illa teste *Michaele ferro Mantiquez par* 1. *resol. moral. resol.* 32.

Tertio gaudent immunitate confugientes ad Palatium Episcopi, *cap. id constituimus* 17. *quæst.* 4. *ubi glossa*, *Ambrosinus cap.* 10. *Bonacina de censuris disp.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 16. *§.* 9. *Farinac. de immunit. num.* 269 *Diana resol.* 27. qui ampliant etiam si palatium non sit intra confines ad quaraginta passus, sed plus ab Ecclesia distet, licet contrarium teneant aliqui apud eos: est autem hoc privilegium concessum palatiis Episcoporum ob eorum reverentiam. Confugiens verò ad Palatia Cardinalium Romæ existentia, non gaudet immunitate, quia eam abstulit Sixtus V. solum pro Urbæ Romæ, quare si confugiat quis ad palatium Cardinalis, Romæ non existentis, gauderet communi *Peregrinus cap.* 4. *Diana resolut.* 37. *Barb. d. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 71. cum aliis quoa referunt.

Quarto gaudebat antiquitus confugiens in circitu Ecclesiæ per 40. passus si Ecclesia erat matrix, si verò inferior per 30. passus *cap sicut antiquitus*, *cap. frater*, *cap minor* 17. *quæst* 4 *Sylvester in verb. immunitas il* 3. *Ambrosinus de immunit. cap* 10. qui passus quilibet habet quinque pedes, & pes quindecim digitos, *glossa in d. cap. sicut antiquitus in verb. passus Ambrosinus cap.* 10. Hodiè hæc immunitas est sublata *Farinaceus ubi supra n.* 284. *&* 294. Qui ponit manus ad vectem Januæ Ecclesiæ gaudet immunitate *Consal. de Pace in practica Canonica* 8. *tom. par.* 1. *cap.* 3. *§.* 3. Sic confugiens ad Ecclesiam non dum consecratam, & ubi adhuc divina officis non celebrantur gaudet immunitate, *cap. Eccles de immunit. Eccles. Peregrinus cap.* 4. *&* 19. *Marius Italia de immunit. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 8. dummodo auctoritate Episcopi sit fundata, & *text.* quando dicit in *d. c. Eccles.* ibi, *in qua divina ministeria celebrantur*, exponitur, idest celebrari possint, cum ad id Ecclesia apta sit, de communi *Italia ubi supra*, *& Farinaceus*, quos sequitur *Barb dict. cap.* 3. *num.* 59. & in Curia Archiepiscopali nostra fuit decisum, gaudere quendam, qui confugerat ad furnum palatij Archiepiscopalis, *Riccius collect.* 1792. ob connexionem cum seminario, & palatio Episcopi, *Thorus de pia causa privil.* 185. *Sanfelicius decis.* 16. *&* 18. non tamen gaudet confugiens ad domos religiosorum, extrà claustrà existentes, ubi habitent sæculares titulo locationis, *Sanfelicius decis.* 136. dummodo hostium sit extrà claustrum, nam si sit per ostium intrà claustra aditùs, vel intrà atrium Ecclesiæ, tunc gauderent immunitate *Sanfelicius ubi supra*. Interdicta Ecclesia habet privilegium immunitatis, & etiam diruta, & destructa, etiam sinè auctoritate superioris, dummodò adsit spes reædificationis, *Clarus in §. fin. quæst.* 30. *Ambrosinus cap.* 10. *Italia*, *§. num.* 13. *Farinaceus num.* 269. *Remigius de Ponte de immunit. ampliat.* 4. *Peregrinus de immunit. cap.* 4. *num.* 3. *Correa de immunit. par.* 2. *num.* 18. Cæmeterium sivè conjunctum Ecclesiæ, sivè separatum, auctoritate tamen Episcopi, designatum, & sacratum obtinet immunitatem, *cap. cum Ecclesia hoc titulo*, *glossa in verb. cæmeteria in cap. consuluisti de consecr. Eccles.* & habetur in Bulla Gregorij XIV. *Marius Italia cap.* 4. *§.* 7. *Farinaceus num.* 262. *qui n.* 264. ampliat etiam si cæmeterium sit ab Ecclesia separatum *Ambrosinus cap.* 10. *num.* 5. *Anastasius Germonius de immunit. cap.* 16. *num.* 5. Atrium etiam Ecclesiæ gaudet immunitate, *cap. si quis contumax* 17. *quæst.* 4. *Barb. ubi supra num.* 64. qui idem de Janua ipsius Ecclesiæ. Claustra Monachorum gaudent immunitate ut ex Bulla Gregorij XIV. & aliis Privilegiis regularium fundat *Franciscus Bordonus variar. resolutionum resol.* 1. *num.* 1. qui appellatione Monasterij dicit venire claustra, dormitoria, cellas, refectoria, Capitulum, Novitiatum, hortum, aream, & loca pro famulis, hospitibus, habitationes, animalium, & similia, ad quæ Religiosi accedere possunt sine Superioris licentia, regulariter loquendo.

Quintò, gaudet immunitate confugiens ad Hospitale, auctoritate Episcopi fundatum, dummodò dicantur missæ, & publicè, ut decisum in Collaterali, refert *Merlinus cap.* 65. Oratorium publicum si auctoritate Episcopi sit fundatum immunitatis gaudet privilegio fallit in oratorio privato, ut rescripsit Sacra Congregatio Episcopo Marsicensi, de qua *Barbos. d. cap.* 3. *num.* 68. *Maranta par.* 2. *consil.* 35. Est quæstio quid dicendum de domibus, seù villis, quas monachi habent recreationis causa, vel ad recipiendos hospides, an gaudeant immunitate? & responsio est non gaudere, *Gambacurta cap.* 4 *num.* 7. quia non conceditur immunitas domibus regularium, sed regularibus, sequitur *Barb. ubi supra num* 76. si verò satellites persequantur aliquem, ut eum capiant, & ipse se ponat in Ecclesia, non poterit ab ea extrahi etiam si vicinus per vim ab eis aufugiens, ibi seponat, etiam si ab eis, quia forsan captus fuit aufugiat, aliquem vulneret in Ecclesia, ut se liberet ab illis, *Farinaceus cap.* 16. *num.* 227. quia post bullam Gregorii XIV. vulnus in Ecclesia commissum non facit perdere immunitatem, *Diana resolut* 13. nisi sit vulnus cum mutilatione membri, quod si quis ducatur ad carceres per medium Ecclesiæ, non gaudet immunitate, si ibi se ponat, & nolit exire. *Diana resolut.* 30. Idem fuit practicatum in quodam, qui cum duceretur ad triremes, aufugit à satellitibus ad Ecclesiam, & Curia Archiepiscopalis Mediolanensis inclinavit non gaudere immunitate Ecclesiæ, *Fulvius Catharius decis.* 7. qui verò fractis carceribus ad Ecclesiam aufugit gaudet immunitate, *Guerba consil. criminal.* 30 *nu.* 31. *Diana resol* 40. contra multos, quos refert, quia non est casu exceptustus in Bulla Gregorij XIV. & idem dicunt de condemnatis ad triremes, quod quidem apud nos non practicatur universaliter, leges *de Marinis cap* 177. Si verò quis confugerit post delictum ad cortile illorum locorum, quæ sunt sic fundata sine Episcopi auctoritate, ut est templum *Delle Paparelle*, *delle Scortiate &c.* non gauderet immunitate, *de Marinis cap* 179. *n.* 30.

Sextò, gaudet immunitate occidens clericum, *Peregrinus de immunitat. cap.* 12. *num.* 13. *Farinaceus de immunitate*, *cap.* 7. *num.* 113. retractans se à contraria sententia, quam docuerat *tract. de Carceribus*, *quæst.* 28. *numer.* 29. quia inter homicidia exceptuata in Bulla non repetitur hoc, ergo ubi lex non distinguit, *l. de pretio*, *ff. de publiciana in rem actione*, decisum refert *Sanfelicius decis.* 20. per totam, contrà *Barbos. dict. cap.* 3. *num.* 123.

Si verò quis existens in Ecclesia sponte, se tradit in manibus familiæ laicæ, renuncians immunitati, non valet renunciatio, quia non est principalis favor delinquentis, sed ecclesiæ, *Mastril-*

crare, idest cùm interventu plurium personarum; *Gloss. in cap. Episcopus* 23. *dist.* & à sacrando non solum res sacra, sed sacramentum, sacrificium; sacrilegium, & per consequens execratio derivatur, quæ est rei sacræ in profanam conversio, undè execrabile, dicitur, quicquid abhominabile, & nefandum videtur; duxit originem consecratio etiam in ipsa lege naturæ, ubi Sancti Patres, altaria, &c. Deo consecrarunt: quorum primus videtur fuisse Noè, qui post diluvij aquas altare Domino consecravit, & super illud obtullit holocausta. *Genes.* 8. & idem de Jacob legitur; *Genes.* 28. & 31. Post Christi escansum consacrari cæperunt ab Apostolis Episcopi, & sacerdotes, *cap. porrò* 69. *dist.* Templa verò, & Altaria primum à Beato Sylvestro Pontifice consecrate, fuerunt *DD. in cap.* 1. *de consecrat. dist.* 1. *Barb. lib.* 2. *de Jure Eccles. cap.* 3.

Sciendum secundò est, quod res sacræ sunt alia simplicitet, & immediatè, ut calices, vestes, &c. quædam dicuntur sacræ mediatè, quia immediatè sunt deputatæ in ordine ad servientes Deo pro eorum substentatione, ut sunt Ecclesiæ, prædia, annui redditus, &c. Calices debent esse ex auro, vel argento, aut saltem ex stanno, *cap. calix de consecrat. distin.* 1. & *in cap. vasa, eodem dist.* permittebatur fieri de vitro, sed posteà Urbanus Primus omnia vasa fecit aurea, vel argentea ex quo cæpit prædia tetinere, *cap. videntes* 12. *quæst.* 1. *dict. cap. vasa. Covarr. lib.* 4. *variar. cap.* 12. *Sanct. Thom. in* 3. *par. quæst.* 83. *artic.* 5. *ad* 6. *Fagundez de præceptis, lib.* 3. *cap.* 21. *num.* 11. ex ære verò, vel aurichalco, aliaque simili materia calix fieri prohibetur, quæ producit eruginem, & in vomitum, provocat. *dict. cap. calix*, quod etiam prohibet in ligneo, vel vitreo calice celebrari, quia unum repugnat vitro, alterum est fragilis materiæ: *Azorius par.* 1. *lib.* 10. *cap.* 28. *quæst.* 3. & contra eum, qui utitur calice ligneo est constituta pæna depositionis ab officio, & beneficio, *cap. ultim de celeb. Sanct. Thom. ubi supra, artic.* 3. *Sylvester. in verb. Calix, Frater Joannes Serranus Episcopus Acernensis, in expositione missæ prælud.* 2. *num.* 12. *Bonacina de Sacram. disput. quæst ultima, punct.* 9. *num.* 16. Patena verò licet videatur esse ejusdem materiæ cum calica, ex dictis juribus, tamen non est, adeò necessarium, cessante ratione in ea, ut in *dict. cap. ut calix*, & sic hodiè pletumque fieri solent ex ære, sicut, & vas ad custodiam Eucharistiæ in locis, ubi penuria adest.

Sciendum est tertio, quod hæc omnia vasa debent esse ab Episcopo consectata, priusquam adhibeantur ad sacros usus; *cap. unico in fine, de Sacra unctione*, & *Azorius ubi supra*, hoc enim est ordinis Episcopalis. *Sbrozius de potestate Vicarij, lib.* 2. *quæst.* 9. *num.* 8. & sic non poterit fieri per simplicem Sacerdotem, nisi quibus Papa concesserit: Abbates verò potentes ordinare in ordinibus minoribus, poterunt etiam consecrare vasa prædicta, quia plus est personas, quam res Ecclesiasticas consecrare, secundum *Glossam* sic intelligendam: in *cap. Abbates de privil. in* 6. *in verb. tonsuram Tamburinus tom.* 1. *disputat.* 23. *quæst.* 1. *Portellius in verb. Abbas*: Execratur verò calix, aliud vas sacrum duobus modis. Primò, si emittat formam suam, & enormiter lædatur, *argumento textus in cap. de consecr. Eccles. vel altaris.* Secundò, quando superficies, aurea, vel argentea omninò præterquàm per usum continuum anferatur, quia tali pacto videtur formam amittere, quæ tamen per usum continuum non videtur amitti, per *Gloss. in cap. Ecclesiis de consecrat. dist.* 1. Verùm si talia vasa etiam aurum amictant, & iterùm deaurentur, quo ad illam superficiem, quæ tangit corpus, & sanguinem Christi eget nova consecratione. *Fagundez ubi supra, num.* 21. *Suarez*, & alij apud *Dianam tractat.* 1. *miscell. resolut.* 3. qui tamen cum aliis probabile putat non egere nove consecratione: Pollutum verò vas sacrum sorè sanguinis, vel seminis criminosa effusione, præsertim notoria, erit purgandum, & sacerdotali benedictione reconciliandum, *argum. cap. si motum cum sequenti, de consecr. dist.* 1.

Sciendum est quartò pallas, & corporalia diversimodè accipi. Interdum palla sumitur pro superiori linteo altaris: super quo extenditur corporale, secundum *Glossam in cap. altaris palla, de consecrat dist.* 1. *ex cap. nemo, il secondo, eadem dist.* Alij interpetrantur pallas, idest corporalia, *Gloss. in dict. cap. altaris, & in dict. cap. sacratas* 23. *dist. glossa verò in dict. cap. nemo*; accipit pallam pro panno, quo post consecrationem sacerdos manus abstergit, & calicem, & in *dict. cap. nemo*, videtur sumi pro utroque, scilicet, tam pro mappis, seù linteis altaris, quam pro corporalibus, corporalia vocantur sacratæ pallæ, *dict. cap. Sacratas*; linteamina verò non consecrata dicebantur *dict. cap. altaris pallæ, cap. omnis de consecr. distin.* 4. *cap. fin. de custodia Eucharist.* hodiè palla dicitur, quæ super calicem ponitur, à quodam pallio, quod palla vocabatur: ego dico pallam dici, quia palliat, vel adscondit sacrificij mysterium. Corporalia, & pallæ prædictæ fieri debent ex puro panno lineo, sicuti Domini corpus fuit in munda Syndone involutum, *Suarez in* 3. *par tom,* 3. *disput.* 81. *sect.* 6. *Fagundez dict. cap.* 21. *num* 25. & sunt ab Episcopo consecranda, *cap. consulto de consecr. dist.* 1. vel ab Abbatibus, de quibus supra, linteamina, quoque benedicuntur à solis constitutis in sacris, *cap. non oportet, cap. non licent* 23. *distin. cap.* 1. 24. *dist. cap. in Sancta de consecrat. distin.* 1. *Bellermin. de consecr. ordinis, lib.* 1. *cap.* 7. à fæminis verò etiam sacratis tangi, vel lavari non debent, *cap. omnis præsbyter, de consecrat. dist.* 4. post verò primam lotionem, quæ fit è Sacerdotibus licitum est laicis, & fæminis levare corporalia, & similia: lota verò corporalia non opus est iterum consecrari, cum lintei forma non mutetur, *Ragucius de voce Canonic. in Ecclesia quæst.* 31. & 32. *Sylvester in verb. missa, il* 1. *qu.* 2. *§.* 2.

Sciendum est quintò, etiam vestes Sacerdotales benedici, quarum fit mentio in Sacris Canonibus, & primo de stola, qua utuntur Sacerdotes fit mentio sub nomine orarij, in *cap. ministrum cum sequenti* 23. *dist. cap. unum orarium, cum præcedenti* 25. *dist. cap. Episcopus præsbyter.* 11. *quæst.* 3. *Barb. in cap. Monacho* 27. *quæst.* 1. De planeta, & casula *fit* mentio, in *dict. cap. Episcopus præsbyter, & in cap. degradatio de pænis, in* 6. De Diaconorum dalmaticis fit mentio, in *cap. de jejunio* 67. *dist. & in cap. communis* 23. *dist.* sic de mitra, Baculo, atque anulo pastorali, & de pallio Archiepiscopali, aliisque ornatis fit mentio, in *cap pervenit, il secondo* 9. *distin. & in cap. præsbyter* 11. *quæst.* 3. *& in cap. unico de sacra uncione, & in cap. fin. de auctoritate, & usu pallij, cap Abbates, & in cap. ut Apostolica de privileg. in* 6. Baculi, & mitræ usus sunt correlativa, & cui usum conceditur alterum etiam concessum videtur, ut dixit Sacra Congregatio rituum, apud *Barb. de jure Ecclesiast. lib.* 3. *cap.* 2. *nu.* 27.

Sciendũ est sextò, quod omnia ista ornamenta sunt per Episcopum benedicenda, *cap. vestimenta de consecrat. dist.* 1. Simplices Sacerdotes, naque ex delegatione Episcopi possunt ea benedicere, *Ugolinus*

de

de potestate Episcopi, *cap.* 36. *num.* 6. Verum personis constitutis in dignitata potest à Sede Apostolica delegari banedictio, dummodò non sit adhibendum olaum sanctum, & consecratio. Prælati verò religiosorum, Generales, Provinciales, Guardiania ex privilegio Leonis X. de quo *Rodriquez tom.* 1. *quæstionum regularium quæst.* 19. *art.* 2. *Hieronymus Rodriquez in Compendio quæstionum Regularium resolut.* 13. *Barb. alleg.* 27. *num.* 44. qui etiam notat, tales superiores regularium posse solum pro usu suorum fratrum ea benedicere, non pro aliis. *Portell. in dub. regular. in verb. benedicere.* Non est prohibitum sacras vestes, & alia ornamenta Ecclesia ex profana materia fieri, vel etiam ex mulieris veste; quamvis aliqui per *Glossam in cap. ad nuptiarum, de consecrat. distin.* 1. & *in cap. ad hæc*, de religiosis domibus contrarium dicant, quia per consecrationem Episcopi sanctificantur, sicuti templa Idolorum, quæ in Ecclasias convertuntur. Tales verò vestes amittunt benedictionam, quando ità frangumtur, ut non sint eptæ ad usum, ad quem fuerunt destinatæ, vel non retinent amplius priorem figuram, undè si ab alba abscindatur manica amittitur figura, & indiget nova benedictione licet iterum apponatur manica: *Armilla in verb. benedicere.* *Angelus in verb. benedictio*, *num* 3. & ex eo fit, quod si fiat stola de planeta benedicta, itarum debet benedici, quia ad ipsam est data particularis banedictio, & est mutata forma, quæ dabat esse rei. *Ugolinus de potestate Episcopi*, *cap.* 32. *§.* 1. *num.* 6. qui etiam dicit, quod si tales vestes fiant braviorea, dummodò non mutetur forma, non sunt iterum benadicendæ.

Sciendum est septimò, alias res mobiles Ecclesiasticas, veluti imagines, Cruces candelabra, &c. per Pontifices benedici, ut in Pontificali. Campanæ etiam par eos benedicuntur, & solemni consecratione ab Episcopo unguntur, ac baptizantur, & fideles convocant ad res divinas, æreos, quoque spiritus fugant, & grandines, procellarumque turbines; *Frangunt. Guglielmus Duardus lib.* 1. *in rationali divinorum officiorum capit.* 4. *Stephanus Durantis de ritibus Ecclesiæ lib.* 1. *capit.* 22. *Martinus de Rio disquisit. magicar. lib.* 6. *cap.* 3. *quæst.* 33. & *nota textum in cap altaris palla de consecr. dist.* 1. ubi si vestes & ornamenta, de quibus supra, sunt consumpta, incendio dari debent: secundo nota *tex. in cap. relinqui de custodia Ecclesiæ*, ubi tales res mundæ conservari debent, & si a ministris indignis tractentur, non ideò polluntur, *cap. à nobis*, *de Sacramen. non iterandis*, & *non possunt pignorari*, *vel alienari*, *cap.* 1. *de pignoribus*: Immò si quis debet ab aliqua Ecclesia consequi aliquid, Calices non potest capere vi pignoris, *Clem.* 2. *de decimis*, *nec sunt ad usum profanos convertendæ ex cap. quæ semel.* 18. *quæst.* 3. *cap. semel*, *ubi gloss. de regular. Juris*, *in* 6. nec ad alios usus, quam ad eos, quibus fuerunt destinata, *cap. vestimenta* 23. *dist. dict. cap. ad nuptiarum de consecr. dist.* 1. *Galganetus lib.* 3. *de jure publico*, *tit.* 67. *num.* 2. *Fagundez d. cap.* 21. *num.* 18. Si verò vendantur vasa sacra Laicis ex justis caussis, prius debent esse confracta, *cap. aurum cum ibi notatis* 12. *quæst.* 2. *Galletus in margharita casuum conscientiæ in verb. Ecclesiæ vasa sacra*, & *in verb. sacrum il* 2.

Sciendum est octavo, quod res sanctæ dicuntur illæ, quæ ab injuria hominum defendi debent, *l. Sanctum*, *ff. de rerum divisione*, Sanctæ verò attento Jure civili dicuntur, & portæ Civitatis; dicuntur etiam sancti legati, seù ambasciatores, sive sint amicorum, sivè hostium, *l. fin ff. de legationibus*, duranta tamen tempore legationis; unde dicunt DD. quod legato capto in itinere, & deglubato, sunt ei damna resarcienda, cum officium suum namini esse debeat damnosum, *l. si servus communis*, *§. quod vero*, *ff. de furtis*; nisi taman legatio, esset affectata, & procurata, vel nisi secum attulisset res non necessarias, nam tunc talia damna non sunt resarcienda à mittentibus, cum sit, quod legatis imputari possit, *Francus decis.* 146. Sic Victorio spoliato latronibus sunt damnaresarcienda, quando per Episcopum mittebatur ad aliquam locum, legas *Francum*, & *Amendolam in additionib.*

Sciendum est ultimò, quod res religiosæ dicuntur illæ, ubi hominum reliquiæ antiquitus ponebantur, attento enim jure civili unicuique licitum erat locum facere religiosum per humationem corporis, *l.* 2. *§. religiosum*, *ff. de relig.* & *sumpt funer.* non enim potarant corpora defunctorum in Civitata sepelliri, immò sepelientes pæna 40. ducatorum puniebantur, *Divus*, *ff. de sepulchre violato.* Sepeliebantur ergo in Villis extrà Civitatem, & locus, ubi erat præcipua pars, dicebatur religiosus, *l. cum in diversis*, *ff. de relig.* & *sumptib. funerum.* Hodiè verò de jure canonico nullus locus officitur religiosus, nisi de auctoritate Episcopi, *cap.* 5. *de sepulturis*, *in* 6. DD. communicat in *cap. ad hæc de religiosis domibus.*

TITULUS XVIII.

De Construendis; Consecrandis; et reparandis Ecclesiis, et Altaribus.

QUia inter res sacras, religiosas, & sanctas enumerantur Ecclesiæ, meritò ponitur hic titulus. Ad cujus intelligentiam,

Sciendum est primo, quod Ecclesia dicitur à verbo græco, quod significat evocare undè spiritualiter sumpta significat evocatum cætum, ad hanc enim omnes, qui veniunt Dei vocatione veniunt, & ideò idem significat, ac congregatio fidelium, *Arctor capit. Eccles. de consecr dist.* 1 *glossa* 2. *in cap. cum Clerici* 19. *de verb. significat. glos. ultima*, *in cap. fin. nè Prælati vices suas*, *Valentia tom.* 3. *disputat.* 1. *quæst.* 4. *Bellarminus tom.* 1. *controv contr.* 4 *lib.* 3. *cap.* 2. *Isidorus Mosconius de majestate milit. Ecclesiæ in prælud. fol.* 4. & est Ecclesia corpus quodam morale, cujus membra sunt homines, & Angeli, caput Christus, qui sanguine suo fecit utramque unam, triumphantem, scilicet, & militantem. illam invisibilem, hanc visibilem, *Suarez de fide disp.* 9. *sect.* 1. Interdum Ecclesia sumitur pro prælatura, seù beneficio Ecclesiastico, præcipuè curato, ut in *Rubrica*, & *in cap.* 3. *ne prælati vices suo non ignores de jure patronatus Glossa ultima*, *in d. cap. fin. nè prælati vices suas*, sed frequentissimè accipitur pro ædesacta, ut *in toto titulo de Eccles. ædific* & *in cap. non oportet* 42. *distin. Paulus* 1. *ad Corinth. cap* 2. *nunquid domos non habetis ad manducandum*, &c. *Stephanus Durandus de ritibus Eccles. lib.* 1. *cap.* 1. Definitur verò Ecclesia per *Azorium tom.* 2. *lib.* 9. *cap.* 3. ut si locus publicus auctoritate Episcopi fundatus, in quem Christiani conveniunt ad rem divinam audiendam, & Sacramanta suscipienda, ea verò Ecclesia, quæ major est Basilica appellatur, ut esset cathedralis, licet *Glossa in cap.* 1. *de relig. domib.*

domib. & Abbas in rubrica de consecr. Eccles. dicunt. Basilicam dici Ecclesiam non consecratam, sed usus comprobat primam significationem, ut Basilica sit Ecclesia major, ut Romæ Basilica Apostolorum. Est etiam in Ecclesia locus, quem appellamus sanctuarium; scilicet locus templi abditissimus, ubi sancta ponuntur, & servantur, alias talis locus sumitur pro altari, ut in *cap. fabrica juncta gloss. in fin. de consecr. distin.* 1. Datur sacrarium etiam in Ecclesia, scilicet locus, ubi aliæ res sacræ conduntur; *cap. super negligentiam, de consecr. distin.* 2.

Sciendum est secundo, quod usus Ecclesiæ cæpit in prima mundi origine, *Enoch.* enim cæpit nomen Domini invocare *Genes. cap.* 4. ubi *Abulensis.* In secunda Mundi restauratione primum altare fuit erectum à Noè, *Genes. cap.* 2. *post. Christum*; apud *nos* 1. Ecclesia Catholica fuit cujus fundamentum est Christus Petra autem, & ædificium Petrus, *cap. in novo* 21. *distin. cap. omnibus* 24. *quæst.* 1. *cap.* 1. *de Immunitat. Eccles. in* 6. Secunda verò fuit Ecclesia Constantinopolitana, *cap. Constantinopolitana, cap. sacrosancta, cap. quamvis* 22. *dist.* deindè S. Marcus fecit Ecclesiam Alexandrinam; *cap. cum Beatissimus* 24. *quæst.* 1. postea aliæ Ecclesiæ constructæ fuerunt, latè *Ludovicum Correa in cap. inter alia de immunit. Eccles. par.* 1. *num* 12. & 13. Appellatione verò Ecclesiæ veniunt indistinctè Septa Ecclesiæ, tanquam portiones ipsius, argumento, *cap. id constituimus* 17. *quæst.* 4. *Abbas in cap. Ecclesia, num.* 10. *de immunitat. Ecclesia, Gratianus cap.* 167.

Sciendum est tertiò, quod Ecclesia alia est Episcopalis, seù cathedralis, alia collegiata, alia matrix, alia baptismalis, & alia parochialis, *Gloss. DD. in cap. plures* 10, *quæst.* 1. & *in cap. cum contingat. de decimis, & in cap. cum Clericis, & in cap. venerabili de verb. signific. & in toto titul. de Eccles. ædificandis*, Ecclesia Cathedralis est sede Episcopi, & Parocchia totius Civitati, & Diæcesi dicitur, & non potest per alium, quam per Papam erigi, dividi, vel mutari, *Barbos. lib.* 1. *de jure Eccles. cap.* 2. Appellatione Ecclesiæ non facta expressione alicujus Sancti per Antonomasiam venit Ecclesia Cathedralis, *Abbas in cap. cum super num.* 6. *de sepulturis, Gratianus cap.* 893. *num.* 32. *Rota decis.* 233. *par.* 1. *divers.* & dicitur Cathedralis, quia in ipsa est Cathedra, qua de re, *Abulensis super Matthæum, cap.* 1. *quæst.* 7. Ad probandum, Ecclesiam Cathedralem esse sufficiens est argumentom ritus celebrandi festum dedicationis, qui sanè ritus non poterat alter salvari, nisi admissa Cathedralitate, *Gregorius* 15. *decis.* 493. *Rota decis.* 615. *part.* 1. *in recentioribus*, sic facultas exigendi decimas in territorio soli Cathedrali competit, *cap. quoniam cap. cum contingat. de decimis*, ubi *Gloss.* & *DD.* multa alia signa, quibus probatur esse Ecclesiam Cathedralem; legas apud *Barb. lib.* 2. *de jure Eccles. cap.* 5. *in fin.*

Ecclesia Collegiata dicitur, ubi adsunt plures beneficiati: & Canonici collegialiter viventes, quam collegiatam non potest Episcopus constituere, pertinet enim ad Summum Pontificem, *Rebuffus in praxi de excet. in collegiatam. Fuscus de visitatione lib.* 2. *cap.* 1. dixit Sacra Congregatio, teste *Portellio de beneficiis lib.* 1. *quæstion.* 14 *num.* 49. Potest collegiata in publicis processionibus deferre propriam Crucem etiam præsenti Capitulo Cathedralis, dummodò locus dignior relinquatur Cathedrali, ut dixit Sacra Congregatio, teste *Barb. lib.* 2. *de jure Ecclesiast. cap.* 5. *n.* 4. & debet præcedere omnibus simplicibus Ecclesiis, vel quæ tantum parochiales sunt Sacra Congregatio, ubi supra, Collegialitas ubi non constat de fundationis initio, ex conjecturis, & indiciis probatur. *Decianus cons.* 6. *lib.* 2. *Card. Mantica dec.* 215. & 637. *par.* 1. Sunt verò conjecturæ Collegiatæ primo, quod Canonici consueverunt congregari ad libitum principalis dignitatis, & quod haberent commune sigillum, & communem arcam, & quod fructos communiter dividerentur, *cap.* 3. *loco de probationibus, cap. cum Ecclesia Sutrina de causa professionis, & proprietatis, cap. significavit de appell. cap. dilecta de excess. prælat.* tradunt *DD. in cap. nobis de jure patron.* ubi *Abbas num.* 28. *Rota decis.* 175. & 215. & apud *Gregorium XV. decis.* 482. *Mascard. decis.* 584. Ad constituendam verò collegiatam numerus sufficit trium Canonicorum, *Innocentius in cap. postulasti, de patron. Rota* apud *Cavalerium decis.* 649. *Rota* apud *Coccinum decis.* 296 *Mascardus ubi supra*, & præcipua conjectura est, si adsit in Ecclesia aliquis uti caput, & Clerici, vel Canonici, uti membra; *Mantica decis.* 215. & 175. non tamen requiritur, ut omnes tales conjecturæ simul concurrent, sed sufficit aliquas adesse, ex quibus id argui possit, & verisimile creditur, *Rota decis.* 584. *par.* 4. *divers.* non tamen est sufficiens actus congregandi se ad sonum campanæ, nisi alia signa concurrant, ad faciendum collegium necessaria, *Verallus decis.* 295. *Gonzalez regul.* 8. *glossa* 19. *Bellarminus in addit. ad Gregorium XV. decis.* 982. *litt. C.* est tamen quæstio, quæ sit collegiata insignis? & prima opinio dicit, ex multitudine Canonicorum, magnis redditibus, & similibus probari collegiatam esse insignem, *Cardin. Mantica decis.* 175. *Menochius casu* 158. Alij verò universaliter dicunt dici insignum ad arbitrium Episcopi; undè dicit *Rota*, esse insignem quadam collegiatam, quæ erat in oppido focul ariorum 800. *Massobrius de Synodo Episcopi, cap.* 4. *dub.* 14. *Barb. in cap. ultimo, de verb. signif.* & locum insignem quem esse, dicit, *Navarrus cons.* 1. *alias* 30. *de verb. signific.* præcedit verò collegiata insignis aliis antiquioribus, ut dixit Sacra Rituum Congregatio, *Barb.* 2. *cap.* 6. *in fine.*

Matrix autem Ecclesia licet propriè dicatur Ecclesia Cathedralis, *cap. venerabili, de verb. signif.* dicitur etiam Ecclesia, quæ habet alias Ecclesias sibi subjecta, quasi aliarum Ecclesiarum mater, quæ cognosci debet secundum subjectam materiam, *Abbas in dict. cap. venerabili, num.* 2. *Rota dec.* 272.

Baptismalis verò Ecclesia dicitur etiam matrix, secundum *Glossam in Clemen. unica de Baptismo in verb. matrimon. & in Clementina* 1. *de sentent. excommunic.* quia sicut mater generat, sic illa regerat per Baptismum

Parochialis Ecclesia illa dicitur, in qua populus eidem deputatus, sub certis locorum finibus constitus degit; enumerat verò quatuor requisita, *Rota par.* 2. *decis.* 52. *Zerola in praxi par.* 1. *in verbo parochia*, §. 1. *Mascardus de probationibus, conclus.* 469. *Gonzalez in regula* 8. *Glossa* 6. *num.* 34 qui latè tradunt, quando Ecclesia probetur parochialis. Qui verò asserit, Ecclesiam esse parochialem, tenetur id probare, eo, quia beneficia præsumuntur simplicia, non curata. *Gabriel cons.* 191. *lib.* 1. quando verò beneficium habet populum, vel Clerum, præsumuntur Ecclesia curata, *Seraphinus decis.* 2127. Quando verò Episcopus possit constituere novam parochiam. Legas *Ugolinum de potestat. Episcopi, cap.* 53. qui Episcopus poterit certos terminos, & confines statuere parochiis, *Ugolinus* §. 2. *caput.* 54. *Tridentin. sess.* 24. *de reformat. cap.* 13. & posse Episcopum profanare Ecclesias parochiales ad præscrip-

præscriptum, *Concilij Trid. sess. 21. cap. 7. de reform.* censuit Sacra Congregatio de anno 1631. de qua *Barb. lib. 2. de jure Eccles. cap. 1. in fin.*

In §. Construuntur cum sequenti.

AD intelligentiam sciendum est primo, quod constituere Ecclesias dicitur opus necessarium, & religiosum, *Spino in speculo testam. gloss. 3. num. 5.* undè Hærodes Agrippa volens haberi pro Pio, templum jussit construi. Nullus verò potest Ecclesiarum ædificationem impedire, quia derogabit Ecclesiasticæ immunitati, *cap. ultimo, de Eccles. ædific.* sic defendunt Collegium Bononiense pro libertate Ecclesiæ contra Venetos, *n. 43.* Patres Theologi religionis servitorum in defensione censurarum Pauli V. *Philippus Maynardus de privil. Eccles. contra Venetos par. 2. art. 24. Antonius Bovius, Ferdinandus de Pastidia, Jognamus, Comitulus, Valenzueli,* & alij contra Venetos, & licet à Valente, & Theodosio Archadio Imperatoribus fuerit prohibitum Ecclesias ædificari sine Principis licentia. *l. nemo, C. de religiosis, & sumpt. fun.* hoc tamen fecerunt de facto, & ideò posteà fuit revocatum à Justinano ex *l. Sancimus, §. si quidem, C. de Episcopis, & Clericis.*

Sciendum secundo est quod novam Ecclesiam construere quilibet potest duabus conditionibus observatis, scilicet ut alteri Ecclesiæ non inferat præjudicium, & ut superioris adsit auctoritas, absque ea enim nequit Ecclesia ædificari, *cap. nemo, c. placuit de consecr. dist. 1. c. ad hæc de religios. domib. cap. cum de privil. §. si quis autem. Authen. de Eccles. titulis, Barb. allegat. 26.* quæ licentia sufficit tacita, veluti si sciat Ecclesiam construi, & non impediverit, nec contraxarit, cum tamen potuisset, *Barb. nu. 2.* & sufficit si accedat Episcopi consensus post Ecclesiam constructam, & potest Episcopus dare licentiam ædificandi novam Ecclesiam, etiam si in alterios præjudicium id fiat *cap. ad audientiam 3. de Eccles. ædific. Bonius conf. 184. volum. 2. Menochius conf. 477.* & colligitur ex *Triden sess. 21. cap. 4 de reform. Piasecem in praxi, par. 1. cap. 5. Riccius in re solut. 467. par. 2. in magnis. Rota par. 1. dec. 484.* ubi habetur, licentiam faciendi novas parochias esse concedendam, quoniam incommoditas populi adest, ex *d. c. 3.* quando verò solus curatus eodem tempore plurimis infirmis producere non potest, tunc non datur justa causa dividendi Parochiam, sed datur conductor, *Rota dicta decis. 484.* Legas *textum in cap. præcipimus 16. quæst. 1. & cap temporis eadem causa, & quæst.* sicut ex multis causis duæ uniri possunt, *cap. temporis, cap. unico, §. fin. 10. quæst. 3.* quod si sine causa, & auctoritate Pontificis in alterius præjudicium Ecclesia sit constructa, est destruenda, si præsertim præcessit nova operis nunciatio, *cap. 1. & toto tit. de novi operis nunciatione.*

Sciendum est 3. quod superior, qui dare debet licentiam ædificandi, est Episcopus Diœcesanus, nisi sit locus exemptus ubi fundatur, quia in illo non potest sine auctoritate Sedis Apostolicæ, *cap. de locorum cum sequenti*, ubi *Glossa, & DD. de consecr. dist. 1. cap. auctoritate de privileg. in 6.* aliàs totum acquiritur Episcopo, cum fructibus, *Barb. allegat. 26. num, 3.* sed in locis non exemptis requiri ur Episcopi auctoritas, etiam si persona ædificans sit exempta, *dict. cap. auctoritate, DD. d. cap. cùm olim,* quod si quis fundat Ecclesiam in alieno solo insció Domino laico, debet Dominus servari indemnis ab eo, qui fundavit, & Ecclesia remanet libera, nec fiet laico censualis, sed solum erat alterius Ecclesiæ, vel personæ, ecclesiasticæ, ecclesia constructa erit jurepatronatus subjecta, *cap. Apostolicos, in fine 12. quæst. 2. cap. si quis 16. q. 5. cap. quæsiti sunt 17. quæst. 4.* nec solum tenetur ædificans in alieno solo, sed etiam ille Episcopus, qui fuit negligens in veritate indaganda, *Arg. cap. compertum 14 quæst. 6.* Quod si sciente Domino, nec contradicente factum fuerit, ecclesia remanebit libera, *arg. cap. si servum 54. dist.*

Sciendum est quartò, quod in ecclesia ædificanda debet Episcopus Civitatis, vel alius de sua licentia accedere ad locum, *cap. pia mentis, cum sequent. 16 quæst. 7.* & atrium publicè designare, ibique Crucis signum effigere, & ponere primum lapidem, *dict. cap. Nemo ubi glossa de consecr. dist. 1. Authent de Eccles titulis, §. si quis autem voluerit, §. illud igitur, Authent. ut nullus ædificet Oratorij domos, cap. de monachis 18 quæst. 2 cap. verè 16. quæst. 1. cap. quidam 18. quæst. 2. Azorius par. 2. lib. 9. cap. 3. quæst 4.* qui etiam dicit posse Episcopum compelli, si noluerit per se, vel per alium primarium lapidem ponere sequitur, *Barb. d. allegat. 26.* & debet semper ecclesiæ caput Septemtrionem respicere, *Nazianzenus Epist. 66.* & cæpit talis origo ab Apostolis, *Tostatus super Matthæum, cap. 6. quæst, 91. Turrianus lib. 2. in Epistolis Pontificiis, cap. 19.*

Tenetur Episcopus à construente habere dotem pro necessariis ecclesiæ, *dicto cap nemo, cap. 1. de censibus, Glossa in cap secundum Canonicam 23. q. 8 Azorius & Barbos ubi supra,* alioquin si Episcopus permittat, Ecclesiam fundari sine dote, tenetetur de proprio dotare, *cap cum sicut juncta Glossa de consecrat. Ecclesiæ, vel altaris, Barbosa allegat. 64.* quæ dos appellatus mansus *dict. cap. 1. de censibus,* id est tanta pars agri fertilis, quantam par bovum colere potest, & in *dicto cap. 1.* accipitur pro titulo, qui constituitur in præbendis, vel possessionibus, quibus dotata est Ecclesia, *DD citati,* Ecclesiæ regularium possunt sinè dote ædificari, *DD citati.* Ritus verò consecrandi ecclesias à Beato Sylvestro Papa, fuit habitus, *DD citati*, hæc tamen consecratio non requiritur, ot divinacelebrentur in ecclesia quia tamen in ecclesia benedicta possunt celebrari, *D D. citati.* Hanc consecrationem non potest simplici Sacerdoti demandare, *cap. aqua de consecrat. Eccles vel Altaris, Ugolinus num. 28* & olim non potest consecratio fieri sinè licentia Sedis Apostolicæ, *cap. de locorum, cum sequenti, de consecrat. dist. 1.* quod si nolit Episcopus accedere ad Ecclesias regularium consecrandas, poterunt ipsi Regulares per quemlibet Episcopum id facere *Portellius in verb. benedicere.* In consecratione prædicta prævenbitur, ut dicatur missa, *cap. omnes Basilicæ de consecrat. distin. 1.* & si aliter fiat licet non careat culpa factum, tenet *Barbos. alleg. 27 num. 10.* Neque debet aliquid recipere pro consecratione: spontè tamen à non indigentibus poterit recipere, *cap. cum sit Romana,* ubi *DD. de simonia cap. statuimus, il 1. quæst. 1.* docet ut fiat die festivo consecratio, licet possit fieri omni tempore, *cap. tua de consecrat. Eccles. vel altaris, Piacesius in praxi, par. 1. cap. 5. Barbos. allegat. 27.*

Sciendum est quintò, quod Ecclesia consecrata non est iterum consecranda *cap. Ecclesiis 63. dist. cap. Ecclesiis de consecrat. dist. 1. cap. proposuisti, juncta Glossa cap. ligneis de consecr. Eccles. vel altaris, Barb. allegat. 27. numer. 12.* exceptis quibusdam casibus.

Primus est, quando nullo modo constat de consecratione, *cap. solemnitates, il 2. cap. Ecclesia, de consecrat. dist. 1.* quia in dubio est consecranda, si id

si id non probetur, vel nullum appareat consecrationis indicium, *Gloss in cap. proposuisti, de consecrat. Eccles. vel altaris, Azorius, par.* 1. *lib.* 10. Ecclesia enim consecrata non præsumitur, nisi probetur, *Costa de remediis subsidiariis, remed.* 116. *Mascardus concl.* 582. præsumitur verò consecrata, quando aliquo modo apparet, aut in libris Ecclesiæ, aut in lapide aliquo, *cap. fin.* 24. *quæst.* 2. vel si adsit testis aliquis etiam de auditu, *Mascard. concl.* 415. nisi adsit alterius interesse *Barb. alleg.* 27.

Secundus casus est, si parietes sint combusti, & exterius diruti, non verò si pavimentum, aut tectum destruatur, *cap. ligneis de consecr. Eccles.* Ideò si parietes ipsi igne decrustentur intus, & exterius, ecclesia censetur execreta, *Gloss. in dicto c. Ecclesiis, in verb. exusta, Piacesius in praxi par.* 1. *cap.* 5. *Miranda tom.* 2. *in manuali Prælatorum quæstion.* 39. *art.* 4. *concl.* 1. *Ugolinus de potestate Episcopi, cap.* 28. quia consecratio, & linitio fit in parietibus, *Glossa in d. cap. Ecclesiis, de consecr. dist.* 1. & eatenus est Ecclesia, quatenus est lapidum dispositio, ergo si totum tectum corruat integris remanentibus parietibus vel in totum, vel pro parte majori, ecclesia non censebitur execrata, *d. cap. ligneis. Azorius par.* 1. *lib.* 10. *cap.* 26. *quæst.* 12.

Tertius casus est, quando tota Ecclesia corruit, licet aliis lapidibus, vel eisdem refecta sit, quia non est eadem omninò, hinc extinguitur usus fructus navis vel domus si tota navis dissoluta, sit, & domus tota corruit, esto navis eisdem trabibus sit restaurata, & domus eisdem cementis sit restituta, *l. quod tamen, §. si autem dissoluta sit, ff. quibus modis ususfructus amittatur.* Demum consecratio ecclesiæ est quædam qualitas, & accidens quoddam, ergo sublata substantia ecclesiæ, censetur sublatum accidens consecrationis, argumento, *l.* 1. 2. *&* 3. *ff. de usufructu; Ugolin. cap.* 28.

Quartus casus est, ubi ecclesia per partes fuit refecta, quia licet eadem sit tamen est fictione, non rei veritate, sed in spiritualibus fictio non consideratur, tum quia consecratio fit per unctionem Chrismatis in parietibus, ergo illis sublatis, tolluntur unctiones, ergo non potest dici consecrata, neque obstat id, quod dicitur de oleo non consecrato, addito ad oleum consecratum, quo casu fit consecratum, *c. quod in dubiis de consecr. Eccles. &c.* quia illud procedit in illis rebus, quæ per commixtionem fiunt unum, quod hic fieri non potest, *Fagund. præcepto* 1. *lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 59. *Ugol. cap.* 28.

Quod si casus accidat, quod Episcopus consecrando Ecclesiam moriatur, est quæstio, an ab alio Episcopo sit supplendum? Et Responsio est, quod si moriatur Episcopus unctis jam duodecim crucibus sacro chrismate, tunc, quia perfecta est consecratio, non opus est alio supplemento, stat enim essentia consecrationis Ecclesiæ, in illis verbis, *Sanctificetur, & consecretur hoc templum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*; Et in benedicendis sacro chrismate duodecim crucibus: si ergo jam hoc facto moriatur Episcopus, non est iterum consecranda, vel aliquid supplendum; Secus verò si nihil tale perfectum sit; & sic accidente casu in Civitate Ulisbonensi ad religionem *Card. Bellarmin. decidit Sacra Congregatio, teste Barb. lib.* 2. *de jure Eccles. cap,* 2. *in fine.*

De Reparatione Ecclesiarum.

QUando Ecclesia minatur ruinam quocumque modo, tenetur eam reparare primo ille, qui percipit fructus ipsius, *cap. decernimus*, ubi *gloss.* 10. *quæst.* 1. *cap. unico* 10. *quæst.* 3. *cap.* 1. *ubi glossa de Eccles. ædificandis, ubi Abbas, Hostiensis, & alii. Bellectus par.* 1. *de Clerico debitore, §.* 13. *n.* 11. & sic beneficiati, Rectores, & similes *cap. ultimo de his, qui fiunt à majori parte capituli*, etiam si sint beneficiati simplices tenentur contribuere, quos beneficiatores teneri etiam ad pluvialia, Calices, & alia ornamenta tradit, *Surdus decis.* 61. *num.* 5. *Cavalcanus dec.* 24. *par.* 2. *Campanilis rubrica* 12. *cap.* 13. *num.* 19. *Bellectus ubi supra, §.* 14. *Salgadus de regia protectione to.* 1. *par.* 3. *cap.* 5. Intellige, quando non est consuetudo, quod populus teneatur ædificare, & reparare, attenditur enim in hac materia principaliter consuetudo, ut rescripsit Sacra Congregatio Civitati Cavæ, non teneri populum, sed Episcopum *Maranta cons.* 58. *Campanilis, Salgadus, & alii*, Ecclesias parochiales tenentur reædificare Rectores ipsorum, *cap. de his de Eccles. ædific.* ad quod possunt cogi, *Trident. sess.* 21. *cap.* 7. *de reform. Riccius decis.* 255. *par.* 2. *Bellectus in tit. de bonis Clericorum, §.* 14. *Salgadus ubi supra cap.* 5. *Conitolus lib.* 1. *quæst.* 82. *concl.* 3. *&* 5. quod si Ecclesiæ Rector non habeat tot redditus, quibus præstare possit talem reparationem, tunc tenentur parochiani in tali Ecclesia Sacramenta suscipientes, *Abbas cons.* 70. *par.* 1. *Bovadilla in Politica lib.* 3. *cap.* 5. *Guttierez allegat.* 10. *Campanilis ubi supra, & Salgadus*, & quando non supersunt, potest deveniri ad pecuniam universitatis, & ea deficiente, debet deveniri ad collectam inter vicinos.

Cathedralem tenentur Episcopi reficere ex suis redditibus, ad quod compelli possunt, *cap. decernimus* 10 *quæst.* 1. *Rota decis.* 627. *par.* 1. *in Recentior.* & si redditus non sufficiunt, compelli possunt canonici, *cap. fin. de his, quæ fiunt à majore parte capituli*, & si simul juncti non sufficiunt, alii inferiores Clerici cogi poterunt, & posset Episcopus deputare fructus beneficiorum vacantium, *Rota ubi supra*, vel distributiones quotidianas deficentium *Rota par.* 2. *dec.* 325.

Locus sacer non est in usus profanos convertendus, *cap. quæ semel, cap. quoniam* 19. *quæst.* 3. *cap. adhuc de religiosis domibus*, & si contingat Ecclesiam, aut monasterium destrui, ligna, & lapides ejus loci non debent ad aliud opus converti, quam ad aliam Ecclesiam, vel monasterium, *cap. ligna de consecr. dist.* 1. *glossa in d cap. quæ semel*, & dicitur ibi, esse in conquina monachorum comburenda, quod si in usus profanos convertatur, non est peccatum mortale, *Diana par.* 5. *tract.* 12. *resol.* 76. De cura reparandarum Ecclesiarum, legas *Trident. sess.* 21. *cap.* 8. *de reform.* De pollutione Ecclesiæ, agam in 4. *libro tit.* 5. *de sacrilegio* in fine.

TITULUS XIX.

De Unionibus Ecclesiarum.

POst quam Ecclesiæ sunt constructæ contingit interdum uniri inter se, justa existente causa, merito ponitur hic titulus. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quod unio, de qua hic, est duarum, vel plurium Ecclesiarum, aut beneficiorum ab Episcopo, vel alio superiore facta annexio: dicitur unio, quia ex duobus, vel pluribus, fit unum, *Joannes Baptista Caccialupus de unionibus art.* 1. *Rebuff. de unione beneficiorum in principio, Garsia par.* 12. *cap.* 2. *Ugol. de potestate Episcopi par.* 2. *cap.* 52. *Azorius lib.* 6. *cap.* 39. *Sanchez tom.* 2. *in summa lib.* 7. *cap.* 29. *num.*

num. 145. ubi nomine Ecclesiarum intelligitur Episcopatus, nomine autem beneficiorum intelliguntur quæcumque alia beneficia majora, vel minora, regularia, vel sæcularia, & dignitates, fit verò vel ad tempus, vel in perpetuum, dicitur perpetua quando due Ecclesiæ ità uniuntur, ut perpetuò sint tales, *cap. exposuisti de præbendis*, *Rebuffus ubi supra n. 7. Hoisda de incompatibilitate beneficiorum par. 2. cap. 3.* vel quando dicitur ad perpetuam rei memoriam, vel ad beneplacitum Sedis Apostolicæ, *cap. si gratiosè de rescriptis in 6.* & dicit *Sanchez ubi supra*, esse perpetuam, quando dicitur (in perpetuum unimus) temporalis unio est, quæ ad tempus est facta, & est illa, quæ fit contemplatione personæ non autem Ecclesiæ, vel beneficij, mortua enim persona unio expirat, *cap. novit vers ne plus evenisset, ne sede vacante, cap quoniam de officio delegati. Rebuffus de union. beneficiorum num. 9. & 10.* in dubio vero censetur unio perpetua, facta scilicet favore, Ecclesiæ, ejusque contemplatione, *cap. requisisti de testam.*

Sciendum secundo est, quod tribus modis fit unio *glossa in cap. & temporis 16. quæst. 1. in verbo unire, & in cap. 1. ne sede vacante, Rebuffus de unionibus nu. 11. Garzia par. 11. cap. 21. de beneficiis, Sanchez ubi supra.* Primo modu fit, quando ex duobus beneficiis unum fit, *cap. decimas 16. quæst. 1.* quæ unio operatur, ut privilegia uni concessa, competant altari, & si sunt contraria, meliora, & favorabiliora conservabuntur, *Garzia cap. 2. n. 10.* & Canonici, qui sunt in una ecclesia censentur esse in alia, & faciunt unum corpus, *Garzia dict. cap. 1. num. 11.* beneficia unius Ecclesiæ, censentur esse alterius, *Card. Puteus decis.* 433. lib. 1.

Secundo modo fit unio, ut una Ecclesia alteri subjiciatur, seù unum beneficium alteri accessoriè, & tunc unum est principale, & unitum est accessorium, quod mansit extinctum *DD. in cap. cum accesserint de constit. glossa in clementina per litteras de præben. Garzia par. 3. cap. 2. num.* 510. quo casu ad plura notabilis inferunt *DD. primo ad textum in cap. 1. de filiis præsbyterorum in 6.* ubi prohibitio Episcopo facta cum illegitimis dispensandi, non ad parochiales Ecclesias, aliaque beneficia curata, non intelligitur de connexis accessoriè, *Gratianus cap. 273. num 43. Campanilis rubric. 11. cap. 13. nu. 83. Barb. allegat. 45. num. 24.* qui dicit licere Episcopo spurium ad beneficium simplex promovere, cui accessoriè est annexa Parochialis, vel alterum beneficium curatum conjunctum, quia Parochialis per connexionem cum beneficio non curato amisit titulum, & nomen, ac conditionem, *Garsia par. 11. cap. 5. num. 195. Navarrus consil. 10. de major. & obedien.* ex illa juris regula, quod accessorium sequitur naturam principalis quod procedit etiam si ipsum accessorium sit magis dignum, & pretiosum, quàm ipsum principale, cui annectitur, *Card. Iict. A. concl. 76. num. 26.* Secundò inferunt *DD. ad textum in cap. licet de elect. in 6.* ubi habetur obtinentes parochiales Ecclesias debere attingere 25. annum, & infrà annum ordinari, quæ dispositio non procedit in parochialibus unitis accessoriè, *glossa ibi in verb. parochialis*, quia id quod accedit ad alterum, sequitur naturam ejus, cui accedit. Ideò decidit Sacra Congregatio, sufficere provisum habere eam ætatem, quæ requiritur ad obtinendum beneficium, in quo fuit provisus, & cui accessoriè parochialis accedit *Gallectus in margarita casuum conscientia in verb. canonicus il quinto, & in verb. Parochus Gonzales in regul. 8. Cancell glossa 9. Garsia par. 12 cap. 2. num. 26. Riccius in praxi resolut. 512. in magnis.* Tertio inferunt *ad textum in cap. si motu proprio de præbend. in 6.* dum dicitur quod quando alicui confertur à Papa beneficium fieri debet mentio de alio, si quod habeat, alias gratia est subreptitia, quod non procedit in beneficio unito accessoriè, quia sufficit si solum in impetratione fiat mentio de principali, *Rota decis. 786. par. 1. divers. glossa in cap. Gratia de rescriptis in 6. in verbo de jure, Garsia dicta par. 12. cap. 2. num. 20. & par. 5. cap. 1. nu. 170.* nec in unitis accessoriè requiritur concursus, licet sint Parochiales, *Gallectus in verb. beneficium Barb. de potestate Episcopo alleg. 6. num. 25.*

Tertio modo fit unio duorum beneficiorum, vel Ecclesiarum æquè principaliter utraque manente; ut prius erant, & tunc utraque erit principalis, & suis gaudebit privilegiis, *glossa in dict. cap. & temporis 16. quæst. 1. in verbo unire, & in dicto cap. 1. ne sede vacante in verbo uniendo, Gratianus cap. 655.* ubi disputat an pro Episcoparibus duobus unitis, unus sit constituendus Vicarius generalis, & multas observationes in Episcopatibus unitis refert *Augustinus Barb. lib. 3. de jure ecclesiast. cap. 16. in fin.*

Sciendum est tertio, quod Episcopus potest facere quascunque uniones, etiam si illæ sint reservatæ à Pontifice, expectato præjudicio, scilicet ut non statim habeat effectum, sed postquam illud dimiserint, post alios, *Garsia p. 12. cap. 2. num. 91.* præterquam si reservatio beneficij esset perpetua respectu collationis illius, à Romano Pontifice semper faciendæ, ut in prima dignitate Ecclesiæ Cathedralis, quæ semper remanet reservata per regulam Cancellariæ, *DD. ubi supra*, ideò non potest uniri per Episcopum, *Garsia ubi supra num. 92.* Possunt tamen uniri per Episcopum omnia beneficia simplicia, etiam antequam vacent sinè tamen præjudicio illorum, qui ea obtinent, & potest ea unire seminario, etiam si sint reservata, vel affecta *Trident. sess. 23 de reform cap. 18. Riccius in prax. par. 1. in magnis decis. 383. & 610. Barbosa alleg. 77. num. 29.* ea verò, quæ spectant ad collationem infariorum, vel canonicatus, vel beneficia juris patronat. etiam Ecclesiastici, vel reservata Sedi Apostolicæ, post ipsorum vacationem uniri non possunt per Episcopum seminario, *Molsesius tract. 6. cap. 14. à nu. 62. Garsia dict. par. 11. cap. 2. num. 102.* neque potest unire Episcopus beneficia litigiosa seminario, *Garsia par. 1. cap. 5. num. 155* Parochiales Ecclesias nequit Episcopus unire monasteriis. Abbatiis, seù aliis præbendis, *Trident. sess 24. de reform. cap. 13. Riccius in praxi par. 1. resol. 383.* benè tamen poterit Episcopus beneficium suæ Diæcesis alicui beneficio unire, dummodò beneficium non sit extrà diæcesim, ubi est monasterium, *Trident. sess. 14. de reform. cap. 9.* secundo dummodo beneficium illud, uniendum, non sit curatum, *Trident. dict. sess. 24. de reformat. cap. 13.*

Ex quo collige solum Summum Pontificem posse unire Episcopatus, *cap. sicut unire de excessibus prælatorum*, qui etiam potest unire omnia alia beneficia, *Garsia par. 12. cap. 2 num 60.* Episcopus potest unire beneficia, & Ecclesias suæ Diæcesis, *d. cap. sicut. Garsia ubi supra*, exempta non potest unire, nec ad tempus licitum est Episcopo unire, *Garsia num. 84.* Vicarius generalis Episcopi non potest unire, nisi specialiter ab Episcopo sibi committatur. Capitularis Vicarius potest ea unire, quæ Episcopus poterat, ad quem transeunt omnia jura Episcopalia *cap. unico de majorit. & obedien. in 6.* unio verè prædicta est jurisdictionis. Archiepiscopus verò potest unire beneficia in sua Diæcesi, sed nequit unire beneficia in Diæcesi suffraganeorum, ex *dict. cap. sicut unire*, quia nullam habet jurisdictionem ibi, nisi in aliquibus casibus à jure expres-

expressis, *Abbas in dict. cap. sicut unire num.* 4. *Sanchez ubi supra cap.* 29. *num.* 156. Abbates, atque alij Prælati Episcopo inferiores, licet habeant facultatem conferendi beneficia, non possunt tamen uniones, facere, nisi hoc eis competeret ex Privilegio, vel præscriptione immemorabili, aut quatragenaria cum titulo, *glossa in Clem.* 1. §. *adhæc de statu monachorum in verb. ordinarios. Garsia dict. par.* 12. *cap* 2. *num.* 71. Sed si tales Abbates, seù Prælati Regulares haberent Jurisdictionem quasi Episcopalem in Diæcesi, tunc possent id facere: quia verò unio est quid facti, ideò probari debet ab eo, qui factam esse, asserit: *Menoch. lib.* 6. *præsumpt.* 80. Sed probatur unio per instrumentum, seù litteras unionis? *Mascardus conclus* 587. *Zerola in verb. unio*, §. 8. *Garsia par.* 12. *cap.* 2. *à num.* 226. Probatur ex testibus de publica voce, & fama; *Rota decis.* 626. *par.* 1. & 724. *par.* 4. *in recensioribus*, Ille verò potest unionem dissolvere, qui eam fecit, *Garsia par.* 12. *cap.* 2. *à num.* 310.

Sciendum est quarto, unionem fieri posse ex causa, aut necessaria, vel utilitatis Ecclesiæ, *cap. exposuisti de præbend. Garsia par.* 12. *cap.* 2. *nu.* 108. *Sanch. in Summa tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 29. *nu.* 161. est necessitas faciendi uniones, quando duæ Ecclesiæ, vel præbendæ sunt adeò tenues, ut ad victum duorum Rectorum non sufficiant: hoc enim casu potest earum unio fieri, nisi aliud obstet, *cap. unio* 10 *quæst.* 3. *cap. postquam* 16. *quæst.* 1. *Clem ne in agro*, §. *adhæc de statu Monachorum*, *Trid. sess.* 21. *de reform. cap.* 1. quando autem, & quæ Ecclesia dicatur pauper, & tenuis, relinquitur arbitrio Judicis, *gloss in authen. præterea*, *C. unde vir*, & *uxor*, Si Ecclesia sit ab hostibus destructa, poterit alteri uniri, *cap.* 2. *de religios. domibus.* Denique Ecclesiarum vicinitas, aut populi decrementum, vel incommodum, religionis quoque deformitas, & mutatio temporum necessitatem plerumque tribuit uniendi, *cap.* 1. *cap. fin.* §. *hostilitatis* 25. *quæst.* 2. Dicitur utilitas quando propter fructuum tenuitatem non inveniuntur Clerici idonei ad deserviendum, *d. cap. exposuisti*, *cap.* 1. *nè Sede vacante Ugolinus cap.* 52. vel ut divinus cultus augeatur *cap ex parte de constitut.* Ideò requiritur in unione causæ cognitio ab ordinario, ex quo.

Infertur, requiri in unione facienda per Episcopum, ut citentur illi omnes, quorum interest *Clemen* 1. §. *adhæc de statu monachorum* non tamen est vocanda plebs, licet videatur quodam modo interesse pati, quia interdum laborat contra sua propria commoda, *Garsia ubi supra num.* 219. si verò justam causam habuerit, eamque allegaverit, audiri debet; neque est vocandus possessor beneficij, aut si vacet, defensor illius; sed eis non citatis, poterit Episcopus facere unionem, *Clem.* 2. *de reb. Eccles.* non alienando *Garsia par.* 12. *cap.* 2. *num.* 214. & *sequenti*, quia nullum infertur damnum possessori, donec ipse morte, vel alio modo amiserit beneficium, *cap. consultationibus de donat.* Neque dicas, præjudicium sibi generari, quia impeditur, nè cum alio permutari valeat, vel nè in gratiam alterius illi renunciet: Respondetur enim tale præjudicium non esse considerabile, & quod illa permutatio, & resignatio pendeat à voluntate superioris, & sint modi extraordinarij acquirendi beneficia, ergo tale beneficium debet cedere utilitati communi.

Secundo requiritur in tali unione facienda per Episcopum consensus Capituli Ecclesiæ Cathredadalis, *d Clem.* 2. *de rebus Eccles. non alien.* Sed de consuetudine non requiritur, *Garsia par.* 12. *cap.* 2. *num.* 52. *cum sequentibus.*

Tertio requiritur, consensus patroni sivè Ecclesiastici, sivè laici *Clem. unica*, §. *adhæc de statu monachorum Trid. sess.* 24. *de reform. cap.* 15. ibi *cum patronorum consensu*, sequitur *Boerius decis.* 345. *ubi supra num.* 202.

Ultimo nota, quod defectu harum solemnitatum sit ipso jore unio irrita in tribus casibus, quorum primus est, quando non citantur illi, quorum interest, quos necessario citandos esse diximus supra, secundo quando sit unio non præmissa cognitione causæ; quod si Ordinarius dicat, adhibuisse causæ cognitionem, & solemnitates requisitas, & reperiisse esse veras, standum est ejus assertioni, & præsumendum est pro unione, donec contrarium probetur, etiam si processerit, parte non citata, & non vocata, quia nullus aderat, qui debebat vocari, *Garsia dict. cap.* 2. *num*, 126. quod intellige quando causæ, & solemnitates requisitæ in specie exprimuntur, secus si in genere, tertius casus est, quando non exprimitur verus valor beneficij uniendi, ut in *regul.* 22. *Cancellaria de unionibus.*

Sed est quæstio, quid si in cæteris sit servata debita forma, sed ex falsa causa sit impetrata?

Respondeo; quod aut est impetrata unio à Papa ex falsa causa & est ipso jure irrita, quia in rescriptis Pontificis intelligitur causa (si præces veritate nitantur) *cap.* 2. *de rescriptis*, *Bellamera decis.* 677. *in fine*, *Cassadorus decis.* 1. *cap.* 2. *num.* 115. qui ampliat etiam si unio sit facta motu proprio, sic si unio fiat per Episcopum, vel alium inferiorem Prælatum, est irrita, quia cum fiat unio ex causa necessaria, magis concernit justitiam, quam gratiam, sed inter rescripta gratiæ, & justitiæ hæc est differentia, quod Justitiæ per subreptionem obtenta, sunt ipso jure irrita, sed gratiæ sunt validæ, donec ope exceptionis ejiciantur, ideò non potest beneficium illud, ut vacans impetrari donec unio illa irritetur, *Azorius lib.* 6. *cap.* 8. *quæst.* 14. licet etiam facta per ordinarium esse ipso jure nulla dixerint plures, de quibus *Garsia d. cap.* 2. *num.* 113.

TITULUS XX.

DE IMMUNITATE ECCLESIARUM.

Titulus hic ad præcendentes tali ordine continuatur, visum est supra de multis pertinentibus ad Ecclesiam, verum, quia gaudet Ecclesia immunitate, merito ponitur hic titulus, qui concordat cum titulo decretalium sexti, *Extravagantium*, & *Clementinorum de immunit. Eccles.* & concordat cum *Trident. sess.* 25. *de reform. cap.* 2. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quod immunitas Ecclesiastica differt à libertate Ecclesiastica, eo quod immunitas ad Ecclesias, res, & templa pertineat, libertas verò Ecclesiastica ad personas pertinet, ità *Cajetanus in verb. immunit.* §. 1. *Gambacurta de immunit. lib.* 8. *cap.* 2. aliqui verò nullam faciunt differentiam inter unam, & aliam, ità *Covarr. lib.* 2. *var. cap.* 2. *Suarez de defensione fides lib.* 4. *cap.* 1. *per textum in cap. adversus*, ibi Ecclesias, & Ecclesiasticos ritus, & in *cap. non minus de immunit. Eccles.* ubi sit mentio immunitatis, quæ tam personis, quam rebus dicitur competere.

Scien-

Sciendum secundo est, quod immunitas Ecclesiastica est privilegium, vel beneficium pluribus ecclesiis venerabilibus locis, & ecclesiasticis rebus à Jure concessum. Dicitur privilegium, quia interdum datur contra Jus commune, dicitur beneficium, quia interdum datur secundum leges, & appellatur immunitas, quasi carena munere *cap. Ecclesia eodem tit.* est immunitas triplex alia personalis, alia realis, alia localis, & quidem personalis, ut dicunt multi, de quibus in titulo infrà de judiciis, est de jure divino, immunitas realis conceditur bonis clericorum. Immunitas localis, est, quæ conceditur Ecclesiæ.

In §. sæculares cum tribus sequentibus.

Conclusio horum jurium est, quod quædam sunt, quæ non possunt fieri nisi in Ecclesia, quædam verò, quæ in ea fieri non possunt: primi generis sunt sacramenta, sacrificium missæ, &c. quæ non in privatis campis, domibusque privatis, sed in Ecclesiis fieri debent, *cap. non oportet de consecr. dist. 1. Trident. sess. 22. de observ. & evitandis in celebratione Missarum, Valerus in verb. Missa, Barb. alleg. 25. cap. sicut de consecr. dist. 1.* sic prædicatio verbi Dei non nisi in Ecclesiis fieri consuevit, *cap. Sacerdotes cap. Episcopus nullum de consecr. dist. 1.*

E contra omnia negotia sæcularia, ut placita, & contractus in Ecclesiis non possunt fieri, *cap. cum Ecclesia hoc titulo*, & sic judicium sæculare etiam civile, non poterit fieri in Ecclesia, & per consequens nec citatio, quia est actus judicialis, *cap. quoniam contra de probat.* præsertim citatio personalis, vel realis, per capturam personæ, secus si sit citatio verbalis. *De Martinis cap. 44.* nec sententia in Ecclesia valet est enim ipso jure nulla, *cap. decet, §. fin. de immunit. Eccles. in 6.* & si criminalem de lerit Judex, fit excommunicatus, *cap cum Ecclesia hoc titulo, Suarez de relig. tom. 1. lib. 3. cap. 4.* Sed in causis voluntariæ jurisdictionis, valeret sententia, *Abbas in dict. cap. cum Ecclesia*, & à fortiori actus Ecclesiastici pertinentes ad voluntariam jurisdictionem possunt in Ecclesiis, celebrari, ut sunt promoveri aliquem ad doctoratum, & similia, *Sylvest in verb. immunitas Armilla eodem verb.* quæ verò spectant ad contentiosam jurisdictionem, licet fiant per personas Ecclesiasticas, strepitum tamen juris habent, quod in Ecclesia, prohibetur, *cap. qua fronte de appellat. cap. decet hoc tit. in 6.*

Sed petas, an actus facti jam in Ecclesia valeant? Respondetur, distinguendo tres casus.

Primus est, quando sunt facti ibi actus judiciales sæculares, & non valent, *dicti cap. decet, §. ordinarii*, ibi *communi omni carent robore firmitatis*, ubi annullantur solum processus judiciales.

Secundus casus est, quando sunt actus extrajudiciales sæculares, & tunc valent, quia constitutio solum loquitur de Judicialibus, & cum sit pœnalis non extenditur ad extrajudiciales, *cap. in pœnis de pœnis in 6.* undè omnes contractus celebrati in Ecclesia, cum sint actua extrajudiciales valent, *glossa in dict. §. ordinarii in verbo processus, Armilla in verb. immunitas num. 4.*

Tertius casus est, quando sumus in judicialibus Ecclesiasticis, & tunc habent suam firmitatem, licet sint contentiosi, prohibiti, ex eo enim quod sint Ecclesiastici, videntur esse condecentes ipsi Ecclesiæ, *Ludovicus Correa in d. cap. inter alia p. 2. numer. 27.*

Ex quibus omnibus infertur primo, in Ecclesia non posse fieri conclamationes, seditiones, aut impetus, & publica parlamenta, seu universitatum concilia, *dict. cap. decet de immunit. Eccles. in 6.* nisi fieret pro opere pio facienda, *Abbas in dicto cap. cum Ecclesia*, puta pro faciendo aliquo festo, instituendo aliquam confraternitatem, vel nisi tractarentur Ecclesiastica negotia, ut Synodum facere, tractare de libertate Ecclesiæ; nec possunt fieri ludi theatrales, *cap. cantantes, 92. dist. cap. cum decorem de vita, & honest. cleric. Paulus Tuschus de visitatione lib. 1 cap 26.* ubi monet Episcopos, ne permittant fieri in Ecclesiis theatra, & ludos, *Zirola in praxi in verb. repræsentationes*, cantus non debet fieri lascivus, *Trident. sess. 22. de observ. & vitandis in celebr. missar.* neque fieri possunt saltationes, & dum id facerent in Saxonia quidam in Ecclesia Sancti Magni, in pœnam per totum annum saltarunt sine cibo, & potu, *Pineda in Monarchia Eccles. par. 3. lib. 19. cap. 17. §. 1.* honestæ repræsentationes fieri permittuntur in Ecclesia, *argument. cap. semel Christus de consecr dist. 2. Sanchez de præceptis tom 1 lib. 2. cap. 37.* est legendus *Augustinus serm. 215. de tempore, & Chrysostomus homil. 38. ad populum Antiochenum.* Convivia cum irreverentia loci sacri non sunt permittenda, nisi in aliquo angulo, vel loco Ecclesiæ, ubi id fieri potest sine scandalo, & supponendo quod non possint alibi, *Suarez lib. 3. de religione de reverentia debita locis sacris cap. 6.* & vigilias illas, quas solitas fieri in Ecclesia dixit *Baronius in annotat. ad Martyrologium 15. Januarii cap. 15.* justis de causis sublatas referunt, *Covar. lib. 4. variar. cap. 9. num 10. Rota decis. 212. num. 13. Francolinus de horis canonicis par. 1 cap. 1. num. 8 Taschus lib. 1. de visitat. cap. 28. num. 8.* & nota *glossam in cap odi 14. quæst. 1.* quæ invehit adversus scholares qui vadunt ad templa videndarum fœminarum; cujus glossæ dictum extollunt plures relati per *Genedum in collect. ad sextum collect. 11.*

Infertur secundo, in Ecclesia non debere suppellentilia, seu utensilia domus reponi, nisi ob hostiles incursus, & repentina incendia, aliamque similem necessitatem, *cap. relinqui de custodia eucharistiæ, Fagundez præcepto 2. lib. 4. cap. 4 num. 10.* nec in ea debent sterni accubitus, *cap. non oportet cum sequenti 42. dist.* Imagines in honestæ ibi adesse prohibentur, ut in sexta Synodo Constantinopolitana *can. 200.* nec debent fieri propugnacula pro bello, nisi maxima possit necessitate, *cap. Sanctorum 10. quæst. 1. Abbas, & DD. in dict. cap Ecclesia de immunitate*, est defendenda armis amore castrorum, *cap. conventor, vers. horrebam 23. quæst. 8.* ubi *Archidiaconus*, & antiquitus neque sepeliebantur mortui, *cap. præcipiendum 13. quæst. 2.* Est pro immunitate Ecclesiæ legenda bulla Pij V. incipiente, *cum primum*, ubi præcipitur sub pœna 25 ducatorum eum puniri, qui strepitum aliquem in Ecclesia facit, dum Missæ vel conciones fiunt, & etiam vult Pius V. ut expellantur mendici, quidum dicuntur officia eunt mendicando; sed dicit reponi in janua Ecclesiæ, & regularibus sub virtute obedientiæ præcipit, ut teneant ad hoc deputatos aliquos, pro expellendis pauperibus, qui tempore Missarum, & Concionum eunt per Ecclesias mendicando.

In §. Sacrorum locorum usque ad §. personalis.

Agitur de immunitate locali. Ad cujus intelligentiam sciendum est, quod immunitas fuit in Ecclesiis eodem tempore inchoata, quo tempore cœperunt constitui templa solamni dedicatione, idest

idest tempore Constantini, *Suarez de religione lib. 3. cap. 9. num.* 12. fuis verò innovatum hoc privilegium, scilicet quod ad Ecclesias confugientes, non possent capi ab eis in *Concilio Toletano 12 anno Christi* 682. *Ludovicus Correa in dict. cap. inter alia par.* 1. *num.* 13. concordat *titulus C. de his, qui ad Ecclesias confugiunt*, & in *titulo Decretalium de immunitate Eccles.* & in Bulla Gregorij XIV. quæ incipit *cum aliàs nonnulli*, quæ bulla corrigit, jus commune, & consuetudines, ut patet ibi (omnia ad unam formam redigentes) sic dicunt *Riccius par.* 1. *decis.* 140. *& collect.* 1790. *Genuensis in praxi cap.* 17. *num.* 11. *Diana par.* 1. *tract. resolut.* ex his ergo dispositionibus colligitur, confugientes ad Ecclesias in casibus non exceptuatis per bullam, gaudere, ut extrahi non possint, & extrahentes varias pœnas incurrant, de quibus *Farinaceus de immunit. num.* 311. *Decianus lib.* 6. *cap.* 28. *Ambrosinus de immunit. lib.* 15. *Suarez de relig. lib.* 3. *Correa in cap. inter alia num.* 7. prima pœna erat de jure civili pœna mortis, *l. fideli*, *l. præsenti*, C. *de his qui ad Eccles. confugiunt*, *Guido Pancirolla variar. lectionum lib.* 2. *cap.* 181. quam pœnam sacri Canones approbarunt, *cap. definivit.* 17. *quæst.* 4. sed hodiè non est in usu, secunda pœna est pæcuniaria scilicet nongentorum solidroum pro immunitate violata, *cap. si quis contumax* 17. *quæst.* 4. *ubi glossa concordat cum textu in cap. si quis in atrio eadem causa & quæst.* circa personam, cui dare debent, & dicit, Prælato. Tertia pœna per sacros Canones imposita contra extrahentes ab Ecclesia est, quia si ad Ecclesiam confugiat, ea non gaudent, *cap. frater juncta glossa* ibi *ab omnibus*, & *cap. Episcopus* 27. *quæst.* 4. Quarta pœna est publica pænitentia, *cap. minor*, *& dict. cap. si quis contumax* 17. *quæst.* 4. arbitrio Episcopi taxanda quæ hodiè non est in usu, sicuti neque illa prima, & in *dict. cap. miror.* dicitur ut non recipiantur oblationes de domo illius, qui de ecclesia hominem extraxit. Pœnam pecuniariam in extractione fuisse impositam pro pænitentia, ut in terminis, *textus dict. si quis contumax*, invenio in Curia Archiepiscopali Mediolanensi per *Fulvium Chartarium decis* 64. & cum de hoc mirarentur ministri Regij, ipse se defendit doctè, & sic consulvi ego cuidam maximo viro. Sexta pœna est excommunicato, à qua non possunt absolvi nisi extractum restitoant, *cap. quisquis*, *cap. sicut antiquitus* 17. *quæst* 4. quæ excommunicatio de jure communi non incurrebatur ipso jure *Farinaceus de immunit. num.* 312. sed hodiè ex bulla Gregori XIV. *in* §. 10 ipso jure incurritur, & sic est probabilior sententia, incurri per Bullam prædictam excommunicationem latæ sententiæ, non ferendæ, *Gambacurta lib.* 8. *cap.* 4. *Correa in dict. cap. inter alia par.* 4. *Fulvius Cartharius decis.* 64. *per totam*, ubi dicit, esse latæ sententiæ. Absolutio hujus excommunicationis est quæstio, à quo sit habenda, prima opinio dicit, posse ab Episcopo, *Barb. allegat.* 51. *casu* 4. *num.* 72. *Genuensis cap.* 27. *nu.* 4. *Bonacina disp.* 3. *de legibus q.* 7. §. 6. *num.* 8. *Riccius in praxi par.* 2. *resolut.* 333. *Graffius lib.* 3. *cons. unico num.* 29. *de immunitat. Eccles.* qui respondent ad, id quod dicitur, esse talem excommunicationem reservatam in Bulla Cœnæ, nam ibi tantum excommunicantur illi, qui statuunt aliquid contra libertatem Ecclesiæ. Secunda opinio est, esse habendam à Pontifice tantùm, ità *Duardus in Bulla Cœnæ lib.* 2. *cant.* 15. *quæst.* 18. *Farinaceus de immunit. cap.* 2. *num.* 315. qui sic dicunt declarasse Clementem VIII. sequitur *Carolus Maranta par.* 2. *consiliorum cons.* 35. qui pluries fuisse decisum refert per Sacram Congregationem, esse casum Papalem, & latè probant, *Maranta respons.* 37. *Bordon. p.* 1. *resol.* 1. *nu.* 16. qui aiunt, non posse laicos spoliare hos confugientes ad Ecclesias armis, quæ deferunt, sed varum excommunicantur & tantum spoliantur ad evitandum evitanda ut vidi pluries practicari. Hanc immunitatem est quæstio, an liceat clericis defendere manibus, & pugnis? & dico id posse fieri absque ullo peccato, ut post multos defendit, *Michael Manriquez par.* 1. *resolutionum moral. resol.* 14. contra *Farinaceum cap.* 1. *numer.* 47.

Quæres primo, qui gaudeant immunitate Ecclesiastica.

Respondetur primò gaudere confugientes (exceptis casibus, de quibus infrà) etiam si sint Monachi, vel clerici, qui non poterunt à suo Judice extrahi pro delictis non exceptuatis, tum quia jura concedentia immunitatem, simpliciter loquuntur; non enim distinguunt inter laicum, & Clerium, ergo, tum quia Ecclesia, est propria domus clericorum, tum quia hæc immunitas non conceditur personæ, sed loco, ergo, & sic pluries contra Abbatem in *cap. inter alia de immunit. eccles.* referunt fuisse decisum per Sacram Congregationem *Diana par.* 1. *resol.* 24. *tract.* 1. *par.* 3. *de immunit. eccles. resol.* 35. & latè *Maranta par.* 2. *respons. responso* 51. latissimè *Augustin. Barb. lib.* 2. *de jure eccles. cap.* 3. *à nu.* 35. qui ad partes disputat, & hodiè non est amplius dubitandum stantibus pluribus declarationibus Sacræ Congregationis, de quibus supra citati, sequitur, *Bordon. variar. resolut. resolut.* 1. *numer.* 18. sed Neapoli & mediolani multisque aliis locis contrarium practicari dicit *Fulvius Cartharius decis.* 82.

Secundo gaudet immunitate confugiens ad sacerdotem, portantem Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, *Abbas*, & alij in *cap. sanè de celebr. missar. Tusch. in verb. ecclesia conclus.* 9. *Martus Italia cap.* 4. §. 4. contrà *Bonacinam disputat.* 7. *de legibus quæst.* 7. *part.* 4. nobiscum tenet *Diana par.* 1. *tract.* 1. *resolut.* 28. *Barb. ubi supra num.* 69. post alios, quos referunt, quia hic talis confugit ad auctorem veræ sanctitatis, ergo gaudere debet, *argumento textus in authentic. multo magis*, C. *de sacros. eccles.* & addit *Diana cum suis*, quod si quis à satellitibus fugiens, intraret in cubiculum, ubi esset sacerdos cum Sanctissimo pro communicando infirmo, gauderet immunitate, immò si per plateas Corpus Christi portaretur, & fugiens à satellitibus, se poneret inter illas personas quæ associarent, gaudet immunitate, etiam si non tangeret sacerdotem, vel hastam baldachini, quia omnes illæ personæ cum sacerdote representant unam Ecclesiam, *Peregrinus de immunitate cap.* 4 *num.* 19. *Marius Italia lib.* 1. *cap.* 4. §. 10. *num.* 8. quod si quis confugeret ad sacerdotem portantem oleum sanctum infirmis, non gauderet immunitate, *Riccius par.* 3. *dec.* 88. Sicut neque gaudat carceratus confugiens ad Sacerdotem portantem Eucharistiam in carceribus, *glossa in cap. quæsitum* 13. *quæst.* 2. *Riccius disputat.* 3. *dec.* 88. qui verò confugit ad reliquias sanctorom, vel ad eorum imagines, quæ processionaliter per plateas ducuntur, gaudet immunitate, ità *Ludovic. Correa in actio cap. inter alia num.* 24. *par.* 2. quia ratio

conceden.

concedendi immunitatem est reverentia Deo debita, sed eadem reverentia debetur reliquiis sanctorum vel eorum imaginibus (per participationem tamen) ergo, fequitur *Diana par. 4. de immunit. resol.* 48. unde infero; quod si quis vulneraret aliquem in actu processionis, sine tamen membri mutilatione, non potest extrahi à processione per Judicem laicum, sed est in Ecclesia reponendus, quia extractus à processione dicitur extractus ab Ecclesia, & sic fuit repositus quidam, qui taliter fuerat extractus à processione illa teste *Michaele ferro Mantiquez par. 11 resol. moral. resol.* 32.

Tertio gaudent immunitate confugientes ad Palatium Episcopi, *cap. id constituimus* 17. *quaest.* 4. *ubi glossa, Ambrosinus cap.* 10. *Bonacina de censuris disp.* 2. *quaest.* 3. *punct.* 16. *§.* 9. *Farinac. de immunit. num.* 269 *Diana resol.* 27. qui ampliant etiam si palatium non sit intra confines ad quadraginta passus, sed plus ab Ecclesia distet, licet contrarium teneant aliqui apud eos: est autem hoc privilegium concessum palatiis Episcoporum ob eorum reverentiam. Confugiens verò ad Palatia Cardinalium Romae existentia, non gaudet immunitate, quia eam abstolit Sixtus V. solum pro Urbe Romae, quare si confugiat quis ad palatium Cardinalis, Romae non existentis, gauderet communi *Peregrinus cap.* 4. *Diana resolut.* 37. *Barb. d. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 71. cum aliis quos referunt.

Quarto gaudebat antiquitus confugiens in circitu Ecclesiae per 40. passus si Ecclesia erat matrix, si verò inferior per 30. passus *cap sicut antiquitus, cap. frater, cap minor* 17. *quaest* 4 *Sylvester in verb. immunitas il* 3. *Ambrosinus de immunit. cap* 10. qui passus quilibet habet quinque pedes, & pes qnindecim digitos, *glossa in d. cap. sicut antiquitus in verb. passus Ambrosinus cap.* 10. Hodiè haec immunitas est sublata *Farinaceus ubi supra n.* 284. *&* 294. Qui ponit manus ad vectem Januae Ecclesiae gaudet immunitate *Consal. de Pace in practica Canonica* 1. *tom. par.* 1. *cap.* 3. *§.* 3. Sic confugiens ad Ecclesiam non dum consecratam, & ubi adhuc divina officia non celebrantur gaudet immunitate, *cap. Eccles. de immunit. Eccles. Peregrinus cap.* 4. *&* 19. *Marius Italia de immunit. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 8. dummodo auctoritate Episcopi sit fundata, & *text.* quando dicit in *d. c. Eccles.* ibi, *in qua divina ministeria celebrantur*, exponitur, idest celebrari possint, cum ad id Ecclesia apta sit, de communi *Italia ubi supra, & Farinaceus*, quos sequitur *Barb. dict. cap.* 3. *num.* 59. & in Curia Archiepiscopali nostra fuit decisum, gaudere quendam, qui confugerat ad furnum palatij Archiepiscopalis, *Riccius collect.* 1792. ob connexionem cum seminario, & palatio Episcopi, *Thorus de pia causa privil.* 185. *Sanfelicius decis.* 16. *&* 18. non tamen gaudet confugiens ad domos religiosorum, extrà claustrà existentes, ubi habitent saeculares titulo locationis, *Sanfelicius decis.* 136. dummodo hostium sit extrà claustrum, nam si sit per ostium intrà claustra aditus, vel intrà atrium Ecclesiae, tunc gauderent immunitate *Sanfelicius ubi supra*. Interdicta Ecclesia habet privilegium immunitatis, & etiam diruta, & destructa, etiam sinè auctoritate superioris, dummodò adsit spes reaedificationis, *Clarus in §. fin. quaest.* 30. *Ambrosinus cap.* 10. *Italia, §. num.* 13. *Farinaceus num.* 269. *Remigius de Ponte de immunit. ampliat.* 4. *Peregrinus de immunit. cap.* 4. *num.* 3. *Correa de immunit. par.* 2. *num.* 18. Caemeterium sivè conjunctum Ecclesiae, sivè separatum, auctoritate tamen Episcopi designatum, & sacratum obtinet immunitatem, *cap. cum Ecclesia hoc titulo, glossa in verb. caemeteria in cap. consuluisti de consecr. Eccles.* & habetur in Bulla Gregorij XIV. *Marius Italia cap.* 4. *§.* 7. *Farinaceus num.* 262. *qui n.* 264. ampliat etiam si caemeterium sit ab Ecclesia separatum *Ambrosinus cap.* 10. *num.* 5. *Anastasius Germonius de immunit. cap.* 16. *num.* 3. Atrium etiam Ecclesiae gaudet immunitate, *cap. si quis contumax* 17. *quaest.* 4. *Barb. ubi supra num.* 64., qui idem de Janua ipsius Ecclesiae. Claustra Monachorum gaudent immunitate ut ex Bulla Gregorij XIV. & aliis Privilegiis regularium fundat *Franciscus Bordonus variar. resolutionum resol.* 1. *num.* 1. qui appellatione Monasterij dicit venire claustra, dormitoria, cellas, refectoria, Capitulum, Noviciatum, hortum, aream, & loca pro famulis, hospitibus, habitationes, animalium, & similia, ad quae Rel giosi accedere possunt sine Superioris licentia, regulariter loquendo.

Quintò, gaudet immunitate confugiens ad Hospitale, auctoritate Episcopi fundatum, dummodò dicantur missae, & publicè, ut decisum in Collaterali, refert *Merlinus cap.* 65. Oratorium publicum si auctoritate Episcopi sit fundatum immunitatis gaudet privilegio fallit in oratorio privato, ut rescripsit Sacra Congregatio Episcopo Marsicensi, de qua *Barbos. d. cap.* 3. *num.* 68. *Maranta par.* 2. *consil.* 35. Est quaestio quid dicendum de domibus, seu villis, quas monachij habent recreationis causa, vel ad recipiendos hospides, an gaudeant immunitate? & responsio est non gaudere, *Gambacurta cap.* 4. *num.* 7. quia non conceditur immunitas domibus regularium, sed regularibus, sequitur *Barb. ubi supra num* 76. si verò satellites persequantur aliquem, ut eum capiant, & ipse se ponat in Ecclesia, non poterit ab ea extrahi, etiam si vicinus per vim ab eis aufugiens, ibi seponat, etiam si ab eis, quia forsan captus fuit aufugiat, aliquem vulneret in Ecclesia, ut se liberet ab illis, *Farinaceus cap.* 16. *num.* 227. quia post bullam Gregorii XIV. vulnus in Ecclesia commissum non facit perdere immunitatem, *Diana resolut* 13. nisi sit vulnus cum mutilatione membri, quod si quis ducatur ad carceres per medium Ecclesiae, non gaudet immunitate, si ibi se ponat, & nolit exire. *Diana resolut.* 30. Idem fuit practicatum in quodam, qui cum duceretur ad triremes, aufugit à satellitibus ad Ecclesiam, & Curia Archiepiscopalis Mediolanensis inclinavit non gaudere immunitate Ecclesiae, *Fulvius Carthariu decis.* 7. qui verò fractis carceribus ad Ecclesiam aufugit gaudet immunitate, *Giurba consil. criminal.* 30. *nu.* 31. *Diana resol* 40. contra multos, quos refert, quia non est casu exceptuatus in Bulla Gregorij XIV. & idem dicunt de condemnatis ad triremes, quod quidem apud nos non practicatur universaliter, legas *de Marinis cap.* 177. Si verò quis confugerit post delictum ad cortile illorum locorum, quae sunt sic fundata sine Episcopi auctoritate, ut est templum *Delle Paparelle, delle Scortiate &c.* non gauderet immunitate, *de Marinis cap* 179. *n.* 30.

Sextò, gaudet immunitate occidens clericum, *Peregrinus de immunitat. cap.* 12. *num.* 13. *Farinaceus de immunitate, cap.* 7. *num.* 113. retractans se à contraria sententia, quam docuerat *tract. de Carceribus, quaest.* 28. *numer.* 29. quia inter homicidia exceptuata in Bulla non repetitur hoc, ergo ubi lex non distinguit, *l. de pretio, ff. de publiciana in rem actione*, decisum refert *Sanfelicius decis.* 20. per totam, contrà *Barbos. dict. cap.* 3. *num.* 123.

Si verò quis existens in Ecclesia spontè, se tradit in manibus familiae laicae, renuncians immunitati, non valet renunciatio, quia non est principalis favor delinquentis, sed ecclesiae, *Mastril-*

lus decis. 169. De Marenis capit. 178. num. 4. habet ecclesia, veluti spoliata, interdictum de libero homine exhibendo, Gennensis in praxi, cap. 17. num. 6. De Marinis ubi supra, sed si sponte exiens ab ecclesia tradit se in manibus Curiae; id potest fieri: Farinaceus de immunitate, cap 19. nu. 304. Sperellus decis. 59. num 2. si verò qui falsis suasionibus Judicis, vel satellitum exit ad ecclesia, est in ea reponendus, ut accidit disputandum in Collat. Consilio in quodam existente in ecclesia, cui Judex dixi haec verba (venga sotto la parola mia se cosi li piace, perche la causa sua è niente, e non deve dubitare) quibus verbis confisus delinquens exit ab ecclesia, & ad carceres ductus contra eum acriter procedebatur, & petiit reponi in ecclesia; negavit M. C. sed concessit, & justè Sacrum Consilium ad relationem ipsius M. C. de Marinis cap. 178. esset etiam reponendus in ecclesia, qui ad corpus exhonerandum exit ab ecclesia, si inde capiatur, Sansel. decis. 137. sic referens, fuisse decisum.

Explicantur personae, quae non gaudent immunitate.

PRimo non gaudet immunitate confugiens ad ecclesiam, quando est latro publicus, dict. cap. inter alia, & in Bulla Gregorij XIV. Dicitur publicus latro, qui in viis publicis furatur, vel in mari, ut sunt piratae; dicitur etiam publicus latro, qui pluries furtum committit, licet in privatis domibus, quod valdè nota, & practicatum refert, Merlinus cap. 64. num. 7. Maranta par. 2. respons. resp. 47. Sansel dec. 137. per unicum tantum furtum, vel grassationem non privatur immunitate, Decianus, Peregrinus, Italia, & alij, quos refert, & sequitur Barb. d lib. 1. cap. 3. nu. 83. cum seq.

Secundo non gaudent nocturni depopulatores agrorum, d. cap. inter alia, & in bulla habetur: dicitur verò nocturnus depopulator, quis segetes in agris depredatur, comburit, &c. similia in comburente messes, absque animo deliberato licet culpa sua, Farinaceus num. 120. Sed quid de diurno depopulatore agrorum. Respondetur, quod attento textu in d cap. inter alia, gaudet, quia loquitur tex. nocturno depopulatore, sed attenta Bulla Gregorij XIV. verbum illud (nocturnus) non adest, unde procedit hodiè etiam in diurno agrorum depopulatore, legas Farinac. ubi sup. Barb. nu. 87.

Tertio, non gaudet immunitate mutilans alicui membrum in Ecclesia, cap. fin. ubi Abbas de immunitate Ecclesiae, & est casus exceptuatus per Bullam Gregorij, dicitur membrum mutilara, qui aufert partem corporis habentem distinctum officium ab aliis, de quibus Bonacina disputat. 3. de legibus quaest. 7. punct. 6. §. 2. num. 8. & diximus cum de irregularitate: ampliant multi in mutilante cadaveris membrum in Ecclesia, ut in terminis accidisse refert Boer. dec. 145.

Quarto, non gaudet occidens aliquem in Ecclesia, ut in juribus supracitatis, qui poterit capi, non solum in ea Ecclesia, sed in alia, si ad eam confugerit, quia unam offendit Ecclesiam, una anim est Ecclesia, unum baptisma, & uno regitur divino spiritu, ut in extravag. unam sanctam, de major. & obedien. Sylvester in verb. immunitas. H tertio, qui verò deliquit propè ecclesiam spe gaudendi immunitate, ea gaudet, quia sufficit si delictum non sit consummatum in Ecclesia, hoc enim solum est exceptuatum par Bullam Gregorij, Riccius par. 3. decis. 250. & ideò occidens, vel mutilans in scalis ecclesiae, in ostio, vel atrio gaudet immunitate quia haec omnia non veniunt appellatione Ecclesiae in materia odiosa, ut est illa de non gaudente ob occisionem in Ecclesia, & hoc pluries fuit practicatum, teste Riccio ubi supra, Maranta part. 2. responso 44. Sperello dec. 60. & 61. solum verò ab illi ignoratur, qui in nostro jure cannonico parum versati sunt: & de occidente in locis praedictis, quod gaudeat, legas Sanfelicius decis. 11. & idem Maranta responso 36. ubi de occidente in dormitorio, & Sperellus, loquitur de occidente in Sacristia sub spe gaudendi, & dicit, quod gaudet, quando Sacristia non facit unum corpus, cum Ecclesia, scilicet, quando inter ipsam, & ecclesiam mediat paries, Argumento, textus in cap. unico de confecr. Eccles. in 6. ubi colligitur parietem distinguere, ut res divisae dicantur, teste Gloss. ibi, in verb. pariete, ex quo à fortiori gaudet, qui in mansionibus occidit contiguis cum Ecclesia, sed pariete intermedio, Sperellus loc. cit.

Ex quo infertur, quod si quis existens in Ecclesia, vel in aliquo monasterio ex fenestra alium occidit existentem extrà Ecclesiam projiciendo sagittam, vel aliquid aliud in alium existentem extrà Ecclesiam, Immunitate gaudet, quia tale homicidium non est consummatum in Ecclesia, Gregorio verò XIV. exceptuavit solum homicidium commissum in Ecclesia, ità contra multos tenet Bonacina disput. 3. quaest. 8. p. 6. nu. 8. quia cum simus in materia odiosa, & in paenalibus non sunt dicta verba intelligenda, nisi de occidente in Ecclesia, & confirmat, Bonacina de censuris disput. 1. pun. 11 num 11. quis si quis existens in Ecclesia jaceret sagittam, occidens hominum, existentem extrà Ecclesiam, non incurrit censuram latam contra occidentem in Ecclesia, quia illa occisio facta fuit extra Ecclesiam, licet in Ecclesia fuerit inchoata, ergo praedictus criminosus non potest extrahi ab Ecclesia ob inchoatum delictum in Ecclesia, sed completum extra, confirmo ergo hanc eandem opinionem cum Barb. lib. 1. cap. 3. num. 113. quia si quis existens extra Ecclesiam occideret aliquem existentem in Ecclesia, non gauderet immunitate, quia diceretur occidisse in Ecclesia, cum ibi fuerit delictum consummatum, Riccius collect, 1792. ergo è contra in casu nostro. Ille verò gaudet, qui extraxi aliquem existentem in Ecclesia saltem per vestes, eumque occidit extra, quia hic videtur occidisse in Ecclesia fictè, non verè, sed in hac materia attenditur veritas, non fictio; Neque dicas cum Barbos. ubi supra num. 114. quod hic deliquit sanè in Ecclesia, extrahendo ab ea, sed extractio non est crimen exceptuatus, ergo gaudere debet. Si verò quia existens intra Ecclesiam vulneraret aliquem in ea etiam cum effusione sanguinis, sine tamen membri mutilatione gauderet immunitate, Farinaceus ubi supra num. 227. Barbos. in collect. 1. tom. lib. 3. titul. 4. cap. 10. Immò si quis in Ecclesia homicidium committat, vel membrum mutilavit non deliberatè, sed casualiter axrixa, ex calore iracundiae, vel ad se defendendum, cum in Ecclesia fuerit provocatus, adhùc gaudet immunitate, Farinaceus cap. 16. num. 240. quia non videtur his casibus occidens habere animum irreverentiae offendendi, & violandi ipsam Ecclesiam, DD. citati, per Barb. ubi supra, num. 103. Furantes verò in Ecclesia gaudent immunitate, Farinaceus, cap. 16. de immunitate, num. 217. quia tale delictum per supradictum bullam

bullam non est exceptuatum, undè dicit, *Genuensis in prax. cap.* 17. fuisse remissum quendam ad Ecclesiam S. M. Refugii hujus Civitatis, qui furatus fuerat eleëmosinas cippi, quod idem dicit *de Marinis cap.* 470. *num.* 11. sicuti gaudent monetarii consugientes ad Ecclesias, quod si falsam monetam faciunt id Ecclesiis, neque possunt per laicos propria auctoritate extrahi, ideo cum ad Ecclesiam Sancti Antonii hujus Civitatis consugissent multi monetarii, Prorex Neapolitanus de anno 1619. supplicavit Paulum V. quatenus ejus Nuntio daret licentiam extrahendi, dedit Summus Pontifex, constito summariè ex eisdem laicorum processibus, quod essent monetarii. Legas *Dianam resolut.* 31. *par.* 1. *tractat.* 1. *de immunit. Barb. ubi supra num.* 122. Inferentes stigia in Ecclesia, gaudent, ut respondit Sacra Congregatio Archiepiscopo Januensi, teste *Barb. num.* 132. *qui etiam num* 98. affert occidentem aliquem, dum actu confiteretur, non gaudere immunitate, sed malè; quia non est casus exceptuatus per Bullam.

Infertur secundò, gaudere immunitate eum, qui mandat homicidium committi in Ecclesia, quia bulla loquitur de occidente in Ecclesia, quod non gaudeat: ergo non comprehendit mandantem occidi, ità contrà multos dicit *Farinaceus ubi supra num.* 231. *Megala*, *Bonacina*, & alii, quos refert, sed non sequitur, *Barb. dict. lib.* 2. *cap.* 3. *nu.* 156. quia in penalibus verba contra occidentem non extenduntur ad mandantem, quando enim lex vult punire non solum facientem, sed etiam mandantem, id exprimit, ut patet in *cap. mulieres de sententia excommunicat.* ubi extenditur ad mandantem excommunicatio, quae in *si quis suadente diabolo* 17. *quaest.* 4. lata erat tantum contra percutientem clericum.

Dices, obstat vulgatum illud axioma, quod qui per alium facit per se ipsum facere videtur, *cap. qui per alium de regul. jur. in* 6. ergo mandans occidi in Ecclesia videtur, quod ipse occiderit.

Respondeo, cum *Avila de censuris pag.* 3. *cap.* 50. *disput.* 3. *dub.* 2. quod per alios facimus quantum ad culpam, concedo antecedens, quantum ad pœnam, nego antecedens, nisi essemus in casibus à jure expressis, quia, ut benè *Bart. in l. sed, & si minus, ꝑ.* 1. *ff. de injuriis*, ille, qui per alium facit, non verè, sed fictè facit, ergo cum simus in materia odiosa, non fictionem, sed veritatem attendere debemus. Sic si lata fit excommunicatio contra facientem, non comprehendit mandantem, *Suar. disp* 4. *de censur. sect.* 3. *num.* 50.

Dices secundò, qui mandat extrahi aliquem ab Ecclesia, est excommunicatus hac excommunicatione contra violentes immunitatem, ergo etiam mandans aliquem occidi in Ecclesia privatur immunitate.

Respondetur, nego consequentiam, quia à disparitatis non fit illatio, *l. Papinianus*, *ff. de minoribus.* Ratio verò disparitatis est, quia Gregorius XIV. in sua Bulla excommunicat omnes attentantes aliquod praeter, vel contra formam ipsius bullae, sed mandans extrahi reum à loco sacro, non servata forma bullae dicitur attentare aliquid praeter, vel contra formam ipsius, ergo est excommunicatus, *Farinac. c.* 20. *nu.* 12. *Genuens. in praxi, cap.* 17. *n.* 7. sed in casu nostro solum excipitur ille, qui attentavit homicidium, ergo, &c.

Ex quibus omnibus collige primò, Bannitos confugientes ad Ecclesiam, si possint impunè occidi, non gaudere Ecclesia, & multi dixerunt, posse occidi in Ecclesia, quod benè reprehendit, *Fari-*

naceus de immunit. cap. 2. *num.* 39. ego tamen dico, nisi sint illi, qui commiserunt delictum exceptuatum, semper gaudent, idem *Farinaceus ubi supra*, Gaudent etiam excommunicatus, quia immunitas est concessa loco. *Italia de Immunit. lib.* 1. *cap.* 2. *ꝑ. unic.* Sic gaudet Judaeus, Paganus, vel alio modo infidelis. *Ricciullus lib.* 2. *cap.* 12. *Diana de immunitat. resolut.* 22. quia non est privilegium concessum personae, sed loco, *Barbos. dict. lib.* 2. *cap.* 3. *nu.* 330. *cum sequentibus*, & nota quod extractus per vim ab Ecclesia, est etiam restituendus, nec potest pro aliis delictis à Judice saeculari detineri, *Genuensis cap.* 22. *Marius Italia lib.* 1. *cap.* 6. *§.* 2. *Barb. num.* 134. contrà *Gamam decis.* 52. neque potest procedi pro absolutione ab excommunicatione, nisi reo restituto Ecclesiae, si verò sit dubium, an quis sit captus in loco sacro, est praesumendum, esse captum in loco sacro, & creditur nuncio capienti, *Decianus lib.* 6. *crimin. cap.* 29. qui dicit credendum esse intellitibus, dicentibus esse captum in loco sacro, sed dicensibus oppositum, non credi, quaestio tamen illa, an sit captus delinquens in Ecclesia, an extra, spectat ad Ecclesiasticum, ut post multos *Farinaceus de immunit. cap.* 2. *num.* 56.

Infertur secundò, debitorem confugientem ad Ecclesiam, non posse ab ea extrahi. *l praesenti, ubi DD. Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt.* Idem de debitore suspecto de fuga, licet sit debitor fisci. *Glossa in d l. praesenti. Ambrosinus cap.* 13. *Farinaceus cap.* 3. *num.* 62. quia non est casus exceptuatus in Bulla. Falliti verò fraudulenter, est quaestio, an gaudeant immunitate? affirmant communiter multi; quos sequitur *Diana de immunit. resolut* 32. sed verius putat post multos *Farinaceus de immunitat. cap.* 3. *in fine*, tales enim cum fraude decoquentes, & ad templa recurrentes, creditores omnes miserrimè fraudant quos ideò fallitos vocamus, quia homines fallunt; publici enim latrones nuncupantur, quia sub fide publica cum multis negotiantur, & postea ex suis malis moribus dicunt bona perdidisse, & secum deferunt in Ecclesiis, interdum; extrahas, ergo, quando eris Judex, & ne audias *Dianam*, quia ipse, utpotè religiosus, nihil cum ipsis amisit. Committens crimen sodomiae, putant multi, quod non gaudeat immunitate, cum *Mario Italia lib.* 5. *de Immunit. cap.* 5. *ꝑ.* 3. sed contrarium putat, & verius, *Farinaceus de immunit. cap.* 6 *num* 98. quia omnes gaudent ex Bulla Gregorii XIV. qui non sunt expressè exceptuati, sed in casu nostro sodomita non est exceptuatus, ergò; sic gaudet incendiarius, quia licet hic committat atrocissimum delictum, *cap pessimam.* 23. *q.* 8. nihilominus non est delictum exceptuatum in Bulla Gregorii XIV. ergo, & ità dicit *Farinaceus de immunitate, ubi supra num.* 105. Ille verò, qui alium extrahit ab Ecclesia, si ad eam deinde confugiat, dicit *Marius Italia ubi sup. §.* 15. quod non gaudet, sed communis est contraria, de qua *Farinac. ubi sup.* quia non est casus exceptuatus per Bullam Gregorij XIV.

Quintò, non gaudet immunitate assassinus, *cap.* 1. *de homicid. in* 6. *cap.* inter alia, & habetur in dicta Bulla Gregorii XIV. dicitur verò assassinus, qui pecunia mediante hominem christianum occidit, *Julius Clarus in §. assassinium in principio*, de comuni, *Farinaceus de immunitate*, *cap.* 8. *num.* 122. licet multi cum *Mario Italia ubi supra §.* 4. *num.* 20. & 21. dicant oppositum, sufficere hominem occidi, quomodocumque, sed malè, requiritur, enim, ut accidatur homo christianus, *Ambrosinus de immunitate, cap.* 7. *num.* 12. In dubio verò semper praesumitur homo christianus, si cadaver occisi reperiatur, apud Christianos, *Clarus in §. assas-*

sinum. Sed ego puto præsumi in infidelem, & sic pro immunitate quoties pars contraria, quæ prætendit oppositum id non probaverit per fidem baptismatis, vel quod publicè habeatur pro christiano, *Ambrosinus de immunitate, Eccles. cap.* 7. *num.* 12. *Pacianus de probat. cap.* 14. *num.* 7. *Farinaceus de immunitate, cap.* 8. *num.* 121. tunc verò assassinus non gaudet, quando fuit effectus contumax, *Diana de immunitate, resolut.* 4. *&* 18. *DD. citati.* Qui verò parum accepit pro homine occidendo, puta per caligarum, vel aliquod simile gaudet immunitate, quia non est assassinus, illud enim parum non habetur pro pretio, *Farinaceus cap.* 8. *num.* 126. sic non est assassinus occidens aliquem pro expensis in hospitio faciendis, *Ambros. dict. cap.* 7. latissimè *Farinaceus de delictis, quæst.* 123. *num.* 43.

Ex quo infertur primò, eum, qui pecunia mediante, non occidit hominem, sed faciem ejus incidit, gaudere immunitate, quia mandatum ad occidendum tantum inducit assassinium, non verò ad vulnerandum, *Mascardus cons.* 138. *Decianus lib.* 9. *criminal. cap.* 30. *num.* 4. qui dicunt, eum solum dici assassinum qui mandatum habuit separandi animam à corpore, sequitur *Ambrosinus cap.* 7. *num.* 11. *Peregrinus de immunitate, cap.* 7. *num.* 45. *Cartharius decis.* 82. *Riccius par.* 1. *decis.* 122. *Navarr. in Pragm.* 1. *de assassinio, Giurba cons.* 46. Neque dicitur assinium quando quis hominem, ut occideret, pecuniam dedit, & ipse fuit præsens, & cooperans aliquo modo ad occidendum, unde gaudent, qui pecuniam tali casu receperunt. Idem dicas, si quis pecunia mediante occidit communem inimicum mandatores, scilicet, & mandatarii. Idem dicas, si quis occidit aliquem mediante pecunia, præsente tamen mandante, *Peregrinus ubi supra, num.* 47. *de Marinis cap.* 173. debet verò de assassinii, qualitate constare saltem extrajudicialiter, & oretenus, nec requiritur forma judicii, si v.g. existat in Ecclesia, *Sanfelicius decis.* 137. licet putent aliqui requiri indicia sufficientia ad torturam, & verius, *Sanfelicius ubi supra.*

Infertur secundò; quod si quis tempore, quod fuit extractus ab Ecclesia non constabat de assassino commisso, sed postea quam carceratus fuit constet de delicti qualitatibus, quod scilicet sit assassinus, est reponendus ad Ecclesiam, quia Judex laicus quando in casu permisso procedit ad extrahendum delinquentem ab Ecclesia, debet id facere auctoritate Episcopi, & debet constare plenissimè de qualitate prædicta assassinii, vel alterius, ex *l.* 2. *ff. si quis in jus vocatus, Grammaticus voto* 11. ergo cum à principio fuit invalidè extractus, debet restitui, *Decianus lib.* 7. *cap.* 17. *&* *cap.* 29. *Genuensis in praxi, cap.* 6. *§.* 2. *nu.* 26. *Mastrillus dec.* 199. *num.* 11. *Gratianus cap.* 56. *de Marinis cap.* 176. *in fin.*

Infertur tertiò, eum, qui mediante pecunia mediator fuit in assassinio, gaudere immunitate, sic decisum in Sacro Consilio refert, *Rovitus in pragmatica* 1. *de assassinio, num.* 49. & licet ex *pragmat.* 2. *de assassinio*, dicatur, in Regno pœna assassinij puniri eum, qui intermediat inter mandantem, & mandatarium, tamen non potuit prædicta Pragmatica, & Princeps sæcularia tollere immunitatem illis, qui ea gaudent, cum non potuerit præjudicare juribus Ecclesiæ, sic etiam cum *in Pragmatica penultima de armis*, declarentur proditoriè occidisse omnes illos, qui cum sclopis eorum proximos occiderunt, nihilominus gaudent immunitate, qua per laicos privari non poterunt, *Riccius collect.* 1792. *Diana ubi supra resol.* 5. *de Marinis cap.* 171. *in fine.*

Infertur quartò, eum non censeri assassinum, qui alterum occidit mediante promissione in genere, & verbis incitatoriis, puta si mandans homicidium dicat mandatario, se nunquam defuturum in ipsius necessitatibus, *Bursatus lib.* 1. *cons.* 20. & alii apud *Farinaceum de immunit. cap.* 8. *nu.* 131. quia ad constituendum assassinium, requiritur promissio certæ quantitatis pæcuniæ, licet non ignorem, *Francum decis.* 176. asserentem, fuisse decisum assassinium committi per verba generalia, ut occidas talem, quia liberabo à morte, occidas, quia facies rem gratam tali, &c. quod solum in foro externo procedit quantum ad pœnas civiles, *Navarius* 1. *tom. quæst for. qu.* 45. *&* 52. *Thor. in verb. assassinium, to.* 2.

Sextò, non gaudent immunitate committentes homicidium proditorium, ut colligitur ex *dicto cap. inter alia*, & ex Bulla Gregorii XIV. dicitur verò proditoriè, si absque ullo rancore inimicitiæ quis proximum occidit, sed potius spe amicitiæ, eam simulando. Ideò non dicitur proditor, qui occidit inimicum suum à tergo, vel ex fenestra cum archibusio, quia debet præcavere, & se custodire ab inimico, *Riccius dict. collect.* 1792. *& part.* 1. *decis.* 168. & ante eoa decisum refert in Sacro Cunsilio, *Francus decis.* 713. & ideò non dicitur homicidium proditorium quando quis occidit inimicum, cui dederat fidejussorem de non offendendo, quia aderat rancor inimicitiæ antecedens: sicuti occidens amicum reconciliatum, non dicitur proditorium homicidium commisisse, etiam si sub spe amicitiæ id fecisset, *Riccius d. decis.* 168. *Diana par.* 1. *de immun. resolut.* 35. *de Marinis cap.* 174. quia inimicus licet reconcilietur, tamen remanet rancor inimicitiæ, & æquipollet verò inimico *Novarius super Pragmatic. fol.* 22. *num.* 25. & sequentia, *Maranta par.* 2. *responsorum, respons.* 46. contrà *Giurbam cons.* 60. & tunc homicida proditorius non gaudet, quando effectus mortis sequutus est, *Farinac. de immunit. cap.* 9. *nu.* 146.

Septimò, non gaudet immunitate committens crimen læsæ Majestatis immediatè in personam Principis, superiorem non recognoscentis, ut in dicta Bulla Gregorii XIV. apparet; ideò occidens Sumum Pontificem, privatur immunitate, sic offendens Imperatorem, Regem, vel Principem, alium Superiorem non recognoscentem, non gaudet immunitate, sic offendens Ducem Venetiarum, vel Januensis, vel Magnum Magistrum Militum S. Joannis, Magnum Ducem Florentiæ, vel Sabaudiæ, vel Parmæ, non gaudet immunitate, quia hic dicitur committere crimen læsæ Majestatis immediatè in personam Principis, *Peregrinus de immunitate, cap.* 9. *num.* 4. *Farinaceus ubi supra*, quod si quis offendat uxorem Regis, vel Principis non recognoscentis Superiores, vel qui offendit filium Regis, gaudet immunitate, *Farinaceus ubi supra*, quia non offendunt personam Principis immediatè superiorem non recognoscentis, de quo in Bulla Gregorii XIV. sic gaudet immunitate, qui offendit Ministros Regis, aut alterius Principis: ideò occidens Gubernatorem Regis gaudent immunitate, sic occidens Consiliarium Principis, immunitate non privatur, neque privatur immunitate occidens Proregem, conspirans, conjurans, sau machinans contra Statum, Provinciam, vel Ciuitatem: neque privatur offendens statuas Principia, superiorem non recognoscentis, vel cudens falsam monetam, vel offendens Episcopum, aut Nuncium, quia licet hi omnes dicantur committere crimen læsæ Majestatis, tamen non est crimen immediatè

diatè in personam Principis, superiorem non recognoscentis, *Farinaceus de immunitate*. *cap.* 13. *nu.* 192. *Bonacina de legibus disputat.* 3. *quæst.* 7. *pun.* 4. *num.* 22. *Diana de immunitate resolut.* 20. & 7. *de Marinis cap.* 172. & sic contra *Bordon. variar. quæst. resolut.* 1. dicentem, occidentem Generalem Religiosorum, non gaudere immunitate, verius, enim est gaudere immunitare, quia non est offendere immediatè personam Principis, non recognoscentis superiorem. Sicuti occidens Cardinalem, gaudet immunitate, quia licet sit crimen læsæ Majestatis, *cap. fælicis, de pænis, in* 6. non tamen est immediatè in personam Principis, non recognoscentis superiorem, *Farinaceus*, *Bonacina*, & alii supra. Cardinales enim non sunt Principes absoluti, sed recognoscunt Superiorem, scilicet Summum Pontificem, & nota singulariter, tunc committi crimen læsæ Majestatis, quando subditus offendit illum, cui est, vel ratione originis, vel domicilij subditus, *ex textu in Clement. pastoralis, de appellat.* ubi inter cœtera agebatur, an Rex Siciliæ commisisset crimen læsæ Majestatis, & Summus Pontifex negativè respondit, quia non erat subditus Imperatori ratione domicilij, vel originis, sequitur *Farinaceus cap.* 14. *num.* 191. *Megala part.* 3. *lib.* 4. *cap.* 2. *quæst.* 1. *nu.* 23. *Ambrosin. de immunit. cap.* 9. *nu.* 6.

Octavò, non gaudet immunitate hæreticus confugiens ad Ecclesiam, quia hæretici expresè exceptuantur in dicta Bulla Gregoriana, *Bonacina ubi supra* ℘. 50. ubi observa, hæreticum privari solum immunitate de crimen hæresis, non verò aliorum distinctorum ab ipso, quia in bulla excipitur crimen hæresis, ergo excipitur tantum hæreticus ratione hæresis; sic immunitate gaudet excommunicatus, interdictus, vel excommunicatus confugiens ad Ecclesiam, quia est privilegium concessum loco, non personæ, *DD. ubi supra*,

Est tamen primò notandum, quod confugientes ad Ecclesiam, licet non sint extrahendi inviti à Judice sæculari, vel Ecclesiastico, tamen non sunt ab eodem Ecclesiastico Judice prorsus impuniti dimittendi, *cap. inter alia de immunit. Ecclesiarum*, ubi communiter *DD.* undè Prælati, sic facientes, scilicet dimittentes eos impunitos, malè faciunt, *Farinaceus de immun. c.* 21. & poterunt puniri pœna pecuniaria, exilij; & multis alijs, de quibus *Farinaceus dict. cap.* 21. *de immunitat.* evitabit tamen pœnam corporalem, *dict. capit. inter alia. Italia de immunit. capit.* 1. ℘. 1. & *cap* 6. ℘. 3. & pœna carceris poterunt etiam puniri, *Italia*, & alij, apud *Farinac. num.* 337. qui dicit talem pœnam esse infligendam ab Ecclesiastico Judice, non laico, & in illis casibus, quibus non gaudebat reus antiquitus immunitate, consignabatur Judici laico, recepto prius juramento de non puniendo ipsum corporaliter, *cap. reum* 17. *quæst.* 4. *cap. id.* constituimus eadem causa, & quæstione, *Decianus lib.* 6. *criminalium*, *cap.* 29. *Ambrosinus cap.* 11. sed hodie quando traditur Judici sæculari, eum punit, prout patitur delicti qualitas, & Ecclesiasticus sic tradens absolvitur à pœna irregularitatis, ex dicta Bulla, *Ambrosinus de immunitate*, *cap.* 11. casus verò expresè exceptuati in dicta Bulla non sunt extendendi ad similes casus, quia adest in d. Bulla dictio taxativa (tantum) *Farinac. de immun. c.* 353.

Secundo notandum est, quod etiam in casibus exceptis à Bulla extractio est facienda per Judicem Ecclesiasticum, ponderes text. ad hoc propositum in *Authent. si quis, C. ad legem Juliam de adulteriis, §. fin.* ubi si maritus inveniat hominem de adulterio suspectum, loquentem cum uxore in Ecclesia, dabet utrumque defensori Ecclesiæ, vel alijs clericis tradere, ut serventur, donec sæcularis Judex, qui de hoc cognoscere debet, requirat Episcopum, ut illos ipsi tradat. Multi verò dixerunt; quod in casibus exceptis licitum sit propria auctoritate Judici sæculari extrahere, legas *Farinaceum de immunitat. num.* 357. sed hodiè ex dicta Bulla Gregorii non est licita extractio, etiam in casibus exceptuatis, sine licentia Episcopi, etiam quod notorium sit, delinquentem, qui ad Ecclesiam confugerat, non debere gaudere illius immunitate, *Ambrosinus de immunitate*, *cap.* 11. & *cap.* 15. Quod si Episcopus requisitus, ut traderet eum Curiæ sæculari utpotè non gaudentem, fuerit negligens, tunc poterunt sæculares Ministri minori, quo fieri poterit scandalo, extrahere, ut dicitur in dicta Bulla Gregorii XIV. & explicant *Genuensis in cap.* 22. *Italia lib.* 1. *cap.* 6. §. 2. *nu.* 80. sic an delictum gaudeat immunitate, nec ne, cognoscit Episcopus, sic dicit Bulla, & interim, donec Episcopus id videat, debet remanere tutus delinquens in Ecclesia: sed hodiè vigore bullæ Gregorii esset reponendus ad carceres Episcopi cum custodia, etiam laicali, si opus fuerit, ut habetur ibi, quod in hac Civitate non practicatur, sed Ecclesia deseruit pro carcere cum custodia laicorum; sic Neapoli practicatur.

Tertiò, nota, quod si idem Episcopus cognoverit, & diserit non gaudere, tunc qualibet appellatione remota, est tradendus Curiæ sæculari, ut in Bulla Gregorij XIV. sed si Episcopus pronunciet gaudere, & velit Fiscus, vel actor appellare, est quæstio, an possit? Prima opinio est licere appellare, ità *Gambacurta lib.* 6. *de immunit. cap.* 17. *per totum*; sed secunda sententia est verior, non dari appellationem, quia quando reo prohibetur appellatio, videtur Fisco, vel actori prohita, ut servetur æqualitas in judicii, quæ si in aliquo casu non esset servanda, potius ad favorem rei, quam actoris servanda non esset, ut pluribus comprobat *Mangonius decis.* 58. ergo, si reo non conceditur appellatio, quomodo erit actori, vel Fisco concedenda? & sic in terminis tenet *Peregrinus de immunitat. cap.* 15. *num.* 33. *Diana tract.* 1. *resolut* 38. *par.* 3. & hanc sententiam esse verissimam, dixit *Urbanus VIII. Alexandro*, *Sperello*, dum simul de hac re loquerentur, immò addit *Vrbanus*, quod hanc opinionem jussit emendari in opere *Gambacurta*. Legas *Sperellum dec.* 64. *per tot.*

Ultimò nota, quod ad Episcopum spectat cognoscere, an crimen commissum sit exceptum à Bulla Gregorii XIV. nec ne, neque in hoc tenetur stare processui Judicis laici, & qualitas illa, quæ facit delictum exceptum, debet verè probari, non per conjecturas, & præsumptiones; verùm si processus Judicis laici esset fabricatus, antequam delinquens est in Ecclesia, tunc habet majorem veritatis præsumptionem, quia tunc est controversia inter laicum, & clericos; sed si lit fabricatus processus, post quam est in Ecclesia, nulla fides est habenda, ut pluries docti viri consuluisse, refert *Farinac. num.* 374. qui addit, quod in causæ cognitione, an gaudeat, debet Episcopus servare solemnitates juris, scilicet libellum, citationes, &c. & est citandus reus, qui stat in Ecclesia, *DD. cit.*

In ℘. *Personalis cum sequentibus.*

PRima conclusio horum Jurium est, quod immunitas Ecclesiæ etiam est, ut non possint eis imponi collectæ à laicis, aut principibus sæcularibus,

ribus, & bona ipsarum Ecclesiarum, ex quolibet prætexto inconsulto Romano Pontifice; non possunt collectari, *cap. non minus*, *cap. adversus de immunit. Eccles. Duard. in Bulla Cœnæ can. 18. quæst. 3. De Crassus effectu 3. num.* 387. Secundo est immunitas Ecclesiæ, ut ejus bona non possint alienari, ut infra dicemus, tertio, quod habet restitutionem in integrum, cum læsa fuerit ad instar minoris, *cap. 1. & toto tit. de restitut. in integrum. Sforzia, quæst. 3. art.* 4. posita læsione, & quod illa sit manifeste probata, & modica sufficit *Glossa in l. 2. C. si adversus venditionem*, quo privilegio utitur Ecclesia infra quatriennium tantum, *cap. 1. & 2. de integr. restitut. in 6. Clem. unica eod. tit. Surd. decis.* 136. Legas *Barb. d. lib. 2. c. 3.*

TITULUS XXI.

De Censibus, & Extractionibus, & Procurationibus.

Titulus hic ad præcedentes tali ordine continuatur; visum est supra de immunitate, quæ gaudent personæ ecclesiasticæ, ut non possint collectari, verum quia in signum, & argumentum subjectionis à Clerico, & Ecclesiasticis personis debetur Episcopo census, procurationes, aliæque exactiones, meritò ponitur hic titulus; ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, nomine census intelligi jus percipiendi certam pensionem ex re alterius frugifera, sivè quia pensio sit fructuaria, sivè pecuniaria: quando enim Cajus obligat se ad tradendum Titio certam quantitatem tritici proprij agri singulis annis, dicitur constituere censum in suo agro, & Titius dicitur acquirere jus percipiendi eam pensionem, quod jus appellatur census; Cajus verò, qui se obligat ad solvendam pensionem, dicitur censuarius. Titius verò, qui acquirit jus percipiendæ pensionis, dicitur censualista, seu censitor, *Covar. lib. 23. var. c. 7. Card. Tusch. tom. 1. §. censitores, conclus.* 188.

Appellatur verò census à censendo, id est æstimando, quod bona Civium alias recenseretur, ut facta bonorum æstimatione, tributum solvatur, *l. forma, ff. de censibus*; ideò tributum, quod solvebatur ab aliis, appellabatur census, juxta illud, *licet de censu dari Cæsari*, an non ità docet *Tolet. lib. 5. c.* 42.

Sciendum secundò, est quod census duplex est, unus scilicet reservativus, alius consignativus; census reservativus est contractus, quo quis transfert rem suam in alterum, quoad dominium directum, vel utile, reservata sibi annua pensione, *cap. constitutus, ubi gloss. in verbo justa, de religiosis domibus*, & quia in Bulla Pii V. non agitur de hoc censu, hinc est, ut possit apponi in ea pactum legis commissoriæ, ità ut si censuarius non solvat biennio, vel triennio pensionem; res, super qua constitutus est census, transeat in commissum, & revertatur ad censualistam, id est ad eum, qui sibi certam pensionem reservaverat, ut benè *Lessius lib. 2. cap. 22. dub. 2.* Census consignativus dicitur contractus, quo quis alteri vendit jus percipiendi annuam pensionem super rebus suis, aut super persona, per quem censum neque possessio, neque dominium in alium transfertur, sed tantum jus exigendi annuum censum. *Bart. in l. ut possessio, ff. de servitutibus. Intrigliolus super Bulla Nicolai V. de censibus quæstion.* 2.

Sciendum est tertio, quod census multipliciter solet definiri emissis tamen multis definitionibus, sic eum definias; est jus singulis annis certam pensionem exigendi super alienis bonis creditori legitimè constitutum, ità DD. aliqui, quos refert *Felicianus de censibus lib. 1. cap. 10. num. 8.* Alii verò, & melius definiunt censum, ut sit (hic verò loquimur de censu consignativo) jus percipiendi responsionem super re alterius justo modo acquisitum ad hæredes, & successores quoscumque transitorium, manente re apud imponentem: ità definit *Ludovicus Cencius de censib. q. 2. art. 2.*

Dicitur, jus, quia in hoc contractu non conceditur ipsa res, quæ censui subjicitur, nec responsio, quæ annuatim solvitur, sed jus percipiendi, & consequendi illam, ut docet *Lessius libr. 2. cap. 22. dub. 1. num. 20. Azorius par. 3. lib. 10. cap. 2. Ludovicus Avendanus de censibus, cap. 17. num. 9.* sicut hæreditas non est pecunia, vel bona hæreditaria, sed successio in universum jus, *l. nihil aliud*, ubi *Glossa ff. de verb. signific.* sic usufructus non sunt res ipsæ alienæ, quibus quis utitur, fruitur, sed est jus utendi, fruendi rebus alienis, ut in principio instit de usufructu.

Dicitur (percipiendi) ut denotetur finis & scopus illius Juris, & ostendit jus illud in perceptione responsionis consistere.

Dicitur (responsionem) ut comprehendatur, tam census pecuniarius, quam fructuarius. est autem census pecuniarius, cum venditur Jus percipiendi certam annuam pensionem in pecunia numerata consistentem, qui propterea solvi non potest in alia specie, si recuset dominus census, cum regula sit, aliud pro alio invito creditori solvi, non posse, *l. 2. à mutuidatio, ff. si certum petat.* eo tamen volente id fieri poterit, dummodò neque major, neque minor census solvatur *Azorius d. lib. 7. cap. 2. quæst. 2.* fructuarius verò census est, cum inter contrahentes expressè agitur, ut vendatur, & ematur jus percipiendi certam quantitatem fructuum, & id exprimitur in contractu, & ad illud directè, & omninò respicit contrahentium intentio. Qui census poterit etiam de consensu creditoris solvi in pecunia numerata, licet si ille contradicat, sit omninò solvendus in eadem specie fructuum, in qua constitutus, & venditus fuit, *Cenc. de censib. q. 1. ar. 3. nu. 9.*

Dicitur in definitione (super re alterius) quia hoc Jus, quod per impositionem census contrahitur est reale, & nemo potest super re propria jus reale ad sui commodum constituere, argumento *text. in l. neque pignus*, ubi *Glossa*, *& DD. ff. de regul. juris*, *l. rem proprium*, *ff. de verb. obligat.* sic decisum docet *Cencius post tractatum de censib. decision. 5. num. 9.*

Dicitur in definitione (justo modo acquisitum) quia licet jus illud, & census acquiri possit quocumque titulo habili ad transferendum dominium, ut latè *Cencius par. 2. cap. 1. quæst. 1. ar. 1.* tamen acquisitio, ut valeat, multæ debent concurrere circumstantiæ, & à multis pactis illicitis abstinendum est, ut docet *Cenc. d. par. 1. cap. 2. & 3. per totum, & par. 2. cap. 1. quæst. 3. per totam.*

Dicitur in definitione (transitorium ad hæredes) quia hoc Jus de sui natura transit ad hæredes, tam ex parte imponentis, quam ex parte anquirentis, & sic tam activè, quàm passivè, *DD. ubi supra*, & quia cedi potest tale Jus, ideò dicitur, in definitione, & successores, quoscumque, qua de re latè *Cenc. de censib. p. 1. cap. 3. quæst. 1. art. 6. & d. p. 2. c. 2. q. 3. art. 3.*

Dicitur in definitione (manente re apud imponentem) quia per impositionem, & translationem census, nec possessio, nec dominium rei, super qua fuit

fuit censua impositus, in emptorem, vel alium quemcunque dominum census transfertur.

Super principium textus, cum decem ℘℘. *sequentibus.*

AGitur hic de eo censu, qui imponitur ab Episcopo Ecclesiæ (omisso censu in communi, de quo videas, *DD. præcitatos*) ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, quod census, quod imponitur Ecclesiæ, potest ab Episcopo imponi, quud si imponatur Ecclesiæ collegiatæ, tunc requiritur consensus capituli, non secus, ac si esset alienatio, *cap.* 1. *de reb. Eccles non alienandis*, *cap.* 1. *de rerum permutat.* quando verò adest justa causa non requiritur talis consensus, ut notant *Sylvester*, *Hostiensis*, *& alij*, *ubi supra* consensus verò capituli cathedralis semper requiritur, & hic census, qui debetur Episcopo, appellatur cathedraticum quia frequentius datur in honorem cathedræ; non tamen debetur à Monasteriis, *cap. inter cætera* 10. *quæst* 3. *cap. placuit hoc titulo*: datur verò à subditis ipsi Episcopo, nec excedit duos solidos, *Gloss. in cap. conquerenti*, *de Clericis non residentib.* *Navar. cons.* 5. *de censib.*

Sciendum secundo est, censum hunc posse imponi, vel quando Ecclesia fundatur, vel quando consecratur, vel dotatur, vel quando facta est immunis, vel quando liberata est à manu laicorum, *cap. omnis anima*, *eodem tit. cap.* 3. *ubi DD. eod. titul.* Nec debet novus, & insolitus census imponi ab Episcopo, quod si Episcopus concesserit Ecclesiam pro loco; illamque fecerit ex emptam, poterit sibi aliquid reservare in memotiam, & recognitionem. *cap. Pastoralis de donationibus*, nec dicetur insolitus census, *Abbas in cap venerabilis*, *eodem tit.* sic solet sedes Apostolica, quando sibi reservat aliquam Ecclesiam in signum superioritatis, imponere censum illi Ecclesiæ: *cap. recipimus de privil. cap præterea de jure patronatus.* Nec possunt Sacerdotes simplices suas Ecclesias facere censuales, quod si de facto id fecerint, privabuntur eis; *cap. præterea*, *cap. cum Clerici eodem titulo*, quia esset species alienationis, quæ prohibetur, *cap. sine exceptione* 12. *quæst.* 1. Neque Episcopus potest novos constituera census, præter casus supradictos, neque potest augere eos, *cap. significavit eodem tit.* nisi in casu necessitatis, & consulto Summn Pontifice. Quod si Episcopus redimit Ecclesiam à manu laicorum, non poterit hnc prætextu censum augere pristinum, quia hoc facere tenebatur ex officio, *cap. prohibemus*; *ubi Abbas eodem titulo*, & tandem advertas, quod semper in imponendis censibus debet Episcopus observare consuetudinem suæ Diæcesis, quod si ibi non adsit consuetudo, debet observare eam, quæ viget in Matropoli, *cap. super eo eod. tit.*

In ℘. *Ulterius cum sequentibus.*

AGitur hic de materia visitationis, & de illis, quæ pertinent ad jus visidi, ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primo, quod Episcopus tenetur per se ipsum visitare, est autem visitatio, ex *cap. conquerente de officio ordinarij*, *cap.* 1. *§. ultimo*, *& toto tituli de censibus*, *in* 6. quæ pertinet locorum Ordinariis ad correctionem subditorum, & morum reformationem, quæ visitatio principaliter fit ad morum correctionem, *cap. cum. venerabilis* 21. *de censibus*, *cap. procuratores* 23. *eodem titulo*, quare visitandi officium ad eos petinet, qui habent in aliquos Jurisdictionem ordinariam, quales sunt post Romanum Pontificem, Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi; *dict. cap.* 1. *de censibus*, *in* 6. *Barbos. alleg.* 73. & Prælati religiosorum in suis Monasteriis, *cap. penult. & fin. de statu monachorum.*

Sciendum secundo est, teneri Prælatos omnes Cathedralium Ecclesiarum per se ipsos, vel si legitimè fuerint impediti per alios suos Vicarios, vel Visitatores, qui Præsbyteri sint, vel Diaconi, visitare totam, vel majorem partem suæ Diæcesis, ità ut si fieri possit, tota biennio terminetur visitatio, *Trident. sess.* 24. *de reformat. capit.* 3. Vicarius verò Generalis, hoc jus visitandi non habet, nisi sibi specialiter concedatur *Sbrozzius lib.* 2. *quæst* 110. *Fuschus de visitatione*, *lib.* 11. *cap.* 2. Capitularis Vicarius potest visitare Ecclesias Episcopatui subjectas; quia succadit in potestate visitandi, Jure ordinario Episcopis concessa. *Quaranta in verb. Capitulum sede vacante*, *Barbos. allegat.* 73. *num.* 24. tunc verò potest Capitularis Vicarius visitare, quando lapsus est annus à postrema visitatione Episcopi mortui, nec de proximo est Ecclesia de Pastore providenda, in ipsa verò visitatione, quid servandum, legas *Trident. sess.* 24. *cap.* 3. *de reformat.* Archiepiscopus non poterit visitare Cathedrales Ecclesias suorum suffraganeorum nisi causa cognita, & probata in synodo provinciali, *Trident. sess.* 24. *cap.* 3. nec quicquam in eorum diæcesibus inconsultis ipsis agere: *cap. conquestus*, *& fere per totam* 9. *quæst.* 3. & antequam visitent aliorum Diæceses, debent suas proprias visitare, *cap* 1. *in principio de censibus* in 6. *Zerola in verb. visitatio*: & visitatio ab Episcopo potest inchoari ab illa Ecclesia, quæ sibi magis placuerit, & antè visitationem fit inquisitio præparatoria pro videndis illis, quæ sunt necessaria in Diæcesi ad hoc, ut corrigantur, vel inducant, *Piacesius in praxi par.* 1. *num* 60.

Sciendum est tertio, quod omnes Ecclesias possunt Episcopi visitare, etiam, exemptas Auctoritate Apostolica, *Trident sess.* 7. *de reformation. cap* 7. *&* 8. Ecclesias verò regularium minimè licebit visitare. *Paulus Fuschus de visitatione lib.* 2 *cap.* 16 nisi haberent annexam curram animarum, *Trid sess.* 24. *de regul. cap.* 11.

Capitula Cathedralium, qualibet exemptione non obstante, toties, quoties, opus fuerit visitabit, *Triden. sess.* 6. *capit* 4 *de reform Barbos allegat* 73. cum verò visitat Canonicos, ex *Trident. sess.* 25. *de reformat cap.* 6. visitabit cum adjunctis, & cum eis formabit processum & alia similia. Est quæstio an locus, *Trident.* intalligatur de capitulis non exemptis? & Respondet negativè, *Riccius part.* 4 *collect.* 751. *& in praxi*, *par.* 4. *resolut.* 586. *Seraphinus decis.* 402. *Ludovicus à Saravia de jurisdictione adjunctorum*, *quæst.* 22. *num.* 17. & tales adjuncti sunt eligendi de illis, qui sunt de capitulo, & quando capitulum in principio anni illos non elegerit, poterit Episcopus per se solus procedere, dummodò illud prius moneat, *Piacesius in praxi*, *par.* 2. *cap.* 2. *Saravia quæst* 13. & etiam Vicarius Capitularis succedit in hoc Jure visitandi Canonicos cum adjunctis; habent verò illi duo adjuncti jurisdictionem in procedendo, *Saravia quæst.* 5. qui etiam poterunt recusari, *Saravia q.* 9. potest tamen sine adjunctis visitare Episcopus corpus Cathedralis, & Sacramentum, reliquias, &c. *Barb. alleg.* 73. *num.* 15. *Barbos. de Canonicis*, *capit.* 28. Capitula Cathedralium est quæstio an possit Episcopus committere alteri ut visitentur? putat *Saravia quæst.* 14. quod non: sed contrarium putat *Joannes Sancius in selectis disput.* 5. per totam ubi latissimè. Hospitalia, Collegia quæcun-

quæcumque, ac Confraternitates laicorum, quæ sub Regum immediata protectione non sunt visitari possunt, omnia etiam loca pia sunt ab Episcopis visitanda, etiam si eorum cura ad laicos pertineat, *Trident. sess. 22. de reform. cap. 8.* secundum *text. in Clemen. quia contingit de religiosis domibus, Zerola in verb. Hospitale Riccius par. 4. decis. 209. Barbos. alleg. 75.* quod si in fundatione sit dictum, ut ordinarius non possit se intromittere in visitatione, tunc non poterit se intromittere, *Barbos. de jure Eccles. lib. 1. cap. 14. num. 3. & sequentibus.* Hospitalia, administrata à Fratribus Beati Joannis Dei, non sunt exempta à Jurisdictione Ordinarij, quoad visitationem, sed solum, quoad observantiam regolarem, ut declaravit sacra Congregatio, de qua *Barbos. ubi supra, num. 30. in fine*, & sic consului Vicario Nolano elapsis annis. Potest Ordinarius visitare etiam Confraternitates laicorum, erectas in regularium Ecclesiis, ut pluries per Sacr. Congregationem refert practicatum, *Barbos. d. lib. 1. cap. 14. n. 30.* Monasteria etiam Monialium, immediatè subjecta Sedi Apostolicæ, possunt ab Episcopis ut delegati ipsius Sanctæ Sedis visitari, *Trident sess 25. de regular. cap 9.* & generaliter omnes tam sæculari, quam regulares Clerici, nullo privilegio obstante, visitari possunt ab Episcopo, & si delinquant corrigi, & puniri, *Trident. sess. 6. cap. 3. & sess. 13. cap. 1. & 14. de reform.*

Sciendum est quarto, quod Episcopus antequam visitet diæcesim, debet facere Synodum, ubi agatur de corrigendis excessibus, & moribus reformandis, *cap. sicut olim, ubi DD. de accus.* secundo debet annunciare adventum suum illis, quos visitare intendit nisi aliter videatur conveniens, *Fuschus de visitat. lib. 1. cap. 4.* Tertio debet libros visitationum præteritarum examinare, & legere ad suam informationem: quarto debet duos Deputatos Notarium, & Procuratorem eligere, 5. librum Pontificalem secum deferre pro ceremoniis servandis, cum proficiscitur, visitare Diæcesim, & debet citò se expedire nè opprimat superfluis sumptibus suam diæcesim, *capit. cavendum cum sequenti 10. quæst. 3. cap. cum Apostolus, §. fin. de censibus*, & cum visitat, est honorificè recipiendus à populo, & Clero, ducitur immediatè ad Ecclesiam, ut in Pontificalis, & proponit Episcopus causas, ob quas ipse visitat, scilicet, ut ad sacrorum canonum observantiam ordinetur visitatio, & ad animarum salutem, & primo videt quomodo Ecclesia spiritualiter, & temporaliter regatur, *cap. placuit 10. quæst. 1.* secundo debet excessus corrige, & delinquentes punire, *cap. venerabilis, ubi glossa fin. de censibus, cap. 1. §. fin. eodem titul. in 6.* & visitat, an bene custodiantur vasa sacra, an sint de debita materia confecta, interrogat Parrochianos de vita, & moribus sui Parochi, & multa alia tenetur facere, de quibus *Fuschus de visitat. & Barbos. de Jure Eccles. lib. 1. cap. 14. per. tot.*

Sciendum est quinto, quod Episcopo visitandi debetur procuratio, *cap. cum Apostolus de censibus*, & habetur in decretalibus, sexto, & *Clementinis, Glossa, & DD. in cap. accidentes, de præscriptionib. cap. procurationibus, hoc tit. Fusch. de visitat. lib. 1. cap. 1.* quæ babet trea species, una debetur ratione visitationis, *cap. cum ex officio de præscript. dict. cap. cum venerabilis, dict. cap. procurationes, cap. cum nuper 25. de censibus cap. 1. eodem titul. in 6.* alia species procurationis dicitur debita ex vi consuetudinis, vel alterius juris specialis, *cap. servitium 18. quæst. 2. cap. 3. de censibus*, tertia species est, quæ debetur ex pacto, legitimè celebrato tempore scilicet fundationis, *capit. Eleutherius, ibi (tempore quo) 19. quæst. 2. cap. præterea 23. de jure patronat. cap. quanto de censibus*, sed in materia nostra procuratio dicitur id, quod debetur Episcopis, quando visitant, *cap. conquerente, de offic. ordinarij*, vel legatis Apostolicis jure legationis, *cap. accedentes, cap. cum instantia de censibus, Clem. 1. eodem titul* quæ procuratio debetur moderata secundum facultates ecclesiæ, *cap. sopitæ 14. cap. cum instantia 17. vers. [illegible]è cap. cum venerabilis de censibus, capit. conquerente, & cap. ultimo 10. quæst. ultima, & text. in dict. cap. cum Apost[illegible] 6. de censibus.* certum equorum numerum prælatis præfinivit, quos secum ducere possint: quod si rector ecclesiæ est pauper, tenetur gratis visitare, *Surdus de alimentis titul. 4. quæst. 22.* Sunt verò obligati Episcopo visitanti dare alimenta illius diei dum visitat, & octo personis comitantibus; vecturæ tamen equorum, & ferraturæ non teneniur præstare, nisi sit Prælatus à Summo Pontifice delegatus, quia tunc ei debentur vecturæ equorum, & viaticum, ut de loco ad locum transire commodè possit, *Glossa in Clem. 2. de censibus, Barb. alleg. 74. 75. & sequenti.* Legas *Trident. 24. cap. 3. de reform.* Debentur temporalia Episcopis visitantibus, quia seminant, spiritualia, *dict. cap. cum ex officiis*, sicuti, adhoc, ut Episcopi Synodum facerent, solebat dari Cathedraticum, sivè Synodaticum, *dict. cap. conquerente, ubi Glossa 2. cap. placuit 10. quæst. 3.* Sed quando visitat Episcopus Civitatem, ubi residet, & posset redire ad domum, non posset petere procurationem, seù expensas, ex *Trident. ubi supra*, ibi, *Pro temporis tantum necessitate*; Sic d c t *Genuensis cap. 35. num. 9. Barbos. allegat 73. num. 46.* Sic declaratum per sacram Congregationem refert *Piasecius in praxi, part. 2. cap 3. num. 65.* Verum si visitant diæcesim, tunc sivè sint pauperes, sivè divites, tuta conscientia accipere possunt expensaa, quia dignus est operarius mercede sua, *Paulus 1, ad Corinth. 9. & 11. ad Timoth. cap. 5.* & si pluries, in anno ex causa visitare debeat, pluries poscit procurationem, *Fuschus lib. 1. cap. 2. num. 13.* & licet de jure, tàm Clerici, quam laici tenerentur solvere procurationem, quia omnibus spiritualia seminantur, tamen aliter consuetudo servat: ex qua soli Clerici tenentur, verum Ecclesiastica loca, Episcopi auctoritate erecta, puta oratoria, Hospitalia, & alia pia loca ad nibil tenentur, *cap. fin. de censibus, Genuensis cap. 17. Riccius in praxi par. 4. resolut. 151.* quia loca ista tenentur ad alia opera pia, ad quæ sunt destinata, quæ neque tenentur pro seminatio contribuere *Trident. sess. 23. de reform. cap. 18.* Sola enim hospitalia, data in titulum, si habent beneficium vel præbendas annexas, tenentur contribuere, ut decisum refert, *Zerola in verbo Hospitale, Barbos. alleg. 77. Gabedo decis. 204* & quia solum tenentur contribuere illi, qui sunt visitati, ideò regulares, vel alij non tenentur, Ecclesia verò speciali privilegio exempta, non tenetur ad procurationem, ut decisum per sacram Congregationem refert *Barbos. lib. 3. cap. 22. num. 13, in fine*, ubi latissimà.

TITU-

TITULUS XXII.

De Capellis Monachorum.

VIsum est supra, de subjectione Ecclesiarum erga proprios Episcopos per sensum, quia verò sunt aliqoæ Cappellæ Mooachorum, qoæ ratione Sacramentorum Episcopo sunt subjectæ, meritò ponitur hic titulus, ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, dari Cappellam, Cæmiteriom, Altare, & Oratorium, Cappella dicitur secundum aliquos à capris, quaram pellibua tegebatur locus, obi dicebatur missa, *Glossa in cap. concedimus de consecrat.* 1. *dist.* Alij dicuot, quod dicitur Cappella, quasi capiens Laicos, *Guglielmus Durandus in oratione Divinum officiorum lib.* 2. *cap* 10. & nota, quod exempta Ecclesia, non dicitur exempta Cappella ibi existens, nisi specialiter dicatur, *cap. ea quæ, de privil. ubi Glossa in verb. non probantur*, & *Abbas n.* 4. *Soccinus num.* 11. *Cochier de jurisdictione in exemptos part.* 2. *quæst.* 45 *n.* 20. *Barbos. de potestate Parochi, allegation.* 75. *n.* 29 *Paulus Fuschus de visitatione, lib.* 2. *n.* 16. nec obstat, quod de connexis: idem sit judicium, *cap. translato de constit. cum similibus*, quia non procedit in privilegiis exorbitantibus, quando connexa non veniunt per consequentiam necessariam, & si Rector habeat Cappellam, habentem proprios redditus in aliqua Ecclesia, & ipsam Ecclesiam, non dicitur habere duo beneficia, *cap. super eo, de praben. in* 6. quia Cappella cedit Ecclesiæ, ideò si aliquid relictum si Cappellæ acquiritur ipsi Ecclesiæ, nisi Cappella habeat bona distincta ab ipsa Ecclesia, aut diversum, ac proprium Rectorem, quorum contemplatione talia relinquantur.

De Jure Canonico, ex *cap.* 1. *hoc titulo*, si sit aliqua Cappella, apud Monachos, in qua sit cura animarum, præsbyteri non verò Monachi curam earum habere debent, *cap Monachi de statu Monachorum. Glossa in dict. capit.* 1. sed de jure *Triden. sess.* 25. *de regul. cap.* 11. possunt regulares habere curam animarum, verum quantom ad eam curam subjacent examini Episcopi, & illius recognoscunt jurisdictionem, sicuti possunt regulares carcerari ab Episcopo delinquentes, & existentes extra claustra, *Triden. sess.* 25. *cap.* 14. Declaravit etiam Sacra Congregatio, quod Cappellas in regularium Ecclesiis; etiam per sæcularium Confraternitates constructas, non potest Episcopus visitare, apud *Barb. lib.* 2. *cap.* 8. *num* 26.

Cæmiterum est locus consecratus, vel benedictus, in quo fidelium corpora sepeliuntur, vocabulom est græcum, quasi dormitorum mortuorum. Consecrata Ecclesia, cæmiterium ei contiguum censetur consecratum, licet specialiter, quoque soleat consecrari, & polluta Ecclesia censetur pollutum cæmiterium si nihil mediat paries inter utrumque; secus si mediet paries, *cap. unico de consecr. Eccles. in* 6. quia Primo casu est accessorum; Secundo casu principale, *Sanchez lib.* 9. *disputat.* 15. *num.* 23. *Fagundez pracepto primo, lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 8. quod si duo cæmiteria sint conjuncta, pariete intermedio, uno polluto, non dicitur pollutum aliod, *Ugolinus de potestate Episcopi, cap.* 29. § 6. quod si in porta, per quam ab uno ad aliud sit transitus accidat pollutio, otrumque pollutum est, si porta pro utroque sit facta, *Ugolinus capit.* 23. eodem modo reconciliatur, sicut Ecclesia, *Fuschus lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 7. *Piasecius in praxi, par.* 1. *cap.* 6. *num.* 6. & copula habita in cæmiterio dat malitiam actui sacrilegii de necessitate explicanda in coofessione, *Sanchez lib.* 9. *disput.* 15. *de matrimonio*, *n.* 1. quamvis multi, apud *Barb. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 14. *& sequenti*, dicant, non esset circumstantiam explicandam in confessione.

Altare est mensa, ut dicitur missa, quod aliud est fixum, aliud portatile, de qoibus, *Fagundez lib.* 3. *pracepto* 1. *Ugolinus de potestate Episcopi, cap.* 3. Portatile continere debet reliquias, & debet esse ex lapide, & tabula sola tabula minimè, quia S Patres statuerunt, non nisi super altari lapideo missas esse dicendas, *cap. altaria, il primo de consecrat. distin.* 1. *Fuschus de visitatione, lib.* 1. *cap.* 21. *Ugolinus cap.* 3 & Sacra Congregatio, apud *Barb. lib.* 2 *cap.* 7. *num.* 6 dixit, altare ligneom cum ara lapidea permitti debere, noo obstante constitutione Synodali; In consecratione altaris requiritur unctio, *d. & cap. altaria*, quæ non nisi per Episcopum fieri potest, *cap. quomodo* 68. *distin. cap. nullus præsbyter, il secondo, de consecr dist.* 2. *Rodriquez in Compendio quæstionum regul. resolut.* 9. qui etiam dicit, quod si Episcopus bis; vel ter requisitus à regularibus, ut scilicet consecret altare, noluerit, possunt adire omnem Episcopum, ex privilegio eis concesso. Patres Societatis in India habent privilegium à Paulo Tertio, consecrandi sua altaria, accepto chrismate ab Episcopo, quo privilegio gaudent Patres minores ex privilegio Leonis X: *Rodriquez tomo* 1. *quæstionum regularium, quæst* 18. *art* 2. *Suarez tomo* 3. *disputat.* 8. *section.* 5. *Portellius in verbo altare num* 2.

Nota tamen, quod execratur altare portatile diverso modo ab altari firmo, hoc enim firmum execratur, si fuerit enormiter læsum, vel si lapis, sub qoo sunt reliqoiæ, amoveatur, quod arbitrio Episcopi relinquitur, qui ex subjecta materia poterit judicare, an sit sequuta execratio, *Piacesius par.* 1. *cap.* 1. *nu.* 8. *Ugolinus cap* 39. sic si mota suit junctura, qua mensa stipiti jungitur Sed altare portatile execratur, quando notabiliter fractum in residuo non potest commodè contineri pes calicis, & hostia cum patena sine periculo cadendi, aut quando omnia cornua, quæ junguntur sunt fracta, vel quando amovetur locus, ubi sunt reliquiæ, *Fuschus lib.* 1. *cap.* 22. *Ugolinus Piacesius*, & alij *Portellus in verb. Altare*, *Rodriquez d. resol.* 9. quod quando est execratum, debet iterum consecrari; nec aliter dici debet in eo missa, *cap.* 1. *cap. quod in dubiis de consecr. Eccles. vel altaris*, non tamen ob execrationem altaris execratur Ecclesia, sed ob excrationem Ecclesiæ, execratur altare, quia altare est accessorium Ecclesiæ, *dict cap.* 1. *in* 2. *responso de consecr. Eccl. Sylvester in verbo altare, quæstion* 11 *Rodriquez resolut.* 9. Ad altare prohibetur accedere mulier, *cap.* 1. *in fine, de cohabitat Cleric. & mulierum Bonacina disputat.* 4 *de Sacrament quæst ultim pun* 9. *nu.* 32. & in altari, in quo Episcopus missam cantavit, non debet eodem die alius celebrare, *cap fin de consecr. dist.* 2. qui textus intelligitur secundum communem de missa solemni, & Pontificali, *Barb. alleg.* 24. Nota etiam, qood licet in Ecclesia Regularium non possit Juspatronatus constitui cum solo Episcopi consensus, sed requiritur privilegium Apostolicum in limine fundationis, etiam ad effectum præsentationis, *cap. nobis* 25. *de jure patronatus.* tamen id verum est, si juspatronatus sit in tota Ecclesia reservatum, secus si in altari constructo, vel construendo de ordine testatoris in dicta Ecclesia; quia tunc sufficit solus regularium consensus *Ferrentillus decisum referens in Addit. ad Buractum decis.* 1. *n.* 16. Altaria verò, & Cappellas fundatas in Ecclesiis regula-

regularium etiam per confraternitates laicorum, non potest Episcopus visitare, ut decidit sacra Congregatio, apud *Barb. dict. lib. 2. cap. 7. in fine.*

Oratorium dicitur locus aptus ad orandum, quod quisque in sua domo ædificare potest, *cap. unicuique de consecrat. distin. 1. Galganetus lib. 3. de jure publico tit. 59. Fuschus de visitatione, lib. 2. cap. 12.* quod Oratorium, aut est publicum, aut privatum; privatum, quod habetur in propria domo, *dict. cap. unicuique*, quod sinè campanis construi debet, *cap. petentibus de privil.* nec in eis est missa celebranda, *d. cap. unicuique cum sequenti*, nec dos requiritur in eis constructione, *Calderinus consilio 51.* nisi cum licentia Pontificis, & non semper, excipiuntur enim in brevi festivitates solemnes: argumento, *text in cap. si quis etiam de consecrat. distin. 1.* Oratoria, in quibus missa publicè est dicenda, sunt auctoritate Episcopi, prius construenda, non secus, ac Ecclesiæ ipsæ, *capit. quidam 18. quæst. 2. Authen. ut nullus fabricet Oratorij domus*, & ab eodem prius designanda, *Trident. sess 22. de observ. & vitandis, in celebrat. missar.* & ad Dei tantum cultum dedicanda, *cap fin. 42. dist.* & Oratorium publicum est, ubi ad modum Ecclesiæ celebrantur officia divina, quod Oratorium gaudet immunitate Ecclesiastica, & gaudet solemnitatibus requisitis in alienatione rerum Ecclesiæ, legas quæ nam oratoria sint publica, quæ privata, *Marinum Italiam cap. 4 de immunit* ꝰ. *4. Fuschum dict. lib 1. cap. 12. Barbos. d. lib. 2. cap. 8. num. 16.*

TITULUS XXIII.

De Religiosis Domibus.

VIsum est supra de Cappellis Monachorum, videndum erat de aliis religiosis domibus, meritò ponitur hic titulus; ad cujus intelligentiam,

Sciendum est primò, quod religiosa dicitur ea domus, quæ ædificatur Episcopi auctoritate, undè Xenodochia, quæ latinè dicuntur Hospitalia, sub illo nomine comprehenduntur, Xenodochium enim dicitur à Xenos græco nomine, quod latinè significat hospes, dochex, quod latinè significat receptaculum, *l. illud, C. de sacros. Eccles. Orphanotrophij*, verò ubi orphani aluntur, *l. orphanotrophos, Cod. de Episcopis, & Clerecis.* Xenodochia, in quibus ægri curantur, *dict. l. illud:* vulgo tamen hæc omnia dicuntur Hospitalia, *can. in qualibet 23 quæst. 8.* Dicuntur verò ophani ad finem consequendi legatum relictum pro eis, quando sunt patre carentes, licet matrem habeant *Sanch. tom. 2. Opuscul. lib. 4. cap. 2. dub. 63. Gratian. cap. 666.* Legas *Diana p. 4. tract 3. resol. 164.*

Sciendum secundo est, quod Monasteria nova construi non possunt sinè auctoritate Episcopi, in cujus Diœcesi erigenda sunt, *cap. quidam cum sequenti 18. quæst. 2. Trident. sess. 25. de regular. cap. 3. Piacesius in praxi, part. 2. cap. 3. Rodriquez in Compendio quæst. regular. quæst. 55.* quod procedit etiam in Monasteriis monialium, *Portell. in verbo Monasterium*, & regularibus non debet dari licentia, nisi prius vocatus per Episcopum illis, qui sunt superiores conventum existentium in terra illa. Antiquitus monasteria erant construenda extra Civitatem, ut ob concursum hominum, quies non turbaretur. *capit. luminosa 18. qu. 2.* Sed hodiè prohibentur construi extrà mænia Civitatum. *Triden sess. 25. de reformat, cap. 5. Ugolinus de potestate Episcopi, capit. 21.* loquendo præsertim de monialium monasteriis, & ultrà licentiam Ordinarij requiritur Summi Pontificis auctoritas, ut locum capiant Religiosi, *cap. 1. de excessibus prælatorum, in cap. 6. unico de religiosis domibus in 6. Rodriquez resolut. 55. Barb. par. 2. alleg. 26. & Triden. dict. cap. 3.* addit licentiam Ordinarij etiam requiri, licet multi putent licentiam Episcopi tantum esse necessariam, *Sorbus in Compendio mendicantium in verb. ædificare, Rodriquez quæst. regul. tom. 2. quæst. 49. ar. 3. cum sequentib.* Verum fratres ordinis Carmelitarum obtinuerunt licentiam, ut ubique de sola licentia ordinarij possint nova ædificia, & monasteria, construere, ut in Bulla Pauli V. 10. Sed Urbanus VIII. in Bulla 25. disposuit, non licere fundare nova monasteria, nisi servata Bulla Clementis VIII Sacrorum Canonum, & *Conc Trid.*

Sciendum est tertio, quod in monasteriis mendicantium non major numerus haberi debet religiosorum, quam manuteneri possit eleemosynis, *cap. quoniam de vita, & honestat. Cleric. cap. 1. capit auctoritate de institut. cap. unico, §. sanè de statu regular. in 6. Triden sess. 25. de regularibus, cap. 3.* Bulla Gregorij XV. 31. ubi disponitur, non posse Conventum erigi, nisi ubi ex redditibus vel eleemosinis ad minus 12. possint vivere, & cum consensu aliorum religiosorum, infrà quatuor miliaria existentium ad id vocati, sub quorum religiosorum nomine comprehendit Patres Societatis Jesu, ac Capuccionorum ut dicit Sacra Congreg. apud *Barbos. post tract. de potestate Episcopi, pag. 9. & lib. 2. cap. 12. num. 19.* sunt verò monasteria exempta ab auctoritate Episcopi, primo in solutio, è cathedratici, quam facere Episcopo non tenentur, *cap. intercætera 10. quæst. 3* fundata monasteria non possunt regulares deserere, nisi in manibus Ordinarij, *cap. cum ex eo de excessibus Prælatorum in 6. Rodriquez quæstionum regul. 1. tom. quæst. 23 ar. 6. Portellius in verbo monasterium, Rodriquez resolut. 55.* quod si unum monasterium destructum uniatur, & transferatur alteri, bona illi se secundo acquiruntur *Miranda in manuali Prælatorum, quæst. 34. articul. 4. conclus. 1.* De jure tamen communi requiritur licentia Papæ, ut fratres transferant Monasterium de loco ad locum *dict. cap. cum ex eo de excessibus Prælatorum, Miranda tomo primo, quæst. 33. art. 2. Rodriq. tom. 2. quæst. 44. ar. 4. Portell. in verbo Monasterium, Rodriquez dict. resolut. 55.* qui referunt multis regularibus fuisse concessum privilegium id faciendi, legas *Barb. d. lib. 2. ca. 12. in fin.*

Sciendum est quarto, dari etiam hospitale, quod dicitur ab hispitibus, qui ibi gratis recipiuntur, ubi verò mercede soluta peregrini hospitantur, hospitium vel diversorium appellatur primum dicitur Xenodochium, datur etiam Nosocomium, vel Nosconium, quod dicitur locus, ubi ægroti curantur, de quo in *l. Sancimus*, ꝰ. *Deo nobis, C. de Episc. & Cler.* & talium locorum ministri dicuntur, *In jure* Paraholani, *l. parabolani, C. eod. titulo. Duarenus libr. 1. de sacris ministris, cap. 19. Guido Pancirolla lib. 1. variarum lectionum, cap. 77.* datur etiam Brephrotrophium, quod dicitur locus ubi infantes aluntur, de quo in *l. illud 19. C. de sacros. Eccles.* datur etiam Proconophium, & est lacus in quo mendici aluntur, & pauperes, de quibus in *dict. l. sancimus, & in dicta illud*, ubi *Gloss.* datur etiam orphanonophium, ubi aluntur orphani, idest parentibus orbati, *l. orphanonophot 30. C. de Episc. & clericis; authent. de Eccles. tit. §. fin. Jalganeus lib. 3. de jure publico, tit. 119.* datur etiam Gerontocumium, idest locus ubi

senes

senes pauperes, & infirmi curantur; *d. l. illud, & l. sancimus*, & refert *Baronius* anno Christi 590. Pelagium Papam domum suam Gerontocomium pauperum senum fecisse, datur etiam Gresthophronium, & locus ubi fœminæ habitant debilium substentatrices. *Hostiensis in hoc titul.* sed generaliter omnia veniunt appellatione hospitalium, *Clem. qui* contingit, ubi *Glossa*, *Mandos. in regul.* 1. *cancellaria*, q. 9. *Gonzalez regul.* 8. *gloss.* 8. §. 4. *num* 11.

Sciendum est quinto, hospitale aliud esse religiosum, aliud vero non; *Gloss. in d. Clem.* 2. *in verb. Ecclesias*, *Ugolinus de potestate Episcopi*, *cap.* 24. dicitur hospitale religiosum, quod auctoritate Episcopi est constructum, *cap. ad hæc de religiosis domibus*, *Tiraquellus de pia causa in præfatione*, fuisse verò hospitale erectum auctoritate Episcopi, constat, tum quando est factum in forma Ecclesiæ, & in eo adest campanile cum campanis, *Menoch. lib.* 3. *præsumpt.* 132. *num.* 50. *& præsumpt.* 76. *Maschar. conf.* 869. vel si haberet nomen Sancti sibi appropriati, *Barbos. lib.* 2. *de jure Ecclesiastico*, *cap.* 11. *n.*16.*cum sequent.*, in quibus hospitalibus, fundatis auctoritate Episcopi, committitur simonia jure humano prohibita, *cap. Salvator prima quæst.* 3. *Suarez lib.* 4. *de simonia cap.*27. *Bonacina de simonia quæst.* 4. *n.* 17. gaudent ecclesiastica immunitate, ut supra diximus, Hospitale non religiosum est, quod ad libitum cujuscumque personæ sine Episcopi licentia fuit erectum, *cap. inter dilectos de donatione. Glossa in cap. quidam* 18. *quæst.* 2. quod non erit materia simoniæ, *Ugolinus dict. cap.* 24. nec immunitate gaudet, sed dicitur opus pium, quod geritur, ibi, *Gratianus cap.* 34. *Castillus*, *Garsia*, & alij apud *Barbos. alleg.* 75. *& lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 21, & hospitalia fundata auctoritate Episcopi in modum tituli collativi, sunt beneficia Ecclesiastica, *Ricc. collect.* 1655. *Garsia p.* 1. *cap.* 3.

De oneribus verò pij loci est Episcopo reddenda ratio administrationis, sivè ea sint publica, sivè privata, quod si aliis sint soliti administratores reddere rationes, cum illis erit adhibendus Episcopus, nisi aliud sit dictum in fundatione, quia tunc ipsa fundatio servabitur, ut decisum refert per Sacram Congregationem, *Barb. dict. lib.* 2. *cap.* 41. *Riccius in praxi par.* 1. *resol.* 132. *Bar. alleg.* 5. *num.* 63. omnia verò loca pia sub sunt Episcopo, *cap. de Xenodochiis de religiosis domibus*, si Ecclesiæ auctoritate fundata sint, *d. cap. ad hæc*, *& Trid. sess.* 22. *de reform. cap.* 8. dat generalem facultatem Episcopo ut possit omnia loca pia visitare etiam exempta, ubi tamen non prohibet lacis visitationem si hoc alias legitimè competat, quod si in fundatione hospitalis sit dictum Ordinarium non posse se intromittere in ejus visitatione, tunc non poterit illud visitare, *Rota decis.* 33. *par.* 2. *in recentioribus*, ubi habetur Episcopum posse visitare loca pia etiam laicalia sinè auctoritate Episcopi fundata, quæ possunt visitari quoad eum finem, nè indicenter tractentur, & ut voluntas defuncti adimpleatur, sed in vita ejus, qui hospitale fundavit, vel Oratorium, nec laicus, nec Ecclesiasticus Judex poterit se intromittere contra ejus voluntatem; *Velascus consult.* 105. quia in re sua quilibet est moderator, & arbiter, *l. in re mandata*, *C. mandati.* Illa verò hospitalia, & confraternitates, quæ sub immediata protectione Regia subjiciuntur, non possunt cognosci per Episcopos, *Trident. dict. cap.* 8. *Marta par.* 2. *de Jurisdictione*, *capit.* 8. quia Rex Hispaniæ præsertim est protector, *Concilij Trident. ut colligitur ex sess.* 25. *de reformatione*, *capit.* 4. ubi dicitur etiam de omnibus aliis principibus, in quibus tamen potest Episcopus visitare divinum cultum, & ornamenta, *Diana par.* 1. *de immunitate tract.* 2. *resolut.* 100. Si ergo Episcopo visitanti, vel violenti cognoscere opponatur de immediata protectione regia, talis exceptionis cognitio non ad laicum, sed ad ipsum Episcopum spectat, ut decisum refert *Marta dict. cap.* 18. *Barbos. alleg.* 85. *num.* 20. dicit etiam *Trident. ubi supra*, quod si deficiant pauperes in illo hospitali, & quod non sit id, in quo expendi debent fructus, tunc ad aliud opus pium auctoritate ordinarij expendi debent, nisi aliter dictum sit in fundatione.

Sciendum est sextò, Confraternitatum bona, si sint ipsæ fundatæ auctoritate Episcopi, sunt Ecclesiastica, & gaudent privilegiis piorum locorum, secus si aliter sont fundata, *Perez de Lata de Cappellaniis*, *lib.* 2. *cap.* 5. ego dico esse pias, etiam si non sint fundatæ auctoritate Episcopi, dummodò fiant ibi opera pia, post alios *Tiraquellus in præfat. de pia causa*, *Garsia par.* 5. *cap.* 1. *num.* 606. & relicta piis causis possunt relinqui confraternitatibus etiam sinè Episcopi auctoritate erectis, dummodò opera pia in eis fiant, & si sint fundata auctoritate Episcopi, eorum bona non possunt alienari inconsulta Sede Apostolica, de quibus si vendantur, non solvitur gabella, & si sint fundata tali auctoritate gaudent beneficio restitutionis in integrum, argumento, *cap.* 1. *de restitut. in integrum. & cap.* 1 *eodem tit. in* 6. *Clem* 1. *eod. tit. in* 6. *& Barbos. lib.* 2. *de jure Ecclesiastico*, *cap.* 11 *à nu* 78. & ità dicitur de præscriptione in prædictis bonis requisita.

Sciendum est septimo, Ecclesia, & loca pia multa habere privilegia; primum est, ut gaudeat Ecclesia omnibus privilegiis fisci, ut ex *l. fin. C. de sacrosanct. Eccles.* dicit *Tiraquell. l. de pia causa privil.* 143. gaudet secundo privilegis militum, *Glossa & DD. in l. sicut proponi*, *C. de reivendic. cap. inquirendum de peculio clericorum*, *Everardus in loco militum ad Ecclesiam*, *Maurus allegat.* 42. *Galletus in verb. milites. & Ecclesia*: Tertio gaudet privilegia alimentorum, quando militat eadem ratio, *l mela*, *ubi glossa*, *Bart. & alij*, *ff. de alimen. & cib. legatis*, quarto gaudet omnibus privilegiis dotis, quia valet argumentum de dote ad piam causam, *Everardus in topica*, *in loco à dote ad piam causam*; Quinto gaudet jure minoris, *cap.* 1. *de integr. restitut. Riccius in praxi par.* 1. *resol.* 88. transfertur dominium sinè traditione, valet ejus favore donatio omnium bonorum, *Tiraquellus privileg.* 10. *Francus decis.* 168 *num.* 2. aliaque multa privilegia refert, *Barb. lib.* 3. *de jure Eccles. cap.* 13. *per totum.*

TITULUS XXIV.

DE SEPULTURIS.

Visum est supra de religiosi domibus verum quia sepulturæ sunt in locis religiosis, meritò ponitur hic titulus. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, sepulturam posse accipi tripliciter, primo pro officio, quod impenditur corporibus humandis, *cap. dictum* 1. *quæst.* 1. Secundo pro laico, in quo quis sepelitur, *cap. abolendæ de sepulturis*, Tertio pro jure sepeliendi, quod quis habet in aliquo loco, & quod antiquitus ex legibus denegabatur sepeliri in Ecclesia, *l.* 3. §. *divus*, *ff de sepulchro violato*: hodiè ex lege Canonica permittitur, *cap. nullus* 13. *quæst.* 2. ubi *Gloss. in verb. fideles*

Rodriquez in Compendio, quæst. 128. & id ob rationem, de qua *S. Gregorius in cap. cum gravia* 13. *quæst.* 2. *cap. non æstimemus eadem causa, & quæstione*, tum scilicet, ut fideles, ingredientes in Ecclesiis, orens pro eis, tum ut Sanctorum patrocinio, & intercessione, releventur Jus verò sepulturæ concedere in Ecclesia spectat ad Episcopum, sine quo nulli est licitum sepulturam sibi in Ecclesia constituere, *Barb. lib.* 2. *de jure Eccles. cap.* 10. *nu.* 9. *cum sequentibus*, & probabitur, esse commune familiæ ex inspectione litterarum, *Mascardus conclus.* 1297. *Menoch. lib.* 2. *præsumpt.* 59. *Zerola in verbo arma*, quæ familia si deficiat, liberè jus illud redit ad Ecclesiam, à qua poterit alteri concedi. *Sylvester in verbo sepultura, quæst.* 3. Pro jure sepulturæ, seù, ut aliquis sepeliatur in Ecclesia, aliquid accipere, non est licitum, *cap. abolendæ de sepulturis*; sed usus prædictus vendendi cappellas pro sepulturis excusatur in praxi à simonia, quia vel datur pro eleemosinis, sicuti stipendium pro divinis, vel datur pro digniori loco, in Ecclesia habendo. *Cajetanus in verb. simonia. Menoch. casu* 277. *Tolet. lib.* 5. *cap.* 89. *Grat. dec.* 26.

Sciendum est secundo, electionem sepulturæ omnibus adultis competere, dummodò à jure non prohibeantur, *capit. cum liberum de sepulturis*, etiam in Ecclesiis regularium, relictis juribus Parochialibus Parocho. *Clem. dudum §. hujusmodi de sepulturis*, quare electio sepulturæ in Monasteriis regularium non poterit à Parochis impediri, *Riccius par.* 4. *resolut.* 293. & decisum refert per Sacram Congregationem *Barbos. de potest Parochi. cap.* 3. *cap.* 26. *num.* 22. & quia electio sepulturæ esse debet libera, sequitur, ut etiam revocatio sit facienda libere, quilibet enim usque ad mortem semper electam sepulturam potest revocare, *Cæsar de Crassis decis.* 1. *de sepulturis*, *Maceratensis lib.* 1. *variar. resol. casu* 59. ad quam electionem sepulturæ faciendam sufficiunt leniores probationes, ità ut etiam tacitus consensus admittatur, *Grat. cap.* 817. *n.* 13. *&* 14.

Ex quo fit, religiosos, ut clericos sæculares non posse inducere aliquem ad sepulturam eligendam in suis Ecclesiis, faciendo, ut id promittant sibi infirmi, *cap.* 1 *de sepulturis in* 6. *Ugolinus de potestate Episcopi, cap.* 17. *Bonacina de censuris, extra Bullam Cœnæ quæst.* 5. *pun.* 4. *Melchior Phebus decis.* 8. *Julius Laurius lib.* 1. *var. tit.* 2. *nu.* 11. etiam non sequuto effectu, *Rodriquez dicta resolut.* 128. quod si religiosus, vel alius induceret moribundum ad eligendam sepulturam non in sua, sed in alia Ecclesia, non incurreret censuram, nec peccaret mortaliter, ut bene *Toletus lib.* 2. *cap.* 36. *num.* 3. *Diana par.* 5. *tract.* 13. *resolut.* 101.

Pro filio impubere pater potest eligere sepulturam, si consuetudo terræ id patitur, secus, si minimè, tunc enim sepeliendus erit in sepultura suorum majorum, *cap. licet Pater de sepult. in* 6. *Medices de sepulturis, quæst.* 8. *Gratianus cap.* 94 *num.* 79. quia minor non potest sibi eligere, *dict. cap licet Pater. Tiraquellus de pia causa privil.* 9. Hæc consuetudo est in hac Civitate, teste *Genuensi in praxi, cap.* 76. decidit verò Sacra Congregatio, electionem sepulturæ pro filio à patre factam in vita valere, secus si fiat post mortem. Legas *Dianam par.* 5. *tract.* 3. *resolut.* 107. quod de patre dicit *textus in dict. cap. licet*, ampliant *DD. ubi sup.* ad dominum eligentem pro servo impubere, quod si impubes mortuus sit filius, & parentes sint sepulti in variis locis, tunc semper est sepeliendus in loco antecessorum, ubi major pars eorum sepulta est, & uxor, sepultura non electa, si maritus habet proprium sepulchrum, in ipso sepeliri debet, ut dixit Sacra Congregatio, apud *Barb. & Dian. loc. citatis.* Legas *eamdem Dianam resolut.* 108.

Mulier nupta potest eligere sibi sepulturam, sicut vir, *cap.* 7. *de sepulturis. Trentacinque cons.* 56. quod si decesserit non electa sepultura, debet sepeliri in sepulcro mariti, si inter eos sequuta si carnalis copula, etiam si mulier sit accusata de adulteria, & moriatur pendente lite, *Trentacinq. ubi supra*, Religiosi, cum non habeant electionem sepulturæ, sunt sepeliendi in propriis Ecclesiis, *cap. fin. de sepulturis, in* 6. *Sanchez in summa lib.* 6. *cap.* 14. *Riccius par.* 4. *resolut.* 293. Quod si moriantur religiosi extra claustra, tunc, parochis inconsultis, ad eorum Ecclesias deferri debent Sacra Congregatio, de qua *Diana par.* 5. *tract.* 3. *resolut.* 110. *Barb. de potestate Parochi, par.* 3. *cap.* 26. *num.* 3. sed si sint, ità in remotis ut non possint ad monasteria portari commodè, tunc possunt eligere sepulturam, *d. cap. ult. Sanch. ubi sup. num.* 3. sed si eam non elegerint, erunt in parochiali sepeliendi, *Sanch. ubi sup.*

Novitiis morientes possunt sepeliri in Ecclesiia suis ex privilegiis Religiosorum etiam si cum licentia Prælati moriantor in domibus parentum, sed credo quod si elegerint sepulturam, valet electio, quia id conceditur ex gratia, ut possint ibi sepeliri, legas *Dian. d. par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 109.

Si quis moriatur, sepultura non electa, est sepeliendus in loco majorum suorum, soluta quarta Parochiali, *cap. Hebron. cap. placuit* 12. *quæst.* 2. *cap. fraternitatem de sepulturis, cap. ii, qui eodem tit. in* 6 *Ugolinus capit.* 7. *de potestate Episcopi*: si verò nullam habeant majores sepulturam, sepeliendus est in Parochia sua, *cap. ex parte, capit nostra de sepulturis*, sic si clericus sepulturam non eligit, nec majorum suorum habet, sepeliendus est in Ecclesia, quam administravit: *Bursatus consil.* 276. Apud nos in hac Civitate sepelitur, qui non eligit sepulturam in Cathedrali, Peregrinus, qui moritur dum est in via sepelitur in Cathedrali. Canonicus verò Ecclesiæ Cathedralis sepeliendus est potius in Cathedrali, quam in Parochia. *Bonacina de contractibus disp.* 3. *quæst* 21. *par.* 3. *num* 6. *§.* 10. *Diana par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 111. *Barb. de potestate Parochi, cap.* 26. *num.* 36. debet etiam Parochus, dum accedit ad infirmum communicandum, interrogare in genere, non in specie, dicendo ubi velit sepeliri, ipsam specialiter nominando. *Riccius par.* 4. *resolut.* 203. *num.* 3. si verò moribundus committat uxori, filio, vel alteri electionem suæ sepulturæ, talis electio fieri debet eo vivente. Legas *Dian par.* 1. *tract.* 3. *resol.* 105. Si verò quis dixerit, infirmum dixisse, se velle in tali loco sepeliri, non erit ibi sepeliendus, quia requiruntur saltem duo testes, cum sit species ultimæ voluntatis. *Genuensis in praxi, cap.* 6. *nu.* 10. sed apud nos sufficit dictum Confessarij, ut practicari dicit *Genuensis*, cujus meminit *Diana par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 106.

Sciendum est tertio, habentem propriam sepulturam posse impedire aliis, ne in ea sepeliantur, quia utitur jure suo, *l.* 2. *§. usumfructum, ff. de religiosis, & sumpt. funer.* poterit tamen Episcopus, aut Rector Ecclesiæ dispensare in casu necessitatis, ut quis in alterius sepultura sepeliatur, etiam ipso patrono dissentiente, *cap. aurum* 12. *quæst.* 2. quia esset patronus irrationabiliter invitus. *Lazerius tit.* 20. *cap.* 9. *num.* 19. quando vero quis invito patrono transtulit cadaver alicujus in locum ipsius, potest cogi ad auferendam, *Bonac. disput.* 3. *de contractibus quæst.* 21. *par.* 3. *num.* 50.

lu

In §. Non tamen omnes.

Agitur hic de illis, qui sunt sepeliendi in Ecclesiis: ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, omnes posse sepeliri in Ecclesiis, quibus expresse id non prohibetur, si petas, quibus prohibeatur, dico, quod.

Primò, Pagani, Hæretici, Judæi excommunicati notoriè, & denunciati non possunt sepeliri in Ecclesiis, *cap. sacris de sentent. excommunicat. cap. ii*, qui eodem *tit. in clement.* 1. *de sepulturis*, *Sancius in selectis disput.* 36. nisi in periculo mortis excommunicati, & alij dederint signa pænitentiæ, ut declaratum per Sacram Congregationem refert, *Barb. de potestate Parochi, cap.* 26. *par.* 3. *nu.* 40.

Ex quo infertur, cathecumenos posse secundum probabiliorem sententiam sepeliri in Ecclesia, quia sunt mortui cum baptismo in voto, *Bonacina disp.* 3. *de contractib. quæst.* 21. *pun.* 2. Illa vero p er, qui mortuus est sine baptismo, non est sepeliendus in Ecclesia, quia hic est paganus. Infans verò, qui in secundina est baptizatus, potest, sepeliri in Ecclesia quia valet baptismus ei taliter collatus, *Diana par.* 5. *tract.* 3. *resolut.* 112. si tamen secundina est porosa, ità, ut aqua potuerit, corpus attingere, alias non valebit baptismus, eritqua privandus ecclesiastica sepultura, *Bonacina ubi supra*, excommunicati verò tunc privantur sepultura ecclesiastica, quando sunt evitandi, secus si sint tolerati, *Diana par.* 5. *tract.* 9. *resolut.* 79. & sunt excommunicati mandantes eos sepeliri, vel propriis manibus sepeliantes, non verò alij, *Diana par.* 5. *tract.* 9. *resolut.* 92. *& par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 140.

Infertur secundò, non posse sepeliri in Ecclesia duellantes, etiam si signa dederint pænitentiæ, *cap.* 1. *de torneamentis*, & confessi, & communicati fuerint, *Gratianus cap.* 410. *Peregrin. de duello, quæst.* 7. *Triden. sess.* 25. *de reform. cap.* 9. etiam si constet, alio die mortuum fuisse confessum, & communicatum, *Sancius in selectis disputat.* 36. *num.* 7 *Diana par.* 2. *tract.* 2. *miscell. resolut.* 54. *Bonacina de censuris extra Bullam Cœnæ disput.* 2. *quæst* 3. *pun.* 48. *num.* 22. qui ait, Parochum non debere illos sepelire, nec ecclesiasticam sepulturam denegare, sed rem ad Episcopem, seù ejus Vicarium referre debere. Ratio quare duellantes privantur sepultura licet confessi, & communicati fuerint, est ad terrorem aliorum, & practicatum refert in Curia nostra Archiepiscopali, *de Marinis cap.* 110. sed alij putant posse sepeliri sine ulla Episcopi dispensatione; de quara, *Diana par.* 5. *tract.* 3. *resolut. ultima*, *& par.* 2. *tract.* 2. *miscell. resolut.* 54. *par.* 4 *tractat* 4. *resolut.* 192. qui putat posse sepeliri in Ecclesia, si dedit signa pænitantiæ, sed loquuntur contra *textum in d. cap.* 1. *de torneamentis*.

Si verò quis in actu veneteo moriatur, vel loquelam amisit morbo correptus, & paulò post expiravit, non est sepeliendus secundum aliquos, licet contrarium dicant alij, de quibus *Diana par.* 5. *tract.* 3. *resolut.* 99 *per totam*, qui verò dicantur duellantes, & quando incurratur pæna ipsius duelli, dicemus *in* 4. *lib. in tit. de censuris*, si verò quis reperiatur suspensus laqueo, vel in puteo mersus, & apparaat, quod non fuerit ab alio sed à se ipso occisus, non est sepeliendus in Ecclesia, secus si ignoratur, an ab alio, vel à seipso, quia præsumitur ab alio, ideoque non est privandus sepultura. Legas *Dianam par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 110

Secundò, neque gaudent ecclesiastica sepultura manifesti usurarij, nisi alter restituerint, vel satisdederint de restituendo, *cap. quia de usuris*, *cap. quamquam eodem titulo*, *in* 6. undè potest Episcopus usurarios manifestos publicè excommunicatos, & nomina im interdictos ex humare scere, etiam de monasteriis exemplis regularium, & projici ab Ecclesia, *Clemen.* 1. *de sepulturis*, *Rodriquez resol.* 128. *num.* 4. Manifesti raptorar, nisi restitutione facta, non possunt sepeliri in ecclesia, *cap. super eo de raptoribus*, nec sunt sepeliendi in ecclesia, qui semel in anno confessi fuerint, *cap. omnis utriusque sexus de pænit & remiss. Ugolinus de potestate Episcopi*, *cap.* 17. *n.* 4. Neque sunt sepeliendi Religiosi utriusque sexus proprietarij, si moniti à superiore, absque pænitentia decesserint, *cap. monachi de statu monachorum*, *Ugolinus dict. cap.* 17. *Portellius in verbo sepultura*, *num.* 11. *Hieronymus Rodriquez resolut.* 228. neque sunt sepeliendi in Ecclesiis occidentes seipsos ex proposito, *cap. placuit* 23. *quæst.* 5. *Navarr. cons.* 6. *&* 7. *de sepulturis*, *Barbos. de potest. Parochi*, *cap* 26 *num.* 49. & illi, qui non rastituunt ecclesiæ decima, *c. prohibemus de decimis*. *Monet. d. dec. c.* 8. *num.* 74. vel cle icus notoriè concubinarius perseverans, usque ad mortem sine pænitentia, hic enim non est cum aliis fidelibus sepeliendus, *cap. quæsitum*, *cap. quibus* 13. *quæst.* 2. *cap. placuit* 23. *quæst.* 5. *Paulus Comitolus libr.* 1. *responsorum*, *quæst.* 58. Sed si fiat legatum Ecclesiæ pro sepultura, adhùc ei debetur, etiam si restator ob culpam suam sepultura privaretur, *Gallectus in margarita casuum conscientiæ in verbo legatum factum Ecclesiæ*. Cavare debet Parochus, ne sub ura extu jurium parochialium non solutorum cadaver maneat insepultum, ut dixit Sac. Congreg. apud *Barb. de potestate Parochi*, *c.* 26. *nu.* 55.

Est primo sciendum, quod si corpus defuncti depositatur in Parochiali, ut indè transferatur ad aliam Ecclesiam, in qua eligit sepulturam, jura parochialia debentur parochiæ possunt tamen deferri ad Ecclesiam, in qua sepelienda sunt, & competit hæredibus jus convocandi, quos volverit Sacerdotes, quod si hæres nullos designaverit, tunc jus convocandi alios competit parocho. Sacra Congregatio, apud *Barb. de potestate Parochi*, *cap.* 26. *num.* 57. *cum sequentib.* Proprius Parochus nunquam excluditur, licet sint vocati alij etiam regulares. Regularibus non est licitum cadavera levara irrequisito proprio parocho, ut decisum per Sac. Congregationem refert *Ugolinus de potestate Episcopi*, *cap.* 17. *Gratianus cap.* 1442. *à num.* 39. neque religiosi possunt cum Cruce intrare Parochias ad lavanda corpora defunctorum, apud suas Ecclesias sepelienda, nisi prius præmonito parocho, *Gratianus ubi supra*, & corpus defuncti tenetur Parochus benedicere, non verò reglares, ad quorum Ecclesiam defunctus portatur, ut decidit sacra Congregatio, apud *Barb. de potestate Parochi*, *capit.* 26. *numer.* 67. Fuit verò dubitatum, apud Sacram Congregationem, an liceret regularibus, quando moritur aliquis magister, vel Cathedraticus, eum per Civitatem afferre cum musicis instrumentis, & usibus extraordinariis sinè interventu Parochi, & respondit Sacra Congregatio non licare, *Lezana de regul cap.* 12. *num.* 41. Mulieres moniales vitam celibem ducantes etiam in consulto Parocho in propriis Ecclesiis suorum religiosorum poterunt sepeliri ut decisum refert per sacram Congreg. *Barb. ubi sup.* Parocho atiam competit declarare, per quam viam sit deferendus defunctus in eius usque ad Januam Ecclesiæ regularium, qui sicut defert stolam in propria Parochia; ità in Ecclesia fratrum, dum corpus in Ecclasia sepelitur, & debet Parochus associare cadaver, usque ad Ecclesiam, ubi

ubi est sepeliendus, ad quem pertinet facere officium super cadaveribus, non ad sacerdotes talis Ecclesiæ, sed in Ecclesiis regularium fieri debet per regulares, *Gratianus capit.* 491. nec debent Parochi plurea recipere pro tumulandis cadaveribus exteriorum, quam Civium, quod si defunctus sit pauper sepeliri debet gratis; legas *Sancium in selectis disput.* 47. *nu.* 18. *Barb. par.* 3. *de potestate Parochi n.* 83.

TITULUS XXV.

De Canonica portione.

Vhom est supra de sepulturis, quæ fieri debent regulariter in parochialibus Ecclesiis: verum quia pro sepultura etiam, quod corpus sepeliatur alibi, debetur Parocho quarta de jure canonico, meritò ponitur hic titulus; ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, Canonicam portionem dici illam, quæ debetur Ecclesiis secundum canones, *cap. de his; cap. decernimus* 10. *quæst.* 1. *cap. constitutum* 16 *quæst.* 1. *Clem. dudum de sepulturis*, de qua loquuntur, *DD. in cap. officiis* 44. *& capit. ultimo, de testamentis*. Datur verò Parocho propter Sacramenta, quæ ministrat suis Parochianis, *cap.* 1. *capit. relatum, cap. de his, de sepulturis, Riccius par.* 4. *resol.* 299. *Rodriquez resolut.* 18. de jure est quarta, ut in juribus citatis de consuetudine potest esse medietas, vel tertia, *cap. antiquos* 10. *quæst.* 1. *cap. certificari de sepulturis*, *Cardin. Tuschus lit.* R. *conclus.* 23. *Ugolinus cap.* 17. Debetur quarta parochialis de omnibus bonis, quæ obveniunt in die funeris illi Ecclesiæ, ubi quis sepulturam eligit, *Covarr. in cap. ultim. de testamen. num.* 7. & sic dicuntur funeralia; immò si aliquis sepeliatur in Ecclesia ordinaria pompa, & deindè mane sequenti fiant extraordinariæ solemnitates cum majoribus expensi candelarum intus Ecclesiam, debetur quarta ex funeralibus, secundo loco factis. Illas verò candelas, quas fratres præmanibus portant in exequiis, sibi acquirunt, non verò subjiciuntur quartæ, debetur etiam quarta de candelis, seu cereis accensis, quæ circa crucem, & cadaver deferuntur, debetur etiam de illis, quæ dantur pro dicendis missis, *Gloss. in d. Clem dudum. Barbos. allegat.* 86. de armis, & aliis, quæ in feretro deferuntur: de illis verò legatis, quæ sont facta Ecclesiæ, vel locis piis pro fabrica, ornamentis, cereis, anniversario, & similibus debetur quarta parochio, vel si illi jure institutionis relinquatur, & de omnibus legatis debetur, quæ relinquuntur Ecclesiæ, ubi quis eligit sepulturam, *cap.* 1. *&* 2. *de sepulturis*, si relinquatur legatum ratione loci, non personæ, *Sylvester in verb. Canonica portio*, sed non debetur in legato facto monasterio exempto. Secundo non debetur de legatis factis pro ornamentis Ecclesiæ, vel pro fabrica, dummodò Ecclesia indigeat reparatione, *Covarr. in capit. ultim. num.* 5. *de testamen.* debetur verò hæc quarta Ecclesiæ parochiali, quia æquiparatur matri, cui debetur legitima in bonis filiorum, *Tuschus in verbo quarta funerum. conclus.* 22. De donatis Ecclesiæ inter vivos non debetur quarta, nec debetur; quarta ea eo legato, quod testator adimplevit in vita, tradendo rem ipsam, quando legatarius rei legatæ acquiri dominium irrevocabiliter: nec debetur quarta de illis, quæ alteri Ecclesiæ relinquuntur alia ratione, quam sepulturæ, quia illa non dicuntur causa funeria, *cap.* 1. *de sepulturis*, *Azor. par.* 2. *lib.* 9. *capit.* 13. *quæst.* 4.

Sciendum secundo est; hanc quartam deberi ab ecclesiis, ubi sepeliuntur, *d. cap.* 1. *de sepulturis*, *d. Clem. dudum*, & tenentur etiam religiosi, *d. Clem. dudum*, *§. verum Cavalerius dec.* 101. *Portellius in verb. canonica portio, num.* 8. *Rodriquez in compend. quæstion. regular. resolut.* 18. Illi verò religiosi, si qui à tali quarta sunt exempti per privilegia, eam solvere non tenentur, *Gratianus cap.* 925. dummodò per privilegia sit expressè derogatum, *Clem. dudum, de sepulturi*: non autem generaliter, *Rota decis.* 122 *par.* 1. *divers.* & neque tenentur illi solvere quartam, qui præscripserunt jus solvendi spatio 40. annorum, post alios *Barb. p.* 3. *de potest. Parochi, cap.* 25. *num.* 16. Quod si Parochianus eligit sepulturam in alia ecclesia, & relinquit legatum æquivalens propriæ Parochiæ, censetur legasse animo compensandi cum ea quarta, quam debet ei relinquere, *Portell. in verb. Canonica portio, Hieronym. Rodriq. resolut.* 18. *num.* 8.

Sciendum est tertio, quartam parochialem deberi Ecclesiæ, in qua quis erat obligatus recipere Sacramenta, puta Ecclesiæ Parochiali, *d. cap cum quis de sepulturis dict. Clemen dudum, Mantica decis.* 294. *Cavalerius decis.* 101. & ratione sacramentorum debetur: limita, quando eo tempore, quo moritur defunctus, parochialis erat interdicta, *Portellius, & Rodriquez ubi supra*, valent verò conventiones, & pacta inter Ecclesias, & Parochum, cui debentur, Debentur verò de omnibus, quæ debentur ratione funerum in die funeris, *Rodriq tom* 1. *quæst regul. q.* 39 *art.* 2. *Covarr. in cap. ultim. de testament. n.* 7. *Barb. de potestate Parochi, par.* 3. *cap.* 25.

In §. Canonica cum sequenti.

AGitur hic de quarta Episcopali, quæ debetur Episcopo, ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, quartam Episcopalem deberi Episcopo de legatis piis, & funeralibus oblationibus factis Ecclesiæ, seu locis piis sibi subjectis, *capit. requisisti, cap. de his, de testamentis, capit. quarta de præscriptionibus*, & id optima ratione factum est, quia Episcopus est Pater spiritualis, & onus Episcopale substinet, ergo congruum est, ut ipsi ratione paternitatis spiritualis, & oneris Episcopalis quarta portio solvatur, quæ tamen quarta, juxtà locorum consuetudines solvenda est, alicui enim est dimidia pars, alibi tertia, alibi quarta, quæ consuetudo est servanda, *cap. certificari de sepulturis, Laverius titul.* 2. *cap.* 17. *n.* 91. nec debetur hæc quarta de relictis per donationem inter vivos, sed solum in ultima voluntate, *dicto capit. requisisti, de testamentis Card. Tuschus practic. conclus. in verb* 4. *conclus.* 22. nec debetur hæc quarta Episcopo de lagatis piis, non relictis Ecclesiæ, sed personis, puta de relictis pro maritandis puellis, vel monachandis, vel de legatis relictis pro alimentis pauperum, *Quaranta in summa Bullarii in verbo quarta Episcopalis, n.* 26. nec debetur quarta Episcopo de legatis factis hospitali, non erecto auctoritate Episcopi, nec de relictis ad usus privilegiatos, putà pro restauratione, ædificatione, vel reparatione Ecclesiæ, aut locorum piorum, *dict. cap. ultimo, de testament.* legas *Bonacinam ubi supra*, & addit *Barb. de potestate Episcopi part.* 3. *allegat.* 86. tunc non deberi quartam de legatis factis pro restauratione, ædificatione, & reparatione Ecclesiarum, etiam si Ecclesia tali ædificatione, & similibus non indigeret.

Scien-

Sciendum est secundo, deberi Episcopo quartam decimarum ex his, quae parochi percipiunt, *cap. antiquos, capit. percipimus* 10. *quaest.* 1. *cap. constitutum* 16. *quaest.* 1. *cap.* 1. *& cap. unio* 10. *quaest.* 3. *cap. pristis eadem causa, & quaestion.* Hodiè verò, quarta debetur Episcopis de omnibus decimis Ecclesiarum parochialium sui Episcopatus, sinè ullo onere fabricae, *cap. conquerente de offic. ordinarii*, *c. de quartâ de praescript.* ratione conjunctionis, & universalis curae, quam habet Episcopus in Ecclesiis subjectis, *Monet. de decimis cap.* 7. *quaest.* 2. *num.* 14. *Seraphinus decis.* 1449. ubi fundat, quod haec quarta debetur de Jure communi, non verò de consuetudine: verum hanc quartam non potest exigere immediatè à laicis, sed illam debet exigere à Parocho, *Seraphinus loco citato*, qua de re; legas *Barbos. loco cit. dict. allegat.* 86. *per totam.*

Sciendum est tertiò, Episcopo deberi etiam charitatuum subsidium, seu charitatis auxilium; quia per charitatem peti debet, non per vim extorqueri, *cap. ex parte de censibus*, & appellatur subsidium, quia sicut subsidiaria actio datur principali deficiente, sic hoc subsidium petitur, quando redditus proprii Ecclesiae non sufficiunt pro oneribus incumbentibus, *Guido Papa decis.* 371. *Riccius decis.* 52. *par.* 1. immò praescribi nullo modo posse ea multis docet, *Barb. allegat.* 87. *num.* 3. quia esset praescribere contra charitatem, licet autem hoc dicatur charitatis auxilium, non per hoc tamen denegatur, quin justa existente causâ non possit Episcopus clericos subditos compellere ad tale subsidium solvendum; immò potest eos excommunicare, qua de re, *Barb. n.* 5.

Dices, ergo Episcopus esset Judex in causa propria contra, *text. in l.* 1. *C. ne quis in sua causa.*

Respondetur, non esse absurdum Episcopum posse esse Judicem in causa propria existente justa, & rationabili causa, quae spectet ad dignitatem, & honorem Ecclesiae, argument. *text. in cap. Romana de paenis*, latè *Alexander Trentacinq. variat. resol. tit.* 20. *de Judic. resol.* 5. *n.* 7. *Barb. d. alleg* 86 *num.* 6.

Rogabis, qui possint exigere charitativum subsidium?

Respondetur, Episcopus electos, & confirmatos, non dum consecratos, quia hoc est jurisdictionis, non ordinis, *dict. cap. conquerente*, *Azorius par.* 2. *lib.* 2. *cap.* 14. *quaest.* 50. Secundo Archiepiscopus, & Patriarcha ab Ecclesiis, & clericis suae Provinciae, *Azorius loco citato.* Tertio Administrator, seu Coadjutor, datus Episcopo per Papam, vel Ecclesiae Cathedrali vacanti, potest à subditis ipsius Ecclesiae exigere charitativum subsidium, *cap. is, cui de elect. in* 6. *cap. ultimo de supplenda negligenti Praelatorum.* Quarto Cardinales habentes jurisdictionem in Ecclesiis suorum titulorum, possunt tale subsidium petere, *Azorius loco citato.* Quinto. Legatus Papae ab ecclesiis Provinciae sibi delegatae potest illud petere *DD citati.* Sextò, Summus Pontifex exigere potest tale charitativum subsidium ab omnibus clericis, & ecclesiis, tum quia ea dominus, & ordinarius cunctorum Episcoporum universalis ecclesiae & ordinarius ordinariorum, *cap. cuncta, per mundum* 9. *quaest.* 3. tum quia habet administrationem liberam omnium beneficiorum, *cap.* 1. *de praebendis, in* 6. *Clem.* 1. *ut litè pendente.*

Advertè tamen primò, quod Vicarius generalis Episcopi non potest tale subsidium exigere, nisi de mandato speciali ipsius Episcopi, quia hoc nullo jure generali est illi concessum. Secundo, adverte, quod capitulum sede vacante potest tale subsidium exigere, *gloss. in cap. cupientes*, *§. ad hac in verb. attendit, de elect. in* 6. Tertiò advertè, quod quando Episcopus à clero suo vult exigere charitativum subsidium, debet illud facere cum consilio sui capituli, & consensu clericorum, *cap. novit, cap. quanto de his, quae fiunt à Praelatis*, legas *Barb. loc. cit.*

Rogabis secundo, ex quibus causis debeatur charitativum subsidium?

Respondetur, quod debet Episcopus, vel omnis Praelatus habens jus exigendi charitativum subsidium, congregato clero exprimere illi causam, quam habet ad tale subsidium exigendum, puta petendo illud pro consecratione sua. Secundo pro solutione debitorum, quae contraxit ob tuenda jura suae Ecclesiae. Quarto, si magnam fecerit emptionem pro fabrica suae Ecclesiae. Quintò, si Episcopus fit per factus ad Papam, Imperatorem, vel Regem ob suae Ecclesiae, Diaecesi, vel totius Ecclesiae utilitatum. Sexto, si sit visitaturus limina Sancti Petri, ut adimpleat juramentum; de quo in *cap. in fine, de jure jurando*: Septimo, si ire vellet ad Concilium, & ob aliquam aliam causam aequivalentem, quae Judicis remittitur arbitrio, sicut eidem remittitur quantum esse debet, cum non sit taxatum. Legas tamen *text. in extravaganti*, quae incipit, *Vas electionis de censibus*, & *Barbos. loc. cit.*

Rogabis tertiò, à quibus personis possit exigi charitativum subsidium?

Respondetur posse primò, exigi à Clero, & Ecclesiis Civitatis, & Diaecesis, *dict. capit. conquerente de officio ordinarii, cap. cum Apostolus* §. 1. *de censibus*, à laicis petere non potest, *cap. quia cognovimus quaest.* 3. Secundo potest Episcopus tale subsidium petere à Capitulo, seu Canonicis Ecclesiae Cathedralis, quando ab eo petitur ex causis legitimis, de quibus supra. Tertio, Rector Ecclesiae, habens Ecclesiam in una Diaecesi, in alia verò praedia, ex quibus fructus percipit, debet solvere subsidium Episcopo in cujus Diaecesi est Ecclesia, quia tale onus substinent beneficiarii ratione Ecclesiarum, quas habent. Quarto pensionarius, & rector beneficii pro rata tenetur contribuere ad subsidium de stylo verò Curiae Romanae Pensionarius eam non solvit, *Barbos. ubi supra num.* 52.

Non tamen tenentur solvere Clerici pauperes, qui scilicet ex eorum beneficiorum redditibus nihil habent ultrà commodum, & honestum victum, ideò habens beneficium, sed nullos habens fructus propter bella continua, assiduas inundationes, &c. nullo jure cogitur subsidium praedictum praestare, nec tenentur ipsum praestare Ecclesiae exemptae, qua de re: legas *Barb. d. allegat.* 87.

In ℣. *Sed in hac, cum sequenti.*

Conclusio hujus textus est, non deberi quartam Ecclesiae, de illis, quae relinquuntur Episcopo ab aliquo consanguineo ipsius, quia censentur relicta affectu consanguinitatis, & consequenter personae Episcopi, *cap requisisti de testament.* quando verò fit legatum Episcopo, & Ecclesiae ab aliquo conjuncto ipsi Episcopo, tunc dividitur aequaliter, inter Ecclesiam, & Episcopum, intellige quando Episcopo, & Ecclesiae Cathedrali legatum relictum est, secus si Ecclesiae non cathedrali, quia tunc legatum non dividitur; verum Episcopus detrahit quartam ex illa parte Ecclesiae, *d. cap. requisisti*, quia major est conjunctio Episcopi cum Ecclesia Cathedrali, quam cum aliis Ecclesiis inferioribus.

In §. Secus autem.

Conclusio hujus textus est, quod si aliquid relinquitur Episcopo; ea conditione adjecta, ut Episcopus sit contentus parte sua, non poterit Episcopus quartam detrahere, sicut etiam dicitur de falcidia, ut notatur in *cap. officii de testamentis*, ubi etiam habetur quod non potest fieri fraus quartæ, debitæ Episcopo, ut habetur ib.

Ex quo habes, obligationem solvendi quartam posse pluribus modis auferri. Primo enim tolli potest dispensatione Summi Pontificis, quia cum sit à Jure Canonico introducta, eodem jure disponente potest tolli. Secundo potest auferri per consuetudinem, legitimè introductam, *cap. de quarta de præscriptionibus*, quæ consuetudo tempore 40. annorum introduci potest, quia tale tempus requiritur ad præscribendum aliquid contra Ecclesiam. *Barbos. de potestate Episcopi.*

In ♁. Hoc autem, cum sequenti.

Conclusio hujus textus est, quod si alicui sit relictum aliquid, qui potest proprium possidere, si talis legatarius non habet prælationem; vel administrationem, præsumitur relictum intuitu personæ non autem ecclesiæ, ut in *dict. cap. officij*, & *cap. requisisti, de testament.* Quando verò est dubium, an sit relictum intuitu ecclesiæ, vel personæ præsumitur ecclesiæ, *cap. cum dilectus de testament.* quando autem non servantur ea, quæ ponuntur in legatis piis, Camera Apostolica habet locum, ut in Bulla Pij V. quæ incipit. *Exigit*, qua de re, *Navarr. in manuali cap.* 12. *num* 68.

Tandem adverta, quod causa, quartæ Canonicæ agitur debet coram Judice ecclesiastico: dum petitur quarta prædicta ab ecclesia legataria, quia tam actor, quam reus subjiciuntur potestati Ecclesiasticæ, quando vero petitur ab hærede laico, peti potest coram Judice sæculari, quia actor sequitur forum rei, qua de re, *Lavorius var. lucubrat. titul.* 12. *num.* 64.

TITULUS XXVI.

De decimis, primitiis, et oblationibus.

Visum est supra de rebus spiritualibus, verum quia decimæ accedunt rebus spiritualibus, merito ponitur hic titulus. Habent enim decimæ mediam quandam naturam inter res temporales, & spirituales, quia Jus decimandi est spirituale, sed fructus decimarum sunt temporales. Ad intelligentiam vero hujus tituli.

Sciendum est primò, quod appellatione decimæ intelligitur quota bonorum, debita ecclesiæ ministris in ipsorum subsidium, & administrationem, quid sicut ministri Ecclesiæ præbent nobis spiritualia, ità congruum est, ut eis temporalia præbeamus, *Moneta de decimis cap.* 2. quæ quidem decima si sumatur, ut dicit fructus, est quid temporale: si verò sumatur, ut dicit Jus exigendi fructus, tunc est, quid spirituale.

Sciendum secundo est, quod si decima sumatur, ut dicit aliquam partem, indeterminatam, & indefinitam bonorum, est de jure Divino, competens; Clericis, ut patet, *Corinth. cap.* 9. ibi; *spiritualia seminant, temporalia metunt*, si verò sumatur, ut est pars certa, & determinata scilicet decima, & non octava, vel alia, tunc est de jure Ecclesiastico, taxata ab Ecclesia, ut de communi docet, *Bonacina de præceptis Eccles. disp. ultima, quæst.* 5. *punct.* 1. *Barb. de potestate Episcopi*; *par.* 1. *titul.* 1, *cap.* 6. *num.* 25.

In ♁. Decimarum cum sequenti.

Agitur hic de divisione decimarum, ad cujus intelligentiam sciendum est, quod decimæ sunt in triplici differentiæ, aliæ enim sunt prædiales, aliæ personales, aliæ mixtæ. Prædiales, seù reales sunt, quæ percipiuntur ex prædiis, ut est frumentum, vinum, oleum, & alij fructus ex terra, & arboribus provenientes. Personales sunt decima pars fructuum, qui proveniunt ex acquisitis ex industria, artificio, & opera personæ, ut ex stipendiis, lucris, mercatura, militia, venatione, & similibus justè acquisitis.

Decimæ mixtæ sunt, quæ partim debentur ex hominis industria, & partim ex prædiis provenient, ut sunt fœtus animalium, qui partim ex pascuis, partim ex animalibus proveniunt, interveniente hominis industria in illis alendis, & custodiendis. *Moneta de decimis, capit.* 3 *Regens Tappia in Jus Regni lib.* 1. *pag.* 69. *Mart. Bonac. de præscriptis disput. ult. quæst.* 5. *p.* 2.

Differunt verò decimæ prædiales à personalibus, nam prædiales debentur collectis fructibus; personales verò in fine anni, *cap. pervenit, eod. tit.* & pro decimis potest poni custos nomine curati, *Guido Papa decis.* 283. *Francus decis.* 117. Item prædiales debentur non deductis expensis pro fructibus colligendis, *cap. pastoralis, eodem titulo*; Undè debet Parochus ess consequi, absque ullo dispendio, vel onere, *cap revertimini* 16. *q.* 1.

Differunt etiam, quia prædiales debentur ex territoriis parochiæ, ubi sita sunt prædicta, personales verò Ecclesiis, ubi quis divina audit, *cap. pastoralis, eod. tit.* distribuendo proportionaliter inter loca, ubi quis audit divina, *Summista in verb. Decima.*

In ♁. eadem ratione.

Agitur hic de quibus bonis decimæ tam prædiales, quam aliæ solvi debeant: ad cujus intelligentiam.

Sciendum est primò, quod decimæ dari debent de omnibus fructibus, & quasi fructibus omnium rerum, quæ quodammodo nobis frugiferæ sunt, ut agrorum, arborum, domorum lotbecarum, molendinorum, piscinarum, & aliarum, *cap. non est, cap. ex transmissa, cap. pastoralis, de decimis. Moneta de decimis capit.* 4. *Riccius in praxi resolut.* 109, *Novarrius quæstion. forens. lib.* 1. *quæst.* 25. verum servatur pro illis solvendis jus non scriptum, cum in multis locis non solvantur, quæ consuetudo est maximè attendenda, *Guttierez practic. quæst. lib.* 1. *quæst.* 19. *num.* 23. quando verò solvuntur decimæ de agnis, non debent dari statim, ac nati sunt, sed quando non indigent materno lacte; *Francus decis.* 154. *Anna cons.* 65. *Riccius in praxi resolut.* 252. nisi consuetudo esset in

in contrarium, & debentur illi Ecclesiæ Parochiali, in qua animalia morantur, & pascunt, quod si hyeme pascant in uno loco, & extate in alio, tunc dividuntur decimæ inter duas Parochias, *Riccius ubi supra*, *Novarius in suis conclusionibus concl. unica de decimis.*

Ampliatur, ut solvendæ sint decimæ etiam de Novalibus, puta de agro, de novo ad culturam redacto, de quo memoria non extat, quod aliquando cultus fuerit, *cap. quid per Novale de verb. signific. cap. 2. de decimis in 6. Bonacina de legibus disput. ultima quæst. 5. pun. 2. num. 3.* latè *Moneta de decimis cap. 4. num. 58.*

Sciendum secundo est, quod decimæ sunt solvendæ integrè, & sinè diminutione, *cap. commissum, cap. tua nobis, de decimis, Trident. sess. 25. cap. 12. de reformat.* undè peccat mortaliter, qui fraudat in parte notabili, & inter fraudatores numerantur etiam, qui deteriores res dant pro decimis, *Moneta cap. 6. Regens Tappia lib. 1. de Jure Regni in titulo de decimis pag.* 88.

Ampliatur, ut debeant solvi ex integris fructibus, priusquam ex illis deducantur tributa, census, aut similia onera, *cap. cum non sit, cap. tua nobis, de decimis, Moneta d. cap. 6 num. 37. Bonacina de præceptis disput. ultim. q. 5. pun. 3. num 17.*

Sciendum est tertio, decimas solvendas esse eo tempore, quo consuetudine solvi debent: regulariter dantur prædiales statim fructibus perceptis sinè morali mora, *cap. cum hominis de decimis, Riccius in praxi resolut.* 252. & id in loco, ubi natæ sunt, Decimæ verò personales solvuntur in fine anni, & ubi adest consuetudo debent decimæ portari in loco consueto, putà in horreo, *Covarr. lib. 1. var. resolut. cap. 17. num.* 8. & alij locis citatis, quando verò quis est monitus, ut decimas solvat, tunc eas non solvendo, dicitur in mora, *cap. pervenit, cap. omnes 16. quæst. 7.* sufficit tamen monitio generalis, quam in Ecclesiis solent facere Parochi, si trina sit quia illa sufficit ad contumaciam in conscientia autem dicitur quis in mora, quando decimas non solvit etiam nulla prævia monitione, vel petitione ex communi, *DD.* sententia, quam sequitur *Covarruvias d. lib. 1. variarum cap. 17. num.* 8. quia tunc quis est in mora quoad conscientiam, quando differendo solutionem debiti peccat, sed ut aliquis peccat, non solvendo decimas, non est necesse, ut præcedat petitio, vel monitio, quia tenetur solvere etiam non requisitus, ut docet, *Suarez de religione cap. 37. num. 2. Moneta de decimis cap. 6. num.* 21.

In §. *Illud, cum sequentibus.*

Ad intelligentiam horum jurium. Sciendum est primo, quod decimæ hodiè pertinent ad singulos parochos ministrantes divina in illis Parochiis, Immò interdum debentur Clericis beneficiatis, qui ex titulo beneficij tenentur inservire in aliqua Ecclesiæ, quia decimæ principaliter sunt institutæ propter ministerium divini cultus, *cap. ex parte 2. de decimis*, qui Clerici percipere eas poterunt, etiam si divites fuerint, vel malæ vitæ, *cap. decimæ, ubi glossa 16. quæst. 1 cap. Episcopus 16. quæst. 6. cap. tua nobis, ubi glossa de decimis*, quia eorum divitiæ non obstant, quo minus eis decimæ debeantur, aut justè illas percipiant, si ministrant, nec decimæ dantur propter bonitatem vitæ, sed propter servitium, & ideò si Clerici prædicti ministrant, ut debent eorum malitia alios non liberat a debito decimarum; *Rebuffus de decimis quæst. 7. num. 14. Moneta de decimis cap. 7. num. 32. Bonacina de præceptis disput. ultima quæst. 5. punct. 3. num. 15.* Clerici verò simplices nullum habent jus ad decimas recipiendas, quia jus decimarum non sequitur ipso facto ex vi characteris, seu Clericatus, *Riccius in praxi resolut.* 190.

Sciendum secundo est, quæstionem esse inter *DD.* an possit Parochus, cui solvendæ sunt decimæ, negare sacramenta illis, qui nolunt solvere decimas? etenim prima opinio docet, posse ea denegare, nisi habeant justam causam non solvendi, ità *Suarez de religione lib. 1. cap. 25. Bonacina de sacramentis disput. 5. quæst. 6. punct. 4. §. 2. num. 20. & de præceptis disput. ultim. quæst. 5. punct. 3. num.* 20 quia dicunt, isti essent in peccato mortali, & ideò minimè dispositi ad digne suscipienda Sacramenta, & si peccatum esset notorium, posset eis notoriè denegarè Sacramenta: si sit occultum, & confiteantur, non debet illos absolvere, donec decimas solvant. Verum hujus rei contrarium decisum habes in Curia nostra Archiepiscopali, ut docet, *Riccius dec.* 195, *par.* 4. cujus sententiam uti æquiorem sequitur *Novarius conclus. unica de decimis*; cum per alia media possit cogare Parochus filianos ad solutionem decimarum, ut per *Riccium par. 4. decis.* 380.

Ampliatur, ut neque possit parochus privare filianum ecclesiastica sepultura ob decimas non solutas, quia hoc jus competit Superiori, & Judici in foro externo. *Bonacina, & alii locis citatis.*

Sciendum est tertio, quod omnes, qui habent prædia alicui ecclesiæ subjecta titulo temporali tenentur solvere decimas prædiales illi ecclesiæ, cui prædia illa subjacent, nisi alteri ecclesiæ solvi debeant de consuetudine, quæ in hoc reservanda est, *cap. Apostolica de decimis*, ideò omnes laici, etiam Judæi, Pagani, & hæretici prædictas decimas solvere tenentur, quia est onus reale, ut habetur in *cap. de terris de decimis*, & ibi *DD. Moneta de decimis cap. 50. num. 76 Riccius in praxi resolut.* 517. & 4. *decis.* 380. neque poterit denegari decima Parocho per hoc, quod non distribuit candelas benedictas in die Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, *Ricc. d. resol.* 517. quamvis possit Parochus, vel Episcopus compelli ad candelas dandas, quando per aliquod longum tempus, puta pro spatio 40. annorum cum justo titulo eas dederit Episcopus, vel Parochus, quia talis consuetudo; & præstentatio allicit laicos ad devotionem ecclesiarum, & divini cultus, sic decisum per Sacram Congregationem Cardin. lib. 1, docet *Capiblancus de auctoritate Baronum pragmatic.* 8. *par. 2. num.* 14.

Quæstio tamen est, quid si Dominus prædij alteri illud locavit, an tunc Dominus, vel colonus teneatur solvere decimas? & responsio est distinguendo plures casus.

Primus est quando locando prædium societatem contraxit, ità ut recipiat aliquam partem fructuum, & tunc tenebitur uterque pro parte sua, & sic procedit textus in *cap. tua nobis*, ubi *gloss.* & *Abbas de decimis.*

Secundus est, si Dominus conduxit colonos nummis, vel promittit eis certam mensuram pro labore sivè fructus nascantur sive non, & tunc tenebitur solvere decimas, quia omnes fructus ad eum pertinent, *Abbas ubi supra*, per *textum in cap. cum non sit de decimis.*

 Tertius

Tertius est casus, quando Dominus locavit prædium pro certis mensuris, vel certa pecunia, ità ut fructus spectent ad colonum, & conductorem, & tunc non tenebitur dominus aliquid solvere pro hac pensione, quia onus decimæ est onus fructuum, *cap. pastoralis eodem titulo*, ideò transferendo omnes fructus in conductorem, videtur transtulisse cum onere suo.

Quartus est casus, quando aliter fuit factum pactum inter dominum, & conductorem, & tunc illud servandum est, *cap. 1. de pactis*, quod tamen non præjudicabit ecclesiæ, quin possit convenire fructuum detentorem, *glossa in dicto cap. tua nobis*, quia decima tanquam onus reale sequitur possessorem tam prædii, quàm fructuum, *glossa ubi supra*, *Moneta de decimis, cap. 6. num. 44. Novarius lib. 1. quæst. forens. cap. 21. Bonacina de præceptis disp. ult. quæst. 5. pun. 3. num. 8.*

An etiam si quis possideret prædia extrà territorium suæ Parochiæ, de fructibus, quos percipit, teneatur solvere decimas proprio parocho, quæstio est? & responsio est affirmativa: decimæ enim solvi debent nè dum de fructibus recollectis in territorio, sed de omnibus aliis, etiam extrà territorium perceptis, & præsertim ubi extaret consuetudo, ità solvendi, *cap. cum non sint de decimis*, ità decisum docet, *Vivius dec. 63. Riccius in praxi resolut. 90.* qui docet, fic fuisse decisum per Reginm Collaterale Consilium. De fructibus vero, quod dominus percepisset, si agrum coluisset, non sunt solvendæ decimæ, quia decima solvitur de fructibus collectis, non de colligendis, vel qui colligi potuissent. *Bonacina de præceptis disput. ult. quæst. 5. par. 3. num. 17.*

Quando autem dominus vendit prædium, ex cujus fructibus decimæ non fuerunt solutæ per aliquos annos, tunc decimæ præteritæ, & non solutæ, solvi debent à novo emptore prædij, super quo decimæ debebantur, quia decima est onus reale, quo rem afficit, & pro tributis realibus tenetur possessor etiam pro præteritis, *l. Imperatores, ff. de public. & vectigalibus*, ideò ad novum possessorem transibit cum obligatione solutionis decimarum communiter Canonistæ, quibus accedit *Riccius in praxi resol. 57.* quod si novus possessor erit coactus ad solvendum: repetet ab eo, qui de præterito percepit fructus, ut in *cap. non est in mora de regul. juris in 6.* & habet ecclesia electionem, an velit convenire illum, qui fructus percepit cum fructus ad eum cum decimarum onere transierint, *cap. pastoralis de decimis*, vel antiquum dominum. *Franciscus Marcus decis. 550. Novarrius quæstionum for. quæst. 21. par. 1. Bonacina de præceptis disput. ultima, quæst. 5. par. 3. num. 10.* eadem ratione dicas, teneri clericos, parochos, vel alias personas ecclesiasticas solvere decimas de bonis, ex quibus anteà solvebantur, cum ecclesia non amittat jus decimæ sibi debitæ, quamvis prædia ad personas ecclesiasticas devolvantur, cum prædia transeant cum onere suo. *Sanctus Thomas 2. 2. q. 87. art. 4. Lessius lib. 2. cap. 39. Bonacina disp. ult. q. 5. p. 3. n. 50.*

Ex quibus infertur primo, teneri Clericum solvere decimam de eo, quod percipit ex patrimonio, ad cujus titulum fuit promotus, tum quia res transit cum onere suo, tum etiam, quia Ecclesia non debet defraudari re sibi debita ob susceptionem ordinis sacri, *Riccius in praxi resolut. 605. par. 4. & decis. 380. num. 4.*

Infertur secundo, Episcopum non obligari ad decimas ex prædiis ecclesiasticis solvendas, quæ sunt de mensa Episcopali, & sunt applicata in stipendium, & propriam sustentationem, sicut neque tenetur Parochus ex prædiis suæ parochiæ applicatis ad ejus sustentationem, licet si bona prædicta mensæ Episcopalis, aut parochialis in alium transferantur per venditionem, subjicierentur decimis, *Moneta de decimis num. 23. Bonacina, & alij locis citatis.*

Sciendum est quarto, teneri monasteria solvere decimas de terris, & possessionibus ab eis acquisitis parochialibus Ecclesiis, quibus erant decimales, nisi aliquo privilegio, Consuetudine, vel alio titulo fuerint exempta, *cap. nuper de decimis*, *Moneta cap. 5. num. 10.* sicut etiam tenentur heremitæ, & alij laici, observantes regulam Sancti Francisci, vel S. Dominici, solvere decimas si colunt agros, vel vineas, vel si vivunt in domibus suis, etiam si serviant monasteriis exemptis, *Rebuffus de decimis, q. 5. Moneta de decimis cap. 5. num. 34.* quando autem vivunt in communi, & stant simul in uno loco & domo, non tenentur dare decimas de hortis suis, qui sunt in circuitu domus, neque de animalibus ibidem pascentibus, seù eorum nutrimentis, *c. 2. de Eccles. ædific. DD. ubi supra.* Ille verò Parochus, qui habet prædia in alia Parochia, tenetur ei solvere decimas, *Abbas in cap. Novigenus de decimis, Moneta de decimis c. 5. n. 6. Bonacina disp. ult. qu. 5. punct. 3. num. 12.* quod intellige præcisa consuetudine in contrarium, putant verò aliqui, decennium sufficere adhoc, ut una parochia possit jure consuetudinis exigere decimas, quæ jure communi debentur alteri Parochiæ; alij verò putant sufficere tempus quadraginta annorum, *Abbas in cap. cum sint homines de decimis, Suarez de religione lib. 1. cap. 22.*

Sciendum est quinto, omnes, qui Sacramenta percipiunt, teneri solvere decimas personales illi ecclesiæ, in qua ea recipiunt, nisi aliter consuetudine exceptum sit, *cap. ad Apostolicæ de decimis*, quod ampliatur, etiam si habentes domicilium in parochia nollent ibi sumere sacramenta, cum per eos stet ibi sacramenta non sumere, *Moneta*, qui de communi testatur, *cap. 7. quæst. 2. Novarius concl. 1. de decimis*, ideò siquis reciperet sacramenta in ecclesiis religiosorum, non debet illis solvere decimas, sed proprio Parocho, cui incumbit onus administrandi, nec per illum stat, nè administret: *ità Federicus de Senis, consil. 252.* Clerici verò ad has decimas personales solvendas non tenentur de consuetudine, *DD. ubi supra*, Cardinales autem habent peculiaria privilegia non solvendi decimas, neque de prædiis conductis, ut habetur *cap. dilecti cap. ex parte eodem titulo de decimis, DD. ubi supra.*

Sciendum est sexto, Summum Pontificem tantum posse concedere privilegia super decimis. Principes verò sæculares, non possunt se intromittere in his privilegiis, *cap. tua 1. eodem titulo*, quia nullatenus super spiritualibus possunt se intromittere, *cap. 2. de Judiciis*, immò ipsi Principes sæculares tenentur ad decimas solvendas, *d. cap. tua, & Abbas in cap. omnes Principes de majoritate, & obed.* Neque laici possunt de manu Clericorum decimas recipere, alias sunt excommunicati, & Clerici solventes decimas laicis deponendi sunt, nisi à Papa specialiter concessum sit illis, *cap. quamvis in fine eodem* & observa etiam, quod jus decimandi nec vendi, nec locari potest, cum sit spirituale, decimæ autem possunt locari, vel alio modo alienari, ut in nostro titulo in §. *penult.*

Sciendum est ultimo, decimas petendas esse coram Judice Ecclesiastico, *cap. ad hæc de decimis*, quia causa decimarum est Ecclesiastica, cum decimæ debeantur ob sacrum ministerium, sed causa spiri-

ſpiritualis, & Eccleſiaſtica coram Judice Eccleſiaſtico agenda eſt, *cap. Parochianos de decimis*, ergo; quando verò Parocho ſunt ſublati à laico fructus decimarum, qui erant jam ſoluti, poteſt talis Parochus coram Judice ſæculari agere talem cauſam, quia fructus ſunt res temporalis, non ſpiritualis, nec habent amplius connexionem cum re ſpirituali, qua de re, *Card. Tuſchus tom. 2. concluſ. 72. & 75. Bonacina, Moneta, & alij locis citatis, P. Dian. par. 1. tract. 2. reſol. 89.*

Quæſtio tamen eſt, coram quo Judice ſit conveniendus laicus conductor deciſum? Etenim prima opinio docet, coram Judice laico eſſe conveniendum, ità *Covarr. practic. quæſt. cap. 35. Theſaurus lib. 2. quæſt. for. quæſt. 15. num. 4.* Secunda opinio docet poſſe conveniri coram Judice laico, & Eccleſiaſtico: Tertio opinio docet tantum coram Judice Eccleſiaſtico eſſe conveniendum, quia habet ortum ex jure decimarum, quod jus eſt ſpiritnale, & Eccleſiaſticum, non autem civile, & prophanum, *Azorius par. 1. lib. 7. cap. 39. quæſt, 6. Moneta cap. 8. quæſt. 1. Diana ubi ſupra reſol. 93.*

TITULUS XXVII.

DE REBUS ECCLESIÆ ALIENANDIS, VEL NON.

VIſum eſt ſupra, de rebus mere ſpiritualibus, ut ſunt Sacramenta, & de rebus temporalibus, & ſpiritualibus, ut ſunt decimæ: verum, quia ſolet Eccleſia habere prædia, & alia ſimilia, quæ alienari, non poſſunt, merito, ponitur hic titulus *de rebus Eccleſiæ alienandis, vel non*, ad cujus intelligentiam.

Sciendum eſt primo, quod hic titulus diverſo modo ponitur hic, & in *extravagantibus, & Clementinis*, quia ibi ponitur titulus negativus, *de rebus Eccleſiæ, non alienandis*, hic verò alternativus *de rebus Eccleſiæ alienandis, vel non.* Cujus ratio eſt, quia, antiquitus regula erat affirmativa, res Eccleſiæ ſcilicet poſſe alienari regulariter cum Epiſcopi licentia, ut patet in titulo decretalium eodem, & per *gloſ. in ſumma 12. quæſt. 2.* dummodo adeſſet ſolemnitas aliqua ibi, & ob hanc rationem ponitur titulus affirmativus, & exceptio negativa, & dicitur de rebus Eccleſ. alien. vel non, quia tamen attento jure noviſſimo res Eccleſiæ alienari non poſſunt; ideo ponitur regula negativa de rebus Eccleſ. non alienandis, & exceptio eſt affirmativa, & ideò in *extravag. dicitur de rebus Eccleſiæ non alienandis*, quæ regula limitatur in quibuſdam caſibus, & ideò limitatio eſt affirmativa.

Sciendum ſecundo eſt, quod nomen rei generale eſt, comprehendens omne, quod in eſt mundo, *l. rei appellatione ff. de verb. ſignific.* & appellatur verbum tranſcendens: in materia verò noſtra ſumitur pro rebus temporalibus Eccleſiæ, quæ res temporales aut ſunt mobiles, aut immobiles, aut ſe moventes: Immobiles ſunt quæ moveri non poſſunt, ut domus ager, & ſimiles: mobiles quæ per alios moveri poſſunt, ſe moventes, quæ per ſe moveri poſſunt, ut animalia, *Card. Mantica de Conject. ultim. volunt. lib. 9. tit. 3. in principio*; ut plurimum tamen appellatione mobilium veniunt ſe moventia, & contra. Ideò, ſi quis donat alicui moventia, in tali donatione veniunt nè dum animalia, ſed etiam aliæ res mobiles, & è contra ſi donat res mobiles, veniunt etiam moventia, *l. fin. ubi notatur, ff. de donation. Rebuſſus in dict. l. moventium, ff. de verb. ſignific.* Idem ſi quis reliquerit alicui bona, mobilia, aut moventia, mobilia, & moventia relicta intelliguntur, qua de re, *Rebuſſus in d. l. moventium*, qui etiam docet, quod ſi contrarium appareat de voluntate teſtatoris, puta ſi uni legaverit mobilia, alteri moventia, tunc appellatione mobilium non veniunt moventia.

Secundo dividuntur res, quod aliæ ſint corporales, aliæ incorporales, corporales dicuntur res mobiles, vel immobiles, de quibus ſupra. Incorporales ſunt actiones jura, & ſervitutes, *§. 1. Inſtit. civil. de reb. corporalibus, & incorporal. & in tit. 1. hujus ſecundi libri*, & licet appellatione bonorum veniant jura, & actiones, *l. bonorum, ff. de verb. ſignific. l. nomen, C. quæ res pignori obligari poſſunt*, tamen appellatione mobilium, & immobilium jura, & actiones non veniunt, ſed tertiam conſtituunt ſpeciem, *l. à Divo Pio, §. in venditione, ff. de reiudicata. Tiraquell. in l. ſi unquam in verb. bona, C. de revocan. donat. Covarr. in cap. relatum il 2. de teſtam.*

Sciendum ultimo eſt, quod alienationis verbum dupliciter ſumi poteſt, primo comprehendit omnem actum, per quem alteri jus aliquod in re acquiritur, ſecundo ſumitur ſpecificè, pro ut importat translationem dominij, ſivè directum illud ſit ſivè utilè dominium, qua de re *Rebuſſus in l. alienationis verb. & in l. alienatum, ff. de verb. ſignific.* & ideò comprehendit tranſactionem, & omnem aliam alienationem.

In §. ex his, cum ſequentibus.

AGitur hic de ſolemnitatibus requiſitis in alienatione rerum Eccleſiarum, ad cujus intelligentiam.

Sciendum eſt primo, quod res Eccleſiæ alienari non poſſunt, ut in *cap. nulli de rebus Eccleſ. non alien.* ſivè transferatur dominium directum, ſivè utilè per conceſſionem in amphiteuſim, neque tales res poſſunt ſpecialiter hypothecari, neque generaliter, attenta *extravagant ambitioſæ de rebus Eccleſ. non alien. Quaranta in ſumma Bullarij in verb. alienatio num. 17.* Quod ſi habuerint Rectores aſſenſum Apoſtolicum, ut poſſint obligare tales res, tunc vigore illius aſſenſus, poterunt iterum vendi, *Bart. & Dynus in l. pupillorum, §. fin. ff. de rebus eorum, Guidon. Papa deciſ. 31. num 6.* ſicut ſi bona feudalia aſſenſu Regio ſint obligata, poterit creditor ſinè alio aſſenſu ſibi adjudicare ſic fuiſſe deciſum per Sacrum Conſilium docet *Capycius deciſ. 11. n. 10. & 182.* verum hodiè in Regno noſtro per *pragmaticam 26. ſub titulo de feudis habetur*, ut in adjudicatione deindè facienda aliquo modo interveniat aſſenſus Regius.

Ampliatur, ut res Eccleſiæ neque poſſint concedi in emphiteuſim; ut in *dict. extravagant. ambitioſæ*, neque in cenſu dari poſſunt reſervativo, quia datio cenſus ſupponit dominij translationem, immo neque dari poſſunt in cenſu conſignativo, *Riccius lib. 1. var. reſolut. 46. Fuſarius de ſubſtitution. quæſt. 706.* ſicuti non poteſt clericus imponere cenſum conſignativum in bonis, ad quorum titulum fuit ordinatus, niſi ſervata forma *Trident. ſeſſ. 11. Felicianus de cenſibus lib. 2. cap. 3.* quia bona prædicta non poſſunt alienari, ergo neque in cenſum poſſunt dari, vel ſuper his cenſus conſtitui. *Gratianus diſcept. for. cap. 159. num. 27.*

Ampliatur ſecundo, ut neque res Eccleſiæ locari poſſint ad longum tempus, quia de natura hujus locationis eſt transferre dominium in conductorem, *gloſſ. in l. 2. & ſequenti, ff. ſi ager vectigalis. Card.*

Mantica

Mantica de tacitis, & ambiguis convenit. lib. 3. tit. 45. Locatio vero ad longum tempus intelligitur ultra triennium; quod si in integro triennio unus tantum fructus percipiatur, tunc triennium pro uno anno computatur, & sic fieri posset locatio per novennium. *Mantica ubi supra Genuensis in praxi cap. 6. nu. 10.* quod si fiat locatio ultra triennium, tunc sustinebitur pro triennio, tunc praesertim quando dicitur, loco fundum hunc, ad triennium, quo elapso concedo tibi eundem fundum ad alios tres annos: nam tunc quo ad primum triennium valet locatio, *Bonacina de alienatione bonorum eccles. disput 2. quaest. unica, pun. 2. num. 24. vers. neque obstat illa regula.*

Ampliatur tertio, ut etiam sit prohibita permutatio rerum Ecclesiae; quia prohibitio generalis est, comprehendens omnem actum, per quem transfertur dominium, *l. fin. ubi DD. C. de rebus alienis non alienandis*, unde etiam si Ecclesiae permutent eas inter se, adhuc requiritur solemnitates dictae extravagantis *Ambitiosa, Card. Mantica de tacitis, & ambiguis lib. 25. tit. 6. num. 66.* Nec Episcopus potest sine legitima causa, & consensu capituli rem Ecclesiae ad alium transferre usum *DD. cit.* quos adducit, & sequitur *Mantica ubi supra lib. 25. tit. 6. nu. 66. Riccius in praxi par. 1. resolut. 35. & 60. Barbosa de potestate Episcopi alleg. 95. num. 57.* verum in puncto juris possent fieri hae permutationes rerum Ecclesiarum inter se sine solemnitatibus, *cap. sine exceptione 12. quaest. 2. & textus in d. extravag. Ambitiosae loquitur de permutatione*, quae fit inter Ecclesiam & personas laicas. Neque possunt permutare clerici beneficia inter se, *cap. quaesitum, ubi DD. de rerum permutatione, Card. Tusch. tom. 1. conclus. 303.* immo privatur suo beneficio ille, qui propria auctoritate commutat beneficia; *cap. cum olim de rerum permutatio, & extravaganti (detestabile de simonia, Cochier de permutat. beneficij par. 1. cap. 2.* & appellatur permutatio simoniaca; *Lessius de iust. jure lib. 2. cap. 34.*

Sciendum secundo est, quod res Ecclesiae possunt alienari in quibusdam casibus, &

Primo, ob utilitate ecclesiae, si scilicet fit res, quae plus incommodi, quam commodi afferat Sacundo, si vendantur pro reperandis domibus, vel molendinis ecclesiae. Tertio, si vendantur ut res utiliores statim possint comparari. *Card. Mantic. de tacit & ambig lib. 4. tit. 7. num. 28.* qui addit, satis esse si conditio ecclesiae melior efficiatur tempore contractus, ut desumitur ex *cap. ad aures eodem tit. & ex textu in l. si filius fam. C de omnibus rebus naviculariorum lib. 2.*

Secundo, vendi possunt ob necessitatem, puta si alienentur, ut solvantur, debita ecclesiae, quae de re, *Card. Mantica loco citato tit. 7.*

Tertio, elieneri possunt ex causa pietatis, puta pro redimendis captivis, *cap. casellas, & sequenti 10. quaest. 2. cap. aurum, cap. gloria Episcopi 12. quaest. 2.* vel si ecclesias voluerit reficere, & restaurare Praelatus, *cap. fin. de eccles. aedific. cap. si Episcopus, cap. bona rei 12. q. 2. Mantic. ubi supra.*

Sciendum est tertio, quod in alienatione rerum ecclesiae plura requiruntur.

Primo, ut interveniat causa, puta necessitas, *cap. sicut 12. quaest. 2.* vel utilitas, *cap. tua, de his, quae fiunt à Praelatis sine consensu Capituli*, vel magna incommoditas, quia forte res elienande damnosa est, & non utilis ecclesiae, *cap. sine exceptione 12. quaest. 2.* & de his causis constare debet; alias Praelatus non potest alienare, nec ei creditur afferenti ea causa alienare *DD. citati.*

Secundo requiritur tractatus puta fieri debet congregatio clericorum, vel monachorum ad sonum campanae, vel elias, ut moris est, quibus congregatis, debet antiquior, vel prior proponere, & ab omnibus suffragium petere. *l. 1. C. de decurionib. lib. 10.* & debet de hoc fieri instrumentum publicum, nec sufficit si in alienatione dicatur, habito tractatu, & colloquio patrum, sed requiritur, ut expresse ostendatur instrumentum de hoc *Rebuffus de alienatione rei ecclesiasticae num. 12.* & quando fit alienatio per Episcopum cum Canonicis solemniter congregatis, debent suffragia, & opiniones omnium in scriptis redigi, cum rationibus à quolibet Canonico adductis in favorem alienationis, vel contra *Abbas in cap. tua n. 3. & 5. Episcopus Montis Regalis in examine Episcop. lib. 3. cap. 12. num. 7.* & unus sufficit tractatus *Alexander Trentacinqu. lib. 3. var. resol. in tit. de alien rerum eccles. resolut. 1. num 18.* Quando autem fieret alienatio per monachos nigros Sancti Benedicti, non sufficit tractatus unius diei, sed decem dierum, communiter *DD.* quos refert, & sequitur, *Trentacinqu. ubi supra num. 18.*

Tertio, in elienatione rerum ecclesiae non sufficit, ut interveniat consensus Canonicorum, sed eorum subscriptio, vel saltem, ut Notarius scribat omnes, ubi id servatur de consuetudine, *Bonacina d. disp. 2. q. unic. par. 4. nu. 3.*

Quarto, requiritur consensus, & licentia Episcopi, *Auth. hos jus porrectum*, & ibi *Baldus*; *C. de sacros. eccles.* hodie verò inconsulto Summo Pontifice, haec alienatio non potest fieri, ut in *dicta extravaganti Ambitiosae*: posset tamen sufficere consensus Summi Pontificis sine ulla alia solemnitate, quia cum aliae solemnitates, requirantur de jure Canonico, in quo Summus Pontifex dispensare potest, consequenter posset sufficere talis consensus, *Bonacina loco citato num. 6.* & solet Summus Pontifex concedere hanc licentiam cum illa clausula (si in evidentem) quam conditionem si non exprimet, tacitè intelligitur. *Rota Romana par. 2. decis. 178. Rodanus de rebus eccles. non alien. quaest. 22. num. 75.* Ideò poterit impugnari alienatio, quando constat, non fuisse celebratam cum evidenti ecclesiae utilitate, ut docent *DD. ubi supra*; Quod si consensus Summi Pontificis praestitus non fuerit, praesumitur intercessisse lapsu 30. vel 40. annorum, *Genuensis in praxi cap. 88. Riccius decis. 34. & 35. Mascardus de probat. conclus. 416. Menochius de praesumpt. lib. 3. praesumpt. 132.*

Ex quibus infertur primo, contractum alienationis bonorum Ecclesiae, celebratum sine praedicta solemnitate, esse invalidum non solum in foro externo, verum etiam in foro conscientiae, etiamsi celebratus sit in favorem Ecclesiae alienantis. Ratio est, quia sine forma substantiali nihil subsistit in rerum natura; sed praedicta solemnitas est veluti forma substantialis contractus, ergo ità *Farinaceus in decis. 205. & 206. Laymann. lib. 1. tract. 4. cap. 16. nu. 9.* Neque dicas, quod esset hoc in odium Ecclesiae, in cujus favorem introductum est, ut non valeat contractus, quia non est mirum hoc, cum talis solemnitas sit de forma substantiali contractus, ergo non non potest telis contractus ex parte ullius valere; unde meritò tenetur emptor rei Ecclesiae eam restituere pio loco, ad quem pertinebat antequam emeretur, & restituenda est unà cum fructibus, ut in *l. jubemus, & in auth. qui res, C de sacros. eccles. Riccius decis. 79. Bonacina disp. 2. quaest. unica par. 4.* Ratio est, quia res domino fructificat, ergo fructus sunt restituendi pio loco, ad quem rei dominium spectat, nisi forsitan res, & fructus retineantur in recompensationem pretii.

Infertur secundo, ea bona non posse elienari, quae sunt immobilia ecclesiastica, vel etiam mobilia pretiosa, quae servando servari possunt: dicuntur vero bona

bona pretiosa, quæ servando servari possunt, vasa aurea, vel argentea, vel tapetes, grea ovium, armentum bovum, &c. illa vero bona, quæ servando servari non possunt, ut sunt fructus gregis & alia solemnitate possunt alienari. Hinc etiam fit, ut oblationes, sacræ imagini factæ, de licentia Episcopi possunt absque alio assensu Sedis Apostolicæ alienari, nisi essent vota aurea, vel argentea magni valoris, hæc enim censentur bona pretiosa, quæ servando servari possunt. *Riccius dec.* 102.

Sciendum est quarto, alienantem bona Ecclesiæ sine solemnitatibus à jure requisitis, incurrere primo in pœnam excommunicationis, ut in *dicta extravaganti Ambitiosæ*, in quam etiam pœnam incidit etiam emens, *cap. si quis præsbyterorum infra eodem, & in dict. extravagan. Ambitiosæ*, quæ excommunicatio Papæ reservata est, *Triden. sess.* 22. *cap.* 11. sic fuisse decisum per Clementem VIII. docet *Episcopus Montis Regalis in examine Episcopor. lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 31. *Bonacina de alienat. rerum eccles. disput.* 2. *quæst. unica p.* 5. *num.* 3. qui possunt alias pœnas, contra alienantes impositas.

TITULUS XXVIII.

DE PECULIO CLERICORUM.

Visum est supra de bonis temporalibus ecclesiasticis, videndum erat de rebus temporalibus simpliciter clericorum, & de ipsorum successione: merito ponitur hic titulus. Ad cujus intelligentiam.

Sciendum est, quod peculium dicitur a pecunia, *l. prima*, *§. peculium*, *ff. de peculio l. si chorum*, *§.* 1. *ff. de leg.* 3. *Abbas in præsenti rubrica decretalium num.* 1. & definitur, ut sit patrimonii portio, quam Pater filio, vel dominus servo tradit ad negotiandum, vel lege permittente traditur, *l.* 4. *l. depositi*, *§. peculium*, *ff. de peculio*. Dividitur in peculium profectitium, adventium, castrense, vel quasi: respectu clerici tamen omne adventitium est castrense, etiam si sit clericus primæ tonsuræ, *cap. quia nos de testamentis*, *authent præsbyteros*, *C. de Episcopis*, *& clericis*, neque ut gaudeant clerici prædicto privilegio requiruntur solemnitates, *Triden. sess.* 23. *cap.* 6. *Sanchez in summa lib.* 7. *cap. num.* 33. post alios, *Squillante de privileg. cleric. cap.* 12. *Regens Constantius in tit. C. de filiis officialium lib.* 10. *num.* 53. ideò non poterit Pater irritare vota realia emissa à filiofamil. post clericatum, quia sunt talia vota facta de solvendis bonis quasi castrensibus, in quibus Pater nihil habet. *Bartholomæus à Sancto Fausto de tribus votis lib.* 2. *quæst.* 111. In illis vero bonis, quæ clerici acquisierunt ante clericatum, nullum patri infertur præjudicium, & remanent, ut prius, Legas *Bartholomæum à S. Fausto quæst.* 112 *Sanchez*, *Constantius*, *& alij*.

Sciendum secundo est, quod beneficiatus emens prædia, si tempore beneficij non habebat patrimonium, præsumitur ea emisse de bonis ecclesiæ, & consequenter sunt juris ecclesiastici, *cap.* 1. *hoc titulo*, *Menochius lib.* 5. *præsumpt.* 53. *Mascardus conclus.* 202. *Barb. in dict. cap.* 1. *num.* 2. & sic in dubio præsumitur pro ecclesia, bona autem acquisita intuitu beneficiorum ecclesiasticorum, vel ex redditibus ipsorum pertinent ad ecclesiam, *Seraphinus par.* 1. *decis.* 594. Ideò omnia, quæ emit beneficiatus ex fructibus beneficij, omnia ipso jure deinde debentur clericis. *Azorius par.* 2. *lib.* 7. *cap.* 10. *quæst* 1. Quando Prælatus emit aliquod de bonis ecclesiæ, tenetur facere ecclesiæ nomine instrumentum, & emptionem, ut hic habetur, aliter est removendus ab administratione, *cap.* 2. *hoc tit.* omnia vero, quæ acquisivit Episcopus post consecrationem, debet suæ ecclesiæ relinquere *cap.* 3. *hoc titulo*, & debet tempore promotionis suæ facere inventarium eorum, quæ ipse ex patrimonio suo, vel alio titulo acquisivit. *Mascardus conclus.* 587. *Menoch. lib.* 3. *præsumpt.* 53. *Gabedus decis Lusitana* 84. *par. ultima.* Quando enim constat ex inventario Prælatorum, habuisse bona sua, tunc acquisita postea, præsumuntur acquisita intuitu ecclesiæ *Menoch de Arbitr. casu* 95. & quia bona Episcopi morientis acquisita intuitu ecclesiæ, spectant ad successorem, si Episcopatus confertur à Rege, vel ad Cameram Apostolicam, si Episcopatus est à Papa immediatè, ideò a Judice ecclesiastico confici debet inventarium. *Franciscus Marcus decis.* 105. *par.* 1. *Marta par.* 4. *de jurisdict. centur.* 3. *casu* 122. *num.* 16. *Barb. in dict cap.* 3. Addas; quod empta ex bonis ecclesiæ à Prælato, licet nomine alieno celebratur emptio, semper acquiruntur ecclesiæ, quia ejus fraus non prodest, *cap.* 4. *hoc titulo*, & solus usus erit ejus, vita durante. Idem dico, si clericus de bonis ecclesiæ acquirat, & fundet Juspatronatus, quod non sibi, sed ecclesiæ acquirit, ut post alios *Barbosa dict. cap.* 4. *hoc titulo.* Quod si Prælatus, vel alius beneficiatus fecerit meliorationes in rebus ecclesiæ, sunt suæ usque ad mortem, sed moriens non potest ea alteri relinquere in testamento, nisi assignari voluerit alicui pro servitiis factis ecclesiæ. *cap fin. in hoc titulo. Genuensis in practicab. quæstione* 1614. sed expensas, quas facit in meliorationibus, tum ipse, quam suus hæres repetet *Sardus cons.* 33. *num.* 311. *Paulus Comitolus par.* 1. *respons. quæst.* 82. nisi eas fecerit animo donandi, *Gratianus cap.* 117. *num* 26. Sed si Clericus ea sua industria meliorem fecit Ecclesiam, non potest prætium industriæ repetere, sed illud cedit Ecclesiæ, *Barb. in d. cap ultim.*

Sciendum est tertio, Clericos esse vero Dominos fructuum beneficiorum non verò usurarios, vel dispensatores, tantum, & est sententia, *S. Thoma in quod lib.* 6. *quæst* 8. *artic.* 1. *ad* 3. *&* 2. 2 *quæst.* 18. *artic.* 7. & latè *Garsia par.* 2. *cap.* 5. *de beneficiis*, & latè disputando articulum tenet *Barb lib.* 3. *de Jure Eccles. cap.* 17. undè Clerici, expendentes fructus beneficiorum in malum finem, peccant mortaliter, sed nullam tenentur facere restitutionem, *Ugolinus de potestate Episcopi cap.* 15. *§.* 9. *&* 11. *Bonacina disput.* 4. *in tract. variis par.* 4 & possunt Clerici habentes patrimonium, & beneficium, fructus ipsius consumere, & servare patrimonium, etiam si dives sit, *Bonacina par.* 2. *num.* 6. Undè poterit de eis fructibus testari, alere filios, etiam illegitimos, & quando bona capit Camera, tenetur talibus filiis consulere de alimentis, *Filiuccius tract.* 43. *cap.* 4. *quæst.* 19. *num.* 36. & cautè sunt expendendi fructus in alendis, & dotandis patentibus, quia clamabat *Bernardus in Epistola ad Eugenium. Quis mihi det antequam moriar videre Ecclesiam Dei, sicut in diebus erat antiquis, quando Apostoli laxabant retia, non in capturam argenti, vel auri, sed in capturam animarum*, sed quid diceret nunc *Bernardus* quando ferè omnes Prælati Ecclesiæ id faciunt? legas vitam Clementis IV. Pij V. legas *Barb. de jure Pontificio d. lib.* 3. *cap.* 17. *à num.* 45.

Sciendum est quarto, posse, loquendo de Jure, Clericos testari de bonis propriis, vel acquisita

tis ex fructibus Ecclesiæ, *cap. Episcopi cum sequenti 12. quæst. 1. cap. quia nos, cap. relatum de testamen. Marta de jurisdict. par. 4. casu 24. & casu 26.* Hodiè verò ex Bulla Pauli III. & aliorum summorum Pontificum omnia bona, quæ à persona Ecclesiastica, beneficiata, etiam regulari sunt acquisita, vel immediatè, vel mediatè ex redditibus Ecclesiasticis, aut redditus ipsi extantes pertinent ad Cameram, ea verò, quæ ex patrimonialibus, vel labore, non acquiruntur Cameræ, nisi ex illicita negotiatione sint acquisita; sed vasa empta pro Ecclesia, & ornamenta, &c. non capit Camera, sed Ecclesia; quæ etiam succedit in supellectilibus domus, quæ spolia solum in Italia practicantur, & in eo, qui moritur Romæ, non fit spolium; sicuti neque fit, quando Prælatus habet licentiam testandi, quando verò Camera succedit, vel Ecclesia, tenetur ad onera, contracta per defunctum pro necessitatibus tantum ipsius Ecclesiæ, vel pro necessariis, suis Ecclesiis, *cap. 1. juncta glossa de solution. cap. 5. eodem tit. cap. quod quibusdam de fidejussoribus c. præsenti de offic. ordin. in 6.* sic Camera Apostolica spolium faciens, tenetur solvere onera, ac similia debita, *Barb. lib. 3. cap. 14. num. 63.* Quod si quis talia bona usurpet, suspensionis, & interdicti punitur sententia, *cap. præsenti de offic. ordinar. in 6.* in Hispania, & Gallia testantur de fructibus beneficii.

Ex quibus collige, quod Prælatus, sive Clericus beneficiatus, de bonis acquisitis, sivè mobilibus sivè imobilibus ex hæreditate, artificio, vel doctrina, ad libitum potest testari, & habet in eis hæredem ab intestato non secus, ac laicus, *cap. 1. 13. quæst. 3. cap. quia nos, cap. relatum de testam.* sed in acquisitis occasione Ecclesiæ succedit Camera Apostolica ex Bulla Pij V. quæ incipit *Romani Pontificis, Seraphinus decis. 13.* sicuti in bonis, quæsitis antè Clericatum succedunt parentes cum Camera, *Periera decis. Lusitana 95.* non tamen fit spolium de paramentis Ecclesiæ, scamnis, & similibus, *Rota decis. 40. par. 3.* in Clerico in minoribus, vel in sacris non beneficiato, non fit spolium, *Sayrus decis. 3. de success. ab intestato.* Nec procedit spolium in dispositis inter vivos, *Navarrus cons. 59. de regular.* & *cons.* 18. dicit, esse faciendum spolium deductis expensis: neque procedit spolium, quando beneficium non excedit 30. ducatos de Camera, *Rodanus de spoliis, quæst. 1. num. 53.* Sicuti nec in pensione, non excedente 60. ducatos de Camera fit spolium, *Gonzalez in regul. 8. Cancellariæ n. 22.* Neque fieri potest spolium in personis Ecclesiasticis morientibus in urbe, vel infrà decem milliaria, *Sayrus dec. 19. de succession. ab intestato*, & Camera succedens in spolio, tenetur Creditoribus defuncti, *Rota decis. 14. de probat.* quia ut hæres succedit, *Farinacius decis. 114.* & tenetur solvere expensas funeralium, *Capycius decis. 24. Riccius resol. 428 & sequenti*, succedit etiam Camera in bonis acquisitis à Regularibus extrà claustra ex Bulla Gregorii XIII. 43. bona verò equitum Hierosolymitanorum, acquisita ex illicita, negotiatione, non pertinent ad spolium, sed ad Religionem Pius V. in Bulla 19. Illa verò vasa aurea, vel argentea, quibus utitur Episcopus ad usum domus, sed quandoque in Ecclesia in sacris, debentur Cameræ Apostolicæ; nec verò Ecclesiæ, *Maranta cons. 15. lib 2. Navarrius in collect. Bullarum fol. 569. cum sequentibus tom. 2. & fol. 575. tom. 1. cum sequentibus.*

FINIS TOMI PRIMI.

Laus Deo, Beatissimæ Virgini, Sancto Joseph, Sanctoque Thomas; Divo Francisco, ac Divo Antonio Paduano. Amen.

Google